RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS VIGESIMUSPRIMUS.



RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS VIGESIMUSPRIMUS.



MEDIOLANI, MDCCXXXII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

EMIN.MO ET. REV.MO PRINCIPI.
ANDREAE. HERCULI.
S. R. E. CARDINALI.
DE. FLEURY.
REGNI. GALLIARUM. ADMINISTRO.
SEREN.MAE REGINAE.
MAGNO. ELEEMOSYNARIO.
SORBONAE. PROVISORI.
ET.
REGIAE. NAVARRAE. SUPERIORI.
&c. &c. &c.

QUI.
CHRISTIANAE. MANSUETUDINIS. ARTIBUS.
IN. SUMMA. RERUM. POTESTATE.
FLORENTISSIMIS. GALLIARUM. REGNIS.
TRANQUILLITATEM.
DIFFICILLIMIS. TEMPORIBUS.
SERVAVIT.
ARGUMENTUM. HOCCE.
NUMQUAM. INTERITURAE. LAUDIS.
QUAM. NON. PATITUR. MODESTIA. SUA.
SERIS. NEPOTIBUS. TRADIDISSE. VOLUNT.
MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.
XXI. RERUM. ITALICARUM. TOMO.
INSCRIBENTES.
EUMQUE.
GRATIAM. PLURIMAM. PRO. ACCEPTIS. BENEFICIIS.
REFERENTES.
IMMORTALI. NOMINI. EJUS.
D. D. D.

Te potius, quàm Regni Administrum repræsentat: Affabilitatem verò tuam assiduè celebrant, sermonis comitatem atque urbanam ingenii indolem, quibus artibus non auctoritate ac rigore homines in officio continere didicisti, multoque suaviùs, ac firmiùs cordibus omnium imperare.

Implebit postremò Catholicorum omnium vox, qui temperatam Christiana mansuetudine tuam agendarum rerum rationem diu celebrant, stupentque, difficillimis temporibus, non vi, non terrore potentiæ, sed vigili studio, maximâque prudentiâ sartam tectamque servatam hactenus Religionem adversùs Novatorum versutias, & molimina. Sed quæ nos tot optimè gesta silentio præterimus, aliquando libentiùs exequetur Gallorum historia. Interim, PRINCEPS EMINENTISSIME, *& officia nostra, & exiguum hocce munus libenter accipe, devoti animi nostri ac obsequii perpetuum monumentum, & si non ingratum fuerit, studiis nostris auctoritate, ac dignitate tua favere adhuc imposterum ne dedigneris, meque perpetuò pro incolumitate tua preces persolventem, in clientelam suscipias obsecro. Vale.*

Dabam Mediolani pridie Idus Decembris MDCCXXXII.

E L E N C H U S
TOMI VIGESIMIPRIMI.

LAURENTII BONINCONTRII MINIATENSIS ANNALES

Ab Anno MCCCLX. usque ad MCCCCLVIII.

Nunc primùm

E MSto CODICE MINIATENSI

In publicam lucem prolati.

IN ANNALES LAURENTII BONINCONTRII PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ILlustre Oppidum Sancti Miniati in Etruria situm, Anno Christi 1622. Episcopali Cathedra auctum, atque inter Civitates enumerari cœptum, a multis Seculis floret, ejus nomine, potentia, ac Familiis nobilibus, in Historia potissimum Florentina celebratis; inter quas Familias mihi praesertim honoris caussa commemoranda est *Borromaeorum* inclyta progenies, quae ab aliquot Seculis Mediolanum translata, ibi summo splendore, ac amplissimis dignitatibus ornata, tam longe lateque suae nobilitatis ac probitatis famam propagavit, ut vel Anno 1430. Europae nulla pars esset, *quae non eos spectatos haberet*, uti Guinifortus Barzizius, vir eloquentissimus, ajebat in Oratione a me edita Tom. II. Anecdotor. Latinor. pag. 231. Non sane conditum Oppidum a Desiderio Langobardorum Rege (quod legitur in famosa impostura Viterbiensis Decreti) neque exiguus Burgus post Annum a Christo nato Millesimum, eoque minus Seculis subsequutis, quum ibi sedem suam diu tenuerint Vicarii Imperatorum Germanicorum (unde nomen loco obvenit *San Miniato del Tedesco*) & Oppido illi complura Castella subessent, & adhuc subsint, ac praeterea Libertatis juribus olim fruens, bella ac foedera cum finitimis Populis iniret. Oppidum hoc patria fuit *Laurentio Bonincontrio*, cujus Annales nunc evulgatum pergo. Nulla ejus Familiae nobilitatis ornamenta defuere; immo, si ei fides, illius Majores vel Seculo Christi XII. illustri munere in Oppido ipso Miniatensi functi fuerunt. En ejus verba ad Annum 1112. *Robertus Alamannus, qui Miniatensium Judex Appellationis, & in tota Tuscia ab Henrico praepositus fuerat, quum Germanorum cohortibus quatuor, & nonnullis peditibus obsessis* (in Monte Calvolo) *subvenire vellet, a Florentinis in fugam versus, saucius quum in Miniate Oppido se recepisset, paucis post diebus ibidem interiit. Id Oppidum ab Ottone I. conditum. In quo Alamannum quemdam instituit Appellationum Judicem. Ideo etiam nomen servat Al Todesco: ad quem Appellationes deferebantur. Huic Alamanno Stephanus alter successit. Is fuit Cei Bonincontrii filius, a quo gentiles mei originem habuere.* Immo gentem suam inter Miniatensis Oppidi principes ad Annum 1186. enumerat, in haec verba scribens: *Miniatenses Stephanum Cei filium, gentilem meum, Bonincontrumque, qui cum Federico Augusto militabant, cum Lambertuccio Ciccione altercantes, Ceulas relegarunt; ne duabus primariis Familiis in Oppido dissidentibus tumultus gravior exoriretur. Lambertuccium verò Lucam in exilium dedere. Qui non servantes patriae leges eis impositas, alter ad Fredericum, alter ad Henricum Frederici filium confugientes, decreto Henrici Pisis VI. Kalendas Augusti dato, omnes in patriam restituti fuere. Qui deinceps, affinitate inter eos contracta, pacifice quieverunt.* Quae autem Miniatensis Oppidi jam tum fortuna foret, ipse ad Annum 1195. satis prodit, animadvertens, numerata ibi fuisse tunc sex Civium millia. Subinde vero ad Annum 1202. in exilium actos ait a Miniatensibus *Mangiadorios, Guitios, Collegarlos, & Bonincontrios, qui cum Henrico Imperatore militaverant. Et deinde a Philippo Rege Romanorum bene habiti, eo Oppido a Ciccionibus & Borromaeis ejecti sunt, Lucamque relegati, aliquantisper servavere fines eis datos.* Laudat deinde ad Annum 1371. *Bonincontrum Bonincontrium* Proavum suum, sapientem virum, qui Johanni Vicecomiti Archiepiscopo & Domino Mediolani Anno 1351. a Consiliis fuerat, ac Juris Interpres Pisis, Anno Christi 1371. e vivis decessit. Laudat & *Nicolaum* Avum, Franciscae Ciccioniae maritum, uti & *Bonincontrum* Patrem suum ad Annum 1387. qui praefectus uni ex triremibus Pisanorum contra Turcas militavit.

Haec de majoribus *Laurentii Bonincontrii* Historici Miniatensis. Is autem Anno Christi 1410. VII. Kal. Martias lucem primam vidit; sed vix Annum aetatis pri-

mum supra vigesimum attigerat, quum conflictari coepit cum adversa fortuna. Laurentium ejus patruum Miniatenses Anno 1431. ad Sigismundum Imperatorem, qui in Italiam descenderat, clam, ut puto, miserant, ut libertatem patriae apud illum procuraret. Id ubi rescivere Florentini, praeter alios Laurentium quoque nostrum in exilium egere. Is propterea coactus militiae nomen dare sub Francisco Sfortia, celeberrimo postea Mediolanensium Duce, diu bellicis rebus immixtus fuit; atque Anno 1435. in expugnatione Montis Falisci vulnus retulit, ex quo vix evasit. Romam Anno Jubilaei 1450. religionis caussa profectus est; atque Anno 1456. Neapoli Alphonso I. Regi percarus degebat. Multa ille habet de Regibus Neapolitanis, multa de Regia Civitate in Libris, quos post se reliquit. Et sane diu versatus est in ea Urbe & Aula Bonincontrius noster, ea potissimum, ut suspicor, de caussa, quod Astrologiae studiosus magnam e fallaci Arte ista, tunc a Regibus ac Principibus summo in honore habita, famam compararit. Immo in Carionis Germani Historici Chronico commemoratum videas tamquam *Pontani praeceptorem, peritissimum Astrologum apud Neapolitanos Laurentium Miniatensem*. Neapoli quoque illum postrema dies invenisse videtur: quippe apud eumdem Pontanum Lib. I. de Tumul. legitur *Tumulus Laurentii Miniati nobilis Astrologi*. Evulgavit autem Bonincontrius *Commentaria in Manilii Poëtae Astronomica*, quae Basileae & Bononiae aeneis typis tradita fuere. Scriptis etiam *Rerum Naturalium & Divinarum* Libros tres versibus hexametris, qui itidem Basileae in lucem prodiere. Hosce Libros quum Lilius Gyraldus Ferrariensis, vir sapiens, expenderet in Dialogo primo de Poëtis, affirmare non dubitavit eorum auctorem *Laurentium virum non ineruditum, sed portentosae cujusdam doctrinae*. Contra Lucas Gauricus, Astrologicis studiis & ipse ultra modum dicatus, eosdem Libros rursus imprimens in Dedicatoria haec habet: *Suscipe igitur, Augustissime Princeps, fausto sidere pro Gaurici munusculo Bonincontri Opusculum paene Divinum, tuo nomini sacratum*. Draudius quoque in Bibliotheca classica pag. 1094. commemorat *Laurentii Bonincontrii Fastorum Librum unum* Basileae Anno 1540. publici juris factum. Atque haec Bonincontrii Opera memorantur a Poccianto, Gaddio, & Nigro, qui de Scriptoribus Florentinis ex professo egere. Verum quod in Scriptoris hujus gloriam praecipue cedit, arcta illi fuit necessitudo cum Marsilio Ficino, sui temporis doctissimo ac celeberrimo Viro. Inter eos, quos idem Ficinus Libro XI. Epistol. *aetate sua jam matura habuit familiares, non vero auditores*, legas *Laurentium Bonincontrum*. Praeterea inter ejusdem Marsilii Ficini Opera edita leguntur Epistolae nonnullae ab ipso scriptae ad Historicum nostrum, e quibus unam dumtaxat, ceteris breviorem, e Libro IV. heic referre juvat.

MARSILIUS FICINUS

LAURENTIO BONINCONTRO

ASTRONOMO, ET POËTAE

S. D.

Quaerenti mihi nuper Amicum quemdam e multis, quem maxime consulerem, numquid vera de raptu in tertium Coelum Pauli disputaverim, occurrit in primis Laurentius Bonincontrus, Poëta Astronomicus, Astronomusque Poëticus, quem quidem jamdiu tamquam Astronomum suum Atlas in Coelum altis sustalit humeris; cui rursus tamquam Vati pater ipse Phoebus ore rotundo Coelestia cecinit. Ergo tunc demum veram me divinorum imaginem expressisse putabo, quando Laurentius meus, qui illorum vultum & duce Atlante, & monstrante Apolline, vidit penitus, approbaverit. Haeccine, inquies, scribebat Ficinus, patentis assentationis plena, immo & inepta? Haec ille, tantus inter Platonicos Philosophus. Sed ne extra chorum saltemus, innuo dumtaxat alteram in calce Libri III. Epistolam a Ficino scriptam ad eumdem Laurentium, ac tertiam in Libro IV.

Quod attinet ad Historiam, quam Lectori nunc sisto, debeo illam humanissimo viro Andreae Buonaparte, Patricio & Canonico Miniatensi, cujus Familia per Catharinam, Anno 1580. Petro Francisco Buonaparte nuptam, e Bonincontriorum sanguine descendit. Ille ergo MStum Codicem, fortassis etiam unicum, ejusmodi Historiarum ad me benevolentissime misit, ut quae censerem utilia ac digna luce, inde excerperem. Neque enim dissimulandum, integrum Bonincontrii Opus longe

plura,

plura, quam ego sim editurus, complecti. Nimirum is ab Anno Christi 903. narrationem suam exorditur, primumque Librum concludit in Anno 1100. Tum procedunt reliqui Libri, e quibus Decimus & postremus ad Annum 1458. consistit. Verum ubi perspexi, Laurentium in antiquis nihil proferre, quod non aliunde nos, & quidem e melioribus rerum gestarum Scriptoribus, perspectum jam habeamus; immo ipsum veris interdum falsa miscere; & Johannis Villanii potissimum Historiam ei ante oculos fuisse: nolui tritis rebus Lectorum exspectationem fallere. Quare mihi satis fuit ea tantum inde assumere, quae ab Anno Christi 1360. usque ad Annum 1458. hoc est usque ad finem Operis enarrantur, alicui fortassis usui futura Historiae antiquae amatoribus. Ceterum Florentinis Vossio, Sandio, aliisque de Historia literaria bene meritis, ignota fuit Historia haec. Sed & ii alterum quoque foetum Scriptoris ejusdem ignorarunt, nempe *Laurentii Bonincontri Miniatensis de ortu Regum Neapolitanorum, & rerum undique gestarum, ad splendidissimum Equitem Antonellum de Petratiis Libri IX*. Hic titulus in Codice MSto. Johannes Cinellus Florentinus in suis Opusculis (*Scansie* appellantur) ante complures annos editis, monuerat, se rumores percepisse de conscriptis a Bonincontrio nostro Alphonsi I. ac Ferdinandi I. Regum Neapolitanorum Vitis. Nullum tamen locum indicavit, ubi eaedem laterent; & certe Opus ignoravit, cujus titulum nunc dedi. Atqui ego illud olim conspexi, atque in manibus habui, adservatum videlicet Mediolani, in Johannis Blanchinii Bibliotheca, post cujus mortem in Bibliothecam Monachorum Cistercienfium Sancti Ambrosii Majoris immigravit. Immo Historiam ipsam ex ipso Codice descriptam ad me postea Mutinam misit praeclarissimus, meique amantissimus vir Marchio Theodorus Alexander Trivultius. Vastae molis Opus illud est, utpote quod non Regni tantum Neapolitani, sed & reliquae Italiae gesta persequitur. In antiquis tamen & istud multis laborat fabulis atque anachronismis. Primus Liber *de ortu Regum Neapolitanorum* agit. Secundus *de actis Rogerii, & Boamundi*. Tertius *de Rogerio Regni Neapolitani Rege* I. Quartus *de Tancredi, Henrici, & Frederici II. gestis*. Quinctus *de rebus Manfredi, & Caroli I.* Sextus *de ejusdem Caroli I. rebus gestis*. Septimus *de Roberti Regis actis*. Octavus *de Andegavensium, & Johannae I. gestis*. Nonus *de Ludovico Andegavensi II. Ladislaique Regis gestis*. Ad Annum usque 1436. deducta est haec Historia, conscriptaque, dum Ferdinandus I. Regno Neapolitano imperabat. In fine haec ait Laurentius: *Ceterum Alphonsi acta alio volumine inserenda cum ceterorum Principum gestis decrevimus*. An is postea reapse scripserit, & post se reliquerit Alphonsi I. Vitam, solicite investigavi, sed irrito semper eventu. Diu autem anceps fui, utram ex hisce Historiis MStis publici juris facerem: nam in utraque eadem interdum gesta, atque iisdem fere verbis enarrata occurrunt. Sed quando in Vitis Regum Neapolitanorum desideratur Alphonsi ejusdem Vita, quam prae ceteris exoptassem, atque ibi narratio non excedit Annum Christi 1436. propterea praeponendam ac eligendam censui alteram Historiam ad Annum usque 1458. deductam, quamquam haec delineatio potius Historiae, quam Historia ad limam exacta videri possit.

LAURENTII BONINCONTRII MINIATENSIS
PRÆFATIO.

NObiles & excellentissimi rerum Scriptores quum animum ad Historiam intexendam apposuere, in suis exordiis aut utilitatis aut suscepti Operis rationes præponere consueverunt, quo faciliùs & animos auditorum ad se legendos attraherent, & lectionis studio ipsorum industriam utilitate conjunctam compluribus exhiberent. Quibus ego si me parem esse considerem, ipsorum uterer instituto. Sed quum mihi non ea auctoritas sit, quæ illis fuit, nec tanta facultas orationis, convenientissimum esse censui, alio me principio uti oportere. Nam quum ipsorum industriam ipse mecum reputo, undique admirabilem dicendi laudem ab omnibus doctissimis video esse assequutos, tum excellentissimo ac luculentissimo dicendi genere, tum rerum susceptarum pondere ac magnitudine singulari. Verùm enim verò gratiæ plurimum antiquitati concessum arbitror, memoriamque aut Romani nominis, aut fortissimorum Imperatorum & Regum eorum Libris tantam auctoritatem attribuisse, non dubium. Quos ego quum æmulari studeo, hoc tantum deterreor, quòd industriam, ac dicendi copiam, quæ illis singularia fuere, longe mihi sentio abfuturas. Nostra verò tempora, ac tot Populorum & Regum invictissimorum gesta in ea quidem sententia memoratu digna, etsi illis priscis temporibus inferiora, tamen necessitatem maximam tam mihi quàm ceteris, scribere cupientibus, proposuerunt. Sed primum illud Scriptorum exilitati, atque his temporibus concedatur, alterum profectò pro virili suscipere non verebor. Nam etsi hanc nostram industriam illico extingui, aut non multum laudis allaturam existimem, tamen incœptum aggredi non desistam, si fortè tamdem Italia alumnum susceperit, qui undique tot Scriptorum collectis sarcinulis in unum reducere non gravetur. Etenim ante hanc ætatem in primis ego difficillimum fuisse arbitor, in unum omnia collegisse, nunc verò quasi impossibile: quum Italia præsertim tot tantisque potestatibus dispartita, bellorum turbine, crebris immutationibus, militum & Imperatorum instabilitate, rationibus consiliorum explicandorum, denique scribendi metu ac periculo. Quæ omnia ita Historiam impediunt, ut nullum lumen præbeant scribere cupienti.

Æquissimum tamen visum fuit, ad Dei omnipotentis gloriam, & futurorum memoriam, & ad gloriam natorum tuorum .... & Illustrissimi patris, & memoriam nominis tui, quem Historiâ delectari intelligo, portionem aliquam mihi assumere, quoad veriùs possem temporum seriem, ac rerum undique gestarum magnitudinem scribere, & præsertim Regum Neapolitanorum originem. Verùm enim verò quum tam subitas rerum mutationes, temporumque vicissitudines, & potentissimorum Regum casus commemoravero, non admirentur Lectores, quum necessarium fuerit, ut lex humanæ fragilitatis servaretur, tanta imperia in alias atque alias gentes esse translata, præsertim Regnum Neapolitanum, quod tot Duces, Regesque suscepit ex Christianissimis Galliæ Regibus, Germaniâ, Hispaniâque oriundis; quorum periculosissimos belli motus, multiplicesque fuisse non dubium, tum quòd bellicosissimi semper fuere, tum etiam Regnicolarum instabilitate, quorum mentes innovandis rebus accepimus esse promtissimas. Et nulli dubium esse debet, auctorem seditionibus ibi non deesse, ubi ad concitandos motus, facinoraque audenda maxima cuique scelestissimo præmia sunt proposita, tum etiam quòd manifestò liquet, majori virtute semper dissolvi, quod minori industria fuerit acquisitum, fortunâ maxime adjuvante, cujus ratio quum sit rerum instabilitate gaudere, numquam perpetuò cuiquam felix aut misera perdurat.



CHRONICON,
SIVE
ANNALES
LAURENTII BONINCONTRII
MINIATENSIS.

A ANno Sal. 1360. Vicecomites caput maximè extulere; nam Johannes Olegianus, qui cum quinque millibus equitum in Etruriam penetrarat, pace ab Archiepiscopo olim Etruscis data, Bononiam gubernandam ceperat, quam Bernabeus, & Galeatius fratres metu Imperatoris à Pontifice susceperant, Legatoque Ægidio restituerant. Sed postquam Imperatoris metus, & novi Legati Ægidii absfuit, Bernabeus Bononiam aggressus, priusquam ab Olegiano quicquam responsi acciperet, ad quem illam petitum miserat, immutare voluntatem coëgit, & Bononiam Legato promisit, si sibi Firmum in Piceno concederet sub Vicariatus titulo possidendum. Re impetrata, majoribus postea odiis à Legato & Vicecomitibus belligeratum est. Johanne Delphino mortuo, Veneti Laurentium Celsum Ducem creaverunt.

Anno Salutis 1361. Novum inter Pisanos & Florentinos bellum oritur. Pisani eo metu quatuor mille Anglos equites conscripsere, quibus sex millibus peditum additis, agrum Florentinum ferro & igne vastabant, hique Florentiæ portis adventantes, quum nemo ad certamen prodiret, in superiorem Arni Vallem penetrarunt, multaque Castella ceperunt, & in his Philinum direptum fuit; Inde in Mucellanum ducentes, ubi Malatesta consedebat Florentiæ Dux, quum illum ad certamen provocassent, inspecta suorum paucitate, loco munito se continebat, existimans hostes commeatus inopiâ non diutius illic futuros: quod consilium non eum fefellit. Nam Pisani Florentinorum agro vastato, etiam sibi frumenta ademerunt: & hyeme adventante ditati cum præda Pisas rediere. Eo Anno Veneti creant eorum Ducem Laurentium Celsum. Florentini non propterea ea hyeme quievere; nam Volaterranos B aggressi, factione adjuti, Urbem suscepere.

Anno Salutis 1362. Hic Annus etiam turbulentior fuit; nam Pisani, qui, ut supra diximus, copiis quatuor millia equitum addidere, quibuscum majora quàm superioribus annis damna Florentinis intulere, Castris etiam inter Fesulas & Florentiam communitis consedere, omnia circum ferro & igne vastantes; & levem armaturam in Aretinum agrum, nonnumquam in Pistoriensem inducentes, cum magna præda in castra redibant. Erat ea tempestate Florentina res valde miserabilis, quippe qui nec in hostem concurrere, nec sua tutari, aut sociorum agrum poterant. Et in Urbe frumenti inopiâ C laborantes, omnia clamoribus & fletibus implebant. Et qui superioribus annis cum Pisanis omnibus ferè prœliis superiores fuerant, mox ab illis vinci indignabantur. Fre-

Fremere ob id Florentinus Populus & Magistratus increpare, & præsertim Pandulfo Malatestæ eorum Duci maledicere eam ob rem priori anno neglectam, quod in hostem prodire non ausus esset, tum etiam præsenti calamitate infestissimi facti sunt, multa in eum fœda objectantes. Clamoribus vulgi & pæne tumultu excito, haud multum absuit, quin Populi manibus laceraretur. Nec tamen his clamoribus Florentini potuere animum hominis à bono & æquo deflectere, aut impellere, ut in hostem prodiret: sed impetratâ abeundi licentiâ, illos in tanto periculo constitutos tamquam se indignos reliquit. Ejus discessu Pisani non tam capiendæ Urbis fiduciâ, quàm contumeliâ eam sæpius Urbem oppugnare tentarunt. Mœnia tamen à Civibus defensa Pisanos ab oppugnatione deterrebant. Adventanteque Autumno, quum toto æstatis tempore ibi consedissent, in Pisanum rediere. Dum hæc apud Florentiam gerebantur, Bernabeus ex Bononiensi agro plurima Oppida recuperarat, Regioque castra adegerat. Legatus quum illum deturbare non posset, coacto Canis Grandis, & Nicolai Estensis, & Gonzagæ exercitu, in Brixianum duxit. Bernabeus collectis undique suis, relicta Regii obsidione, in patentibus Montis Clari campis hostibus occurrit. Commisso prœlio ab illis superatus, Brixiam cum paucis aufugit.

Anno insequenti 1363. major Anglorum pars, quam à Pisanis conductam memoravimus, ad Florentinos defecit, uno tantùm ex his Duce apud Pisanos remanente Johanne Aucus, qui mille equites ductabat. Ceterùm illi, qui ad Florentinos defecerunt, non ad integrum in eorum fide perseveraverunt; sed stipe suscepta transfugæ facti sunt. Florentini cognita suorum militum fraude Galeottum Malatestam, quamquam ætate confectum, tamen quod belli artibus peritissimus fuit, in Ducem exercitus accepere. Congressi cum hoc duce Pisani magno prœlio superantur. Qui capti fuere, curribus impositi, Florentiam in signum tantæ victoriæ perducti sunt, & in carcerem missi se redemere. Ejus cladis culpam Pisani in Gambacurtas innoxios rejecere; ob eamque rem Johannem Agnellum illis æmulum, paulùmque ante in exilium datum, revocarunt. Qui Urbis dominium occupavit. Is erat Bernabeo intimus, & cum eo cohortem legionariam duxerat, acceptusque illi fuerat. Ea clade accepta Pisani Pontifice intermedio pacem Florentinis datam acceptarunt, & Johannem Aucus reliquerunt ducem egregium ea pace confisi. Hic Anglos per omnem Italiam sparsos in unum coëgit, & cum his primò in Tudertinum per Arretinum abiit, & post in Urbevetano agro consedit, tempus exspectans rei bene gerendæ opportunum. Erant Romani ea tempestate civilibus seditionibus exagitati, & quum in unum Senatorem convenire non possent, duos Senatores Pontificis auctoritate ex nobilitate electos magistratu abdicavere; & tamdem unum creaverunt Johannem Comitem. Cujus tollendi caussâ quum Pontifex multa tentasset, tamdem impetrat ab iis, ut externum suscipiant; misitque illis Raymundum Senensem Tolomeum. Qui primus ea dignitate functus est. Et huic Ludovicus Roccha Pisanus suc-
A cessit; idque aliquot annis postea observatum est usque ad Thomasii Spoletini Senatoris tempora, qui tumultu exorto ejectus est, & Septemviri creati, quos Reipublicæ Romanæ Reformatores appellarunt, quibus publico consilio permissum est, ut se pro Senatu gererent. Hæc Romanorum Reipublicæ forma quum Pontifici non placeret, ad eam tollendam misit Senatorem Hugonem Lusignanum Cypri Regem, qui paucis ante diebus ab expeditione Asiatica redierat, majores à Christianis copias suscepturus: quas ut commodius exspectare posset, ne suo sumtu gravaretur, is magistratus sibi traditus est. Eo Anno Innocentius VI. Pontifex adversâ va-
B letudine moritur. Innocentio Sexto vita functo Anno Salutis 1363. quum Patres in Gallia morarentur, suffectus est ei Urbanus V. vir justus & prudens, sed pæne ætate confectus. Qui ea tempestate in Italia Legationis officiò fungebatur. Quæ res tum Caroli Regis Romanorum, tum etiam Italiæ Ducum consilia pæne pervertit. Namque is primo sui Pontificatus anno quum in Galliam revertisset, Ægidium unum ex Patrum numero, rerum mundanarum apprime conscium, Legatum in Italiam misit. Isque memor veteris amicitiæ, Mastinum Canem, Albertum Estensem, Ludovicum Gonzagam, Franciscum Carraram, contra Bernabei Vi-
C cecomitis potentiam, cujus metu omnis Italia premebatur, ad suas partes attraxit. Namque Bernabeus quietis impatiens, multa prius contra plures Italiæ Potentatus molitus fuerat. Hi igitur, Legati auctoritate permoti, ex Mantuano Regium, infestabant. Qua ex re Bernabeus indignatus eos invadit, magis irâ commotus quàm armis munitus. Commisso igitur cum his prœlio, hostibus victoriam dedit. Capti in ea pugna Ludovicus ejus filius naturalis, Andreas Pepulus, Guido Folianus, Azzo Corregius, & Guillelmus Cavalcabò. Ipse verò manu saucius vix hostium manus aufugit.

Eodem Anno Johannes Aragon conjux Jo-
D hannæ I. quæ Neapolitanis imperitabat, Reginæ moram pertæsus, quum administrare res Regni sua voluntate non posset, Neapoli solvens, in Hispanias penetravit; paulòque post moritur. Sunt qui dicant, veneno periisse per Johannam machinato; quod ex aliis rebus magìs creditum, quàm pro vero compertum habeo. Duos enim viros prius necari fecerat. Hæc fama volabat. Philippus Palæologus, ad quem Græcorum spectabat Imperium, eo Anno Neapolim vênit, ut desponsaret Margaritam Sanseverinam, sibi ante promissam. Sed ea paucis ante diebus nupserat Carolo Durachiæ sobrino suo. Ea re cognita Philippus in Græciam rediit. Nec
E tamen hyems eo anno quietior Italis fuit; nam Florentini Lucensibus infensi, Petro Farnesio duce, Lucam Pisanis intercipere conati sunt: seque cum nonnullis ejus proditionis auctoribus Fucecchio moventes, ex composito paullo ante lucem ante portas stetere, cum equitibus duobus millibus, & peditibus quinque millibus. Sed re detecta capti conjurati omnes, qui intra mœnia erant, obtruncatique sunt. Ea re audita Farnesius Fucecchium rediit, majori apparatu Pisas invasurus. Dum hæc ita à Florentinis machinabantur, Pisani Bargam obsidebant, quibus

quum

quum Florentini succurrere vellent, commisso prœlio, parvo certamine à Pisanis fugantur. Capti sunt tercenti Florentinorum equites & pedites ducenti, impedimentaque amissa magno Florentinorum damno. Petrus Farnesius hac contumelia affectus, non se luctui tradidit aut otio, sed cum iis, quæ evaserant, copiis, audaciâ magis quàm consilio fretus, in agrum Pisanum magno impetu irruit. Contra hunc cives prœlio commisso, quòd parum equitibus valebant, intra mœnia magno ipsorum damno compulsi. Præda ingens parta, & ditatus Florentinorum exercitus. Iterato eos, qui Bargæ obsidendæ erant intenti, invadit. Pisani fugantur. Sed huic tam prospero Florentinorum successui fortuna invidit. Nam paucis post diebus, quibus hæc acta sunt, Petrus morbo correptus interiit. Pisani tot cladibus susceptis, quatuor millia Gallorum equitum sibi acciverunt. Hi prius quod negotiatoribus quibusdam Florentinorum noti, amicitiam & stipendium petiverant. Ea re denegata indignati duces Pisas venerunt; quumque etiam peditum multitudo Pisanis esset, per Pistoriensem & Pratensem agrum populabundi duobus millibus passuum procul Florentiâ castra habuere; igneque & ferro cuncta vastantes, cum ingenti prædâ Pisas rediere. Hac præda Pisani allecti, majori parato exercitu, voluntariis etiam militibus cum iisdem Gallis per Emporium primò, inde ad sinistram flectentes per Pesæ Vallem, superatis montibus, in Valle Arni superioris omnia populantes pervenere. Qua in parte quum nihil tale crederetur, ingenti præda Pisani ditantur, Figlinumque parvo labore cepere: quo in loco refecti prædâ, aliquot diebus stetere, & singulis diebus aliqua Florentinorum ignobilia Oppida, partim metu, partim vi suscepere. Quædam etiam munita deditione suscepta. Ingens ubique præda parta Pisanum ditat exercitum. Interea Florentinorum copiæ Ancisam pervenerant, & inter Collem oppido propinquum, & Arnum fluvium castra in longum porrecta. Levia dehinc certamina ex occasione fiebant. Pisani ut cognovere ex captivis situm castrorum, hostium castra invadunt, parvoque labore castra oppugnant. Nec tamen id magno Florentinorum damno; nam Ancisæ propinquitas plerasque Florentinorum turmas tutata est. Pauci capti sunt, in quibus Franciscus Farnesius Petri olim ducis Florentinorum frater fuit, & impedimenta ferme omnia amissa sunt.

Postera die Pisani angustias saltus superantes patefacto itinere, ut tutius regredi possent, haud procul Florentiam consedere; tumultuatumque ea re est in Urbe; & quamquam malè pugnatum, non tamen animo concidere, sed uti fit in Populo, culpam male gestæ rei in Gallos, alii in eorum ducem, transferebant, quod locatis castris Florentiam venisset, & prœlio absfuerit: Gallos verò metu perterritos, relictis castris Ancisam confugisse. Sed sedato tumultu mœnia muniunt, & vigiliæ per totam Urbem actæ, exauctoratosque octingentos Gallorum equites, ut parum fideles, abire permiserunt. Invitantur die data Florentini à Pisanis, qui re audita iterum tumultu in urbe exorto muniunt quingentis peditibus Divi Miniatis

A Ædem. Ante portas propugnacula pluribus in locis erecta sunt. Quumque nemo portas egredi auderet, populabundi eam regionem, ferroque & igne omnia vastantes, Figlinum rediere. Deinde Aretinum agrum depopulati sunt. Quibus ex rebus factum est, ut Gallorum nomen omnibus terrori esset. Tamdem in hybernis Pisas redire cupientes, ne quid eis esset prædâ refertis impedimento, dolo machinato, iterum Florentinis die data ad singulare Divi . . . . solemne invitant. Erant enim Pisas ire volentibus difficiles superandi saltus. Hac re credita majori cura Florentini mœnia muniunt, stationesque ad portas disponunt. Ea die hostes incensis castris abiere. Rumor jam totam Urbem invaserat, Pisanos instructis ordinibus adventare; quidam etiam vidisse venientes mentiebantur. Illi superatis angustiis montium incolumes Pisas rediere. Eo item Anno Matthæus Villanus Historiæ Scriptor Florentiæ moritur. Dum Pisani agrum Aretinum deppopulantur, Florentini Pisas populabundi venerunt, inde Liburnum diripuere, illicoque per Volaterranum agrum Florentiam rediere. Eo Anno Carolo Galliæ Rege, & Petro Rege Cypri intermediis, Pontifex quibusdam pactionibus Bernabeum cum hostibus pacificat. Florentini non contenti suis rebus, Miniate oppidum aggressi, quod Pisanis per eum agrum vadentibus commeatus detulerant, & juxta montis radices castrametati sunt. Illi Bernabei auxilia implorant, & missus in eorum præsidiis Johannes Aucus Anglicus magna equitum multitudine. Hic in Pisano consistens contra voluntatem ducis ipsorum à Florentinis invasus, primo re insolita permotus, castris se continuit; deinde cognita hostium temeritate, patefactis portis hostes invadit, fugatque. Præda inde ingens parta milites suos ditavit. Ægidius Legatus hac re intellecta existimans, Bernabeum contra fœdus misisse Johannem Aucum Pontifici rem denuntiat. Ea re audita Pontifex Bernabeum sacris interdictum pronuntiat, privatque eum omni dominatu. Ceterùm Ægidius Obizzonem & Thomam peritissimos belli duces cum quatuor millibus equitum contra Johannem Aucum, agrum Florentinum vastantem mittit. Jam Aucus in agrum Aretinum pervenerat, populansque omnia, rem perniciosam Florentinis effecerat. Commisso cum his prœlio, sex horis acriter pugnatum. Tamdem Thomas, qui peditibus præerat, hostes adortus loco demovit, eosque perturbatos insequitur. Capti omnes cum Johanne Aucus eorum duce, & carcere trusi. Erant illi equites sex mille. Tantumque eâ pugnâ accessionis rebus Florentinorum & Ecclesiæ factum, ut Civitates, quæ superioribus annis ab Ecclesiâ defecerant, in fidem Legati & Ecclesiæ pervenerint. Dum hæc agerentur, Bernabeus haud procul Ferrariâ castra locarat. Commisso cum iis prœlio, quas Legatus habebat, copiis Bernabeus fugatur. Captus eo prœlio Ambrosinus Johannis Archiepiscopi filius, ipse cum paucis equitibus aufugit. Fine ejus anni compositis Ecclesiæ rebus, Ægidius Pontifici persuadet, ut in Italiam perveniat, compertumque se habere, ejus adventum maximè Romanis pergratum fore.

Anno salutis 1364. Pisani majori comparato

rato exercitu, per Lucensem agrum Pistoriensem ingressi, prope Pratum in Florentino agro consedere. Florentini Gallos equites item conduxerant; nec dum omnes Florentiam accesserant, sed cum iis, qui jam venerant, mœnibus se continebant, cum quibus etiam, ut poterant, populatores agri cohibebant. At pars exercitus in agrum Mucellanum irruit, quo in loco præda ingens parta. Primò villæ incensæ. Nullo loco dimicatur; adeò liberè vagabantur, ut nullo impedimento incolumes ad suos redierint. Ob has calamitates Florentiæ tum dolor rerum amissarum, tum indignatio ac lamentatio erat; & non succedentibus rebus Dux ipsorum quasi infirmus reputatus, & rei militaris ignarus, eo quod nusquam hostem aggredi ausus, nec quòd suo consilio gerebatur, prosperè successit. Hæc Populi vociferatio ad eum pervenerat. Quare indignatus, curam belli sibi commissi renuit. Nec Pisanos latebat, Plebem cum duce suo discordare. Animis igitur elati, Urbi appropinquarunt, atque eos colles, qui inter Fesulas & viam Bononiensem sunt, occuparunt, tanteque impetu in Florentinos illati, ut nemo portas egredi auderet. Per noctem verò clamoribus, atque ignibus accensis in castris lætitiam & gaudium significante, aliquot diebus stetere. Tamdem Villis è Castris incensis, transgressi Arnum viâ Pisanâ ad portas usque omnia ferro & igne vastantes, aliquot diebus consedere. Tamdem hyeme jam adventante, Pisas cum ingenti præda per fines agri Senensis rediere. Florentini, ut primùm ex eorum agro hostes abierunt, solicitare Gallos pecuniâ ingenti, & tentare, ut à Pisanis deficerent. Ex quo factum est, ut quidam auri magis quàm honestatis cupidi, ad Florentinos defecerint, ea tantùm pactione servata, ne per annum Pisanis bellum inferrent. Johannes tamen Aucus in fide Bernabei & Pisanorum permansit. Primò adsciscunt sibi Galeottum Malatestam rerum bellicarum peritissimum Ducem, & cum hoc Duce quatuormillia equitum, & decemmillia peditum, agrum Pisanum ingressi, prima ipsorum castra sub Peculo, die insequenti Cassinæ consederunt. Inde communi mutatâ fortunâ cum ipsorum duce cuncta populabantur. Pisani, qui vincere soliti erant, magnis animis cum Aucus ipsorum duce Pisas inter & Cassinam ad Ædem Divi Sabini consedere, exspectantes diem pugnæ, & rei bene gerendæ occasionem. Levia hinc inde certamina, ut fit, faciebant. Ceterùm Johannes Aucus callido consilio singulis diebus hostes adoriebatur. Moxque iidem metu perterriti ad suos se se recipiebant. Ea res jam in consuetudinem venerat. Jamque Florentini id spernere, & negligentiùs bello intenti, pars flumine propinquo lavari, pars dormire aut luctari, nihilque minus quàm hostium adventum metuebant. Id per exploratores Johanni cognitum, cohortatus suos, ne superioris anni victoriarum immemores essent, rei bene gerendæ animos sumerent; se exploratum habere hostem parùm munitis castris Cassinam obsidere. Habere duces itineris, quibuscum hostes quasi ex occulto adoriretur. Tantummodò se pugnæ præpararent. Esse sibi cum Duce novo pugnandum, qui nec signa, nec suorum faciem norit.

A His exhortationibus quum militum animos accendisset, medio diei æstu, instructis legionibus, castris apparuit ab ea parte, qua Arretini stationem habebant. Ii in tali periculo pars nuda corpora hosti objicere, dum alii arma sumerent, alii, ut sors dederant, obsistere. Et jam acre certamen erat. Ceteri equos ascendere, & non pro ullo modo, sed cum legionibus congredi audebant. Erant in prima acie Pisani, quando castra invaserant, quorum major pars levi tantùm armatura dimissis equis, quo citiùs irent, ad hostem venerat, eoque factum est, ut castra hostium non expugnarent. Johannes igitur quum videret spe sua frustratum esse, signa

B receptui dare, seque paulatim ad sua castra recipere. Florentini acriùs insequi, urgereque à tergo, quoad in fugam versi magna ipsorum clade. Nam capti sunt ea die Pisanorum civium duo millia, & ferme octingenti cæsi. Postero die Aucus Pisas profectus cum ceteris copiis in Urbem se se recepit. Malatesta quum ad portas hostium accederet, sive commeatus necessitate, sive quòd prædam non æque cum militibus suis partitus fuerat, tumultu in castris exorto; quum sedari non posset, in Lucanos proficiscitur.

Hac clade accepta Pisani se Bernabeo commendant Anno salutis 1365. & Johannes Agnellus fit ipse Dux. Eodem Anno Florentini

C auctoritate Pontificis quibusdam pactionibus cum Pisanis pacificantur, traditâ Petrabonâ Florentinis, pro qua bellum exortum fuerat, & decemmillia aureorum quotannis Pisani Florentinis promisere: quod postea non servarunt. Johannes Rex Galliæ eo Anno moritur, cui Carolus Quinctus successit in Regno. In Regno quoque Neapolitano res turbulentæ erant, quòd veteres Johannis Aragonii fautores Reginæ exosi, nequaquam mandatis obtemperabant. Quo Anno Veneti in locum Laurentii eorum Ducis creant Marcum Cornarium.

Anno salutis 1366. Carolus Imperator descendit in Italiam auctoritate Pontificis, ut

D Bernabei audaciam coërcere faciliùs posset. Isque etsi sciebat, Romanos in Ecclesiæ partes persistere, & plures Civitates etiam in partes Bernabovis, mutato consilio se Bernabeo conjungit, fœdereque icto, relicta apud eum parte equitatus sui, cum ceteris Lucam pervenit, unde immissis in Miniate oppido Germanis equitibus, mox ut eò pervenere, Florentinorum agrum infestare coeperunt; dicensque, non sua voluntate id fieri, sed Miniatensium consilio, veteri eorum odio, eo quòd multa legitima caussa præcedente superioribus annis agrum Miniatensium tam fœdè vastaverint, petere à Florentinis cœpit, ut aliquot Volaterranorum Castella

E & Lucanorum, priùs occupata restituerent, ac sibi quod æquo jure Imperii debebatur, exsolverent. Si id facerent, pacem se illis daturum; sin ea recusarent, iniquè facerent, ac bellum eis indicturum. Hæc Caroli petitio finitimorum animos contra Florentinos accendit. Illi autem etsi varia consilia agitabant, tamen obduratis animis Imperatori nuntiant, nihil se eorum, quæ postulaverit, facturos. Sin autem bellum contra eos moverit, scire, aliud esse bellum indicere, & aliud gerere. Putare se se incolumes posse tutari & sua defendere, & quòd tantis labori-

ribus per tot annos essent majores sui adepti, dedecus existimant amittere. Ea tempestate Agnellus Lucam ad Imperatorem proficiscens, casu ab equo dejectus, coxam fregit, Pisasque delatus interiit. Hac re audita, Petrus Gambacurta, qui in Miniate oppido exulabat, suorum factione adjutus, fit Pisarum Dominus. Senis etiam ea tempestate Plebs à Nobilibus dissidebat. Carolus, ut res eorum componeret, Senas venit. Quum Nobilibus plus æquo favere videretur, in suspicionem ductus, exorto tumultu, Urbe ejicitur, magno suorum damno, nam multi in eo tumultu Germani cæsi sunt. Ipse Lucam aufugit; & videns, nil suâ præsentiâ posse novare, in Germaniam rediit. Brigida sanctitate & vaticinio fœminarum ejus Seculi primaria, eo Anno Romam vênit, & ejus nomen in Italia claruit. Post Caroli discessum Miniatenses, qui in eo oppido nobiles erant, tumultuantur. Johannes enim Mangiadorius Eques splendidissimus Rodulfum Ciccionum Equitem alterius factionis principem cum duobus filiis obtruncat, & ejus oppidi pæne Dominus factus, rem suo arbitrio administrabat. Eaque de re insolentior factus, quum nihil ampliùs à contraria factione timeret, sumto à Bononiensibus tercentorum equitum stipendio, Bononiam proficiscitur. Michaël quoque Bonincontrius Juris Interpres, & Ludovicus Guccius à Petro Gambacurta conducti Pisas incolebant. Quumque alterius factionis populares Ludovico Ciccioni fratri ejusdem Rodulfi persuaderent, hortarenturque, ut fratris & nepotum cædem in transgressores vindicaret, accidit, ut Benedictus Mangiadorius Johannis filius in agro Miniatensi vagaretur, qui solus remanserat, & curam Miniatensium habebat. Ludovicus cum Philippo Lazzarino Scriba ex Borromæorum gente, facto tumultu rebellarunt, & irruentes in ædes Michaëlis eas diruperunt, interfeceruntque filium semestrem Avi mei in ulnis maternis. Pater autem meus, & Franciscus Michaëlis filius se è muro præcipitantes, incolumes Pisas abierunt. Johannes his rebus intellectis, illico è Bononiensi vênit Pisas, ubi Michaële, & ceteris suæ factionis ad se accitis, agrum Miniatensem omnem deditione ceperunt, & in ipsis portis castrametati sunt. Contra hos Bernabeus præsidium in oppido non satis validum sagittariorum immisit. Exules verò à Florentinis auxilia postularunt. Et his sic existentibus, Johannes Aucus subsidio oppidanorum in Pisanum venerat, superioribus annis mandante Pontifice vinculis liberatus. Quem Florentini timentes, majori vi exulibus Miniatensium auxilia ministrarunt.

Tamdem durante obsidione Mangiadorius ope Luparelli suæ factionis viri, quamquam plebeji, per fenestram in oppidum intromissus cum aliquot Florentinorum peditibus. Insequenti Anno 1367. oppidum captum est, interfectisque adversæ factionis Nobilibus quibusdam, & ceteris captis, Florentiamque delatis, ultimo supplicio affecti sunt quatuordecim hujus rebellionis auctores. Philippus verò Borromæus à pueris per totam Urbem distractus, in Arnum projectus, quòd infantem semestrem necaverat. Hoc maximè modo Florentini ejus oppidi pleno dominio potiti sunt, & fides exulibus non servata. Nam prima eorum lex fuit, ne quis Nobilis Palatium ingredi auderet, quod ipsi postea mœnibus cinxerunt. Eodem Anno Urbanus V. Pontifex in Italiam vênit, quarto sui Pontificatus Anno, & Apostolorum Petri & Pauli capita, priùs per Ægidium diligenti perquisitione inquisita, sacello argento collocavit. Duoque Castella propter aëris intemperiem, quæ Romæ mense Augusto erat, Viterbii unum, & in Montefalisco alterum ædificari curavit, præfecitque Johannem equitibus Ecclesiæ. Eo Anno Dux Venetiarum interiit, & in ejus locum suffectus est Andreas Contarenus.

Anno Gratiæ 1368. Leonardus Brunus Aretii nascitur, vir singulari doctrina literis Græcis, & Latinis eruditus. Multa & Platonis & Aristotelis Opera traduxit, suique temporis Historias scripsit, & Epistolas permultas, quas in volumen postea reduxit. Bernabeus amisso Miniate oppido, Lucæ præsidium equitum duorum millium immiserat, & ut illa uteretur fortuna, de occupando Lucæ dominio consilia agitabat. Erat in ea Urbe Caroli Imperatoris Præfectus; quem quum non laterent Vicecomitis consilia, quasi eorum equitum operâ non ampliùs egens, Urbe dimisit; & pecuniâ acceptâ cum Civibus paciscitur, libertatem pollicitus, quam Lucenses à Florentinis mutuò acceperant, quinque & viginti millibus aureorum. Arcemque à Castruccio olim ædificatam, ut primùm Imperatoris Præfectus discesserat, solo æquarunt. Eodem Anno, dum Pontifex Viterbii esset, fœdus à Florentinis cum Pontifice ictum, ex quo quum tenerentur Florentini auxilia illi contra Bernabeum res Ecclesiæ vastantem dare, missi sunt equites octingenti Bononiam. Moverant enim contra Bernabeum Florentinorum animos injuriæ ab eo susceptæ, dum Miniate Oppidum obsidebant. Bellum per id tempus in agro Regino gerebatur, quam Urbem Bernabeus magno apparatu expugnare conabatur. Utque intellexit, Florentinorum equites adventare, ut eos deterreret, repentè per Placentinum & Parmensem partem copiarum Pisas immisit. Nec ea res falsum eventum habuit. Nam illico Florentini suos equites in Tusciam revocarunt. Adduntur & his sociorum equitatus, profectique in Pisanum, prœlium exoptabant. At Bernabei equites revocati abiere. Hos & Florentini insequuntur; quare Regini obsidione liberantur, Sfortia Attendolus, qui priùs Jacobus dicebatur, Codignolæ nascitur, patre Johanne, ex nobilissima Attendolorum Familia Daciæ regionis, majorum negligentiâ prope extinctâ. De quo homine in sequentibus sumus dicturi.

Anno. 1370. mense Januario Urbanus V. moritur, eique suffectus Gregorius XI. Hic Clementis Sexti nepos fuerat. Nec multo post pax Pontificis & Bernabovis firmata est. Romani ea tempestate magistratus Urbis gubernationem habebant. Hi Banderarii patrio sermone à Vexillis, quæ ante se gerebant, dicebantur, à quibus singulorum Curiæ internoscebantur. Senatoris auctoritas semestri terminabatur, isque Populo jus dicebat; peregrinis verò Civis Romanus, qui Prætor peregrinorum erat, Pontifice nihil horum impediente. Ea tempestate Lucius quidam Alemannus pecuniâ corruptus Arcem Re-

Regii Bernabeo tradidit, eujus socii & commilitones antea sibi Civitatem prodiderant. Cypri eodem Anno magnæ cladis initium fuit. Nam quum Rex ipsorum Petrus in quodam celebri conventu Venetorum Legatum Genuensi præferret, indignatus Genuensis, & id asserens injuriâ factum, ex eodem conventu à Rege ipso pulsus, magna suorum cæde discessit. Carolus Imperator jam ætate confectus Vincilaum filium majorem natu Cæsarem fecit. Ea tempestate quum Florentini misissent in Gallias ad Pontificem noviter electum Oratores, ejusque electionis congratularentur, cognovere ipsius mentem ab iis alienatam propter Perusinos, qui alienati à Pontifice Florentinorum suasionibus fuerant, sed fame coacti Legato se se dederant. Ambrosius Vicecomes naturalis filius Johannis olim Archiepiscopi Mediolanensis Bernabeo permittente cum duodecim millibus equitum contra Johannam in Regnum proficiscitur, & cum sex millibus peditum Aprutios ingressus in Apuliam descendit, unde à Leuce usque Promontorium cuncta populabatur. Contra hunc Regina magno comparato exercitu Johannem Malataccam miserat. Qui quum hostem dispersum atque palantes equitum suorum turmas invenisset, eum aggreditur, & parvo certamine debellavit. Capti ferè omnes cum Ambrosio ipsorum duce; & Neapoli delatus in vinculis à Regina conjectus est.

Cometes in principio sequentis Anni 1371. die XV. Januarii miræ magnitudinis apparuit in Boreali cœli parte, ad Meridiem crines suos fundens, & magnorum dolorum signum futurum esse à Mathematicis ferebatur. Eo Anno Philippus Tarenti Princeps Roberti Regis frater, qui Imperator Constantinopolitanus dicebatur, mortuus est. Paulus Geometra his diebus Florentiæ claruit. Johannes Boccaccius, vir eloquentiæ singularis vitâ decessit. Ea tempestate quidam gregarius miles nomine Margattus ex Monte Gargano totam Apuliam collecta latronum manu latrociniis infestabat, cui Nicolaus Scaudulla Comes Sancti Angeli primò favebat. Sed crescente in dies ad eum militum multitudine, jam non latrociniis modò totam Apuliam infestabat, sed toti Regno terrori erat, castraque in Gargano monte contra Comitis voluntatem firmare ausus, suos populabatur, bellumque illi indixerat; moxque majori apparatu transgressus in agrum Beneventanum, id effecerat, ut Neapoli quoque trepidatum sit, & annonæ defectus ob eam rem in Urbe maximus erat. Laborabant etiam Cives frumenti inopiâ; idque terroris finitimis injecerat Civitatibus, ut nemo tutè portis egredi auderet. Huic tam insigni latroni quum Nicolaus vi resistere non posset, nec promissionibus ab incœpto nec minis deterreret, statuit eum dolo capere. Fautorem igitur suum se promittit futurum esse apud Reginam, quæ id efficeret, ut datâ delictorum veniâ dux militum apud eum fieret; quòd si alicujus Oppidi eorum, quæ expugnavit, possessionem penes se, aut suæ jurisdictionis esse vellet, id quoque se impetraturum pollicetur. Ceterùm in rem suam fore existimabat, priusquam hæc consilia cum Regina communicaret, secretò secum id agere, veteremque amicitiam commemorando, id homini ambitioso persuasit. Igitur data die colloquii Nicolaus expeditos milites in insidiis collocat. Ille nihil suspicatus, quo res magis occultè ageretur, cum paucis equitibus venit, ubi ab equitibus circumventi, capti omnes & trucidati sunt, ipseque Margattus vinctus Neapoli ad Reginam perductus, laqueo suspensus interiit. Scio fore permultos, qui huic rei fidem non adhibebunt; quibus si Apulorum mores pernorint, non videretur esse mirandum. Nulla enim gens tam promta ad res novandas, tamque levis, & seditiosorum fautrix, mihi plura perscrutanti memoriæ occurrit. Nec est mirandum, audaciam in eam regionem plurimùm posse, ubi sceleratissimo cuique præmia sunt proposita. Erant etiam in eo Regni Proceres aliquot Reginæ infensi, inter quos erat Franciscus Bautius, quem superioribus annis Regina ob ejus insolentiam in vinculis conjecerat; Is erat Theani Dominus. Eodem Anno (*) Franciscus Petrarcha moritur in agro Patavino apud Arquadam, qui suo tempore clarus habitus est & eloquentissimus. Bonincontrus Bonincontrius Eques splendidissimus, qui pridem cum Castruccio militaverat, jam confectus ætate moritur. Is Johanni Archiepiscopo Mediolanensi intimus, & clarissimus Consultor fuerat. Hugo Sanseverinus Bautio infensus apud Reginam Johannam ea tempestate ceteros Regni Duces gratiâ prævalebat, impediebatque Bautii liberationem. Ille tamen ut erat facetus, iisdem, quibus sæpius expertus fuerat, internuntiis impetrat Reginæ colloquium, quasi rem arduam sibi communicaturus. Erat enim Franciscus eloquentia singulari, & forma excellenti. Et quod maximè Reginæ carissimum erat, annorum viginti; sed major homini audacia quàm modestia erat. Hunc igitur aspectu illius Regina permota, postquam multa suæ calamitatis infortunia enarrasset, vinculis liberavit, atque illi paulò post intimus factus est. Hugo rem molestè ferre, callidè se Bautio conciliat, atque deinde, ut ex amico reconciliato fieri solet, susurro Reginæ aures infestabat. Sunt qui putant, tantam familiaritatem cum Bautio Reginam contraxisse, mutua stupri consuetudine. Alii, quòd Franciscus olim matrimonio copularat Margaritam Loisii conjugis Reginæ sororem. Parum id constat. Ceterùm prima fama volabat. Hugo igitur in dies maledicere, simulare, fingereque permulta, quibus credebat animum Reginæ à Bautio alienum facere. Idque, ut est ingenium muliebre, tamdem effecit. Igitur Bautius quum se minus gratum videret, se se Curiâ absentavit, Theanumque concessit. Deinde monitus, ac sæpiùs literis accersitus à Regina, quum parère mandato recusasset, majestatis damnatur; convocatisque militibus Theanum obsedit. Præerat exercitui Johannes Malatacca, & Hugo Sanseverinus, ambo Bautio infensi. Jamque tribus mensibus omni tormentorum genere Urbs conquassata erat, & frumenta deperdita, agerque omnis aut ferro aut igne consumtus, civesque id ægrè pati. Quod quum Franciscus advertisset, muliere & filiis priùs civibus commendatis, per intermissas hostium munitiones noctu cum

(*) *Anno 1374. Petrarcha finem vivendi fecit.*

cum paucis equitibus aufugit, ac diversis & occultis itineribus ad Montem Caveosum, qui suæ ditionis in Lucanis erat, pervenit: aliquotque diebus ibi moratus, parato navigio in Provinciam aufugit. Et quum ibi nihil quoque subsidii à Gallis Ducibus inveniret, collectâ à suis pecuniâ in Lombardiam descendit, ubi propriâ suorum pecuniâ septem millia equitum effecit. Et per Etruriam iter faciens, atque Campaniam, in Regnum ingressus est. Horum equitum duces Nardus Scala, Raynaldus Caputspata, Loisius Panzardus, & Henricus Guasconus. Margarita ejus uxor harum rerum ignara paulò ante Civitatem Reginæ tradiderat. Quod quum Franciscus intelligeret, flexo itinere per Beneventanum agrum in Apuliam venit, ferroque & igne omnia vastabat. Majoraque egisset, si Regiæ stirpis aliquem secum attulisset. Nam Apuli aliter haud facile ad res novandas impelli consueverunt. Itaque quum stipendium militibus deesset, Caveosum se recepit, exercitumque reliquit. Duces igitur sibi consulentes, ad servitia Reginæ postea militarunt. Florentini eo Anno duarum potentissimarum familiarum seditionibus laborabant. Harum princeps Albizj, altera Riccii erant; qui quum sibi auxilia Pontificis comparare vellent, salutari consilio à Magistratibus provisum, ut admoniti omni reipublicæ administratione abstinerent.

Anno à salutifera Christi Incarnatione 1372. Gregorius XI. Pontifex, quo magis Johannem Aucum sibi fidum faceret, dedit sibi in feudum Codignolam, & Bagnacavallum. Isque non multo post Codignolam fossâ & vallo cinxit, quum prius immunitam accepisset, præmiaque nonnulla eam incolere volentibus proposuit. In Italia ea tempestate res satis quietæ erant. Ceterum ultra montes Ricardus Eduardo III. Anglorum Regi nepos successit. Pax huic Regi gratior, quàm bellum fuit. Fœdus igitur cum Rege Galliæ percussit, filiamque ipsius duxit uxorem, magna percepta dote. Et ut hoc fœdus firmius esset, quædam Castella, quæ munitissima in Gallia erant, ab avo Gallis ademta, socero restituit. Ex quibus etiam magnæ divitiæ sibi accessere. Hæc pax tam suis, quàm Gallis omnibus pergrata. Ceterum Scoti regno suo finitimi, nulla ab eo injuria lacessiti, bello tentarunt. Quare contra eos Ricardus movens, parvo labore sibi victos prœlio subegit, stipendioque superimposito tributarios sibi fecit. Fuit hic in primis vir humanus & liberalis, de cujus virtute, quo ceteris monumento sit, pauca subjiciam. Solemni ab eo præter cetera convivio celebrato, erant in apparatu mensæ duo vasa argentea miræ pulcritudinis. Quæ quum ex suis aulicis duo intentius conspicerent, colloquerenturque, se divites in perpetuum fore, si illis potirentur, quumque eos intueretur Rex: *quid*, inquit, *secretò colloquimini?* Illi suæ cupiditatis animo patefacto, *Non*, inquit, *per me stabit, quin divites sitis. Accipite igitur dono hæc, & habetote, ut perpetuò divitiis abundetis.* In celebri item Missarum solemnitate Natalis Christi Jesu, quum Aram auro & argenteis ornamentis ac vestibus exornasset, Legatusque Pontificis adesset: *Cape*, inquit, *hæc omnia, quæ tibi dono largimur. Minime enim decet eum, qui apud Regem solemnia Sacrorum concelebrat, aliis ornamentis, quam regiis, esse decoratum.* Ceterum fortuna rebus prosperis semper adversa huic tam pio tamque humanissimo Regi, suo more impia & inhumana fuit. Nam quum Regni gloriâ, paceque frueretur, patruum suum majestatis insimulatum, cum pluribus sibi conjunctis, necari jussit; & Henricum fratrem patruelem eâdem causâ suspectum exilio damnavit. Is enim erat & armis strenuus, & consilio pollens. Deinde exercitu & classe instructa Hibernos à se desciscentes acrius subjecit. Dum hæc gererentur, Henricus frater parat contra eum exercitum. Is enim à quibusdam Regni Proceribus cohortatus, ut suorum injurias ulcisceretur, & suam, contra Ricardum properabat. Hic enim, postquam hæc comperit, relicto exercitu adversùs fratrem novandas res molientem, solo navigio in Regnum rediit, existimans levius excitatum tumultum à principio cohiberi posse, quàm si evaluisset, evincere, atque in ipsis rerum initiis nascentem flammam extinguere, quàm auctam necare. Hic apud Henricum, quum jam parantem exercitum offendisset, quòd jam Proceres Regni novandis rebus operam dabant, haud longe tumultuario exercitu comparato castrametatus est. Moxque à suis desertus, paucis cum clientibus in munitissimum oppidum se se recepit. In quo obsessus, quum nemo succurreret, se se Henrico fratri dedit, atque tamquam parùm regnare solitum, & administrationis expertem, Regno renuntiare compulsus est. Ipseque Henricus omni Procerum auctoritate Rex creatus est. Deinde Ricardus tamquam facti pœnitentiâ motus, & res novas tentans, carcere trusus, fame necatus est. Fuit hoc maximum rerum humanarum argumentum, fortunæ nòn esse fidendum; nam qui genere, affinitate, & divitiis pollebat, miserabilem & indignum suis meritis exitum adinvenit. Henricus IV. adepto fratris Regno, varia usus fortuna. Nam principio sui Regni ad subigendos Hibernos, ubi erat fratris exercitus, properavit, iisque brevì subactis, Scotos Regnum suum infestantes, multis cladibus domitos, tamdem tributarios fecit. Jamque tranquillitate parta quum beneficio fortunæ & affluentia floruissent, repente igne sacro correptus, deformata prius omni corporis parte, tamdem eo morbo miserè laceratus interiit. Huic Henricus V. ordine, jure paterno successit.

Anno Salutis 1373. Thomasius Marzanus, Regni Neapolitani Admiratus, Suessam à Regina Johanna emit pro Ducatis viginti quinque millibus, quum prius Scalatium in Calabria accepisset, cujus posteri Suessam sub Ducatus titulo possederunt. Hujus majores ex Alemannia cum Frederico II. in Italiam venerant. Fuit in primis vir omnium fortissimus, staturâ giganteâ. Goffredus ejus frater Nifas cum omni agro quindecim millibus Ducatis à Regina Johanna mercatus est, atque Theanum; Comesque Alifii dictus: & in posterum perseverarunt. Johannes Malatacca Consæ dominium à Johanna suscepit, neque id in posteros perseveravit. Eo item Anno Johannes Aucus Codignolam mœnibus cinxit ambitu majori, quàm prius fuerat. Quod ut efficeret, agrum Vico finitimum

Jo-

Johannis Attendoli cepit, in cujus compensationem statuit, ut quisquis eo ambitu ædificaret, quotannis annuam pensionem Johanni Attendolo, posterisque persolveret. Petrus Fulgosius Genuensis frater Dominici eorum Ducis, memor injuriæ illius, quam à Rege Cypri susceperat, quadraginta trium triremium classe, & navibus aliquot instructis paratisque, Cyprum invasit. Tredecim millibus armatorum in terram expositis, Insulam vastavit. Ea res tantum terroris Regi Petro injecit, ut coactus sit, ad Fulgosii clementiam supplex accedere, deditâque Famagustâ, & quadraginta aureorum quotannis Genuensibus tributi nomine pendere, vix veniam impetravit. Tamen his pactionibus Fulgosius non fidens, filios, & uxorem Regis obsides Genuam detulit. Ubaldinorum Castella, quæ in Apennino erant, eo Anno in posse Florentini Populi devenerunt. Erat ea tempestate Bernabeo cum Pontifice pax, quo tempore Ubaldini à Florentinis oppressi fuerunt. Et qui prius Legatus in Italia fuerat, revocatus in Galliam à Pontifice, alterque missus, Guillielmus Novellius, Cardinalis Sancti Angeli, vir antea vitæ, quietis, & pacis amator. Ceterum quum ab Ubaldinis antea plurima beneficia recepisset, eorum calamitate permotus, & quòd exercitus habebat non contemnendos, statuit Florentinis bellum inferre, ratus inopiâ rei frumentariæ, quæ maxima erat Florentiæ, eos brevì opprimere. Maximeque eum movebat clades Vicecomitibus à Johanne Aucus apud Brixiam prius illata, in qua Bernabeus pæne captus fuerat, nisi Franciscus Estensis se pro Bernabeo opposuisset, & ipse in ea pugna captus fuisset. Existimabat præterea Legatus, nihil illum in posterum esse moturum. Igitur Junio mense Legatus agrum Florentinum ingressus, quum putasset frumenta, quæ in agris erant, diripere, aut cultoribus prohibere, accidit, ut ipsius exercitus duces à Florentinis magnâ correpti pecuniâ spem Legati irritam fecerint. Quumque occulta cum quibusdam Pratensibus colloquia habuisset, detecta conjuratione, & conjuratis securi percussis, eo Oppido non potitur. His igitur rebus Florentini infensi, nova excogitantes consilia, quòd animadverterant Civitates Pontifici subjectas, quæ per Italiam erant, male habitas, & ægre jugum Legati ferre, primùm copias parant, Virosque Octo, qui belli curam susciperent, creavere. Hi nihil temere agentes, per Civitates Ecclesiæ Nuntios partiuntur cum vexillis, in quibus literis aureis *Libertatis* nomen scriptum erat: qui eas solicitent ad res novandas, & libertatem capessendam, seque his auxilio futuros pollicentur. Primi omnium Tifernates præsidium, quod in Urbe erat Pontificis magna cæde in Arcem fugavere; atque eâdem nocte à Florentinis adjuti obsederunt, & post paucos dies deditione receperunt. Legatus, qui ea tempestate Perusii erat, auditis iis, quæ à Tifernatibus agebantur, præsidium, quod Perusii erat, ut Arci obsessæ subveniret, eduxit. Quo educto raptim Perusini in Legatum impetum faciunt. Ille in Arce, quam construxerat, se munit. Florentini subveniunt Perusinis. Aliquandiu duravit Arcis obsidio. Tamen Perusini Arce potiti, Legato rebelles fuere. Tudertini ac Spoletini paulò post & ipsi à Legato defecerunt. Foroliviensès, & Asculani eadem fecere. Viterbienses quoque non multo post eadem & ipsi fecere. Eas omnes Civitates Gallorum superbia ad defectionem impulerat. Bononienses quoque jampridem Gallis invisi defecerunt; in qua cum magnæ essent Anglorum copiæ, quarum dux Johannes Aucus erat, & ut subveniret Arci Granarolii, quod his diebus defecerat, Urbe egressus, caussam dedit Bononiensibus rebellandi, copiasque illico Florentinorum ad se tutandos receperunt. Igitur Aucus Bononia exclusus, Faventiam se recepit. Ea Civitas in fide Pontificis erat. Sed tamen in ipso ingressu Anglorum multa fœda sustinuerunt atque crudelia. Et quum pæne omnibus rebus cives exspoliasset, Civitatem pæne cultoribus vacuam vendidit pro vigintiquatuor millibus aureis Marchioni Ferrariæ, Pontificis auctoritate sequuta. Hoc maxime modo Florentini astu & consilio singulari tantas Pontificis copias suis imminentes cervicibus fugaverunt. Hac clade tam ingenti suscepta, communicato cum Johanne Aucus consilio, Carolum in Italiam ex Hungaria accersit. Is ea tempestate patris jussu Venetis bellum indixerat. Primum quum in Italia esset, aliquot diebus Arimini fuit; deinde ab Aretinis accitus dominium Urbis accepit. Ad quem Florentini Gibellinæ factionis homines populariter confluxere; agrumque Florentinum cum iis ingressus, inter Staggium & Bones oppidum consedit, quo facilius exules Florentiæ introduceret. Sed hic à Florentinis pecunia corruptus in Hungariam rediit.

Anno insequenti 1374. Foroliviensès libertatis ejus, quam sibi acciverant, inexpertes, quum inter se decertare cœpissent, Sinibaldum Cecchi patrem, ex clarâ Ordelaforum familia, Dominum accepere. Tantumque Ordelaforum genus his carissimum fuit, ut illis subjici, quàm liberi esse maluerint. Pontifex, quo Romanos in fide contineret, postquam de suorum Legatorum gestis certior factus est, quinque millia equitum, & sex millia peditum in Italiam misit, Florentinosque ab Ecclesia interdicit, censurasque gravissimas in eos sanxit. Quas quum non esse contemnendas Florentini existimassent, diu ancipites fuerunt, an palam Pontifici bellum inferrent, an se se jure tuendo purgari possent. Hæc sententia, quoniam tutior videbatur, effectum sortita est.

Anno salutis 1376. Pontifice adhuc in Gallia existente, Florentini ad eum Legatos mittunt Donatum Barbadorum, & Alexandrum Antillam, quorum oratio ferme hujuscemodi fuit: *Si Legati, quos in Italia Sanctitas tua misit, res Ecclesiæ justo & æquo jure administrassent, non ea Populorum & Civitatum, quæ facta est, rebellio sequuta fuisset; nec nos ad Florentinum Populum excusandum, aut ad eos accusandos, in Galliam venissemus. Sed quum ipsi superbia & crudelitate atque omni injustitia, res sibi commissas administrarent, statum omnem Ecclesiæ perturbarunt. Deinde suis sceleribus nos quoque contra omnem æquitatem opprimere coacti sunt; quodque ipsi criminantur, nos præstitisse auxilia & favorem iis, qui ab Ecclesia defecerunt; aperte possumus ostendere, falsam esse terminationem hanc, atque ostendere, quo dolo qua-*

quaque perfidia Pratum oppidum, jurisdictioni nostræ subjectum, Legatus intercipere conatus sit, & Civitati nostræ liberæ jugum imponere servitutis. Quid enim sibi vult, Beatissime Pater, tot Civitatum rebellio, tot Populorum desolatio, tot Arces & præsidia singulis Civitatibus imposita? Nonne hæc docent, eos tyrannorum crudelium more esse Populis exosos? quos metu & vi subactos esse voluerunt. Qui si existimassent, non esse Regni præsidio Arces, & tot armatas legiones, sed æquitatem, & jus omnibus æquale, non ea patrarent, quæ summo scelere commiserunt. Adhibeat Sanctitas tua paululum aures ad ea, quæ dicimus, & ut justus judex voces nostras exaudi, non Sanctitatem tuam sed Legatos accusantes. Scimus etenim, Sanctitatem Tuam alienam ab ipsorum gestis, quæ crudelia & intoleranda Civitates tuas ab Ecclesiæ partibus alienarunt. Non Populo Florentino, his imputa, qui causam defectionis dedere; ipsorum superbiæ, atque avaritiæ, & libidinibus imputato, non nobis innocentibus, qui libertatem nostram tutati sumus magno nostro incommodo & expensis. Demonstrare possumus, Beatissime Pater, rem omnibus notam, semper Florentinum Populum in parte Ecclesiæ fuisse, & ob eam rem multa incommoda ab Imperatoribus Romanis sustinuisse; eosdemque, qui Ecclesiæ adversabantur & nobis infestissimos fuisse, Fredericum Primum, atque Secundum, & Henricum Primum Frederici filium, deinde Manfredum, Conradinum, Ludovicum Bavarum, atque Castruccium, quos omnes, quod Ecclesiam persequebantur, nostra Civitas infensos habuit. Fidelissimos ergo & devotissimos Sedis tuæ perfidia & scelus Legatorum tuorum ab Ecclesiæ partibus alienare sunt coacti. Quapropter, beatissime Pater, humiliter supplicamus, ut non alio animo credas, Florentinos in Sedem Apostolicam esse, quàm semper fuerint. Adsint ante oculos tuos pueri & mulieres, frumenti inopiâ laborantes, quos nedum suâ penuriâ Legati tui pabulo satiare noluerunt, sed quod in agris erat, intercipere conati sunt. Moveat oculos tuos ad fletum Faventina direptio fœda, & intoleranda aliarum Civitatum gubernatio. Pio nos animo, beatissime Pater, aspicito, & quod tui Legati impie gesserunt, non nobis innocentibus, sed illis imputa. Hæc Legatorum Oratio, quæ quum Patrum Collegium movisset, Pontifex in rem suam ratus aliquid respondere, in hunc ferè modum respondisse fertur. *Audivimus, Florentini Oratores, quid & quanta pro excusatione vestra attuleritis, atque nos hortamini, ut æqui Judices simus. Vellem itaque, ut & vos sine odio alio, & amore Reipublicæ vestræ similiter æqui auditores sitis. Et primum à vobis peto, ut omni astutia procul pulsa, quæ vera sint, confiteamini. Quum igitur Populus vester impulsor fuerit rebellionis nostrorum subditorum, atque his adjutor, ut omnibus patet, quo pacto hoc defendetis jure factum, aut quam excusationem affertis? Fecistis ne id vestrâ tutelâ, an odio inveterato in Ecclesiam Dei? Non inficiamur, licitum esse, vim repellere. Sed non hæc fecistis, sed ut aliis bellum inferretis. Estis ergo tanti sceleris rei. Nam Tifernum, & Perusium, deinde Bononiam contra nos exercitus vestros misistis. Similiter ad Arces expugnandas, Præfectosque Civitatum ejiciendos. Hoc non fuit vim repellere. Simile est vestrum scelus iis, qui aliquem sibi suspectum occidunt, ne sibi imposterum possit obesse; nonne hujusmodi homines & homicidæ damnandi? Absit suspicionis repulsa, & odio imputemus. Dicet fortè aliquis: Hæ Civitates nobis finitimæ erant. Quid dicetis de Esculo, quod in Piceno est, aliisque Civitatibus, quæ à vestris finibus longe distant? Nonne hæc arguunt, injuriâ à vobis factum esse, & ut ab Ecclesia deficerent? Declarant hæc, non voluisse vos Ecclesiæ vires imminuere, sed prorsus ejus statum subvertere. Vos ne filios Ecclesiæ esse quis censet, quum gravius sit quemquam à filio quid violentum pati, quàm ab extraneo? Quid ergo omnem rebellionis causam in Legatos nostros transfertis? Quid, quod arces ædificarunt? Nonne omnibus notum est, Ecclesiæ subditos nimio otio & tranquillitate lascivientes similes esse equis pabulo saginatis, qui aliquando ferociores fiunt? Frœno his opus est acriori, ita & Civibus nostris.*

Paucos post dies Florentini excommunicantur, Gallis omnibus assentientibus, quamquam Barbadorus magno clamore ad Deum appellaverit. Jamque Gebennensis Legati copiæ Gallorum in Bononiensem pervenerant; sed assidue castra circa urbem moventes, suspicionem Rodulpho Varano Florentinorum Duci injecerant, ne mansuetudo hostium (nihil enim hostile faciebant) proditionem aliquam in Urbe moliretur. Itaque intra Urbem tanto magìs suos continebat, quo illi proximiores Urbi erant. Quumque ab hostibus exposceretur, cur non aliquando extra Urbem cum exercitu prodiret, facete inquit: *ne vos, me exeunte, ingrediamini*. Pauco post tempore tentata per Legatum proditio detegitur, & conjurati ultimo supplicio affecti sunt. Dum hæc apud Bononiam agerentur, Bettus Bissolus Florentinus, & Guido Asisius, provocati magno clamore à Gallis, infestis armis singuli cum singulis decertarunt. Bettus Gallum equo dejectum quum jugulare vellet, precibus Gebennensis commotus est, ut victum ei dono det. Idem fecit & Guido, qui cum suo hoste lanceæ impulsu ambo prostrati, primò Guido assurgens & ipse veniam oranti concessit. His rebus cognitis, Pontifex sex millia Gallorum Cardinali Legato misit, Cardinalique Gebennensi mandat, ut eos in Italiam ducat. Postquam in Italiam pervenere, haud procul Bononiâ contra habuerunt. Erant & Bononiensibus Florentinorum auxilia sub Rodulpho Varano eorum duce. Et ipsa Civitas Populo pollens, libertatem, quam sibi adsciverant, tutavere. Quumque jam finis esset æstatis, Legatus Cæsenam in hibernis concessit. Orto in Urbe tumultu, sexcenti equites Gallorum cæsi, Urbe verò ceteri fugati in Arcem se receperunt. Cum his Legatus, qui Arci præerat, dirupit Civitatem, civibus magna ex parte trucidatis: tamdem ferro & igne omnibus consumtis, nec feminis temperatum. Cives verò, qui superfuerant, per Civitates finitimas erravere. Sacconis Aretini filius proditione quærebat Aretium ingredi. Qui erant Florentinorum socii, eâ detectâ, bellum filiis Sacconis intulerunt, & Gibellinæ factionis homines Aretio pulsi. In Piceno autem Gomesius Hispanus, qui arci Asculanæ præerat, ex occasione aliquot certamina cum Florentinorum copiis, quæ in præsidium Urbis erant, fecit. Tamdem profligatis suis subsidia exspectans, destitutus omni spe, pactus incolumitatem suorum filiorum & conjugis, Asculanis Arcem tradidit. Sunt, qui

qui hoc Anno velint, Johannem Boccaccium vita functum. Pontifex ratus, suâ præsentiâ res Italiæ in fidem Ecclesiæ revocare, clam à Rhodano solvens una & viginti triremibus, magnis tamdem tempestatibus actus, Cornetum appulit. Inde Romam terrestri itinere profectus, post septuaginta annos, quàm Curia Romana in Gallia fuerat. Primo Pontificis in Italiam adventu offerre cœpit Florentinis pacem. Missi ob eam rem Oratores cum conditionibus; qui dissentiebant, pacem oblatam renuere. Erat tunc prorogatum octo viris Florentiæ belli imperium. Quam rem multi ægre tulere. Et quasi ad seditionem Reipublicæ res spectare videbantur. Quæ quum Pontificem non laterent, misit suos Oratores Florentiam, ut hujus magistratus invidiam exaugeret. Nec ad plenum Magistratum missi, sed ad Populum; dataque his facultate dicendi, omnem belli causam in Octo Viros transferebant, orantes Populum, cujus gratiam Pontifex aucupari volebat, ut tamquam innoxii & Ecclesiæ devotissimi suis decretis providerent. His auditis, quum comperissent, qua causa ad Populum, & non, ut moris erat, ad Magistratus missi erant, iterum re infecta ad Pontificem rediere. His rebus sic existentibus, Florentini rebus suis intenti, quo facilius Pontificis auctoritatem infringerent, Bernabeo antiquo eorum hosti se conciliant. Sciebant enim, moleste hunc tulisse Pontificis adventum in Italiam. Itaque hoc intermedio corrumpunt Johannem Aucum, & in suas partes attraxerunt, ducemque exercitus fecere, traditis sibi duobus millibus equitum. Is ea tempestate Bagnacavalli erat, & inde abiens, in Miniate oppido à Florentinis locatur in hiberna. Interdictum gravius sacris à Pontifice ob eam rem contra Florentinos vulgatum. Id illi parvi fecere, coëgeruntque Sacerdotes ad Missarum solemnia celebranda. Quæ res multo acrius Pontificis iram contra eos accendit. Rodulphus Varanus tunc Fabriani erat, quumque intelligeret, Florentinos sibi ducatus administrationem abstulisse, & novum sibi adscivisse ducem, indignatus alium sibi præferri, ad Pontificem defecit, quod sciebat, illum omnium consiliorum Florentini Populi participem. Ob eam rem Florentini tamquam fœdifragum portis adpinxerunt. Hanc ille contumeliam ultus eo est, quod octo Florentinorum, qui curam belli habebant, in suis Terris pingi fecit sub semisolio sedentes, veluti si quæ egisset, in os suum reciperent, scripsitque titulum vulgarem: *Io sono Ridolfo da Camerino, leale Signore di terra, che caco in gola a gli Otto della guerra*. Danturque ei à Pontifice duomillia Gallorum equitum, quibuscum Bononienses in Ecclesiæ partes attraxit. Sed aliam fuisse causam sui discessus Florentini criminantur. Nam quum is contra voluntatem ipsorum Fabrianum præsidio munivisset, sibique ipsius finitimi oppidi dominium adscivisset, nec Pontifici restituere voluisset, ea cupiditate defecisse putabant. Sed prima causa ut honestior, ita verior reputatur. Iisdem temporibus Veneti Genuensibus bellum intulere tum ob veteres inimicitias, tum etiam quod quum Andronicus frater Calojannis Imperatoris Græcorum Genuensium auxilio fretus, Tenedo insulam Genuensibus promiserat, si fratrem imperio ejecissent: quod quum Genuenses facere cum summo studio niterentur, eo rem Imperatoris deduxerant, ut auxilium à Venetis petere cogeretur, ob quorum virtutem quum sua servasset, eamdem insulam Venetis in præmium dedit. Ob hanc igitur causam indignati Genuenses, quamquam sacris ea tempestate ob Florentinorum amicitiam interdicti, tamen ad vindicandas injurias se paravere, & contra Venetos maria infestabant. Eodem Anno Ladislaus Caroli Tertii filius ex Margarita uxore Neapoli nascitur. Per extremum ejusdem Anni tempus à Florentinis tentata est cum Pontifice iterum pacis spes, Bernabeo suadente. Et quod Pontifex præter spem cognoverat, nihil sua præsentia veteris odii in Italia mitigasse, nec ejus adventus sua exspectatione successerat, pronior ad pacem factus est. Tœdebat etiam Florentinos, tam diuturnos belli mores, & sumtus ingentes diutius tolerare non poterant. Sed id maxime, quòd Pontifex Bononienses in suas partes attraxerat, propter quos ira & indignatio cum Pontifice exorta erat. Igitur volentibus cunctis, Serezanæ conveniunt omnes utriusque partis, & de conditionibus pacis agitari cœptum Bernabeo præsente.

Dum hæc Serezanæ agerentur, accidit, ut Pontifex (Anno 1378) qui Ananiæ erat, adversa valetudine premeretur. Romam delatus est, & circiter Nonas Aprilis intolerabili vesicæ dolore consumtus est. Ea res conventum Serezanæ habitum dissolvit, cunctis ad Pontificem novum se se referentibus. Hæc Pontificis mors magnæ dissensioni causam præstitit, & omnia pacis consilia pervertit. Nam peracto Pontificis funere, quum Patres in Conclavi essent, ut novum crearent Pontificem in demortui locum, accidit, ut Romani magno impetu & clamoribus Romanum Pontificem, aut saltem Italici generis, exposcerent. Erant in numero Patrum multi Galli generis, iique unum ex his creare volebant. Italici quatuor non assentiebantur, hi enim satis superque modum Gallos imperitasse videbant, & ob id Romanorum opes imminutas. Tunc Patres eo tumultu perterriti, nec in electione sui generis conveniunt. Eligunt Bartholomæum Archiepiscopum Barensem Italici generis, Neapolitanumque, quem Urbanum VI. dixere, qui, uti est omnium Neapolitanorum temeraria nobilitatis præsumtio, quum ad tantum fastigium dignitatis electus esset, intolerabilior evasit. Nulla in eo humanitas. Insolentior factus non gratias egit Collegio Patrum. Dominari ac timeri malebat, quàm diligi. Ob quam insolentiam Patres communicato consilio, de nova alterius Pontificis electione cogitantes, in proxima Urbi loca migrarunt, dicentes illum, tumultu Romanorum & metu injecto, non rite, creatum. Moxque Fundos petentes, una omnes Reginæ auctoritate permoti, novum creavere Pontificem, quum prima electio vitiosa foret, eliguntque Gebennensem, qui prius in Italia legationis officio fungebatur, quem Clementem VII. dixere. Ex quo factum est, quod uti Ecclesia Dei divisa erat, ita & ceteri Potentatus, nam quisque eorum pro suo commodo illius Pontificis partes sequebatur, qui sibi plurimum faveret. Duravit hoc Schisma quadraginta

ginta fere annis, quoad Sigismundi Romanorum Regis temporibus Martinus V. electus est. Hoc Schismate exorto arma per Italiam quievere. Ceterum Florentini Urbano VI. adhæsere. Idem & Perusini fecere. Ultramontani omnes Clementi favebant. Creantur ab Urbano Cardinales viginti novem. Clemens verò tres Italici generis, & tres Ultramontanos creavit. Per ea tempora Franciscus Butrius, Urbano Pontifice suadente, cum Johanna Regina conciliatur, & receptis uxore & filiis Andriæ consenuit, & ibi mortuus est. Johanna Regina eo item Anno Oddonem Brunsvvichum sibi in virum duxit, cujus majores Imperio Romano potiti fuerant. Is ea tempestate Saonæ erat, & Raymundo Ursino, qui Nolæ Comitatum habebat, duce cum viginti triremibus Neapolim venit V. Calendas Aprilis, & nuptias celebravit. Anno eodem Ambrosius Vicecomes, quem superioribus annis captum diximus, corrupto carceris custode liberatur. Hoc item Anno decem Genuensium triremes à Venetis interceptæ juxta Palinurum promontorium, quod in Lucanis est. Eo item Anno Galeatius Vicecomes Papiæ moritur; Bernabeus frater, & Johannes Galeatius, filius, qui in omni patris sui dominio successit, partiti sunt dominium inter se. Placentia, Cremona, Parma, Laude, Brixia, Bernabeo cesserat; Galeatio autem Papia, Vercellæ, Novaria, Derthona, ceteræque Civitates ad Alpes versæ. Mediolanum omnibus commune erat, pacificeque aliquando vixere. Oddo compositis Regni rebus, Princeps Tarentinus efficitur. Sic enim Regina secum pactione convenerat, ne Rex nominaretur. Deinde quum suaderet Reginæ, ut cum Urbano sibi infenso ob Clementis electionem conveniret, ab ea Romam ad impetrandum missus est. Qui quum id Pontifici suadere non posset, Neapolim rediit; paulo post collecto exercitu per Casinensem agrum bellum moturus Pontifici in Campaniam. Neque his contentus Clementi confœderatur. His auditis Urbanus Patres, & Johannam, & qui cum Clemente erant, excommunicavit. Clemens similiter eos, qui cum Urbano sentiebant: quæ res causam necis Reginæ præbuit. Comes Landus eo Anno agrum Florentinorum invasit, eumque depopulando. Urbanus Carolum Duracchium ex Hungaria in Italiam accersivit, eique Regni Neapolitani coronationem pollicetur, quem sciebat superioribus annis à Johanna illusum, pluresque in Regno suæ factionis heroas habere. Eumque Romæ coronavit. Hac coronatione illectus, clam Margaritæ uxori nuntiat, ut cum Ladislao parvo tunc puero Murronam aufugiat. Illa his perceptis Raymundo Ursino Nolæ Domino itineris duce aufugit. Erant Raymundo filii duo Robertus & Raymundus, qui cum Carolo militabant. Ea re cognita, quum motus in Civitate fieri cœptus esset, Regina Neapolitanis non fidens, in peninsulam Ovi se recepit; deinde fletu & lachrymis Neapolitanos precatur, ut sibi omnium heroum favore destitutæ præsidio essent.

Anno gratiæ 1379. Oddo ea, qua Johanna, ratione permotus, Raymundi Ursini fugâ Argentii primò castra habuit. Sed ut

A comperit jam Carolum in Italiam descensum, tantus eum terror invasit, ut ne Neapolitani quid gravius moverent, magna tabernaculorum parte à castris relicta, Neapolim fugerit. Erat ea tempestate Carolus in Italia, & Trivisanis bellum inferebat, adjutus à Ludovico Hungariæ Rege, à quo enutritus fuerat. Quo bello finito, cupidus Regni Neapolitani possessione frui; quamob causam Ludovicus, quod Johannæ erat infensus, omnibus copiis adjuvabat tum pecuniâ, tum etiam multitudine equitum, hic quum jam in agro Patavino esset, fit ad eum incursus exulum Florentinorum; quorum adhortatione misit Bononiam Jannuzium B quemdam Salernitanum cum non contemnenda equitum manu. Ea re cognita Florentini ad eum misêre Oratores, ut explorarent, quo consilio, quaque mente esset in eos. Qui quum diversa retulissent, in suspicionem habiti sunt, & ob eam rem Populus multos innoxios ultimo affecit supplicio, eos, qui ex primoribus Civitatibus fuerant. Crescebant in dies Florentinorum metus, quod Caroli Præfectus Bononiâ Ariminum venerat, & in Etruriam inde venturus nuntiabatur, quem magna exulum manus sequebatur. Contra hunc Johannem Aucum sibi paravere. Eo item Anno Nicolaum Guillielmum C cum viginti triremibus contra Venetos mittunt Januenses. Quo tempore quidam Genuensis de familia Auria tres Venetorum naves mercibus onustas Genuam captas perduxit. Ii, qui Hospitale Sancti Johannis Rhodi incolunt, à Græcis magna clade superantur. Erant cum Jannuzzio Præfecto Caroli hi copiarum duces, Albericus Barbiani Comes, & Guillielmus Filibachius, & complures Hungarorum cohortes, & exulum multitudo ex omni ferme Italia, Senensium maximè ac Florentinorum. Jamque in agrum Senensem pervenerant, eorum agros vastantes. Quod quum viderent Senenses, pecuniâ se redemere. Idem & Lucenses metu perterriti fecerunt. D Florentini verò quum simili modo se se redimere conarentur, sive inveterato in eos odio, sive quod exulibus majora pollicentibus, ferociores essent effecti, rem tantam frustra tentarunt. Ingressus igitur Præfectus Caroli ex Senensi in Vallem Elsæ per Pisanum fluvium trium amplius millia passuum à Florentia castrametatur. Ibi incensis quibusdam Villis, quum parum prædæ invenissent, per Emporium in Miniate agrum, & inde in Pisanum pervenerunt, moxque in Lucensem. A quibus pecuniâ acceptâ eodem itinere per Volaterranum agrum in fines Senensium pervenere. Hos insequebatur non multum à longe Dux Florentinorum Johannes Aucus. Illi quasi E prœlium vitabundi, in Senensi agro se continebant, utpote qui majores copias sui Regis expectabant. Carolus jam autumno adventante, trajecto Pado Ariminum venerat cum septem millibus equitum Hungarorum, & mille Italici generis. Ad quem missi ex Florentia Oratores, memoratâ veteri Regis Roberti amicitiâ, ac illius Populi benevolentiâ, fœdus exposcebant, quod Ludovicus Hungariæ Rex, à quo educatus pæne fuerat, superioribus annis eis promiserat; offerentesque ei munera aureorum quindecim millium; quæ Carolus aspernatus, magnæ suspi-

ctionis causam Florentinis præstitit. Aretini interea quum Sacconis filios timerent, Carolo Urbis dominium pollicentur. Quo audito Aretium venit. A quibus benigne receptus est. Erant ea tempestate Aretii Legati Florentinorum ad componendas eorum dissensiones missi. Qua igitur die Aretium Carolus ingressus est, quidam exules Florentinorum unum ex his Legatis Johannem Morum trucidarunt, eo quod unus ex Octo Viris fuerat ad eos Urbe Florentia ejiciendos. Hanc ob rem incensæ ipsorum à Florentinis ædes, & leges gravissimæ in percussores decretæ sunt. Aretio potitus Carolus cum omni exercitu agrum Florentinorum ingressus populabundus ferro & igne omnia vastabat. Levia etiam prœlia ex occasione utriusque partis nonnullis in locis commissa. Quumque recto itinere reputaretur, eum iturum esse Florentiam, iter flexit per Senensem agrum ad eam Hungarorum manum, quam esse in Senensi agro supra meminimus. Additisque iis, qui cum Alberico, & Johannutio Salernitano copiis militabant, deinde in Vallem Elsæ descendens, haud procul Bones oppidum cum omni exercitu consedit.

Florentini quadraginta millia aureorum Carolo dant, ea lege, ne exules introducat, & ut ex agro ipsorum excedat. Ille, quod hyems instabat, pecunias accepit, & abiit, quod multa cum Pontifice Romæ acturus erat, priusquam in Apuliam properaret. Per ea tempora Balthassar Spinula Genuensis, qui Caroli exercitum sequebatur, maximam equitum Hungarorum manum à Carolo dimissam per Lucensem agrum in Genuensem perduxit, quibus quum adversùs Bernabeum bellum Genuensibus inferentem resisteret, reliquas copias Carolus Aretium perduxit, ubi consolatus exules Florentinos, aliud tempus commodius exspectandum docuit. Id sibi ad Regnum occupandum necessarium fore in præsenti, ne Pontificis spem, quam de se conceperat, frustraretur, & ut aliquando scelerum Reginæ Johannæ ultor esset, & eo maxime, quod se immiscuerit, & auctrix fuerit Clementis eligendi, & tantam & tam detestabilem Ecclesiæ seditionem excogitasset: nec vidisse se tanto suo apparatu motum aliquem Florentiæ factum, eam Dei voluntatem ratus, alia consilia cepisse. Ea barbarorum manus, quæ cum Spinula contra Bernabeum ducebatur, quum ipsum obvium habuisset, & saltus superare non posset, deseruerunt Spinulam, & in Vallem Nebulæ in agro Florentinorum rediere. Florentini ut suos hoc onere liberarent, per Pistoriensem agrum consulunt, ut in Bononiensem descendant. Quod & illi fecere. Inde eorum pars in Hungariam, major verò Ravennam concessit. Urbevetani eo Anno quum diversis factionibus dissentirent, & una exulum factio in Urbem noctu ingressa alteram ejecisset, altera deinde factio alteram depressisset, tamdem ab equitibus intromissis omnis Civitas direpta est. Carolus antequam Romam proficisceretur, reliquit Aretii Episcopum, quem putaverat strenue Civitatem administraturum. Deinde Romam profectus est, & à Pontifice honorificentissime receptus, quæ ad bellum Neapolitanum necessaria erant, providebat. Ceterum ea tempestate Genuen-

A ses bello Venetorum intenti, quod jam antea moverant, Ludovicum Hungariæ Regem sibi adjunxerant, Franciscumque Carrarium Paduæ Dominum, Ducemque Austriæ, & Patriarcham Aquilejensem. Veneti verò Petrum Cypri Regem Genuensibus infensum sibi adscivere, & Bernabeum Vicecomitem. Præerat Venetæ classi Nicolaus Pisanus Venetus, qui bello pridem navali apud Antium cum Genuensibus gesto, victor evaserat, & quinque Genuensium triremes interceperat, non sine damno tamen Venetorum. Sed ut hæc prima congressio illis cruenta victoria fuit, sic documentum præstitit, non fine magna clade suorum esse victuros. Bernabeus

B jampridem Albengam, Naulum, & Castrum Francum Genuensis agri vi ceperat, & in dies ferro & igne Genuenses infestabat. Post eam Antii pugnam Genuenses majori parata classe Lucianum Auriam ducem creavere classis navalis, dantque ei socium Dominicum Fulgosium; cum triremibus vigintiduabus. Hic olim ipsorum Dux, & fraude ab eo regimine amotus, cum Petro ejus fratre carceri mancipatus fuerat, ... eorum Duce electo. Eodem Anno Bernabeus Petro Regi Cypri filiam cum duodecim triremibus misit, quarum sex Venetorum, reliquæ Hispanorum fuere. His Rex Famagustam olim sibi à Genuensibus interceptam

C obsedit. Dissipata deinde fœdis cœli tempestatibus classe, re infecta discessit. Pisanus ex his sex, quæ Venetorum erant, suæ classi adjunxit, cum quibus Jadram delatus (erat enim hæc Civitas Ludovici Hungariæ Regis) Genuensium classem ibi existentem offendit, conatusque illos in pugnam attrahere, quum id frustra tentasset, alio se vertit, Cantaramque & Sebenicum Regis Urbes incendit; deinde Arbenses, & eorum Insulam in suas partes attraxit. Eodem tempore Carolus Zenus vir impiger Tyrrhenum mare infestabat cum triremibus Venetorum. Hispani, qui prius cum Rege Cypri erant, se Genuensibus adjunxere. Carrectorum fa-

D milia eodem Anno post longas dissensiones Genuensibus confœderatur, restituuntque oppida Genuensibus, quæ Bernabeo adnitente illis ademerant. Lucianus Auria viginti unam Venetorum triremes, quæ in Peloponeso erant, invasit. Erant ei triremes viginti tres. Pugnatum quatuor horis acriter, atque cruente. Tamdem Genuensis victor duas de viginti Venetorum triremes intercepit; reliquas fugientes sequutus, quum incautius cassidis vincula laxasset, sagitta ictus interiit. Sed in ea pugna duo millia Venetorum intercepta sunt, præter remiges & ceteram multitudinem, quam pugna absumserat. Genuenses hac pugna elati, sepa-

E rata etiam classe, Petrum Auriam in demortui fratris locum substituunt; additisque novem & triginta triremibus, & supplemento in remigium dato, cum triginta navibus Jadram pervenit. Hæc etsi mari acriter gerebantur, non tamen in continenti minoribus viribus certabatur. Nam Franciscus Carraria Rovianum Tarvisini agri obsederat cum iis, quos habebat, equitibus, Patriarchæque Aquilejensis, & Ludovici Regis Hungariæ. Contra hos Veneti Albericum Comitem, rei bellicæ peritissimum, opposuerant. Levia ab his aliquot diebus certamina

mina ex occasione pabulatorum fiebant, sed nondum aperto marte res in discrimen à neutris deducebatur. Interea Petrus Auria cum triremibus sexaginta, & totidem navibus, in Portum Venetum profectus, expugnat Gradum, Umagum, Butrum, & Crapulas, vi captas incendit. Hac re perterrita omnis nobilitas pavere, Urbi majori cura omnia providere, catenas Portui imponere, præsidiaque ex utraque parte disponere; & in litore continenti tercentos equites, pedites que sexcentos locarunt, & in fossa ibi propinqua Johannes Barbadicus ingentem navigiorum multitudinem collocavit. Auria, dum hæc à Venetis pararentur, Selungam se contulerat, cujus portum, suburbiaque Clugiam parvam appellabant, qua brevì potitus est. Venetias deinde petens ad fossam Filistinæ Insulæ classem continebat, cui ex Paduano commodius commeatus subvehebantur.

Dum hæc inter Genuenses & Venetos agerentur, Clemens, quem Fundis electum in Pontificem diximus, ut primum accepit, Carolum ab Urbano Regni diadema sumsisse, & Regni Proceres rebus novandis studere, consulit Reginæ, ut Loisium Andegavensem in filium adoptet, polliceaturque illi post mortem suam Regni Neapolitani successionem. Quod ut factum est, illius Regni Proceres suo veteri more rerum novarum cupidi, qui cum Carolo prius sentiebant, divisi, pars in ejus fide perstitit, pars cum Andegavensi sentiebat. Sentiebant cum Andegavensi Lallus Campanescus Montis-auri Comes, Comes Cupressani, & consimiles alii. Carolus verò hoc sentiens, in suos liberalior erat; nam Raymundello Ursino dat Tarenti Principatum, & Comitem Licii creat, Francisco autem Bautio spondet Agnetem, sibi genere propinquam, qua affinitate titulum imperii Constantinopolitani adeptus est successione Roberti, & Philippi patrui sui, & quod Loisius etiam ejus patruus fuerat Johannæ Reginæ vir, & ea causa Neapolitanorum Rex. Quibus rebus publicatis omnis Sanseverinorum familia Bautiis infensa à Carolo defecit. Ingens pestilentia eo Anno Neapolitanos invasit, qua periisse dicuntur duodetriginta millia hominum. Fames item valida sequuta est. Dum hæc in Regno Neapolitano agitabantur, Bernabeus, quem cum Venetis confœderasse meminimus, quatuor millia equitum, quos Stellæ Societatem appellabant, in agrum Genuensem immiserat, Alberico Comitis Lugi & Barbiani, & Johanne Aucu ducibus, qui in Pulcifera Valle præda allecti, quum ob vallis angustias non possent, ut existimabant, hostibus nocere, acceptis undecim millibus aureorum à Genuensibus, à Bernabeo defecere. Eodem tempore Carolus Zenus, militibus in continenti expositis, Orientale Genuensium litus ad Portum usque Veneris depopulatus est. Ceterum Petrus Auria aucta suorum classe Clugiam Majorem satis valido præsidio munitam diripuit. In cujus expugnatione sexmillia Venetorum cæsa sunt, sed à mulieribus temperatum. Hac clade Veneti consternati, quos Genuenses Venetiis captivos habuere, Clugiam ad Petrum Auriam misêre, pacem ab eo postulantes, quam iis legibus se accepturos dicebant, quibus Auriæ placuisset. Petrus Auria hac pactione insolentior factus, & superiori victoria elatus, has pacis conditiones aspernatus, Venetos in desperationem adduxit. Et ad curam Urbis conversi primò murum à Porta Navirachelii ædem erexere. Deinde quum consuleretur in eorum Senatu, quem ducem illi bello crearent, clamor ab incerto auctore editus desuper est, unum esse Pisanum, qui ob rem male apud Polam gestam in carcerem conjectus fuerat. Itaque vinculis solutus, bello maritimo dux creatus est. Dum hæc apud Venetos agerentur, Genuenses Bebas, Caputque Aggeris, inde Vicum Divi Laurentii, Mathemaucumque incenderant. Laurentium tamen etsi multis prœliis tentatum reliquere, Pupilumque ivere, qui Vicus quatuor passuum millibus à Venetiis distat, quasi ex proximiori loco Urbem essent Veneram invasuri. Erat in eo loco Barbadicus Johannes, alter Venetorum Dux, centum navigiis Præfectus, qui Genuensibus se obtulerat pugnaturus. Cum his diu ancipiti marte certatur, sed dispari conditione. Nam Genuenses nonnisi alto canali agi poterant propter loci angustias. Barbadicus parvis navigiis, lembisque, gurgitibusque parcius volitando, bombardisque noviter tunc receptis (sic enim à bombo emisso nuncupantur) iniquum Genuensibus certamen faciebat. Ceteræ autem Venetorum naves juxta Ædem Marthæ demersæ ex industria fuerant, ne eo ex loco Grnuensibus ad Urbem tendentibus transitus esset. Catena insuper ferrea imposita præsidio. Idem in fossa Sancti Spiritus factum, ne aperto canali iter hosti pateret. His rebus perceptis, Genuenses ad Mathemaucum rediere, quo in loco expositis in terram classiariis, fugarunt equites Venetorum, & intra oppidum compulere. Pisanus ea tempestate intra Sances portus classem sibi commissam continebat, tempus rei bene gerendæ exspectans.

Ceterum Andreas Contarenus primò Urbi præpositus, deinde Dux creatus, summum belli imperium assumserat. Cum hoc Duce Pisanus, Michaëlque, tamquam Præfecti Reipublicæ, statum administrabant triginta triremibus. His rebus sic se habentibus, Bernabeus reconciliatis sibi Stellanis ducibus, militibusque, iterum contra Genuenses profectus est, hisque Astorgium Faventinum præfecit. Is quum inconsultus Urbi adventasset, eruptione facta à civibus, plerique Stellani milites cæsi, Astorgius abjectis armis, vili indutus tegumento incognitus hostium manus evasit. In Asia quoque Genuensium res non propterea tutæ, aut tranquillæ erant. Nam Calojohannes Græcorum Imperator Peram Urbem, quæ jurisdictionis Genuensium erat, sæpius adortus, quum illam oppugnare gravius conaretur, ab Andronico fratre impeditus, quod is magnam Turcarum manum conduxerat, tale inceptum irritum habuit. Deinde eisdem copiis tantum ei timoris injecit, ut relicta Venetorum societate, se Genuensibus conjunxerit. Laborabant ea tempestate Veneti frumenti inopia, & tot cladibus juventus imminuta admodum erat. Quibus ex rebus in dies magis ac magis pavere, festinare, omnia providere. Matronæ verò, quas insolitus belli timor invaserat, afflictare se se, manus supplices ad Deum tendere, misereri propriis liberis; deli-

deliciisque omissis quidquid auri, argentique superfuerat, in subsidium Reipublicæ conferebant. Eodem Anno Florentini Urbano Pontifici adhæserunt, qui etsi Reginæ Johannæ infensus, tamen quod Carolus Capuæ Principatum nepoti suo denegaverat, paulatim Caroli gratiam imminuere conabatur. Zenus Venetus quum audiret, rem ipsorum in periculo esse, ex Histria rediens, Clusiam expugnare conatur. Itaque XII. Kalendas Januarii duas naves in portu Clusiæ invectas nocte in ipsius portus ora demergunt, igneque injecto in his Genuenses occurrere prohibiti sunt. Supra has naves Contarenus, tignis & trabibus, lapidibusque demolitis, adeo firmo robore permansit, ut nullis inde vi à Genuensibus amoveri posset. Tentata sæpius pugna cum Contareno, numquam tamen Genuenses portum ingredi potuere. Deinde Veneti ad Lupum portum validum præsidium imposuere. Genuenses verò è portu Brondulino, quam ibi habebant, partem classis educere cupientes, cruentum certamen Venetis reliquere, ne liberi prœliis suis impedimento apud Clusiam essent, qui naves submersas educere conabantur. Ceterum Pisanus Brondulini curam susceperat, qui quum faucibus portus adesset, non permittebat Genuenses portu egredi. Erat huic loco propinquum Monasterium Sancti Michaëlis, quod Genuenses fossa, aggereque muniverant. Ex hoc loco hostes tamdiu prœlium tentavere, quamdiu eorum triremes educerentur. Patavini per Athesim commeatus Genuensibus subvehebant. Fluvius hic portum efficit Brondulinum. Id Veneti prohibere, etiamsi maxime voluissent, non poterant. Zenus igitur quatuor propugnacula ad portum Brondulinum erigit, munitque ea firmo præsidio, & navis una in portu demersa angustum iter uni triremi tantum reliquerat. Deinde quatuor triremes triduo Laurentium oppugnavere. Clausumque est ea re Genuensibus iter, ne in Ferrariensem effugerent. Genuenses ea re cognita iterum ad Lupi portum se contulere, magnaque vi adorti illum expugnassent, nisi præstò Zenus suis laborantibus subvenisset. His difficultatibus circumventi Genuenses, quasi mutata fortuna Francisco Carrario nuntiant, quanta in calamitate sint. Quare commeatus Genuensibus immittit, & pedites quadringentos Clusiæ, ut essent præsidio. Ob eam rem Veneti Zeni copiis quatuormillia peditum addidere, paremque Civium numerum. Erant præterea Zeno quatuordecim triremes, quibuscum Monasterii munitiones invaserat. Quum ardens inter utrosque esset certamen, Petrus Auria suis laborantibus dum subvenire parat, lapide bombardæ ictus interiit. Cujus metu perculsi Genuenses, igne injecto suas naves incendere, relictaque Monasterii cura, in parvam Clugiam se recepere. Fuisse dicuntur ea in pugna Genuensium tredecim millia, Venetorum sexdecim millia. Erat in nova Clugia pons longiusculus, per quem quum Genuenses fugerent admixti Venetis, pondere tantæ multitudinis pressus, plures utriusque partis demersit. Sexcenti tantùm in fuga capti, & pæne par numerus cæsorum fuit cum ipsorum duce Petro Auria. Barbadicus ex navium numero, quas à Genuensibus incensas diximus, quinque triremes cum octoginta Genuensibus cepit; novem deinde naves, quæ à Padua commeatus deferebant, similiter captæ. Quæ res post pugnam male habitam magnum detrimentum Genuensibus fuit. Nam deficiente in dies annona, & quum fugientibus nullum iter pateret, perterriti Genuenses imbellem paucis ante diebus multitudinem Clugia pulsam à Venetis interceptam rursus acceperunt; quippe veteris militiæ more in Clusiam pulsa est, ut ibi fame perirent. Erat Venetis eadem annonæ inopia, ob quam rem Thaddæum Justinianum cum sex triremibus in Apuliam miserant, ut frumenta inde Venetias asportaret. Has Matthæus cognomento Marussus, pridem à Petro Auria immissus cum novem triremibus interceperat, ducentique in his Veneti capti sunt.

Extremo ejus Anni Urbanus Pontifex Agapitum Cardinalem Columnensem Genuam miserat, si qua conditione illos Venetis conciliare potuisset acturus. Sed frustra ea legatio fuit: tantis odiis ab utraque parte bellum gerebatur. Eodem tempore Carolus Imperator moritur, cui Wenceslaus successit. Post hæc Urbanus Pontifex . . . . & Florentiæ intestinæ seditiones atque ingentes exortæ sunt. Harum causam Leonardus Aretinus non libere expressit, quasi sublatio Legis Monitoriæ huic edicto causam dederit; nam comperio auctoritatem dominandi in paucos Optimates, quos Octoviri administratores belli in id genus hominum in plures annos continuarunt, plebi causam indignationis præbuisse. Erat enim Lex Monitoria, qua qui admoniti erant, ad magistratus gerendos quasi inhabiles habebantur. Hanc legem quum Silvester Medices ea tempestate Vexillifer sustulisset, pluresque cives in exilium dedisset, indignati quidam Nobiles, qui admoniti olim fuerant, Populo etiam adjuvante, arma sumserunt, & ad diripiendas, incendendasque domos eorum, qui legem promulgaverant, maximo cum furore iverunt. Aliqui ex his cæsi. Pars, ut casus cuique dederat, aufugit. Deinde interdicta aliquibus Nobilibus in perpetuum Reipublicæ administratio. Creantur tantùm Octoviri, qui querelas relegatorum & admonitorum audirent; justitiamque his administrarent. Non multo post Plebs magistratuum partem sibi exposcere cœpit. Ex eo numero quatuor intercepti à summo Magistratu, ut judicaret, quo consilio Reipublicæ statum innovare tentassent; aliter eos pœnas daturos. Hac re Plebs indignata, impetu multitudinis ad Ædes Priorum cucurrit reddique captivos flagitabat, & domum Loisii Guicciardinii, qui tunc Vexillifer erat, incendit. Deinde quasi victrix, plures locupletum domos diripuit. Creatur Magistratus à Prioribus, qui hunc temerarium Populi furorem compesceret. Plebs illos, qui creati fuerant, interceptos laqueo necavit, discerpsitque. Die insequenti Ædem Prætoris expugnat, diripitque. Hac etiam audacia ad Palatium Priorum impetu facto, coëgit Priores magistratu se abdicare. Creantque Michaëlem Landum infimæ plebis hominem Vexilliferum Justitiæ, advocataque Populi concione, omnes Priores magistratus penitus delevêrunt. Lexque creatur, ne quis Vexillifer Justitiæ

stitiæ deinceps ereetur, nisi ex Plebe infima. Hic etiam collegas ex suo ordine instituit. Quumque quidam ex primatibus quasi consulturus ei quid facto opus esset, persuaderet, respondisse fertur, scire melius illo, quid facto opus esset; bene quidem & strenue eum administraturum Rempublicam, si omnia in contrarium ejus, quod ipsi fecerint, administraret. Hoc maxime modo Michaël quasi Dominus Urbis effectus, omnia ex arbitrio administrabat. Erat ei forma corporis dignitate quadam honestatis prædita, bonosque viros nec ipse persequebatur, nec concitari multitudinem permittebat, vetando rapinas, odia mitigando, cædes prohibendo, omne sui magistratus tempus felicissime Rempublicam gubernabat. Finito autem magistratu, quod bimestre est, ejus extremis diebus, iterum armata multitudo in foro convenit, & novas & perniciosas leges condi exposcebat. Michaël nihil minus sane intentus, deponi arma jubet, & se saluti omnium provisurum. Abiit Plebs, & quum nihil eorum postea fieri videret, creati erant Octoviri, qui belli administrandi curam haberent. Hi Populi favore suffulti in tantam venerant temeritatem, ut quæ decreta egissent, per Lictorem, & Scribam ipsorum petebant à Prioribus jurejurando firmari: Jam paratis quibusdam ad jusjurandum præstandum, Vexillifer id non ferendum ratus, Scribam Octovirorum gladio transfixit. Ceteros è Palatio præcipites egit. Deinde equo invectus, armatusque, & præsidio bonorum suffultus, ad Ædem Prædicatorum, ubi Octoviri congregari soliti erant, accessit. Nec eos reperiit. Nam paulo ante intellecta suorum cæde iverant per diversa Civitatis loca ad multitudinem convocandam, & Priorum Ædes alio itinere petiverunt. Vexillifer rediens, quum eos armatos ibi offendisset, quum jampridem Ædes publicas munitas reliquisset, prohibiti fuerant Prætorium ingredi. Commisso igitur cum his prœlio, quum de superiori loco multitudinem armis ac lapidibus repulisset, in fugam vertuntur. Hunc finem seditio à Plebe concitata sortita est. Creati deinde novi Magistratus; duo ex infima Plebe electi ex auctoritate Populi. In quorum locum Georgius Scala Eques successit, qui superioribus annis indigne admonitus fuerat. Per hæc tempora Romæ Urbanus Interdictum Florentinorum sustulit, pacemque eis dedit. Quæ res Civitatem paulum liberavit.

Anno insequenti, qui fuit Annus gratiæ 1380. Maruffus aucta suorum Genuensium classe ad oram Clusiæ se contulit. Eo quum nihil proficere cerneret, ad Fossiones delatus est. Veneti autem, ne quid à novo hoste tam repente oblato incommodi paterentur, erecta turri in portu Urbis, eam valido præsidio munivere. Eodem tempore Jacobus Caballus Veronensis cum equitatu in litore eo loco propinquo consedebat. Maruffus cum vigintiduabus triremibus ad ipsa portus ostia Nonis Julii se contulit, ut commeatus Venetis inhiberet. Hunc trigintaquinque Venetorum triremes insequutæ quum hostem non offendissent, commeatus ingentem copiam Venetias perduxerunt. Franciscus autem Carrarius, quo Venetos ab obsidione Clusiæ distraheret, Tarvisium obsedit, Silumque fluvium materia conjecta clausit, excitatisque ab utraque ripa propugnaculis, spem subsidii obsessis abstulerat. Genuenses autem, qui Clusiæ obsidebantur, trecentos Venetos & totidem fœminas, quos captivos habebant, ob frumenti penuriam oppido ejecerunt. Hi famem obsessorum patefacientes effecerunt, ut Veneti obsidionem acrius premerent. Hoc misericorditer à Genuensibus factum, in eorum perniciem redundavit. Maruffus præterea septem aliis triremibus classe aucta opem obsessis laturus, Clugiam venit. Veneti nihil cum eo movendum rati quievere. Ille signis nutuque obsessos admonet, ut scaphas ex domorum materia fabricarent, cumque his ad claustra portus se conferrent. Interea ipse Lupæ præsidium aggreditur. Veneti centum quadraginta scaphas in obsessorum scaphas immisere, & ex eis centum septuaginta cepere, in quibus sexaginta octo Patavini fuere, ceteri verò Genuenses; omnes in vinculis conjecti sunt, extenuatique fame, magis umbras hominum, quàm effigies repræsentabant. Andreas Contarenus, dimissis belli ducibus ad cetera persequenda, Venetias magno cum plausu ingressus ibi consenuit. Superfuerant ex incendio classis Venetæ triremes decem & novem, quas Veneti Venetiis servabant, si quò casu earum opera opus esset. Maruffus quum videret, ob cladem susceptam Clusiæ res adversas esse, non tamen quievit, sed octo & triginta triremibus Tergestinos invasus, à Venetis deficere coëgit. Deinde Justinopolim delatus, quum arcem expugnare non posset, Civitatem incendit. Aucta deinde novem triremibus classe Nonis Julii in portum Venetum se contulit, & quum nemo ad certamen prodiret, iterum in Istrios rediit; Polam vi captam diripuit, inceditque. Postremo Parentium delatus, non parvo suorum damno repulsus est. Pisanus alter Venetorum dux cum quadraginta septem triremibus, Bebis expugnatis, Piranum adnavigans, Justinopolim à Præfecto arcis receptus, Civitatem præsidio munivit. Deinde in Apuliam ivit. Genuenses interea Signam vi captam incenderant. Deinde Arbense oppidum deditione susceperunt. Pisanus per Apuliæ litora naves suas partitur, ut commodius Genuenses prosequeretur. Horum aliqui ab se missi, quum decem Genuenses triremes inventas timore vel ignavia non prosequerentur, tantum ex ea re mœroris accepit, ut X. Kalendas Augusti ex mœrore mortuus sit. In ejus locum Carolus Zenus à Venetis suffectus est. Durabat adhuc Tarvisii obsidio, quum Veneti clausa limbis fluminis ostia dissipassent, obsessis præsidio fuere. Deinde accersito Jacobo Caballo exercitum Carrariensis aggredi properabant. Idque fecissent, ni Britones, qui cum Jacobo militabant, ad Carrarium confugissent. His militibus Carrarius auctus Castellumfrancum expugnavit. Hoc item Anno Veneti Clusiam quum diu fame laborantem obsedissent, tamdem cepere. Capti verò in vinculis omnes conjecti sunt.

Anno salutis 1381. Sfortias Attendolus vixdum adolescens quum ad res militares animum adjecisset, domo inscio patre & suis ad Albericum Lugi Comitem profecturus discessit. Sed in ipso itinere captus est à quodam

dam milite Boldrini Perusini, qui erat Præfectus equitum Pontificis, apud quem ferme quatuor annis fuit. Erat enim Sfortias tunc annorum duodecim. Eodem Anno circa initia veris Carrarius Novale oppidum agri Tarvisini vi expugnavit. Qua ex re quum Veneti Tarvisinis frumenti inopia laborantibus subvenire non possent, ne Tarvisio Carrarius potiretur, Pantaleonem Barbum eorum legatum ad Austriæ Ducem misêre, cujus ea Civitas ditionis olim fuerat, ut illam sibi restituerent; qua surrepta, quum Franciscus vim tanti Principis formidaret, ulterius Tarvisio abstinuit. Pontifex interea Duce Sabaudiæ intermedio pacem inter Genuenses Venetosque, & eorum confœderatos, perfecit his, ut ferebatur, legibus, ne Ludovicus Hungariæ Rex piratas in suis & Caroli terris receptaret; neve sal in Dalmatiam, nisi per Venetos inferretur; penderetque singulis decenniis Duci Venetorum septem millia aureorum. Patriarchæ Aquilejensi eadem conditio esset, quæ ante id bellum fuerat. Sed Veneti & Genuenses mobilia omnia cum captivis restituerent alter alteri, & Insula Tenedon Duci Sabaudiæ assignaretur, Castello ibi existente prius diruto; neve altera partium illud incoleret. Florentini pro his servandis fidejussere pro utraque partium & pro ducentis millibus aureorum vadati sunt; & ut Franciscus Carrarius Castella omnia, quæ in ostia fluviorum & stagnorum erexerat, demoliretur, limitesque agri Patavini & Tarvisini per Ducem Sabaudiæ terminarentur. Bernabeus ea pace reclusus est. Omnia ad unguem servata, nisi quod Johannotius Mudacius missus ad restituendum Tenedon, noluit id exsequi. Eodem Anno Calojannes Constantinopolitanus Imperator moritur, cui Emmanuel Palæologus filius successit, qui erat annorum pæne viginti. Hic fuit Constantini pater, qui in excidio suæ Urbis nostra memoria à Turcis cæsus est: sub quo Imperium Græcorum finitum est. Ea tempestate Tarlati & Ubertini intromissi in Civitatem Aretii, qui diu exulaverant, & freti favore Præfectorum Caroli, pæne Principes Civitatis facti. Quumque æquum jus Vendensis Episcopus Aretinis daret, factus est ob id minus solito civibus gratus. Quod quum Carolus accepisset, illo revocato præficit Aretinis Jacobum Caracciolum. Qui quum Episcopi vestigia sequeretur, tumultu exorto à Guelfis in arcem compulsus est, & cum eo factio Ghibellina. Albericus alter ex Caroli ducibus ea tempestate in agro Tudertino erat, qui à Caracciolo accersitus per arcem omnibus copiis Urbem ingressus, Guelforum bona diripuit. Nec his contentus Ghibellinorum quoque bona suscepit. Hunc Ferabach alter Caroli dux paulo post sequutus, quod reliquum miseris civibus Albericus reliquerat, abrasit. Nudati bonis & omni supellectile cives, finitima Urbis loca incoluere. Additum præterea eorum calamitati est, quod omnes hæ copiæ ibi hyemavere. Quare quum bellum cum Florentinis esset, nec in eorum Civitate securi, nec extra Urbem libere vagari poterant. Dum hæc in Tuscia agebantur, Carolus compositis cum Pontifice rebus, Campaniam ingressus, Regno Neapolitano adventabat. Progressus deinde, à Nolanis susceptus est, ibique triduo itinere fessus quievit. Deinde Neapolim venit. Confluxerant jam in Caroli exercitum omnes, qui à Johanna defecerant, Raymundus Ursinus Nolæ Comes, Franciscus Bautius Andriæ Dux, Carluccius Montaltus Magister Justitiarius, Jambutellus Pontificis Nepos, qui erat Capuæ Princeps, Jacobus Gajetanus, Cariottus Leonissa, Loisius Gesualdus, Loisius & Robertus Capuanus, Jacobus Candida, Johannottus Protodux, Palamedes Bozutus, Navarellas Dentice, Martuccius Ajossa cum duobus filiis, Storta & Franciscus Caracciolus, Angelus Pignatellus, Benedictus Strignanus, Paulus Cascidatus. Hi omnes Durrachinæ factionis erant, & plerique Neapolitani equestris ordinis. Præterea in exercitu Caroli Pontificis Legatus, & complures Duces ab eo pecunia conducti. In his Albericus Cunii Comes. Is primus Italorum post multa tempora vexilla erexerat, dux à suis creatus, & ducebat quos Carolus Aretii reliquerat. Et Marsilius Carraria, Benedictus Mangiadorius cum Francisco & Bartholomæo filius Miniatensis, Ginus Senensis, Johannes Rechenetus, & multi præterea, quos enumerare longum esset. In quibus Braccius Montonius, qui sub eo novem equitibus militabat vix dum adolescens. Ex altera autem Reginæ parte erat cum Oddone ejus viro Bathassar ejus frater, Robertus Anthoris Gallus, Marchio Montisferrati, qui Reginæ neptem Ducis Durachii uxorem sibi copularat, Bernardus Sala, Jacobus & Franciscus Zirulus, Nicolaus Macharonus, & omnes ferme Sanseverinorum Familiæ.

Ceterum Oddo quum pugnandi copiam Carolo non faceret, neve in majori periculo res suas adduceret, quiescebat. Carolus è contra pugnæ avidus, ne ferocem suorum militum animum quiescendo contunderet, Urbem aggredi statuit, quod Cives intra se divisos esse cognoverat. Quum igitur agmine facto Urbi appropinquasset, & nemo prodiret, jam sole ad occasum vergente Palamedes Bozutus, & Martuccius Aiossa juxta forum Boarium in Urbem ingressi, fugato Urbis Præfecto, & nonnullis Reginæ peditibus, Populum Neapolitanum in suas partes adtraxere. Johanna cum Sanseverinis in Arcem Novam aufugit. Oddo ea die castra juxta mœnia habebat ex altera Urbis parte. Hic prima noctis insequentis vigilia Caroli castra adorsus, quæ ex altera parte haud procul mœnibus erant sine duce, & sine præsidio firmata, in tantum discrimen adduxit, ut si cum omnibus suis copiis id fecisset, profectò victor evasisset. Suorum paucitas, & hostium multitudo Carolum ea nocte à tanto periculo liberarunt. Cæsi in Caroli exercitu sexcenti pedites, quos primus impetus absumsit. Oddo victor se se in sua castra re bene gesta recepit. Paucis post diebus quum ei commeatus ægre subveherentur, relicto Jurulo in Castelli Capuani custodia, Aversam se contulit. Carolus omni apparatu Reginam opprimere conabatur. Quamdiu obsidebat, plerique Regni Duces, Civitatesque ad Carolum defecerunt. Non multo post Oddo cum omnibus copiis haud procul Neapoli castra habuit, aquarumque decursus Neapolitanis interclusit, Jaruloque subvenit. Levia hinc inde prœlia per occasionem tentata.

rata. Johanna, Ugone Sanseverino adhortante cum Carolo paciscitur, ut si infra triginta dies ab Oddone non subveniretur, Arcem Carolo traderet. Hac re intellecta Oddo quasi in desperationem adductus per Castellum Divi Erasmi, quod Urbi imminet, descendens, tripartito exercitu agmen procedere jussit, hostemque invasit. At ex altera parte Carolus in primam aciem hostis invectus, Marchionem Montisferrati sua manu obtruncat. Oddo dum acriter & ipse pugnaret, sagitta ab incerto auctore emissa vulneratur. Deinde quum praelio non abscederet, desertus à suis, captus est. Sui in fugam versi, & angustiis viarum interclusi, plerique capti fuerunt. Post hunc conflictum Johanna, traditis duobus Castellis, Carolo se dedit. Idem à ceteris Regni ducibus factum, qui Reginae partium fuerant, exceptis Fundorum & Arejani Comitibus. Paucis post diebus, quibus haec acta sunt, Comes Casertae, qui Reginae partium erat, Kalendis Septembris ex Provincia cum decem triremibus venit, Reginae subventurus quarto post die, quo Johanna se se Carolo dederat. Carolus eos, qui cum Oddone militaverant, dimisit ea lege, ne per annum insequentem quoquo modo sibi adversarentur. Igitur Oddo in Apulia carceri trusus, & Johanna in Arce Sancti Felicis agri Consani. Non multo post Jambutellus Pontificis Nepos, cui Carolus in sua coronatione principatum promiserat, quum possessionem à Carolo flagitaret, nec id impetraret, querimoniam ad Pontificem detulit. Margarita Caroli uxor eo tempore Neapoli à Legato Pontificis coronatur. Et Franciscus Bautius Andriae Dux Suevam Raymundi Ursini filiam sibi matrimonio copulavit. Eo item Anno Loisius Andegavensis, quem adoptatum à Johanna supra memoravimus, Clementis auctoritate etiam impulsus, & Urbani Pontificis odio accensus, quod tam impie contra Reginam erat invectus, cum quadraginta millibus equitum ex Gallia in Bononiensem agrum descenderat. Per ea tempora Florentiae quoque motus in Republica erant, Thoma Strozzio pulso, & Georgio Scala alterius factionis principe, ultimo supplicio affecto, exulesque deducti fuere. Aretini exules quoque, ut primum intellexere Loisii Andegavensis adventum, Aretium infestabant, quod his in Caroli partibus erant, quibus Florentini majorem in modum favebant, Caroli gratiam aucupantes. Sed ut iter Loisii per Picenum fieri coeptum viderunt, hi metu soluti, exules verò Aretini sua spe ceciderunt. Hujus adventu Carolus Albericum & Ferebach in Regnum revocarat, quos Aretii relictos supra memoravimus. Florentini in Caroli praesidium miserunt Johannem Aucum, eo quod Pontifex eis pecunias relaxarat, quas pro solutione Interdicti pendere tenebantur. Pontifex quoque cum patribus, quos secum habebat, Loisii metu perterritus, Neapolim ad Carolum confugerat, vir antea austerus, tum verò saevior & insolentior factus. Quum ob principatum Capuae nepoti non traditum Caroli gratiam imminuisset, ad minas se convertit, ignarus, quàm inefficaces sint homini generoso & intrepido. Nequicquam Carolum permovit, sed adhibitis custodiis palatium suum ingredi Pontificem vetuit. Accessit ad haec Caroli incommoda, quod Ludovicus Hungariae Rex eo tempore 1381. è vita migravit, filiisque & uxori Regnum illud reliquerat. Sed non satis firma suorum spes. Et Carolus bello implicitus quum tantas copias Andegavensis paratas, & jam per Marsos in Regnum venturas intellexerat, animosque suorum paulatim imminui, non poterat commode Regno Hungariae esse praesidio. Ideo versus ad suos, à Florentinis & ceteris confoederatis auxilia exposcere, & bello, quod haud dubie imminebat, se parare. Andegavensis ut sentit Johannem Aucum in exercitu Caroli venturum, Florentinos omnes, qui in Gallia negotiabantur, diripuit.

Annus, qui hunc sequutus est, fuit Gratiae 1382. Non leviora certamina fuere. Nam Johanna per id tempus, quo à Carolo vexabatur, testamentum condiderat, in quo Loisium Andegavensem heredem instituerat. Et hoc Anno moritur. Quidam laqueo suspensam dicunt, nonnulli veneno necatam in carcere. Sed utrumque Caroli mandato factum. Ejus tamen cadaver Neapoli delatum. Talem illa Regia stirpe orta dignum suis sceleribus vitae exitum sortita est. Sepulta est in Æde Divae Clarae absque alio funere, & monumento marmoreo praeter suorum consuetudinem. Ceterum Johanna multos tam nobili genere natos, quàm ignobiles summis dignitatibus decoravit, quos in nostra Historia sigillatim expressimus, ut ni ea res non longius ab incoepto traheret, praesenti Historiae inseruissemus. Sed ad alia graviora festinat oratio. Mense Junio ejusdem Anni vigintiduo triremes Loisii Andegavensis Neapolim appulere, expositisque juxta Neapolim classiariis, aliquot aedificia Urbi propinqua incendit. Sed levi deinde certamine in naves repulsi sunt. Insulamque Ænariam, quam Ischiam incolae appellabant, petivere. Incolas ferme omnes cepere, sed hi Loisio mandante dimissi ea pactione, ne suis bellum inferrent, neve alios suos infestantes reciperent. Mense Septembri Loisius Regnum per Marsos ingressus Nolae receptus est, Raymundazo Candola adhortante, aditumque praebente, quod Carolus ejus fratrem paucis ante mensibus captum securi percusserat. Fuisse in Loisii exercitu compertum habeo hos: Adoardus Clementis Pontificis frater, Dominus de Cosi, qui Aretium Florentinis postea prodidit, Comes Sabaudiae, Johannes Lunisburgius ejus frater, Ludovicus Cupersani, qui jam à Carolo defecerat, Petrus Corona, Henricus Mungri Dominus genere Britannus, Raymundus Bautius ex ea familia, quae in Gallia erat, Gerardus Gelanus, Johannes Amonius, Trojanus Panzardus, Petrus & Bernardus Sala, Hugo Sanseverinus, Bernabeus Materae Comes, Loisiusque, omnes hi tres ex Sanseverinorum familia, Comes Casertae cum Loisio Tracta, & Sandalo fratribus, Comes Cerreti. Ex Neapolitanorum verò nobilitate Mametus Ponzetta, Jordanus Pandonus, Mazzeus Brienza, Guillielmus Leonissa, Raynaldus Ursinus, Petruccius Caracciolus cum Bernardo & Andrea filiis, Cecchus Zurulus & Marianus ejus filius, Lisolla Aversanus, Jacobus & Franciscus Zurulus, Bottatus Barilius,

Henricus Galeotta cum quatuor fratribus, Monachus Porzetta, Masius Umbriacus, & Maffæus Bernardus Arcamonus. Sub quorum omnium auspiciis ad quadraginta millia fere hominum militabant, sed plerique equites. At minor erat Carolo ducum, & equitum numerus. In primis Johannes Aucus, Ramundellus Bautius, is qui in Regno erat, Angelus Pignatellus Legatus Urbani, Maramoldus, unus ex patrum numero, Johannocta Protodux, magnus Regni Contestabulus, Salernitanus Comes Mirabelli, Jacobus Stendardus, Thomasius Marsanus Comes Camerlingus, Jacobus Gajetanus cum duobus filiis, Robertus Ursinus Nolanus, Robertus Sanseverinus, Loisius Jannula, Loisius Gesualdus, Guillielmus & Navarellus Toccii, Carolus Pandonus, Franciscus Littora, Thomas Paganus cum duobus filiis, Martuccius Aversana, Franciscus Guindasius cum omni ejus nobilitate, Gaspar, & Johannes, Cascius autem & Nicolaus Carracciolus, Salvator Zurulus, Camillus Serpundus, Jannellus Bozzutus, Nicolaus Viola, Loisius Murrutulis, Guarinus Barilius, Antonius Varavalle Cajetanus, Nicola Piscius, & ferme omnes Minutuli, Cossii, Carrazzoli, Brancazzii, Caraffii, Pignatelli, Alferii, Moriscii, Mormini, Bonifaciique, Agnesii, & Gettulæ, Fellapanii etiam, & Angelii, Marcellonii item. Et stipendio conductus Albericus Cunii Comes, Marsilius Carraria, Facinus Cane, Franciscus Mangiadorius, Ginus Senensis. Qui omnes summam equitum tredecim millium conferebant. Quos omnes ideo enumerare libuit, ut omnes intelligant, Nobiles Neapolitanos intra se divisos semper fuisse, & novarum rerum cupidos vix cum suis gentilibus convenisse. Quo magis mirandum est, ex eadem familia, & eodem patre genitos diversarum partium fuisse. Loisius, quum à Nola commeatus abunde subveherentur, apud Magdalonum consedit, pugnæque avidus, quum à Carolo pugnæ copia daretur, per Furcas Caudinas ad Montem Flusculum profectus, oppidum primo impetu cepit. Captus eo in loco Angelus Pignatellus unacum ala equitum, permutatusque cum Ramundello Bautio, qui ad populandum agrum Neapolitanum profectus à Caroli equitibus paucis antea diebus captus fuerat. Deinde Loisius hyemis asperitate quum sub tentoriis commode esse non posset, Casertæ & circum loca ea partitur exercitum. Ipse verò cum suis ad Aram Jani perrexit, primo vere in Apuliam descensurus. Ea re cognita Carolus præmittit in Apuliam Raymundellum Ursinum, ut Baruli præsidio esset. Id illi ægre ferentes tantam equitum multitudinem in oppido hybernaturam, occulta consilia, Angelo Scannuccio auctore, de prodendo oppido ceperunt. Accersitus ob eam rem Loisius in Apuliam descendit, seque oppidi portis ex improviso ostendit. Sed nocte præcedente conjuratione detecta, proditores securi percussi rem tantam disturbarunt. Deinde Raymundellus Carolo suspectior factus, occulta consilia de prodendo oppido cum Loisio habebat. Ea re cognita Carolus Barulum properaverat, cui quum Raymundellus obviam iret, existimans illi incognita consilia, quæ cum Loisio habuisset, à Carolo captus est, in vinculisque conjectus. Sui plerique ad Loisium defecerunt, ex his etiam aliqui Nolam rediere. Eodem Anno in Tuscia res turbulentæ erant. Sacconis enim filii cum omni Gibellina factione Aretinis bellum inferebant, quod in exilium actis adhuc reditus in Urbem non patebat. Et erant quidem Aretini inopes, quia ab equitibus Caroli male habiti fuerant. Flagitaruntque à Florentinis auxilia. Immissi ad eos pauci equites, qui tentarunt Caroli Præfectum pecunia corrumpere, ut occulte à Florentinis quasi vi coactus Arcem traderet in posse Florentinorum. Quod ille minime fecit. Et Castella Florentinis se dederunt. Sed illi Caroli metu donationem tantam renuerunt. Extremo ejus Anni tempore Genuenses, quod ex fœdere cum Venetis icto Tenedon à Veneris non susceperant, propter quod bellum tam atrox & periculosum exortum fuerat, à Florentinis ejus rei vadibus pœnam non servati fœderis exposcebant. Quumque id sæpius poposcissent, qui in eorum jurisdictione erant, Florentinos in vinculis conjecerunt. Missi ob eam rem à Florentinis legati controversiam sedavere. Nam Veneti à Florentinis rogati, omnem culpam Insulæ non restitutæ Genuensibus in eorum Præfectum transtulerunt, daturosque se operam, ut Genuensibus Insula illa restituatur. Quod ut factum est, Florentini, qui capti à Genuensibus fuerant, vinculis soluti fuerunt, & bona eorum restituta.

Anno insequenti 1383. Pestis per omnem Etruriam valida Cives Florentinos quum majorem in modum offenderet, deserta Urbs à ditioribus suspicionem summo Magistratui intulit, ne Plebs iterum dominium Urbis sibi assumeret. Propterea lex data est, ne quis Urbem desereret, quive ejus caussa abiissent, infra certum tempus redirent. Sed quum mors sit ultimum terribilium, ea lex servata non est. Maximum rerum humanarum documentum, ne quis legem contra salutem omnium statuat, & ubi de vita agitur, maturius cogitandum. Loisius verò Andegavensis quum videret bellum trahi, oratores ad Regem Galliæ misit, ut sibi subveniat. Ille quindecim millia Gallorum equitum missurum se promisit. Carolus verò quum se destitui à Raymundello Ursino vidisset, Oddonem olim Johannæ virum, carcere liberavit. Existimat enim, Johannâ mortuâ nihil illum amplius in Regno contra se moliturum, eique Principatum Tarenti restituit, suoque præfecit exercitui, consulitque eum de ratione belli gerendi. Ille ut erat prudens, abstinendum à prœliis monet, pugnamque dissuadet, quam cum Loisio die dato, initurum promiserat; hortaturque, ut quæ oppida belli usui forent, bonis præsidiis firmaret, debiliora relinqueret, & quidquid in iis frumenti esset, in fortioribus & munitioribus nactum locis subveheret: exercitumque suum locô munitum haud procul Loisii castris contineat, asserens in his locis commeatus inopiâ tantam multitudinem hostium diutius stare non posse. Carolus Oddonis consilio paruit, nec die data pugnandi copiam hostibus dedit. Commissum tamen singulare certamen, & aliqui ex Caroli exercitu capti, in quibus fuit Carolus Pandonus. Altera post hanc die Johannes Theotonicus, unus ex Loisii ducibus, in cursu equi lan-

ea ictus à Loisio quodam ex Caroli familia transfixus interiit. Andegavensis quum se pugna frustrari vidit, Tranum concessit. Fugerunt tunc ex Caroli exercitu in castra Loisii octingenti ferme equites, quorum duces Loisius Oriminus, & Marianus Reatensis, diruperuntque oppidum Sancti Martini, in cujus præsidium à Carolo locati fuerant. Ea etiam die Raymundellus Ursinus, corrupto carceris custode, ad Loisium Andegavensem se contulit, à quo benignè susceptus est, datque illi uxorem Mariam Eugeniam Licii Comitem. Eodem anno Carolus dum Baruli esset, adversa valetudine aliquot mensibus oppressus est, & Johannes Protojudex ex morbo interiit, cujus magistratum Carolus Alberico Cunii Comiti concessit, magnusque Contestabulus postea dictus est. Ea dies ab Alberico variis certaminibus celebrata est, & Jacobus Attendolus vix dum adolescens, quod egregiè pugnavit, quinque equis ab eo donatus, armisque instructus, inter equites adnumeratus est. Braccius verò Montonus cum novem militibus militavit, & ab eorum duce in commilitonum suorum numero adscitus est.

Initio Anni 1384. Vigiliarum Cives ad Loisium defecerunt. Ingressusque Urbem, quum sui à præda non temperassent, ex eare tantum mœroris accepit, ut in febrem inciderit. Nicolaus Ruffus initio hujus Anni, qui Antonio patri in Comitatu Catansarii successerat, Marchionatum Crotonii duodecim millibus aureorum à Carolo mercatus est. Eodem tempore Engeramus dux eorum equitum, quos Galliæ Rex Loisio suppeditabat, bello clarus in Italiam cum quindecim mille equitibus venit, receptus à Bernabeo Mediolani hospitaliter. Inde in Parmensem descendens, superatoque Apennino in Etruriam venit. Ex Lucensi in Miniatensem agrum progrediens cuncta populabatur, deinde Senensem. Ad quem Aretini exules venere, orantes ut Aretium pergeret, præsidiumque Caroli inde ejiceret. Sperare se illo ejecto, quòd Civitas ferme omnis cultoribus deserta esset, ea posse potiri. Quid plura? Persuadent Engeramo. Eoque profecti cum illo sunt. Nocte insequenti exules per scalas Urbem ingressi, & ab eorum factione adjuti Gallos equites introduxere. Civesque alii eo tumultu perterriti arma raptim capere. Sed ab his momento pulsi in Arcem confugere. Diluculo tamdem Urbs capta atque direpta est. Arx deinde tribus mensibus oppugnata omni vi tormentorum fuerat. Jamque hyems instabat, quum subitò nuntiatum est, decimo Octobris Loisium interiisse. Hoc nuntio Galli perterriti statuunt in Gallias redire, & pecunia egentes Aretium Florentinis vendidere, qui voluntate etiam Civium postea Arce potiti sunt. Id ultimum Aretinorum dominium fuit. Excitatum deinde bellum contra exules Aretinos, & brevì eorum Castella recepta sunt. Petramala autem, in qua Marcus ex Sacconi filiis major natu erat, aliquamdiu obsessa, tamdem deditione facta, ut sibi impunè cum suis abire liceret, oppidum susceptum est, & solo æquatum; & à Senensibus Gargonsa & Sabinum Aretini agri receptum est. Equites verò Galli, qui cum Loisio in Apulia erant, post ejus mortem variè dispersi, ut cuique sors obtulit, consilia sibi sumsere.

Florentini publico consilio decrevere, ut Azzo Ubertinus traderet suas Terras Populo Florentino, videlicet Morletum, Montemugum, Ulivetum, & Planum Castagnoli, quas ipsi prius emerant, & quas Ormannus Ferabuscus postea eorum nomine suscepit. Eodem Anno Urbanus Carolo jam infensus factus, dissimulatâ injuriâ, Nuceriam à Carolo suæ habitationis causâ petivit, quo liberius quæ mente agitabat, posset efficere. Ea Civitas à Carolo promissa. Neapoli cum iis qui secum erant, Patribus abiit, & quum primùm eo appulit, Nuceriam valido præsidio munit. His peractis veteri Patrum Collegio novos Cardinales adjecit, veteresque tamquam majestatis reos in vinculis conjecit. Fuere autem duodecim Cardinales, Consiensis, Anglicus, Venetiarum, Genuensis, Tarentinus, & Sangeus, quod eos à Carolo delinitos compertum habebat, capitique suo insidiatos. His peractis Clementem in jus vocavit, & ex more tamquam non rite electum damnavit. Deinde in Carolum invectus, quum se ille responsurum judicio, & adfuturum assereret, præter Pontificis opinionem Nuceriam cum exercitu circumsedit. Dissensionis autem causæ plures fuisse feruntur. Primò, quod Pontifex paucis ante mensibus Carolo mandarat, ut Regni tributa vectigaliaque humanius moderaretur, neve præter Regni consuetudinem quidquam ultro à subditis exposceret. Cui Rex respondit, non esse sibi ad eam rem pensandam opus tanto tutore. Regnum ipse illud sua virtute & viribus subjecisse; proinde gregis sibi commissi & Ecclesiæ curam susciperet. Regni autem, quod suum erat, administrationem sibi relinqueret. Hoc responso Pontifex valde commotus, in Carolum furere magis, magisque in dies in eum invehi. Accesseratque ad hæc, quod Nepos Pontificis, cui Carolus Capuæ Principatum denegaverat, à Carolo defecerat, Nuceriamque se contulerat.

Anno Salutis 1385. non prioribus annis quietior Italia intus & extra fuerat. Nam quum Raymundellus Ursinus filius Raymundi Nolæ Comitis videret Carolum in obsidione Pontificis perstare, fretus suis equitibus, ingressus est Nuceriam, ut Pontifici præsidio esset. Sed in ipso ingressu quum à Caroli equitibus persequeretur, lancea pede dextro percussus, vix aufugit. Qui à Pontifice benigne susceptus, traditisque sibi decemmillibus aureorum, adtraxit cum his ad se Thomam Sanseverinum, qui ea tempestate in Calabria erat. Qui quum Nuceriam cum suis venisset equitibus, coactus est Carolus obsidionem relinquere. Paucis post diebus cum his copiis Pontifex Palusmum profectus, inde Palinurum se contulit, ubi Genuensium triremes susceptum in Portum Pisanum detulere. Quo in loco rogatus à Petro Gambacurta Pisarum Domino, ut quos Cardinales secum captivos habebat vinculis solveret, producti coram Pontifice veste obsoleta & barbis intonsis, squallorem suum ostentantes, increpiti multis verbis à Pontifice, responderunt primo de innocentia ipsorum asseverantes, deinde versi in Pontificem dixerunt, quod in die Judicii magni Dei ante tribunal Christi rationem ejus, quod in eos

eos fecisset, redditurum. Hoc responso Pontifex ira accensus jubet triremibus imponi, & Genuam deportari, quò ire intendebat. Petro autem Gambacurtæ respondit, non posse se eorum misereri, qui delicti veniam non postularent. Deinde saccis impositos in ipso itinere mari demersit. Hungari eodem Anno Regem ob Ludovici mortem exposcentes, Oratores ad Carolum mittunt, ut Regni Hungariæ possessionem suscipiat ex adoptione Reginæ Mariæ olim Ludovici Regis natæ, apud quam etiam in Hungaria educatus fuerat, quod Hungari ægre patiebantur, id Regnum ad generos Ludovici deferri. Illum ex eadem esse stirpe, & communi omnium voluntate desiderari. Proinde se celerius itineri paret, ne quid sua absentia in Regno illo innovaretur. Hac vocatione Carolus, & quod in eo Regno educatus fuerat, magno flagrabat desiderio ejus rei potiundæ. Igitur compositis Apuliæ amodo rebus Neapolitanorumque, cum Navarello Dentice, & Alberico Cunii Comite profectionem suscepit: deficientibusque sibi in Apulia pecuniis: Florentinorum bona, quæ in Regno illo negotiabantur, suscepit. Deinde in Hungariam proficiscitur, & ab Hungaris coronatur. Ceterum Maria facti pœnitens inter Procerum gratulationes eum cædi fecit, dum in cubiculo esset, & suorum aliqui percussi. Ex quibus Ego Neapoli postea Navarellum vidi insignem cicatricem in facie habentem. Paucis post diebus Regina, cujus dolo Carolus ceciderat, capta est ab Hungaris, & Caroli percussores securi percussi, quorum capita ad Ladislaum & Johannam II. Caroli filios delata sunt, adhuc impuberes, & ad Margaritam Reginam eorum matrem. Præcesserat Caroli mortem magna Solis Eclipsis, qualis numquam antea visa illis temporibus fuerat. Eo item Anno Bernabeus, cujus potentia jam cunctis Italiæ Ducibus formidanda erat, à Johanne Galeatio fratris filio, qui in patris regno successerat, quamquam tranquillioris vitæ videretur, interceptus est. De quo pauca explananda sunt, quoniam res se obtulit. Hic uxorem duxerat Regis Gallorum filiam. Qua mortua, quo suum stabiliret dominium, Bernabovis filiam uxorem cepit. Nec eo quidem modo suspiciones amotæ. Nam Bernabeus natura immitis, acer & bellicosus erat. Hic verò natura mitis, pacis avidus, forma excellenti, amari à suis quàm metui malebat, & propter ætatem opportunus injuriæ. Qua ex re quum Bernabeum timeret, Mediolano abscessit, Papiæque se continebat, præsentiamque Bernabei studiosè vitabat. Erat ei curæ, veteres patris amicos sibi adsciscere, novasque sibi amicitias parare, mansuetudineque & clementia Populos ad se adtrahere. Quæ tanto levius sibi comparabat, quanto Bernabovis ingenio & natura immitior erat. Itaque & favor in juvene prosperior, & Populorum amor propensior erat. His rebus Bernabeus permotus, tollere eum è medio studebat. Nec illi consilia ad cavendum deerant. Igitur Johannes Galeatius ut primum sibi occasio data est, capto Bernabeo, & in vinculis conjecto, omne in se dominium illius brevì transtulit, & Bernabeus paulo post moritur. Ea tempestate quum Nicolaus Estensis per Thomam Cortonensem gravius solito Ferrariæ vectigalia extorqueret, quamplures Cives Thomam necavere. Indignatus ob eam rem Nicolaus, eos securi percussit, qui Thomæ necis auctores fuerant, Arcesque Ferrariæ fecit, ut Cives eo metu securius in fide contineret. Nobiles Senenses eo Anno populares ac plebejos dominio expulerunt, & pæne reipublicæ dominabantur. Quo item Anno Angelus Acciajolus Florentinus nobilis ab Urbano Pontifice Genuæ in numero Patrum adscriptus est. Quum igitur Regnum Neapolitanum ad Ladislaum adhuc impuberem pervenisset, perfidiâ Regni Procerum brevì alienatum est. Cajetani tamen ad extremum usque tempus fidem illi inviolatam servavere. Iisdem temporibus navis una Venetorum variis tempestatibus acta Neapolim appulit. Hanc pretiosis mercibus onustam Margarita Ladislai mater detineri fecit. Ea injuria permoti Veneti Duracchium & Corchirum illi ademere. Urbanus, postquam Genuæ per annum ferme consederat, Lucam se contulit, ut ex loco propinquiori Florentinos invaderet, quod eos contra Romanæ Ecclesiæ salutem Bononiensibus auxilia subministrare compererat, Perusinosque ad defectionem solicitarant. Ea re comperta Perusium proficiscitur, compositisque Civium dissensionibus in Campaniam ad Florentinum se contulit, si fortè posset Regni Neapolitani possessionem Ladislao impuberi adimere, & pro Romana Ecclesia retinere.

Anno salutis Dominicæ 1386. Florentini contra Antonium Feretranum bellum movere, quod is Castellum quoddam Francisco Cantiano ademerat, qui Florentino Populo adhærebat. Quumque per Tifernatem agrum & Eugubium populabundi agrum Urbinatem essent ingressi, non prius pacem adinvenit, quàm ad arbitrium Populi Florentini Francisco restituit. Eo Anno Lucinianum agri Aretini oppidum à Senensibus pridem occupatum, Florentinis sine bello restitutum est ex Bononiensium sententia, quibus ea res discernenda permissa fuerat. Florentini ea tempestate ad solum dirui fecere Lusianum, & Caroletum Ubaldinorum olim oppida, quòd motus in ea regione fieri acceperant, auctore Johanne Accio ejus familiæ Principe non impigro. Is belli dux egregius Patavini Francisci, quòd contra Veronenses pugnando insignem ejus prœlii victoriam reportarat, favorem plurimum sibi comparaverat. Qua ex re Florentini existimabant in Etruriam descensurum. Sinibaldus Ordelaffius Forilivii Dominus eo Anno à suis nepotibus occisus est, & ipsi dominatum sibi adsciverunt. Filius Regis Anglorum eo item Anno prospere pugnasse fertur cum Hispanis. Duo Cardinales, qui cum Urbano erant, defecerunt ad Clementem, & Lugdunum petivere, à quo honorificentissime suscepti sunt. Galliæ Rex magno navium apparatu in Angliam profectus ventis, & æstu maris adversantibus, nihil efficere potuit. Post Caroli mortem Urbanus ad Regnum occupandum animum adjecit. Ob quam rem Regina Ladislai mater tributa multa Neapolitanis remisit, qui postquam per acta cum Rege Franciæ Reginam inopem viderunt, divisi inter se ad Urbanum aliqui defecere, nonnulli in fide perstantes consulunt Reginæ pecuniis

pecuniis

cuniis exhaustæ, ut omnes ejusque generis negotiatores, qui in Regno erant, detineret, mutuoque ab his pro cujusque facultate pecunias acciperet. Quod & factum est. Aliqui tamen solvere recusantes, in carcerem, quoad solverunt, conjecti sunt. Præerat ea tempestate Arci Sancti Erasmi Thomas Paganus, qui primus omnium à Regina & Ladislao defecit, primusque res novas contra parvos liberos Caroli moliri ausus, plerosque Regni nobiles ad tam pessimum facinus invitavit. Nam Sanseverinæ familiæ Duces etsi antea à Carolo patre beneficiis onerati tum verò ætate puerorum freti ab his rebellarunt. Erant hi ea tempestate in agro Aversano, ubi majori coacta manu in Apuliam descenderunt.

Anno salutis 1387. Neapolitani libertatem sibi adscivere, Urbani Pontificis suasionibus. Regina filiorum tutrix parvos liberos Cajetam detulit, qui ab his egregia fide tredecim annis tutati, adjutique cum eorum matre fuere. Post Caroli mortem Sigismundus Svevius, qui postea Cæsar fuit, Regnum Hungariæ sibi adscivit. Ea tempestate Galli cum Rege Britanniæ Insulæ decertantes magna clade devicti sunt. Dum hæc agerentur, Hugo Sanseverinus ut accepit Loisium Vigiliis mortuum, in Galliam profectus est, ut Loisii filium in Regnum adduceret, ad Regnum paternum suscipiendum. Ceteri ejus familiæ duces Neapoli ea tempestate castrametati sunt. Præerant ea tempestate Neapolitanis aliquot. Hi Sanseverinis omnia præter Urbis ingressum suppeditabant. Nec multo post quum audissent Loisii secundi adventum, illos in urbem suscepere. Quumque hi inter se non convenirent ob innatam Neapolitanorum superbiam, iterato divisi, ex æquo factum est, ut Pontifex eo immitteret Raymundum Ursinum Nolæ Comitem, qui Pontificis Urbani stipendiis militabat. Qui urbem ingressus, tumultu à suis facto, à Solis exortu ad primam usque noctis vigiliam cum hostibus decertavit. Hoc tamdem prœlium noctis interventu sublatum fuit. In ea pugna Angelus Pignatellus, & plures alii Neapolitani, qui alterius factionis erant, cæsi sunt. Insequenti die Raymundus pugna quum se separasset, videns ex suis optimum quemque aut cecidisse in prœlio, aut graviter vulneratum, veritus Populi vim, liberam Civitatem Andegavensibus reliquit, Nolamque profectus est. Recepta urbe Thomas Sanseverinus omnes Duracchinæ factionis principes urbe expulit, popularesque etiam aliquot, quorum bona diripuit. Ceteros verò Neapolitanos in verba Loisii jurare coegit. Non multo post Neapolitani ad Clementem alterum Pontificem Oratores in Galliam mittunt, orantes, ut Loisio Andegavensi Regni Neapolitani diadema imponat. Principes autem legationis fuere Loisius Varavillia, & Bartholomæus Cerreti Comes. Erat ea tempestate in Insula Sicilia Manfredus Claramontes vir excellentis virtutis ac liberalis, qui parata classe in Africam contra Agarenos properabat, & cum eo viginti quinque Pisanorum triremes, & totidem Genuensium, & Venetorum quinquaginta, qui Africæ litora populabantur; & tamdem Africani oppidum deditione susceperunt. Fuit in his Bonincontrius Pater meus, Præfectus unius Pisanæ triremis, à quo audivi, quod quum classiarii milites aquæ penuria laborarent, expositis ad id scrutandum in terra militibus, barbari equites, qui prius stipendium à nostris postularant, & avaritia nostrorum seu negligentia repudiati fuerant, classiarios invasere. Commissum cum his prœlium acri certamine duobus millibus passuum à litore, barbari equites iniquum certamen nostris fecere. Raphaele Adurno classis Genuensium Præfecto fœde interemto, tamdem nostros in fugam vertere. Cæsa eo die sexmillia equitum perhibentur. Pauci vivi in hostium potestatem devenerunt, qui à filio Raphaelis omnes redenti sunt, & patris mortui corpus cervice excepta . . . . quam illi ad Regem Arallium illico deportarunt. Ea fermè tempestate Martutius Bonifacius, qui pro Ladislao impuberi præerat Arci Novæ, nec precibus, nec minis vinci potuerat, ut Arcem Neapolitanis traderet. Unde mari Neapolitanos Cajetanorum triremibus infestabat. Ob quam rem iterum Neapolitani ad Loisium misêre, auxilium postulantes. Qui sex triremes ad eos è Provincia misit. Oddo ea re indignatus, qui Arci Capuanæ præerat, ad Sanctam Agatham relicta Arce se contulit, inde Andegavensibus bellum gesturus. Neapolitani ea re cognita, Arcem Capuanam obsedere. Oddo cum quatuor millibus equitum Aversam venit, ut ex proximiori loco obsessis præsidio esset. Tamdem quum Arci cum omnibus copiis approximaret, fossis & propugnaculis antea à Neapolitanis factis inhibitus, frustra tantam rem suscepit. Et quum sæpius id tentasset, repulsus est, & re infecta Aversam rediit. Præfectus Arcis ipsius præsidio destitutus paucis post diebus deditionem fecit. Hostium deinde exercitus, & duces divisi. Oddo in Apuliam ivit. Johannes Aucus, qui pridem ex Hungaria redierat, quum stipendium sibi non exsolveretur debitum, in Tusciam profectus est. Horum discessu Neapolitani paulisper quievere. Pontifex quoque, quum nihil pro se tentari à Neapolitanis videret, Romam rediit: ubi quum à Patribus, ex quibus vigintinovem Neapolitani erant, & tres Romani, vim parari intelligeret, astu sibi consuluit, ita ut incolumis redderetur.

Eodem etiam Anno Franciscus Carraria, is, qui Senior dictus est, cum Antonio Scala magna pugna in agro Patavino conflixit, Antonio oppugnante, altero se defendente. Ille enim equitibus ab Imperatore susceptis agrum Patavinum invaserat. Alter à Johanne Ordelafio adjutus, & Jannotio Ubaldino, quos sua pecunia conduxerat, res suas tutabantur. Horum uterque ea tempestate optimi belli duces habebantur. Commisso prœlio quatuor horis ancipiti marte pugnatum. Sed adventantibus Galeatii Vicecomitis equitibus, qui in præsidium Carrarii immittebantur, hostes fugati sunt, & Antonius fuga sibi consuluit. Ea clade suscepta Veronam, Vicentiamque paulò post amisit. Et Galeatius illas occupavit. Non multo post Franciscus Carrarius paucorum mensium obsidione perterritus, à Galeatio obsidetur. Pater hoc viso renuntiat dominio. Cives filium deligunt, qui se & sua aliquamdiu tutatus est. Florentiæ tumultus complures exorti, & Alberti

Urbe

Urbe magna ex parte pulsi, præcipue Albertus ipsius familiæ princeps, & Magistratus Reipublicæ his inhibiti sunt, & in exilium acti. Erant ea tempestate in omni Italia Galeatii potentia & robur plurimum formidanda, præsertim à liberis Etruriæ Civitatibus, quum ob Bernabei captivitatem, & Carrarii, ejus animus innotesceret, aliud illum sentire, quàm quod cunctis verbo pollicebatur. Sed maximus erat Bononiensium metus, quod olim Vicecomitum dominatum toleraverant, verebanturque, ne id continuare Galeatius vellet, & ad eos invadendos irrumperet. Quare renovato cum Florentinis fœdere, qui etiam ejus metu tenebantur, omni qua poterant ope se se muniebant. Senenses autem ob recentes Florentinorum injurias, & quod Lucinianum Aretini agri restituerant, ad Galeatium inclinari fama in dies vigebat, provocasseque ferebantur Galeatium ad res Florentinorum occupandas. Quibus ex rebus Johannes Riccius querimoniam ad Magistratus Florentinorum detulit, & hujusmodi orationem habuit, & sic exorsus est: *Hic homo multa signa facit, quæ in hoc homine formidanda, nec à nobis negligenda sunt. Senenses, Pisanos, & Lucenses pollicitationibus sibi adjunxit. Nos igitur deinceps non promissis, quoniam id efficere nequit, sed vi subjecturus est. Hic homo patre, & patruo ditior, exercitus tantos cogit, ut facile id conficere posse arbitretur. Quidquid est agri inter Mediolanum & Alpes, suæ jurisdictionis effecit; nec patrui & paterno acquiescit imperio. Veronam insuper & Vicentiam sibi adjunxit, & quidquid eorum agri fuerat. Deinde his non contentus, Patavium cum omni ejus possessione suscipere conatus est. Non his contentus erit (mihi credite). Inexplebilis est hujus hominis cupiditas. Bononiam petit, quasi jure hæreditario sibi debitam. Alpes trajiciet. Senenses, Lucensesque, & Pisani jam non recusant ejus dominium. Expergescimini, quæso, & libertatis vestræ quandoque curam suscipite. Quid igitur censes? dicet aliquis. Non dormiendum puto. Omnia diligentius perscrutanda. Parandos exercitus, Bononienses in fide continendos, eligendosque viros exercitatos, qui præcipuè belli haud dubie imminentis curam suscipiant.* Hæc ubi dixit, omnes ferè Cives huic sententiæ acquievere; primòque pecuniæ impositæ, unde exercitus comparari possent, & Civitates, Oppidaque, & Castella optimè munita sunt. Viterbienses ea tempestate erant sub dominio Jacobi Præfecti Urbis Romæ, qui contra Pontificem Urbanum bellum moverat. Pontifex parato exercitu Viterbium obsidione cingit. Johannes Gattus unus ex principibus Civitatis, tumultu in Urbe facto, magna Populi stipatus caterva, Præfectum fugam meditantem interimit, & Civitatem Pontifici restituit. Post hæc duces exercitus ad oppugnanda alia Præfecti oppida properarunt, qui quum apud Civitatem Veterem essent, illique in fide filiorum Præfecti perseverarent, à Raynaldo Ursino adjuti, exercitum Ecclesiæ deleverunt, atque fugere compulerunt. Oddo & Thomas Sanseverinus, quia contra Pontificem sentiebant, à Pontifice interdicti; & qui contra eos molirentur, ut insurgerent, remissionem peccatorum, & beatam vitam promiserat in futuro. Hanc rem illi negligentes, Neapolitanis favebant. Cardinalis Murapelli quum præesset pro Urbano Viterbii, & Pontifex alium ibi Legatum mitteret, Populi favore fretus, ne reciperetur novus Legatus, inhibuit. Hac re permotus Pontifex, illum carceri trusit. Ejus fratres Cola & Jordanus, qui Murapelli præerant, Narnium & Interamnem à Pontifice alienarunt. Clemens alter Pontifex postulat à Florentinis, ut Florentiæ Concilium fiat, in quo determinetur de vero Pontifice; & staturum se determinationi Patrum pollicetur. Cui Florentini responderunt, non spectare ad eos rem tantam, sed quieturos & assensuros Patrum determinationi, & his quæ per alios Christifideles statuissent. Triremes Ducis Andegaviæ duas eo Anno Cajetanorum triremes, quæ Neapolitanos infestabant, ceperunt. Hæc eo Anno gesta sunt, fortunâ humanas vices admodum variante.

Anno Salutis 1388. Morenus Rai Turcarum Rex Illyricos eo Anno magna clade afflixit, pluraque eorum oppida cepit, nonnulla etiam igne incendit, diripuitque. Barbari ex Mauritania Sardiniæ litora populantur, & inde Aragoniam profecti prædam ingentem fecere, & tamdem è Provincia captivos multos Christianos in Africam deportarunt. Nicolaus Estensis Ferrariæ Marchio moritur, cui sine liberis defuncto Albertus frater successit. Hic cum Galeatio fœdere icto, occidi fecit ejus consilio Opizzum nepotem, matremque, & conjugem; & Johannem Estensem jam sexagesimum quintum annum natum laqueo suspendi fecit. Antonius Scala olim Veronæ Dominus, relictis Ravennæ uxore & filiis, ad Pontificem profectus est. Et quum non impetrasset ab eo stipendia, ad suos reversurus, Tredocii moritur. Plures eo Anno incursiones factæ per Johannem Beltotum Anglicum, & Bernardum Scalam Guasconem, & Averardum Campanam Theotonicum, qui erant duces furum. Primò enim ex agro Perusino in Senensem plurima oppida incenderunt, inde duodecim millibus aureis deliniti, in Pisanum iverunt. Florentini Petro Gambacurtæ duo millia peditum, & equites mille quingentos in præsidium miserunt. Sed Galeatius Vicecomes Serezzanæ quatuor millia equitum misit non requisitus, ut Pisanis præsidio forent. Hos Petrus renuit, quamquam Jacobus Appianus ejus Scriba id persuaderet, quòd ejus filius cum Galeatio militabat. Petrus his Gallorum ducibus quindecim millia aureorum dedit, & Lucenses novem millia, ne ultra sibi bellum inferrent. Dum Galeatius Patavium obsidebat, Veneti & Estenses spreta Florentinorum societate confœderantur, majorique vi castra moverunt, ut inter se Francisci Patavini dominium partirentur, & quarto post mense quàm obsideri cœpta est Civitas, Franciscus tamdem Junior patre inscio, qui Tarvisii erat, sese in potestatem Vicecomitis dedit. Idem postea à patre factum de Tarvisio. Quos tamen Galeatius nutriendos honorificè, fovendosque suscepit. Divisa sunt ejus Oppida, Civitatesque, ut Patavium Mediolanensi, Tarvisium Venetis, & quædam Oppida in sortem Estensis cederent. Qui duces Galli in Etruria prædabantur, cum Pontifice se conduxere, cum his Neapolitanos invasuro. Sed

sedi-

seditione facta Johannes Beltotus Pontifici adhæsit, ceteri ad Florentinos se contulerunt cum equitibus mille quingentis; Cortonamque venerunt. Pontifex ad Florentinum usque Campaniæ Oppidum cum equitibus quingentis se contulit, cumque aliis equitibus Gallorum, & cum Johanne Aucus Neapolim obsedit. Sed quum nihil proficeret, & alii non sequerentur, Romam rediit. Florentini Johanni Aucus, qui ex Regno redierat, omnem equitatus curam, & belli totius haud dubie imminentis reliquerunt. Tum Fulginatibus, & iis finitimis multa damna intulerunt. Erat cum his Carolus Bernabovis Vicecomitis filius, qui cum parte equitatus in Picenum ingressus, postquam agrum depopulati sunt, in Regno ad stipendia Ladislai se contulit. Peninsula Gelborum, quæ in Africa est, eo Anno à classe illa Manfredi Claramontis capitur, & à Venetis & à Pisanis ei est concessa. Eodem Anno Margarita Ladislai mater, quum re pecuniaria maxime egeret, matrimonium parat Ladislao filio Constantiam Manfredi Claramontis filiam. Erat is annorum duodecim. Cujus opibus Ladislaus majorem in modum fretus, plurimum adjumenti suis rebus addidit.

Insequens Annus 1389. non turbulentior fuit. Namque quum Florentini Johannem Aucum, & Carolum Bernabovis filium stipendio conductos haberent cum equitibus quinque millibus, suspicionem Galeatio immiserunt belli jam evidentis. Missi igitur Oratores à Senensibus, qui Politianum repetebant. Erant Florentiæ, qui id dandum censebant, ut Senenses jam Galeatio adhærentes in societate retinerent. Alii ne dandum quidem existimabant. Legati Politianenses quum viderent hæc, metu percussi, Politianum ærario Florentinorum adscribi fecerunt ea ratione, quòd oppida & ærarii bona non sine decreto Populi alienari possent. Hoc modo Politianum receptum est. Quæ res Senensium animos majorem in modum abalienavit, & apertè Galeatio se conjunxere. Accedebat ad hæc, quod Galeatius questus apud Florentinos antea fuerat, quod Antonium Scalam, & Bernabovis filium hostem suum, susceperant fovebantque, & quod Arminiaci Comitem, quasi sibi bellum illaturi, conduxissent. His rebus infensior factus, Florentinos omnes suo dominatu ejecit. Per ea tempora Petro Gambacurta intermedio hæ res compositæ; non tamen prorsus bellum sublatum est, sed dilatum. In qua conventione Galeatius, Senenses, Pisani, Perusinique fœdere icto inclusi sunt. Eodem Anno Urbanus VI. moritur, & in ejus locum suffectus est Bonifacius IX. Mense Septembris, qui Petrus Thomacellus dicebatur. Sedit is in Pontificatu annis novem & mensibus novem. Extremo ejus Anni tempore Rex Galliæ per suos Oratores expostulat à Florentinis, ut Clementi, tamquam ritè electo pareant, ac etiam auxilia, quæ ab se peterent, ita demum daturum, si annua tributa sibi penderent: Utrumque magnis animis à Florentinis negatum.

Anno Salutis 1390. Sfortia Attendolus quum ob prædam disceptaret cum quodam Tarantola & Scorpione, equitibus sociis Alberici eorum Ducis, velletque sibi prædam, quam acquisiverat cum his, vindicare, delata quæstio hujus rei ad eorum imperatorem est. Nec his contentus Sfortia, vim illis inferre parabat. Qua ex re Albericus dixit: *Et mihi quòque credo, vim conaberis adferre. Volo propterea, dehinc Sfortiæ nomineris*. Id postea nomen sibi adscitum est. Paulò post ad patrem rediit, qui litigio impeditus per Martinum Passerinum, qui accepit Johannam mulierem Codignolæ forma excellentem, antea Bartholo filio promissam, commisso ejus rei gratiâ certamine, Sfortia in facie vulneratur, & Matthæus Bosii Attendolus obtruncatus est. Erant ea tempestate Passerini armis potentiores, inter quos postea Passerinus facti pœnitens, supplex ad Sfortiæ genua pacem exposcit. Ille ut erat natura pius, data venia inducias cum his fecit, asserens de pace cum Laurentio Attendolo agendum esse. Deinde cum omnino arma sequi decrevisset, donatus à patre armis & quinque equis est. Excitatque Laurentium Attendolum ad arma, ut secum militet. Igitur postquam discessere à patria Codignola, benigne suscepti sunt ab Alberto Estensi cum equitibus quadragintaquinque: quod ea tempestate magnum erat. Hac re allecti Bosius, & Michelettus Attendoli, cum Sfortia duobus annis ferme auspicio Estensis militarunt. Galeatius videns Florentinorum animos contra se paratos, literas hujusmodi Florentiam ad Magistratum summum misit. *Pacem Italicam omni studio indefessa intentione quæsivimus, nec laboribus pepercimus nec expensis. Optabamus enim, quod laxata tantis bellis Italia temporibus nostris quiesceret. Idque tanto ardore flagravimus, ut nonnunquam quidem nostræ mentis mali interpretes, nobis hoc vitia & inertiæ adscripserint, quod humane facere nitebamur. Sed omnia frustra tentavimus prævalentibus consiliis reproborum. Maluit enim, non dicamus, vestra magnifica Civitas (de qua nil tale opinamur) sed paucorum arciguelforum vestrorum rabies seu diffidentia, male fundati & tremuli status sui, qui florentem illam Civitatem sub libertatis specie tyrannizant, bellum quàm pacem eligere, & pacis indignam patriam & Italiam magna ex parte bellorum strepitibus involvere, & quod exsecrabilius est, in grave damnum & jacturam filiorum nostrorum Senensium & Perusinorum, atque ignominiam nostram, occulte primò quoad fieri potuit, & tamdem palàm, fœderibus universalis Ligæ Pisis celebratis, atque solemniter approbatis. Utinam in ipsos solos, & non in alios pacis avidos, & in ipsorum capita, & non in miserabilem ipsam patriam detestabilia hæc consilia redundarent. Quibus præter naturam nostram & propositum, ad ulciscendas injurias filiis nostris & amicis contra jus fœderis adversùs tyrannizantem arciguelforum vestrorum statum à die præsentationis hujus nostræ diffidentiæ in antea provocamur*. His literis in Senatu auditis, responsum à Florentinis est: Pacem se omni studio quæsivisse; mirari se de pace scripsisse, quem compertum habeant, nihil aliud quam bellum per omne vitæ tempus semper fuisse meditatum. Qui nuper Veronensem, Patavinumque adverso prœlio fractum armis & bello invaserit; qui generum, socerum, nepotem, patruum miserabili impietate prodiderit; qui vix siccatis fœderis Pisani literis necem sibi parari à Floren-

rentinis simulaverit, quo bellum illis inferret. Qui spe vana inflatus Regnum Italiæ speret, atque affectet, se se paratum juri stare. Sed quoniam non jure determinare rem placet, *viriliter repugnabimus. Quod autem asseris, non universam Civitatem, sed paucos id attentasse, re ipsa intelliges, à summo ad minimum usque tibi adversaturum. Et nos eo animo bellum gesturos, quod à te oblatum est, quod ferme duodecim insequentibus annis nonnumquam infida pace gestum est, tanto Florentinorum impendio, quanto nullum antea gestum fuerit.*

Neque majoribus copiis ac opibus ullæ umquam Civitates inter se in Italia bella gesserunt, neque utriusque potentia umquam major apparuit. In quo bello non solùm omnis Italia intricata fuit, sed etiam exteræ nationes, ut suo loco dicemus. Belli initium tum antea causæ dedissent, tùm verò quod Senis magna equitum & peditum manus convenerat tam ex Gallia, quàm ex Piceno: quòd Florentini Senensium exulibus aperte favebant, auxiliaque iis pollicebantur. Duces exercitus erant Johannes Actii Ubaldinus, & Johannes Todescus Sacconis nepos, dudum Aretii dominantes, ambo armis exercitati, & viri bello præstantes, & Florentinorum hostes, quibus Florentini oppida abstulerant. Hi ergo duces ut primùm Senis applicuere, superato Monteluro, per superiorem Arni vallem descendentes in Aretinum agrum venere, cuncta rapinis & incendiis devastantes. Hac præda ditati per Ambram fluvium in fines Senensium castrametati sunt. Aretini exules, & Gibellinæ factionis homines, quorum in ea regione ingens erat multitudo, quum jam rebus novandis animos applicuissent, metu perterriti eorum equitum, quos raptim Florentini Aretium immisere, paulisper ab incepto destiterunt. Gentiles autem Sacconis, agnatique palam cum eorum Castellis hostibus adhæsere. Quorum etiam opera Lucinianum, quod tunc Florentini possidebant, deditione à Senensibus susceptum est. In Bononiensium autem agro, quia Florentinis adhæserant, Galeatius suos immiserat, Jacobo Vermio Veronensi ejus belli duce, aliisque permultis sub Galeatio militantibus. Hi aliqua Bononiensium oppida primo impetu cepere. Eam rem Bononienses Florentinis queruntur, expostulantque ex fœdere subsidia sibi immitti. Florentini quòd hostem infestissimum in Aretino habebant, cujus metus Civitatem invaserat, addito novo insuper bello, trepidare, festinareque, & ut poterant, tamen suorum consociorum rerum curam suscipere cogebantur. Erant illis satis equitum, quos habebant, copiæ: nam Johannes Aucus, unica eorum spes, ea tempestate in Apulia erat. Hunc igitur magnis pollicitationibus evocarunt. Simul & Raynaldum Ursinum, cui ejus belli ducatum in Etruria pollicebantur. Et interea locis opportunis milites scribere. Johannes Aucus mature ad veteres amicos venit, & in Bononiensi missus est, quòd magna eis cura erat retinendi Bononienses in fide, ne ad hostem deficerent. Raynaldus dum se expediret, atque jam iter esset ingressus, apud Aquilam proditione quorumdam equitum cæsus est. Cujus interitus multarum calamitatum causa fuit, & consilia Florentinorum turbavit. Nec impar apud Senenses conditio. Johannes Azzius alter ex belli ducibus Galeatii, morbo correptus, & Senis delatus interiit. Johannes Aucus ut primum Bononiam venit, coactis omnibus copiis, ad triamillia equitum & duo millia peditum ad hostes perrexit. Qui apud Crevalcore castra habebant, ubi hostes in hos adventare intellexerunt, confestim vasa colligentes, se se deserta obsidione in agro Mutinensi receperunt. His rebus peractis Aucus nitebatur Castella Bononiensium prius amissa recuperare. Carolus autem Bernabovis filius, & Luchinus ex eadem familia, quòd ad eos Mediolanense spectabat imperium, nitebantur in Mediolanensem transire. Sed major erat Florentinorum ardor invadendi cum his ipsum caput belli. Missis igitur in Gallia & aliis locis Oratoribus, adtraxerunt ad se Stephanum Bavariæ Ducem, & Franciscum Carrarium, qui capto patre in Germania degebat. Sed ex Gallia Transalpina Jacobum Arminiaci Comitem, bello insignem, magnis præmiis evocarunt. Inter hæc paranda decernendaque nihilo segnius bellum in Etruriam gerebatur. Nam Todescus Castella quædam Florentinorum, quæ agri Aretini erant, deditione susceperat, & Battifolle oppidum natura munitissimum haud longe ab Aretio tribus millibus passuum, proditione cujusdam Sacerdotis, susceperant. Inde portis Aretii proximiores facti, neminem egredi patiebantur. Hoc metu Aretini, qui aliarum partium erant, arma omnibus Gibellinæ factionis, ne quid innovarent, abstulere, nec nisi die domo exire licebat. Quæ res causa fuit Aretii retinendi, quamquam ferme Castella omnia Aretinorum Batifolle capto rebellarunt. Ex altera parte Bones oppidum, & Colle Florentinorum, coacto exercitu Senenses infestabant. Sed major cura premebat Florentinos extra Tusciam transferre bellum. Quod si sibi perseverasset, non suffecturos se ad resistendum cognoverant. Itaque iterum atque iterum Legatos ipsorum Nuntiosque mittentes, effecerant, ut Franciscus Carrarius magna equitum manu in Italiam descendens, primo impetu à Patavinis susceptus est, & Urbem paternam recuperavit præter Arcem, quæ valido præsidio à Galeatio tenebatur. Qua quo facilius potiretur, missus est Johannes Aucus, qui in Bononiensem ex Aretino transgressus, Regio, Parmensibusque etiam nihil pacatum relinquebat.

Dum hæc agerentur, Dux Bavariæ cum suis Germanis in Italiam venit. Quibus ex rebus Galeatius majori cura oppressus, Veronæ atque Vicentiæ timere cœpit, ne ab eo deficerent, ut fecerant Patavini. Hæ enim Civitates, præcipueque Verona, eorum antiquum dominatum optabant. Vicentia verò, quòd Antonius Scala diem suum obierat, id lentius agitabat. Quumque Stephanus Dux Bavariæ à Veronensibus accitus non apparuisset in tempore, Cives inter se divisi, nulla prius venia impetrata, pars Civium ad Galeatii favorem confugerat, cujus copiæ tunc in Cremonensi erant, ut Arcem Patavii opis indigam omni auxilio juvarent. Præerat his Galeatii copiis Ugolottus Blancardinus, qui accitus à Veronensibus his, quos dixi, Urbem ingressus, eam triduo diripuit; sævitumque acrius fuisset in Cives, ni

ni Galeatii uxor prohibuisset, quæ mota tantæ Urbis calamitate, mulier clemens & pia, à lacrymis non temperavit. Post hæc Bavariæ Dux, dum Francisco Carrario apud Arcem expugnandam adesset, causatus in Florentinos stipem sibi promissam non solutam integre, in Germaniam redire cupiens, Oratores suos Florentiam misit, excusatum tarditatem sui adventus, & pecunias exposcens, nec recedendum ab obsidione Arcis Patavinæ. Id omne quum Florentini negassent, nec pervincere potuerint, ne Carrarius sine præsidio foret, permiserunt, ut in obsidione Arcis perstaret. Sed tamdem indignatus pecunias sibi non solvi, in Germaniam rediit. Hæc res effecit, ut qui cum Johanne Aucus duces equitum erant, etiam ipsi plus solito pecunias exposcerent; & non datis, cum eorum duce in Bononiensem rediere, quippe qui paulo ante formidandi Galeatio fuerant, mox & ipsi formidarent. Quare factum est, ut Bononienses ad Florentinos Oratores miserint cum mandatis, ut ab his & pecunias & auxilia postularent, vel saltem pecunias mutuo exposcentes, quum Populum cogere suum ad solutionem non possent, & pacem eis à Galeatio oblatam magnopere Bononienses appeterent. Ad hæc Florentini respondent, cogitare eos debere, quantis fuerint sumtibus implicati, quum per sex antea menses ad eam usque diem dederint eo in bello pro exsolvendis militibus aureorum decies centena & ducenta sexaginta sex millia. Scire se, Populum Bononiensem ægre soluturum. Sed meditari oportet, quemadmodum libertatem retinere velint; nam de pace eis à Mediolanensi oblata supervacuum est differere, quum sciant Galeatii mores, & nullum esse, cui fidem umquam servaverit. Bono eos animo & forti esse oportet, ne hostis jam eos defessos esse, & belli tœdere præsentiat. Exspectare se magnas ex Gallia copias, quibus non solùm resistere, sed etiam hostem aggredi poterunt. Hoc responso Bononienses excitati, & quod Urbem opulentissimam habebant, in societate perstiterunt. Quumque Florentini Patavino succurrere non possent, itineris difficultate, omni, quo possunt, studio Guidone Ravennate, & Ostasio sibi Albertum Ferrariensem conciliant, perque ejus agrum Aucus magna manu pervadens, Carrariensi adfuit opportune in recessu Ducis Bavariæ. Galeatius suis copiis Patavium adventabat, Arcique imminebat. Benedictus Decimus tertius per schisma Pontifex lectus post Clementem, Pontificatum tenuit annis quatuordecim. Ladislaus Caroli Regis filius hoc Anno ab Angelo Acciajolo Pontificis Legato à quibusdam coronatus asseritur Regni Hierusalem Hungariæ, & Siciliæ. Eodem tempore Johannes Aucus quum vastaturus agrum Veronensem, & Vicentinum esset ingressus, nilque ab his Civitatibus moveri vidisset, orta ab Astorgio Faventino in suis castris seditione, recessit, & Paduæ in hibernis concessit.

Anno salutis 1391. Jam Jacobus Armeniaci Comes post multa impedimenta, quæ in transitu Alpium susceperat, tamdem cum legatis Florentinorum, & iis, qui stipem ad eum detulerant, in Italiam descenderat. Galeatius per legatos suos cum Gallis egerat, ut iter suum impediretur, ac etiam om-

A nis sui exercitus robur Armeniaco opposuit. Hac occasione data, quod Galeatius tantum ad custodiam equitum in Civitatibus reliquerat, quantum sat erat ad eas defendendas, Aucus ingressus fines hostium, ad Brixiensem usque agrum populabundus accesserat. Ad flumen Adduam castrametatus consedit, ubi Gallorum adventum lætus exspectabat. Sed Galli relicto Pado à sinistra, per citeriorem Lombardiæ partem profecti sunt. Fuisse in eorum exercitu quindecim equitum millia perhibetur, peditum verò & lixarum magnum numerum. Galeatius omnem optimum equitatum Alexandriæ continebat, &

B Ducum optimum quemque. Cum Gallis erant viri duo ex nobilitate Florentinorum Oratores egregii, Raynaldus Gianfigliaccius, & Johannes Riccius equites, qui & consilio & auctoritate pugnam dissuadebant, suadebantque ut Mediolano appropinquaret. Johannem Aucum ibi esse, & eos præstolari, dicentes certissimam victoriam reportaturos. Galli ferocius agendum, rati juxta eorum naturam, superbique, ne socium tam speratæ victoriæ haberent, laudisque participem, expugnato Castellaccio, quod sex millia passuum ab Alexandria distabat, pugnæ cupidi, ad ipsam Alexandriam expugnandam pergunt. Ea forte die, qua Alexandriam perrexere, calor immensus VIII. Kalendas Augusti erat.

C Galeatii equites intra mœnia armis instructi se continebant, occasionem rei bene gerendæ exspectantes. Galli itinere & æstu fatigati, ex equis descendentes, instructi, paratique ad pugnam processere, profectò victuri, si lacertis tantummodo pugnaretur. Reliquerant etiam post se equos, quibus fuerant advecti. At verò Galeatii Duces, ut hanc hostium temeritatem vidêre, emissis per aliam portam, quàm occultissime poterant, equitibus, ad equos hostium ex improviso accessere, invaduntque custodes equorum, profligant, occiduntque, atque magna ex parte illos captos Alexandriam perduxere. Moxque

D adorti ex lateribus Gallorum aciem, iniquum eis certamen relinquebant. Quod si Galli conglobati audacius adoriebantur, illi fugiebant, moxque revertentes conglobati, Gallos sparsim redeuntes obtruncabant. Quumque per hunc modum Gallos aliquamdiu fugassent, tamdem defessos calore & lassitudine superarunt. Capti & occisi ferme omnes, Duxque ipse Jacobus captus, & ex vulnere, quod eo prœlio susceperat, insequenti nocte mortuus est. Legati etiam Florentinorum ea die capti sunt. Hæc fuit insignis Galeatii victoria, quæ res suas ancipiti casu laborantes omnibus periculis eripuit, eique victoriam præbuit. Secundùm hanc pugnam duces

E exercitus Galeatii ea victoria elati, suos ad reliquas hostium copias profligandas, quæ apud Abduam erant, perrexere. Aucus quum adventare hostes vidisset, ad Paternum oppidum, quod in Cremonensi est, se se recepit. Ab eo loco hostes mille & quingentis passibus fere castra locant prope rivum arbustis consitum, qui utrorumque castrorum spatia dividebat. Inde rivum aliquando transgressi, ad portas castrorum se præsentabant. Aucus autem pugnandi copiam non facere, seque intra munimenta continebat. Quatriduo sic factum est. Tamdem quinta die Aucus, impetu in hostem facto, fugavit,

trans rivum. Capti tunc è Galeatii exercitu duces copiarum aliqui, & equites mille quingenti. Inde Aucus movens, relicto vexillo in castris, hostes fefellit, seque in Patavino recepit, amissis ferme omnibus peditibus, & equitibus aliquot, qui itinere longiori defessi sequi non poterant.

Dum hæc in Gallia Cisalpina apud Alexandriam gerebantur, Senenses majorem in modum crebra mutatione castrorum inopia rei frumentariæ laborabant. Prœlia aliquot levia ab utraque parte commissa, & Cives aliqui Senenses capti. Quumque is status apud Senenses esset, Florentiæ nuntiatum est, Gallos apud Alexandriam penitus fuisse deletos, alterumque exercitum, qui auspicio Aucus ducebatur, obsessum, & fugiendi nullam spem superesse. His nuntiis perculsa Civitas, occidisse jam eorum statum multi dicebant, nec putare, se rebus tam prospere gestis Galeatium quieturum. Nondum his rumoribus quietis, alii supervenere nuntii, asserentes, Gallos tantummodo superatos, Aucum verò cum exercitu magno astu venire in agrum Patavinum, & paucis amissis incolumem esse. Hoc nuntio erecti paululum Civium animi, iterum se bello paravere, revocandumque Aucum in Etruriam statuerunt; consulturosque eum, quibus rationibus bellum administrandum foret, si Galeatius descenderet in Tusciam. Hæc dum Florentiæ agebantur, Jacobus Vermes unus ex Galeatii ducibus missus est cum equitibus, ut Senensibus esset præsidio, ac etiam Florentinorum agrum, quoad possent, popularentur. Erant sub hoc duce duodecim millia equitum, & quatuor millia peditum. Superatoque Apennino per Lucensem agrum Pisanum ingressus est. Aucus ut vidit tantum equitatum jam descendere in Etruriam, & ipse ex Bononiensi in Etruriam venit. Dux verò hostium ex Pisano per Volaterranum agrum juxta Senensium fines constitit. Aucus autem non prius quievit, quàm in Miniatensi consistit. Dux hostium adjunctis sibi Senensium copiis, apud Bones castrametatus est. Duces verò Florentinorum circum ea loca, quod equitibus pares hostium erant, per oppida opportuna suos partiti fuerant, ut tutiores se redderent. Paucis post diebus Jacobus Vermes castra movit, & agmine instructo sub Certaldo progressus consedit. Altera die, quò facilius sibi commeatus subministrarentur, sub Miniate oppido castrametati sunt. Aliquot ibi diebus stativa habita. Deinde transgressi Arnum, in agrum Pistoriensem venere. Casule expugnato consistunt. Aucus per Signæ Pontem & ipse Titianum pervenit, & juxta oppidi mœnia consedit, duobus millibus passuum à castris hostium remotus. Jam duo millia equitum à Bononiensibus missa, Florentinorum castris se adjunxerant. Præerat his Johannes Barbiani Comes. Et ex agro Aretino & Mucellano peditum multitudo ingens accesserat. Jamque pugnam non recusabant. Hostes commeatus inopia ad Vitolinum se duxerunt, superatoque colle in Vallem Nebulam descenderunt, relinquentes in saltu alam equitum, ne quid in descensu impedimenti jumenta haberent. Florentinorum duces raptim arma capere adhortati, illos invadunt. Aucus huic temerario impetui non assentiebatur, & non invadendum censebat, asserens, satis superque satis hostes fugere (sive ea fuga ficta sit, sive vera) non esse ad nutum hostium in aciem prodeundum. Missi ergo exploratores undique, quum paucos in saltu equites relictos ab hoste nuntiarent, prœlium commissum est. Descendentibusque illis, & Florentinorum copiis abundantibus, post acrem pugnam in fugam versi, captique ducenti equites, in queis Thaddæus Vermes ducis hostium propinquus, & Vannes Appianus Pisanus, Gentilisque Veranus, & pedites trecenti. Hac victoria elati castra hostium invadere animus erat. Itaque improvide ruentes, in aciem hostium instructam paratamque inciderunt, pluresque ex Florentinorum equitibus capti. Prope æqua victoria ab utrisque pugnatum ea die est. Die insequenti Vermes cum exercitu in Lucensem agrum pervenit. Deinde ex Lucensi & Pisano plures excursiones in agrum Florentinorum fecere. Ob eam rem Florentini, qui existimarant hostem abiturum, suorumque auxilia dimiserant, illico revocarunt. Hæc quamquam inter istos duces gerebantur, Florentini in agro Aretino obsidebant Rallam, quod oppidum ab agnatis Sacconis tenebatur. Sed ea obsidio in irritum cessit propter inducias factas, quæ pro pace tractanda habitæ erant, & quod jam hyems adventabat. Dum hæc in Etruria gerebantur, Loisius Secundus Andegavensium Dux Mense Sextili Massilia solvens cum navibus novem, & triremibus viginti & una Neapolim appulit. Sequutæ sunt eum naves aliquot onerariæ, machinis bellicis & frumento onustæ. Ingressus Urbem magna cum pompa à Neapolitanis exceptus est; pluresque Nobiles insignibus Militaribus donati fuerunt. Deinde VI. Kalendas Octobris omnis multitudo Nobilium, popularesque omnes in sua verba jurarunt. Ea etiam die Roccasicca ad Ludovicum defecit, & Mangonius factus est Regni Justitiarius.

Anno Salutis 1392. VI. Kalendas Februarii, prodigia multa in Regno apparuere. Nam in litore Neapolitano mirum in modum, exsiccatis amplius quadraginta passibus aquis, litus apparuit, & mare se in suas cavernas contraxit. In Lucanis verò mulier infantem cum duobus capitibus peperit, & Aversæ sus nata est cum pedibus octo & duobus capitibus. Idem in Calabria factum nuntiatum est. Octavo Idus Martii Præfectus Arcis Novæ, qui pro Ladislao illam susceperat, fame compulsus, Loisio se se dedit, Cajetamque ad Ladislaum venit, à quo benigne susceptus est. Et quarto Nonas Junii Puteolani immutata voluntate se Ladislao dedere. Nec minus interea per totum Regnum bellum segnius gerebatur, quàm aliis temporibus solitum esset. Namque ea tempestate aliquot Regni Duces aut metus aut pudor coëgerat in suspenso perstare, belli exitum exspectantes. In his Raymundus Ursinus Nolæ Comes, Comes item Venusinus, qui postea pridie Calendas Decembris ad Loisium se contulit. Ceterum Raymundus per ea tempora tutelam Francisci Bautii gerebat. Is erat pater Guillielmi Ducis Andriæ, quam tutelam patre defuncto susceperat, & ab eo prius adoptatus patre vivente fuerat, & in præmium adoptionis Soleti Comita-

mitatum acceperat, & Francisci Oppida, & in familia Bautiorum assumtus est, Raymundo patre invito. Deinde Mariam sibi matrimonio copulavit, quæ postea Ladislao nupsit. Hæc Petro fratre mortuo Licii Comitatum suscepit. Nec multo post Dux Venusinus sua possessione à Loisio deturbatus, Melfiæ Ducatum suscepit. Jam Ladislaus nonum annum attigerat, & matre suadente contra hostes se parat. Prima ejus expeditio contra Thomasium Marzanum Suessæ Ducem, quem brevì in suas partes adtraxit. Deinde misit Albericum Barbiani Comitem, qui ad ejus stipendia militabat, contra Ducem Venusinorum. Ipse verò Rex Cajetam rediit. Venusinus enim apud Montem Corvinum in agro Salernitano consedebat cum Ladislao Sanseverino. Commisso prœlio ab Alberico fugantur, & Mons Corvinus direptus est. Jamque erant in Ladislai partibus Thomasius Marzanus Regni admiratus, ejus frater Alifii Comes, Jacobus Stendardus Comes Mirabellæ, Loisius Campanus, Oddobus sive Christophorus Cajetanus. Hi omnes undecim millia equitum, & octomillia peditum effecerunt, cum quibus bellum contra hostes gerebant, multosque Regni proceres in Ladislai partes attraxerant. In Gallia quoque transalpina res turbulentæ erant, Anglis Regem Galliæ opprimentibus, & commisso inter eos prœlio, utraque pars cruento marte discesserat. Ultimo autem prœlio triginta octo millia hominum ex utroque exercitu cæsa fuisse relatum est, Rege Galliæ in dies Regnum amittente. Ea tempestate Petrus Gambacurta vir humanus, pacis, & tranquillitatis cultor, quum scribam haberet Jacobum Appianum, vili loco & gente natum, quem literis erudiri fecerat, ad idque favoris extulerat, ut is solus pæne esset, cujus consilio Pisæ regerentur, cum nonnullis Raspantæ factionis Dominum & benefactorem suum obtruncat; & Laurentium ejus filium fugere conantem similiter interemere. Hoc Anno Clemens VII. moritur, cui ab altero Patrum concilio suffectus est Petrus Luna, qui Benedictus XIII. nuncupatus est. Hic item non rite electus est. Ladislai Duces Stephanum Sanseverinum Materæ Comitem expugnantes, in Ladislai partes attraxere. Hac victoria elati, in Calabriam profecti, quum per difficillimos saltus transeundum esset, à ceteris Sanseverinæ familiæ adorti, fugati sunt, ad extremum capti omnes. In his & Oddo . . . . qui postea vigintiquinque millibus aureorum exsolutis, vinculis liberatur, proque his exsolvendis Raymundo Ursino Acerras pignori dedit. His solutis Tarentum se contulit. Albericus vero Cunii Comes decem millibus aureis exsolutis ita demum juramento dimissus est, si per decennium Andegavensibus in toto Regno non obstaret, nec contra eos bellum gereret. Similiter ceteri captivi ea lege dimissi sunt, quam omnes servavere. Hac lege ex Regno excessit, Galeatii stipendio militaturus.

Eo item Anno Manfredus Claramontes in Sicilia moritur, cujus morte Ladislaus Romam profectus, à Pontifice impetravit, ut Constantiæ Claramontis filiæ matrimonium, quod ætate non legitima contraxerat, dissolvi posset. Missus ob eam rem Cajetanus Cardinalis Florentinus, qui Constantiæ annulum à Ladislao in matrimonii fidem impositum detraxit, matrimoniumque dissolvit. Illa tam infide repudiata, ad suos in Siciliam rediit. Post hæc Ladislaus in Aprutios profectus, Aquilanos ad suas partes attraxit. Nicolaum Ursinum Muropellæ Comitem resistere conantem expugnat, captumque Cajetam carceri trusit. Deinde Capuam reversus, veneno per fraudem sibi propinato, bona medicorum cura evasit. Ea tempestate Antonius Adurnius Genuensium Dux, quum adversariorum potentiæ resistere non fideret, Civitatem fidei suæ commissam Carolo Gallorum Regi vendidit, à quo postea Bucicaldus quidam vir crudelis Civitati præficitur. Hic per sex & decem annos, quibus illi præfuit, multa fœda crudelia patravit. Nam inter ceteros, quos variè occidi fecerat, octoginta Nobiles Spinolæ gentis securi percussit. Eisdem temporibus barbari ex Africa solventes, Terracinæ suburbium depopulantur, in quo centum quinquaginta viri capti sunt, præter mulieres & infantes. Circæum oppugnare conati, repulsi sunt. Deinde Cajetanum agrum depopulati, magna præda inde parta in Africam rediere. Paucis ante mensibus Legato Pontificis, & Riccardo Caracciolo Rhodiorum Magistro, & Antonio Adurno adhuc Genuæ imperitanti, pax inter Florentinos & Johannem Galeatium firmata est, his legibus, quod Patavium & ejus Civitas & ager ita demum Francisco Carrario cederet, si Mediolanensi penderet quingenta Florenorum millia in annis quinquaginta, videlicet annis singulis decem millia. De patris autem liberatione nihil expresse actum, quòd sperabant liberalitate Galeatii remittendum ad suos. Præterea quod Arces & Castella tam Florentinorum, quam Sacconis filiorum, & Senensium hinc inde ablata restituerentur præter Lucinianum, quod Senensium esset, utque Senensium exules suarum possessionum fructus acciperent. Insuper ne Galeatius exercitus aliquos ultra flumen Frigolum versus Tusciam haberet, nisi Florentini Senensibus & Perusinis & eorum complicibus bellum moverent. Quum autem de obsidibus pacis servandæ expostulatum esset, Guido Thommasius unus ex Legatis Florentinorum respondit: *Ensis pro omnibus fidejussor sit*; idque omnibus placuit. Eodem Anno Boldrinus armorum dux invitatus ad cœnam à Marchione Piceni, Bonifacii Pontificis fratre, interfectus est. Ob eam rem sui complures postea Bonifacio adhærentes interfecere. Cives Urbis-veteris eo Anno Dominos suos expulere. Hi erant Rodulphi Varanensis nepotes. Spoletum eo Anno in potestatem Pontificis redactum est. Carolus V. Francorum Rex moritur, & in ejus locum successit Carolus VI. vir omnibus præferendus, roboris magnitudine præclarus, una in pugna triginta millia hostium fudit. Deinde potione amatoria in tantam prorupit insaniam, ut amentissimus factus sit. Divisum ob eam causam Regnum. Quum plures sibi ejus tutelam expostularent, in primisque ipsius Regis frater, qui Dux Aureliæ erat, ob id aliis quampluribus indignantibus, tamdem in cœna obtruncatur à fratre Ducis Burgundiæ. Ob quæ vindicanda plures proce-

ceres Regni arma capere. Alii factum defendere quum conarentur, totum Regnum pæne subversum est. Suspicio ingens belli Florentiæ exorta, totam Urbem exagitabat. Cautum fuerat inter cetera, ne cujusquam equites aut pedites militantes arcerentur, ne dimissi, ad prædas agendas coirent, id facile rati, si paulatim dimitterentur, & si idoneos Duces quisque ad se retineret. Jamque Galeatius nonnullos ex suis dimiserat, quòd iter & transitum tutum à Ferrariensibus & Bononiensibus postularant; quod si negaretur, vi & armis transituros ajebant. Hac re perculsi Florentinorum animi veriti, ne à Mediolanensi alio nomine eis, aut sociis bellum inferretur. Id quum à Bononiensibus denegaretur, Florentini suas copias eo immiserunt; literæque ad Galeatium missæ pro observatione conventorum. Interea ductores illi, quum transitus denegaretur, per agrum Parmensem in Hetruriam tetenderunt. Inde per Lucenses in Pisanum & in fines Senensium devenere. Inde in Picentibus, diversis itineribus, latronum magnum numerum effecere. Unde magna coacta manu in Hetruriam se se reversuros minitabantur, ut liberas Civitates ad sui redemtionem compellerent. Accedebant ad metum Florentinorum exaugendum Senensium odia, & quod Florentinorum Legatis, qui olim apud Alexandriam capti fuerant, pecuniæ redemtionis auctæ, & carceris obscuritas, & quod Franciscum seniorem Carrariæ Dominum Galeatius non remiserat, & exules Patavinos post pacem in dies magis amplectebatur. Ob quam belli suspicionem Florentini cum veteribus sociis fœdus renovarunt. In quo fœdere fuere Franciscus Patavinus, Florentini, & Bononienses. In eo inter cetera cautum est, ut quæque Civitas aut Principes, qui ratum fœdus esse cuperet, adscriberetur. Ex quo Mantuanus non multo post socius ipsorum factus est. Hæc Galeatius non laturum se asseverabat, Florentinos non pacem quæsituros, sed bellum querebatur. Itaque priusquam apertè quicquam moliretur, placuit Legatos suos Florentiam mittere, hanc injuriam exposituros, qui ferme hujusmodi orationem Florentiæ apud Magistratum habuere.

Primùm omnium optimam sui Principis voluntatem pacis servandæ exposuerunt, cujus præcipue id signum evidens esset, quod quum Florentini universam pæne Italiam & insuper Galliam & Alamanniam concitassent, coëgerunt etiam eum, rebus suis (ut par erat) providere, sumtusque maximos facere in cogendis exercitibus, quibus se se & sua tutari potuisset. Et quum Omnipotentis Dei voluntate pax sequuta esset, idoneum sibi visum esse, tot tantisque suis expensis aliqua ex parte finem imponere. Dimisisseque se aliquot ex suis ducibus cum ob eam rem, ut sumtui parceret, tum etiam ut omnis Italia certior esset, se non bellum alicui inferre velle, sed paci & tranquillitati studere, suspicionesque omnes ex mente omnium tollere; & si aliquæ superessent Populo Florentino, paratos se esse, illis taliter responsuros, ut intelligant, non culpa Mediolanensis, sed ipsorum, id accidere, quos ægre ferre pacis leges acceperit. Quum de suspicione belli expostularent, quam haberent, nec Florentini ad particularia responderent, aut caussam aliquam afferrent, alter Legatorum inquit: *Tria comperta habet Dominus noster, propter quæ tam vehemens belli suspicio exorta sit. Primum, vobis esse duces à se dimissos. Secundum, Senensium odium erga vos. Tertium, quod Franciscus Senior & Legati non relaxentur. His nos satis facturos putamus. Ex omni ducum exercitus numero, quos Dominus noster bello fervente habuerat, duo, Brachas & Brandolinus ex his dimissi sunt, ut sumtui parceret; tertium Biordum Perusinum tum ob eam, quam diximus causam, tum etiam Pontifice postulante; cui etiam Bononienses socii vestri, Pontifice exoptante, liberum iter concessere; de qua nulla justa querela vobis esse potest. Quod autem alii in Piceno redierint, unde eos evocaveram, quid ad me, minusque ad vos? Neque enim quod exercitum latrocinii caussa cogant, etiamsi vellet, id prohibere posset. Nam quod minitantur, se multa facturos, non existimare se id posse contra vos quidquam, quum majori quàm ipsorum conatu opus esset. Scire se etiam ex iis, qui vobiscum militabant, in illorum societatem convenisse, nec propterea eo moveri. De Senensium autem odio nihil ad se attinet; se cohortatum illos, ut paci studerent, militesque, quos apud illos habebat, revocasse, quod eos duriores videbat, ne quid innovarent, & demtis viribus mitiores redderentur. De Francisco autem Carrario, & omnibus vestris hostiliter captis, nihil de his contra fœdus à se fieri*; verbaque fœderis in testimonium recitarunt. Rinaldum Gianfiliatium humane remissum, Johannem Riccium in posse durioris venisse militis, cui jure vim afferre non posset, nec cogere ad relaxandum principem ipsorum. *Majores suspicionis caussas posse (si vellet) de vobis habere, quod Mantuanum sibi finitimum in societate accepistis. Quod fœdus tanta cura renovastis; quod milites conscripsistis. Tamen se ob id nullas de vobis capere suspiciones.* Orare eos, ut paci & tranquillitati operam darent. Hæc postquam Florentiæ nuntiata sunt, placuit Legatos ad Galeatium mittere, Rinaldum Gianfiliatium, Philippum Adimarium, & Guidonem Thommasium, asserentes, nullam suspicionem de se habere; mirari unde id compertum haberet, & quod numquam quisquam horum Legatorum tale quid in mandatis habuerit; putare se, illum paci operam dare. De Mantuano autem non novam cum eo amicitiam contraxisse, sed veterem renovasse. In fœdere autem renovato præcipue cautum, ne quid hostile fiat, sed ut paci & tranquillitati quisque operam daret. Eodem Anno Bonifacius Papa pacem cum Perusinis firmat, Perusiumque profectus, orto tumultu in Civitate, Arnolphum Pontificis Præfectum è civitate ejecerunt, & tumultus eo pulso quievit. Galeatius tamen eo ferme tempore, quo acceperat Mantuanum à Florentinis in societatem adscitum, existimans id totum Florentinorum consilio fieri, par pari referre cogitans, Jacobum Appianum omnibus, quibus poterat, modis sibi conciliaverat; tantique ipsius hominis gratiam fecerat, ut Johannem Riccium, quem captum supra dixeramus, Appiano dederit, ut filium Vannem, quem in agro Pistoriensi memoravimus captum, cum Johanne Riccio permutaret. Quæ res caussa fuit facinoris contra Petrum Gambacurtam maturandi.

Vo-

Volebat enim Galeatius in sinu prope Florentinorum aliam Urbem habere, ut & illi Mantuanum imperio suo finitimum. Et quamquam pax esset, tamen infida ab utrisque existimabatur. Eodem Anno jam Albericus Cunii Comes ex regno Neapolitano profectus in Hetruriam venerat, exercitumque cogebat. Nam post pugnam in Calabria male habitam sui ferme sine equitibus, & rerum inopia coacti eum sequebantur. Itaque complures etiam militiæ doctos sibi adsciverat, in quibus erat Hestor Vicecomes, Tarantola, Scorpius, Johanninus Lucensis, Sfortia, Michelettus, & Bosius Attendoli, qui cum Sfortia militaverant annis fere duobus cum Alberto Marchione Ferrariensium, ut suo loco dicemus.

Anno 1393. paululum Hetruria quievit à bellis. Eodem Anno Johannes Aucus Florentiæ moritur, honorificeque statua loricata ex militiæ more sepultus est in Ecclesia Cathedrali. Romani coacta suorum magna manu, contra Johannem Sciarram Viterbii imperitantem euntes, ab equitibus Brettonum invasi, se se tam magnis animis defenderunt, ut Brettones fugarent; deinde Viterbii castrametati sunt. Præerant ea tempestate Brittones Montisfalisco, & in dies contra Romanos excursiones factæ. Tandem Pontifice intermedio Johannes dominio amisso, Pontifex Romanorum voluntate Præfectus Viterbiensium factus est. Romani deinde Romam redierunt. Albertus Ferrariæ Dominus ea tempestate moritur, & Nicolaus ejus filius paucos natus annos ei successit in omni suo imperio. Perusini eo Anno multis fœdis & crudelibus seditionibus se interemerunt, ita ut pæne ea Civitas sine cultoribus remanserit, altera factionum, modò altera invadente, mox hac illam cædente. Antonius Adornus à Spinolis adjutus Genuæ Ducatum sibi adscivit, amoto ab eo Antonio Montalto. In Piceno quoque motus erant. Nam frater Bonifacii Pontificis castra habebat in agro Corneti. Gentilis Varanus ejus loci Dominus, accersito Biordio Perusino, per arcem Castelli, quod obsidebatur, ingressus fratrem Pontificis cepit: deinde plura Piceni agri Castella, Civitatesque eorum ditionis.

Anno 1394. Ladislaus Neapolitanorum Rex cum equitibus quatuor millibus, & sex millibus peditibus Neapolim obsedit. Deinde accito Bracha Viterbiensi, qui equites sexcentos habebat, ex alia parte Urbem circuibat. Quumque stativa per mensem habuisset, nilque proficeret, inde discessit, Cajetamque rediit. Eodem Anno Thomasius Dux Venusinus Ladislao infensus, quum minui in dies vim Andegavensium intelligeret, persuadet Loisio Andegavensi, ut sibi matrimonio copulet Margaritam Thommasii Marzani filiam, formâ excellentissimâ omnium: quæ etiam opibus pollebat. Ea re sequuta Thommasius à Ladislao defecit. Cui quum Loisius mille misisset equites, agrum Campanum ex Suessa infestabat, nihilque in ea regione pacati relinquebat. Hoc etiam Anno magni motus in tota pæne Italia facti sunt. Nam mortuo Alberto Ferrariensium Duce, cui Nicolaus successerat, Azzius, qui ex eadem erat familia, suspectus Alberto, & deinde Nicolao, ob imperium Ferrariæ affectatum, Venetiis in exilium datus est, moxque Florentiam venit, ubi à nonnullis adjutus, ardens cupiditate regnandi, clam Florentia abiens, in Flaminiam se contulit, & in Ravennati, deinde in Mutinensi agro cuncta ab amicis adjutus subvertit. Hi Azzio favebant exposcenti Nicolai tutelam. Deinde Foroliviensesʼ & Johannes Barbiani Comes, qui magnum equitatum ducebat, Azzium domi acceperat, enixeque juvabat. Ex quo plures Oppidorum defectiones ab ea regione sequutæ sunt. Sed in Mutinensi alia manus valida, quibus Philippus, & Maraboldus Pisani præerant, freti accolarum favore, & ipsi plurima Oppida à Nicolao alienarunt. Alia deinde equitum manus in Hetruria, ducibus Broglia & Brandolino, Gorgonsam Aretini agri furto occupaverant, unde plures inde excursiones factæ Aretii & circum ea loca. Ob eam rem Decemviros, qui curam belli Florentiæ ob pacem sequutam intermissi fuerant, creari placuit. Hi equites contra Brogliam miserunt, ut à populationibus eum arcerent, aliamque equitum manum Conrado duce Ferrariam miserunt. Existimabant enim id bellum à Galeatio machinatum. Nam qui Gorgonsiam occupaverant, ab eo paulo ante dimissi fuerant, & à Senensibus suis amicis commeatu & ceteris rebus necessariis juvabantur. Azzium verò nequaquam per se potuisse aggredi Ferrariensem putabant. Huic bello Florentini omnibus modis intenti. Bononienses verò metu perterriti, aut Azzi amicitiâ permoti, nil movebant. Eodem tempore Legati Imperatoris Patavium, & deinde Mantuam venerunt; referuntque se intellexisse bellum, quod haud dubie imminebat, retenturum omnino & Mediolanensis potentiam coërciturum, dummodo cum Vincislao eorum Domino, qui non solùm Imperator erat, sed etiam Boëmiæ Rex, fœdus percuterent. Ad hæc Legatorum dicta Patavinus & Mantuanus inclinabantur. Florentini verò has pollicitationes omnino rejiciendas putabant, asserentes, periculosum esse, ad Galeatii potentiam refrænandam alium potentiorem in Italiam superinducere. Hoc consilium ut tutius videbatur. Responsum est Oratoribus, Galeatium paci studere: nec dum bellum contra eos motum; quod si fieret, tunc eos suis pollicitationibus esse usuros. Post hæc dicta Legati ad Regem Galliæ Carolum profecti sunt, eadem ferme postulantes, existimantes se posse illius amicitiâ Galeatii dominium sibi subjicere. Re tamen infecta Legati ad Imperatorem rediere. Eo item Anno Narnium à Johanne Theutonico copiarum Duce earum, quæ per Italiam vagabantur, direptum est; & paulo post equites Pontificis, qui per arcem intromissi in Civitatem fuerant, quod reliqui miseris civibus superfuerat, abraserunt. Hæ latronum manus per Picenum, Ducatumque Spoletanum, atque Flaminiam plures excursiones fecere. Carolus Gallorum Rex quum Genuenses bello vellet sibi subjicere, quos ab Antonio Adurno emerat, Oratores Florentiam misit, ne id eos moveret, neve suspicionem aliquam ea de caussa sumerent. Orare tantummodo & petere à Florentino Populo, ne illi se opponant, neve Genuenses aliquo prosequantur favore. Ad hæc

quum

quum benignum accepissent responsum, ad Regem suum rediere.

Anno salutis 1395. Tamburlanus, vir pastioni pecudum antea deditus, coacta magna latronum manu, adeò felici sidere natus est, ut Tartarorum regnum occupaverit. Deinde bellum intulit Amoratio Baisetto Turcarum Regi, eumque prœlio fudit, cepitque, captum catenâ aureâ, quacumque incederet asportabat. Cujus rei desperatione Amoratius quum non posset aliter mortis viam sibi adsciscere, inediâ periit. Fuisse in exercitu Tamburlani sexcenta millia hominum perhibetur. Cum his postea Damascum vi cepit. Jamque Asiam omnem sibi subjecerat, subacturusque Orbem terræ tantis copiis videbatur, nisi adversa valetudine impeditus, diem clausisset extremum. Per ea tempora Constantia Claramontes, quam à Ladislao repudiatam diximus, nupsit Andreæ Loisii Capuani filio, qui postea patre mortuo Comes Altævillæ fuit. Dicitque Andreæ viro suo, se beatum, quum pellicem ceperit Regis uxorem. In Ferrariensi quoque magni motus erant, & in Aretino agro. Nam hæ copiæ, quas supra diximus Gorgonsiam occupasse, cuncta populabantur, infestamque omnem regionem reddebant, nunc cædibus perpetratis, nunc rapinis atque incendio villarum. In Ferrariensi autem Azzius, & Johannes Barbianus omnia populabantur, & infesta reddebant. Galeatius autem, quum ad majora animum erexisset, & iis egeret copiis, quæ Gorgonsiam occupabant, illis ad se evocatis, auctor fuit, ut id oppidum certâ exsolutâ pecuniâ Florentinis restitueretur. Bellum autem Ferrariense acrius incalebat; quod non solùm vi, sed astu etiam gerebatur. Barbianus enim magna mercede pactus Azzium interficere, quum quemdam illi similem occidisset, mercedem pactam accepit, & duo insuper Nicolai Castella Lugum & Consilicem. His acceptis deinde Azzium, quem ex industria in occulto locaverat, maximo risu in equitum conspectum adduxit: qua ex re plurima Oppida à Nicolao defecerunt. Et Azzius, quum multitudo rusticorum arma sumsisset eorum, qui in Ferrariensi erant, Padum transierat, illorum favore fretus, se illis admiscuit. Faventinus autem Asturgius id intelligens, adjutus ab equitibus Florentinorum, qui mille ducenti fuere, & ipse Padum navibus trajecit, repenteque Azzium & suos aggressus, illos fugavit, & Azzius captus est à Conrado Florentinorum equitum duce, & Faventiæ carceri trusus. Post Azzium captum, etsi ejus nomine à Mutinensi bellum perstabat, tamen Florentinorum copiæ Barbianum obsederunt, quod ille quum infensi Florentini illi persuadere niterentur, ne Nicolao Estensi bellum inferret, respondisse fertur legatis: *Quæ vestra arrogantia est, ô Florentini, quum velitis omnibus Italiæ Populis legem imponere, nec crepitum aliquem fieri, sine vestro assensu? Quidquid in Tuscia, in Gallia, & Flaminia, aut Piceno emergit, ad vos attinere dicitis. Omnium tutores esse vultis. Azzio vobis amico bellum indixistis. Mihi quoque, qui illius justam caussam juvare conabar, infensi estis. Ite, & me in fines vestros cum meo exercitu exspectate.* Hæc verba animos Florentinorum accenderant. Immissæ etiam Astorgii & Nicolai contra eum copiæ, intra fines suos continuerunt. Hac re indignati Bononienses, quod Florentini tam prope etiam Barbiani Oppida expugnare conarentur, palam questi sunt, Johannique favebant. Hæc res Ravennates quoque & Imolenses ad favorem Johanni præstandum adtraxit. Erat ea tempestate Albericus Cunii Comes ductor copiarum Galeatii, vir egregius, & rei militaris peritissimus. Qui quum videret Johannem opprimi à Florentinis, & sua Castella vastari, petiit à Galeatio paucorum mensium missionem, ut Johanni opem afferret. Galeatius id Florentinis denuntiat. Albericum rem justam expostulare. Proinde ab armis discedant: qui si aliter fecerint, se illi opem laturum, ut ex conventione, quam cum Alberico firmarat, ante promiserat. Florentini hoc metu obsidionem deserunt, & ab armis discedunt. Hæ Florentinorum copiæ, postquam Barbiano discesserant, Castra circum posita obsedere. Quæ res tum Bononienses, tum etiam omnes Flaminiæ Civitates, præter Faventinos, à Florentinis alienavit. Quare magna coacta multitudine Florentini obsidionem relinquere sunt coacti. Jacobus Appianus eos equites, qui Gorgonsium occupaverant, in agrum Lucensem evocavit, cupiens illius Civitatis dominium sibi vindicare. Hæc quum Florentiæ nuntiarentur, statim quidquid roboris equitum Florentiæ erat, Pisciam immissum; legatisque mandatum, ut Lucenses ad libertatem servandam hortarentur, cum hisque equitibus omni ope Lucenses juvarent. Quod quum fieret, hostes Pisas redierunt. Galeatius eo Anno titulum Ducatus ab Imperatore Romano suscepit, quum prius Comes Virtutum diceretur, idque per totam Hetruriam vulgari fecit. Malatesta, suadente patre Pandulpho atque agnatis, Tudertum Pontifici Bonifacio restituit. Tudertini verò post hæc in Pontificis contemtum Biordio Perusino se dedere. Deinde Biordius Urbemveterem, & complura Pontificis Oppida suæ ditionis effecit. Rex Hungariæ eodem Anno cum Baisetto Moratti Regis Turcarum filio pluribus locis conflixit, cum utriusque partis cæde maxima tamdem certatum est. Caroli Regis Galliæ Oratores, & Regis Anglorum, multorumque Procerum, ad Benedictum Antipapam venere, invitantes eum ad renuntiandum, ut unio Ecclesiæ fieret. Qui respondit, se fore ad id paratum, dummodo prius Bonifacius Pontifex idem faceret. Eodem Anno Donatus Acciajolus Florentiæ omnium consensu facile princeps, vir in primis justus, reducere exules quum sua auctoritate tentaret, à suis adversariis inhibitus, tamdem in exilium datus est. Oberat huic homini nimia potentia, auctoritas, & animus, & in reprehendendo Cives errantes libertas. Ex quorum altero invidiam sibi comparaverat, ex altero odium. Nam qui legationis officio apud Florentinos fungebantur, domum ipsius frequentabant: quoniam omnes ad eum tamquam ad Civitatis patronum confugiebant. Quæ quidem res etsi sibi molesta, tamen inimici Dominum nuncupabant; quippe excellentia omnis in libera Civitate molesta habetur. Ita vir innocens patria caruit.

Principio Anni 1396. iidem exercitus duces,

tes, qui nuper Lucensem agrum invaserant, in Aretinum redeuntes, ad Aretii usque mœnia cuncta incendiis & populationibus devastarunt. Tamdem inter Cortonam & Aretium castra locaverunt, rapinis & cædibus omnia perturbantes. Major ex Romandiola multitudo ferebatur à Johanne Barbiano parari, & in societatem latrocinii coitura erat. Hi equites sex mille, & dux ipsorum magno odio Populo Florentino infestus, ingentem Florentinis terrorem injecerat. Florentini, ut erant parati, eos, qui intra suos fines erant, expulerunt. Qui verò cum Barbiano invasuri putabantur, accepta à Florentinis pecunia ad eos confluxere. In his fuit Ludovicus Cantellius, & Philippus Pisanus, qui equites millequingentos habebant. Sed Philippus, dum fugam meditabatur, à Barbiano præventus captus est. Ludovicus cum suo & Philippi equitatu ad Florentinos venit. Cum hoc equitatu, Florentinorum consilio, Ludovicus, & Antonius Obizzius, & Bartholomæus Pratensis icto fœdere, agrum Reginum, & Parmensem ingressi, cuncta populabantur. Galeatius hæc apud Florentinos queri. Cui responsum est, non militare illos Florentinorum stipendiis, sed eos tantummodo ad ea merenda obligasse, si ab iis requisiti essent. Interea illos sui juris esse; eodem illo jure, quo ipse Galeatius Brogliam, Brandolinumque, & Biordium sibi adsciverat. Post hæc ii duces domitis Nicolai Estensis aliquantisper rebellibus, in Hetruriam descenderunt, in Pisanum ingressi sunt, Gambacurtis auctoribus, & Comitibus Montis Scutarii. Sed Lucensium opera maxime se juvabant, Florentinis id Lucensibus suadentibus, qui Appiano infensi erant. Johannes Barbianus his auditis, in auxilium Pisanorum advenit, cujus iter per Urbinates, Perusinos, & Senenses fuit, & cum eo Lucensium exules, quorum princeps Nicolaus Diversus, Galeatio familiarissimus, habens equitatum non contemnendum. Horum metu Bartholomæus se in agro Lucensi recepit, & missi sunt à Florentinis equites Lucensibus opitulaturi, dummodo agrum Pisanum non ingrederentur. Pisani his aucti copiis ad Libramfractam castra habuerunt: Lucensis exercitus inter Lucam & Pisanorum castra consederat. Prœlia aliquot levia inter eos facta. Florentiæ ea tempestate nuntiatum est, Albericum Comitem, & Leonardum Malaspinam cum valida manu dimissos à Galeatio, in tutelam Pisanorum venire. Hoc metu Florentini inter Pisanos & Lucenses pacis ineundæ auctores fuere hac lege, ut Barbianensis copiæ intra decem dies ex Hetruria abirent, Pratensis & socii ex finibus Lucensium, neve bello Pisanos invaderent. Barbianensis quum in Gallia esset, Nicolao Estensi Florentinorum socio bellum intulit. Florentini ea de caussa exules Pisanos fovebant. Horum metu Appianus perterritus, non ultra ferendum ratus, excitat Galeatium jam id antea cupientem ad bellum contra Florentinos parandum. Magno consilio, & majori apparatu actum. Nam magni Duces Pisis pro eo bello gerendo convenere, Paulus Ursinus, Octobonus Parmensis, Ceccolinus Biordi frater, & paulo post Brolia. Hi omnes Hetrusci. Ex Gallia verò Johannes Barbiani Comes, Paulus item Sabellus, & Lucas Canale. Albericus Cunii Comes, dux militiæ, adventare post hæc nuntiabatur. Horum metu Florentiæ trepidari cœptum; & quas habebant copias, partitæ per eorum Oppida sunt. Venerunt per ea tempora ad Florentinorum stipendia Bernardonus Hispanus militiæ dux, & in Italia eruditus, habebatque secum equites sexcentos, peditesque ducentos. Hunc in Miniate Oppido & Fucecchio collocarunt. Auxiliariorum paucæ admodum copiæ, quòd suo quisque metu tenebatur. Interea Paulus Ursinus & Octobonus agrum Lucensem ingressi cum Johanne Barbianensi, Albericum Cunii Comitem magnas copias coacervantem præstolabantur, hostiliterque omnia pervadebant. Lucenses auxilia à Florentinis exposcunt. Missus Lucam Bernardonus cum his, quas in Miniati Oppido copiis habebat. Jacobus Appianus, ut vidit Florentinos bello Lucensi intentos, quod diu cum Benedicto Mangiadorio Miniatensi machinatus fuerat, nactus eam opportunitatem, conatus est Miniatenses ad suas partes attrahere, quòd illos ob fœdera Miniatensibus non servata infensos Populo Florentino existimabat, & illos res novas optare. Et quoniam res se obtulit (hæc egò à Bonincontrio Patre meo accepi, qui tunc in Miniate Oppido erat) ejus rei caussam paullo superius repetam.

Quum ob discordiam nostrorum Nobilium duæ essent factiones in Miniate Oppido, quarum altera Mangiadorii, altera Ciccionii dicebantur, Johannes Mangiadorius Eques, Benedicti pater, quum apud Bononienses militaret, nihilque ab adversa factione timeret, quòd jam obtruncari fecerat ante fores Ecclesiæ Cathedralis Rodulphum Ciccionium Equitem cum duobus filiis, pæne Dominus illius Oppidi factus est; nihilque fratrem Rodulphi timebat Ludovicum, quòd vir pacificus, & quod ab aliis Ciccionibus destitutus erat. Curam pæne omnem ad suos, & Benedictum filium reliquerat, qui tunc Pisanorum stipendio militabat. His sic existentibus, Philippus Magnanimus Scriba, & nonnulli Borromei Ludovicum ad ulciscendum sanguinem fratris excitarunt, quod hic Bonincontriis infensus, quòd filiam Ludovici Franciscam ipsius filio ante promissam, Ludovicus immutata voluntate, ut tute viveret, neve ut frater occideretur ab adversa factione, Nicolao Bonincontrio Avo meo desponsarat. Itaque nacti occasionem, & quòd Nicolaus cum Johanne Mangiadorio cædis Rodulphi & filiorum princeps fuerat, armis assumtis, Nicolai domum incenderunt. Ipse autem vix eorum impias manus effugit. Complures postea in exilium acti sunt. Hæc quum Johannes intellexisset, missione à Bononiensibus postulata, suis auxilio fuit. Castella omnia Miniatensis agri viginti octo per deditionem accepit, & exulibus sibi adjunctis Miniate Oppidum obsedit. Pisani contra Miniatensibus favebant. Qua ex re Mangiadorii à Florentinis certis legibus auxilia postularunt, in quibus præcipue cautum, ut Miniatenses libertate fruerentur, sociique Florentinorum essent, Prætore tantummodo Florentino recepto, quem Miniatenses legissent. Incolebant ea tempestate Oppidum sex millia hominum, aut eo amplius. Quumque longa obsidione perdomiti Miniatenses essent,

Lupa-

Luparellus infimae plebis vir, factionis Mangiadoriae exules per fenestras noctu immisit. Principes adversae factionis occisi. Pars Florentiae ultimo supplicio affecta fuit, in quibus Ludovicus, Philippus Magnanimus, & Philippus Lazarius Borromeus. Post haec Florentini non servantes promissa, plenum Oppidi dominium sibi adsciverunt, legemque condiderunt, ne quis Nobilis Arcem ingredi auderet, quam illico construxere, in eaque clausere Ecclesiam Cathedralem, Ludovici domum, & publicas nostrorum Magistratuum aedes. Hac indignatione Benedictus jam patre mortuo accensus cum Jacobo Appiano composita re, subsidioque sibi promisso & opportuno auxilio, Pisis recessit cum Francisco & Bartholomaeo filiis rei militaris peritissimis. Cum his etiam Ludovicus Guzzius Miniatensis, qui Pisis Praefecturam Urbis gerebat; & adscitis secum decem aliis Miniatensibus, rem facto mirabilem & periculosam effecere. Ingressi enim primò duo Benedicti filii Praetoris palatium, custodem portae primò obtruncant; deinde alli subsequentes Antonium Davanzatum Praefectum Florentinorum è palatio altissimo ejecerunt. Bartholo Bartholino ejus affini viginti octo vulnera intulerunt; carceribusque effractis vinctos secum adjunxere. Erat hora diei vigesima secunda, quando palatium sunt ingressi; quumque ignis nondum appareret, fumo Pisanis signum dant rem perfecisse, auxiliaque exspectabant. Miniatenses re insolita perculsi, arma capiunt. Nullos Oppidum petentes, suis exceptis incolis, ingredi patiebantur. Benedictus clamitat, se libertatem Populo daturum. Miniatenses veluti miraculo attoniti, quum non vidissent auxilia subministrari, incerti tamen quodnam consilium caperent, quum tot ignibus noctu factis Pisani, qui proximi erant, non subvenirent, arcemque palatio junctam Benedictus expugnare non potuisset, tandem contra Mangiadorium profecti ad horam usque undecimam noctis Benedictus expugnatus, quum necdum auxilia adessent, & signa non responderent, statuit aufugere. Erant in illa expugnatione plures Miniatenses saucii, in quibus Ludovicus olim Recuperi, & Franciscus patruus meus coxâ perfractâ, qui & Dianam Benedicti filiam sibi antea copularat. Prius igitur quàm illucesceret, relicto uno tantùm Theotonico ex his, quos carceribus relaxarat, cum ceteris & suo comitatu incolumis in Pisanos pervenit. Ejus domus à Miniatensibus incensa, & ipse cum suis hostis designatus. Florentiae media ferè nocte nuntiatum est, Mangiadorium Praefectum ipsorum occidisse, palatiumque cum armatis hominibus occupasse. Eo perterriti nuntio Magistratus trepidè in Curiam media nocte advocati, Oppido munitissimo deperdito, & equitum capacissimo, in quo idoneam belli sedem esse non erat ambiguum, actum de libertate putabant. Alter deinde nuntius timorem conceptum solvit, asserens servatum à Miniatensibus Oppidum, & Benedictum inde pulsum. Videbitur fortè alicui mirum, cur rem tantam Appianus & Pisani neglexerint. Nam compertum est, Florentinorum pedites quosdam alia fortè de caussa saltus incidentes, quum ad eos Pisana se legio offerret, orto ab utrisque clamore, rem suspectam Pisanis effecisse. Ita id Oppidum fato magis, quàm aliqua providentia servatum est. Ceccolinus Biordi frater die jam facta quum portis se praesentaret, reperit Mangiadorium pulsum, quo percepto in Pisanum rediit.

Albericus Comes Dux militiae Galeatii ea tempestate cujusque generis homines sibi adscivit, inter quos Sfortia, & Micheletus Attendoli cum equitibus trecentis erant. Ipse autem in Senensem agrum jam pervenerat. Erant ei equitum duodecim millia, cum quibus agrum Florentinum ingressus est. Florentini per loca munita illis opponere, nam in castris esse paucitas ipsorum impediebat. Tamen existimatio hominum erat, in Aretinum hostem eum descensurum: pari enim intervallo Senae ab Aretio & Florentia distant. Et ob hoc exercitum Aretii, & circum ea loca locarant. Albericus verò contra omnium opinionem Florentiam versùs castra movit. Erat praeter equites Alberico peditum infinita multitudo. Fuit eorum iter per Chiantem, & circa Panzianum prima eorum castra fuere, quod expugnarunt. Deinde Florentiam versùs circa Pazzolaticum & Certosam omnia Castra invadentes, populabundi ad Urbis usque moenia pervenere. Inexspectatus ab ea parte hostis. Infinitam hominum multitudinem cepere. Mulieres cum parvis liberis, & quod ex hoste superfuerat supellectili, in Urbem cum pecoribus veniebant, luctu & clamoribus omnia miscentes. Fumabant undique Villae. Ager fertilissimus vastabatur. Cuncta tumultu & clamoribus resonabant. Tandem ex alia Urbis porta in viam Pisanam simili impetu tetenderunt. Ibi etiam praedae, populationes, & incendia agebantur, & ad portas Urbis accedentes, terribiles imminebant. Ad hos impetus sedandos qui in Aretino agro erant, equites revocati, & quantum fieri poterat, à populationibus hostem cohibebant. Illi transmisso Arno cum omnibus copiis eadem ex illa Urbis parte patravere. Tandem ingenti praeda onusti ad Signam castrametati sunt. Id Oppidum peropportunum eis videbatur. Itaque aliquot diebus expugnare illud conati, quum nihil profecissent, per Pesam ad Elsam fluvium iverunt, eamque Vallem depopulati, tandem ingenti praeda parta in agrum Senensem rediere. Eodem Anno Antonius Acetus dominium Firmi sibi adscivit, & multis civibus interfectis, quibusdam etiam in exilium datis, quum populares id aegrè ferrent, Populi tumultu exorto, in Arcem confugit, accito Comite Carrariae ductore equitum, qui per Picenum vagabantur, per Arcem intromisit: commissaque cum popularibus pugna, superatisque, Civitatem diripuit, multosque occidit. Carolus Galliae Rex eodem Anno Genuae dominium adeptus est, Antonioque Adurno Praeturam in Gallia dedit, & duo Castella, & quadraginta millia aureorum, quod is caussa fuit Genuae sibi tradendae. Hungariae Rex cum Turcis eo Anno conflixit cum Baisetto Ottomanno Turcarum Rege. In qua pugna Turcae victores viginti millia Hungarorum occidere, nec ipsi Turcae incruentam victoriam adepti sunt. Centum millia Turcarum erant. Ex his quadraginta millia caesa fuere.

Anno

Anno insequenti, qui fuit 1397. Romani à Bonifacio rebellare conati, ab eo proditionis conscii ultimo affecti sunt supplicio. Ludovicus Andegavensis Sanseverinorum consilio Neapoli excessit, Tarentumque petiit. Campani enim ab eo defecerant, & de Neapolitanorum fide suspicatus non invitus recesserat. Restabant in fide Andegavensis Turres in Ponte Capuano sitæ, quas dum Loisius Campanus expugnare conaretur, lapide percussus bombardæ caput amiserat. Sed ad postremum Arcis Præfectus Ladislao se dedit. Dum Loisius in Calabrias accelerarет, nuntius cum codicillis advenit, in quibus scriptum erat, Præfectum Arcis Tarentinæ à sociis occisum. Horum rebellionem veritus Loisius, Gottum Arci Tarentinæ præfecit, eumque eo immisit. Sanseverinæ familiæ duces Aloisio conciliati, Aversam eo Anno obsederunt. Erat Aversæ ea tempestate Ladislai Præfectus ictus ex Burgo Sancti Sepulcri, vir impiger, à quo Urbs egregiè tutata est; levia cum hoste certamina committens, id effecit, ut hostes obsidionem solverent, quum tam egregiè Urbem tutarentur tam ipse quàm Aversani. Erat ea tempestate Goffredo Marzano bellum cum Ladislao, quem cùm in suas partes adtrahere non posset, Alifii Comitatu privavit. Neapolitani post discessum Andegavensis ad Ladislaum defecere præter Arcem, quam Ladislaus ex turri propinqua Divi Vincentii expugnabat. Eodem tempore, quo hæc in Regno tam variâ fortunâ gerebantur, Galeatius cum Mantuano acriter contendebat, Mantuamquè obsidebat Albericum ex Etruria accersiverat. Sed quum ille ibidem contra Florentinos perstandum censeret, doceretque quanto in periculo res Florentinorum essent, in Tuscia permansit. Ille apud Mantuam, ac si nullibi bellum gereret, omnibus copiis persistebat. Magna vi aqua & terra Mantua oppugnabatur, Florentini, ne sociis tempore opportuno deessent, auxilia non immodica Mantuano misere, quibus præfuit Hugo Montisfortis Comes. Oppugnabatur Mantua navigiis per Padum & Mincium immissis, acriterque urgebatur, terra verò binis castris, magnisque exercitibus. Inter hæc Alberici copiæ bifariam divisæ, una in Politianenses bellum, & Cortonenses gerebat; altera cum Alberico in Senensi remanserat. Sed paulò post Paulus Ursinus ad Florentinorum stipendia se transtulit, & Biordius pacificatus Florentinis, Eccellinum fratrem revocavit. Johannes verò Barbianensis Bononiensium operâ in Flaminiam rediit. Jamque hostium vires imminutæ: bellum prope æqua manu gerebatur. Eo Anno & in Senensi agro, & in Pisano multæ excursiones factæ, & ipsi similiter multas Florentinis clades intulerant. Bernardonus militiæ princeps Bartholomæum Pratensem supplicio affecit. Quæ res Florentinorum statum pæne subvertit. Mortis illius caussa fuisse ferebatur, quòd ille contra ducis imperium Pisanum agrum populabatur, prædasque à Duce antea prævisas, ut universo exercitui partiretur, Bartholomæus solus adegerat; & quòd non æquis animis patiebatur Bernardonum sibi in Ducatu præstare, cui præesset bellica virtute, ut sæpius dictitabat. Ex æquo ille prædas à Bartholomæo quæsitas omnibus

A impartitus militibus, ipsum in Colle Oppido revocatum ad se jussit occidi. Paulus Ursinus, & Philippus Pisanus, qui prædas cum Pratensi egerant, indignati, à cetero exercitu se se separarunt, parereque duci recusabant. Multi etiam copiarum duces Bernardoni factum improperabant. Ex quo factum, ut Florentinorum exercitus pæne dissolveretur. Decemviri tandem ita decrevere, ut qui sub Bartholomæo stipendia meruerant, sub Philippo Pisano militarent, & hi ad Mantuanum transmissi. Carolus Malatesta venit Florentiam, Decemvirosque docuerat, quanto in periculo res Mantuani essent. Quum is esset magna præditus auctoritate,

B Florentini dederunt ei mille equites, quibus Philippus Pisanus præerat. Ceteri autem Florentinorum equitatus, quos prius ad Mantuanum sub Hugone miserant, Carolo parere jussi sunt. Fuere omnes Florentinorum copiæ, quas Mantuano dederunt, equites termille. Ceterum Florentini, quum magnis undique sumtibus essent oppressi, plebs verò tributorum solutionibus majorem in modum opprimeretur, miro incendebatur in eos odio, qui Rempublicam gubernabant. Tædio enim diuturni & maximi belli, ut fit, inopiâ, seu potius suspicione, à Republica amoti ægrè illa patiebantur.

C Hic rerum status effecit, ut quidam juvenes, non obscuro loco nati, conspirarint. Cujus initium conspirationis Bononiæ fuit. Nam Benedictus Spina, & Bastardinus Medices, juvenes audaces, manuque promti, ob cædem Florentiæ patratam jam antea in exilium acti, rogati à Barone Hieronymi, ut sibi adessent ad hostem quemdam suum obtruncandum, ad hoc facinus postea cum pluribus aliis acciti sunt. Inter quos Pichius Adimarius, & Masinus Riccius. Tunc enim de plurimorum cæde cogitatum est, eorum etiam, qui Rempublicam administrabant; existimantes peracta cæde statum Reipublicæ in melius confirmari. Eratque eis spes, quosdam majoris auctoritatis viros in

D Republica vel adjungere vel interficere. His compositis rebus noctu Arnum Florentiam ingressi exules illi dilatuerunt. Tertia post die armati in lucem prodeuntes, telaque manibus gerentes, ad destinatam antea cædem profecti sunt. Erant hi juvenes tanti facinoris conscii octo. Initium cædis constituerant à Masio Albizzio Equite nobili, & in gubernanda Republica primario. Nam illo occiso existimabant, facile, quæ cogitaverant, ad effectum perducere. Jamque miserant speculatum ubinam esset. Quumque nuntiaretur esse in uno loco, casu accitus in tabernam Aromatariam, venientes illi, nec eum in loco præviso invenientes,

E nil ibi morati, tetenderunt deinde in Forum Vetus, ubi cohortatis multis opificibus, armis sumtis, duos adversæ factionis obtruncant. Sed quum multitudo Populi ibi concurreret, nec quisquam eos armis sequeretur, abire statuerunt, profectique sunt prope Servorum Ædem. Et data spe propositi perficiendi, revocati in Ædes Divæ Reparatæ se receperunt, ubi obsessi, tamdem capti sunt. Quæstionibus acti, quum ex pluribus quosdam nominassent, quidam sua sponte fugam arripuere, nonnulli cum his securi percussi sunt. Interea Carolus Malatesta cum

exercitu Galeatii conflixit, terraque fugavit; conductisque è Venetiis nonnullis triremibus, quæ per aquam navigia Mantuam obsidebant, capta sunt. Itaque terra & aqua victores, negligentiores facti, Carolo abeunte, & exercitibus revocatis, iterum Mantuani in periculum exponuntur. Galeatius enim classe & equitibus reparatis, iterum Mantuanos premebat. Socii, quod spes pacis oblata erat, non subveniebant. Itaque qui nuper vicerant, mox in periculum adducti sunt; pluraque Castella Mantuani agri ceperunt. Tractabatur jampridem per Legatos Imolæ pax, Legatis Pontificis & Venetorum intermediis. Mox Venetias traducta est hæc pacis agitatio. Quam tamdem quum perficere non possent, bellum perseverabat. Ab hac pace ferme totius Italiæ status maxime pendere videbatur, & spes erat perficiendi, quod Veneti illam affectare videbantur. Dum de pace apud Venetos tractabatur, motus ingens in Pisanis exoritur. Nam milites Galeatii, qui Pisis in præsidio relicti fuerant, quum multa fœda committerent, neque eos Pisani precibus aut minis deterrere potuissent, tamdem armis commisso prœlio ex Urbe, Populi audacia fugati, permulti etiam audacius resistentes, aut cæsi, aut vulneribus confecti sunt. In his Paulus Sabellus dux, etiam Nicolai Palavicinus & Diversus, ductores exercitus capti, atque direpti omnes sunt. Hac re audita Florentini in spem adducti, posse pacem cum Pisanis firmare, eosque à Galeatio avertere, Oratores Pisas mittunt. Plena eorum oratio gratulationis erat, auxiliaque Pisanis offerebant; quibus à Pisanis responsum est, amicitiam illorum appetere. Et spes oblata fœderis ineundi. Erat Galeatio ingenium mirabile adjungendi Populos in amicitiam suam. Qui, ut accidit, quæ Pisis acta erant, Pisanos commendando, omnem culpam in suos rejecit, Pisanosque propterea in fide continuit; & Appianus antiquus Florentinorum hostis non facile Florentinis fidebat. Frustrati igitur Florentini pacis spe, exercitus inter Pisas & mare collocant, & aliquot diebus depopulati circum ea loca, præda onusti redierunt. Britones etiam, ea tempestate Civitatum Ecclesiæ detentores, cum Pontificis exercitu pluribus in locis varia belli fortuna decertarunt. Vannes Jacobi Appiani filius morbo correptus eo Anno interiit. Ex quo factum est, ut quum non superesset sibi nisi Gerardus filius adolescens, reique militaris inexpertus, & ipse septuagesimum quintum annum ageret, Galeatio adhæsit. Veneti eo Anno fœdus Florentinorum eorum potentia auxerunt, & in societatem eorum adsciti sunt, qui videbant per Galeatium stare, quominus pax Italiæ firmaretur. Jam enim illius potentiam formidabant, Legatosque ad Galeatium miserunt, hæc significantes, orantesque, ut ab armis discederet. Qui si aliter faceret, Mantuano se auxilia missuros significarent. Galeatius hoc nuntio accepto perterritus, acrius de pace agere cœpit. Biordus, qui Perusinis dominabatur, eo Anno à quodam suæ factionis milite detruncatur. Cædis auctores, amici, & parentes mox à fratre, & amicis Biordii occisi sunt, cædis verò patrator aufugit.

Anno Salutis 1398. Balnei Comites, & Puppii, Ubaldinique omnes ad Galeatium defecere cum omnibus eorum Castellis; & Civitellam agri Aretini hostes proditione ceperunt. Hoc metu, quòd pluribus ex locis bellum prope renovari videbatur, Florentiæ trepidatum est, & ad bellum se parant. Sfortias Attendolus, dum Assisii esset, Brolii stipendio militans, Perusinos infestabat. Nam Raspantorum factio Perusii dominabatur. Adeoque strenue se gessit, ut Perusini mori tot cladibus, Broliam conduxere, & cum his Perinum & Sfortiam cum equitibus tercentis. Eo Anno decennales induciæ cum Galeatio & Florentinis, sociisque firmatæ, infida tamen pace. Nam & Florentini Civitellam paulo post recepere, & ad Ubaldinos, aliosque ei adversos, neque sal, neque commeatus libere eis asportabatur. Quam rem questi apud Venetos, qui induciarum caussa fuerant, nihil perfecere. Satis enim existimabant Veneti, si apud Mantuam induciæ servarentur. Galeatius verò ut vidit Venetos nihil moveri per ea, quæ suis fiebant, ac rerum Hetruscarum curam postposuisse, quosdam ex suis ducibus abire permisit, asserens stipendii ipsorum tempus jam finitum esse. Hi discedentes in Etruriam multas populationes in agro Lucensi fecere. Deinde per Pisanum & Volaterranum agrum apud Collem similia patravere, & in fines Senensium tamdem se receperant. Quòd Senenses nondum pacato animo cum Florentinis erant, & res novas exoptabant. Ea tempestate Gerardus Appianus per Oratores suos fœdus & amicitiam cum Florentino Populo tentaverat, & ut darentur sibi Florentinorum impensa equites sexcenti, quos ob defensionem sui status in agro Pisano esse volebat. His petitionibus Florentini responderunt, fœdus & amicitiam se illi daturos, auxiliaque omnia quæcumque expostulasset, de stipe autem, quam petebat pro equitibus sexcentis, non videri decorum Populo Florentino id agere. Solere eos, qui amicitias quærunt, non eas pretio emere, sed fide & beneficiis promereri. Hoc responso accepto, Gerardus Pisanique à petitione destiterunt. Galliæ Regis, Aragoniæ, Hispaniæ, & Angliæ, aliarumque gentium Oratores ad Bonifacium Romam venere, asserentes, Benedictum renunciaturum Pontificatui, & orantes, ut ipse idem faceret pro unione Ecclesiæ conservanda. Quibus Bonifacius respondit, se verum esse Pastorem, & quod Ecclesia esset in unione, ne ipsi quidem negare posse. Sed queritur, eos dividere Patrum Collegium, & quod injuste facerent ea, quæ rite & ordine facta sunt, in dubium revocari. Hoc responso accepto Oratores ad suos Reges & Populos re infecta rediere. Genuenses Regis Galliæ Præfectum, qui tumultum in Civitate ortum lenire tentabat, Alexandriam fugere compulerant. Unde illis in concordiam coëuntibus, Genuam rediit. Id verò ostendit omnibus palam esse, non posse quemquam Genuensibus imperare, nisi quantum ipsi permiserint. Bernardonus dux militiæ Florentinorum, stipendio finito, in Aquilanos profectus, Civitatem illam cum omni agro in partes Andegavensis attraxit. Quo tempore Carolus frater Loisii ex Provincia solvens, Neapolim appulit, ignarus Civitatem Ladislai esse, & omnium quæ gesta erant. Tandem à Thomasio Sanseverino ma-

magno pretio petivit, ut terrestri itinere cum suis equitibus Tarentum ad Loisium fratrem perduceret. Ille accepta pecunia, caussatus majori stipe ad milites solvendos opus esse, Carolus dat ei baltheum aureum, gemmis ornatum. Quo accepto eodem modo, quo Loisium fratrem prius illuserat, ipsum quoque frustratus est. Ille tamdem triremibus ad fratrem pergere properabat, & in Arce Nova clausus, veluti obsessus tenebatur. Celtiberi eo Anno Rugeam in Africa depopulati sunt, & cum ingenti præda in Siciliam rediere. Biordus olim ex Galeatii ducibus ad Pontificis stipendia se conduxit, & contra Perusinos venit. Ejus adventu Assisiates Eccellinum eorum Dominum Urbe pepulerunt, & Biordo dominium Urbis dedere.

Insequens Annus 1399. in Etruria per Casentinum & Mucellanum agrum induciæ non servabantur; Galeatius enim Mediolanensis ad rem Etruscam intentus, quamto maximo potuit apparatu, Pisas occupare tentabat. Gerardus enim Appianus non videns se idoneum ad sui status gubernationem, invitat Galeatium ad ipsius dominium acquirendum. Itaque magnis copiis in Etruriam missis effecit, ut Gerardus retento sibi Pupulonio, Ilva Insula, atque Scarlino, & Suvereto, pecunia insuper grandi accepta, Pisas Galeatio relinqueret. Quæ rès Florentinos magno terrore affecit. Augebatque metum, quod idem de Senensibus facere ferebatur, cum quibus Galeatio erat fœdus & voluntaria quædam obsequutio; non tamen subditi erant, odio tamen Florentinorum incensi, quod minus poterant. Galeatius non solùm retinere cum illis fœdus, sed etiam subigere satagebat. De Perusinis autem subigendis non erat illi minor, quàm de Pisanis spes. Indignatio Bonifacii Pontificis cum his ingens erat, qui eos jugo premere anhelabat. Effecerat namque illis per Hugolinum Fulginatem bellum moveri, & ob hoc effecit, ut Perusini adhærere Galeatio cogerentur, qui eos à Pontifice tutari posset. Nam Florentinos cum Pontifice sentire cognoverant. Jamque Legatos ad Galeatium miserant, auxilia postulantes. Eodem Anno Galeatius per Legatos Bononiensium effeceyat, ut illi postposita Florentinorum amicitia in partes suas concederent. Jamque Lucenses sive metu, sive amore ad ejus amicitiam affectandam inclinabantur. His rebus Florentini soliciti erant, neç se quo volverent, satis exploratum habebant. Undique enim clausi erant; consultantibusque iis de rebus, variæ erant sententiæ. Periculum libertatis perdendæ adesse omnes fatebantur. Alii Decemviros esse creandos, ut his rebus providerent. Alii nequaquam, quum illorum creatio nihil aliud esset, nisi belli præparatio. Nonnulli dissimulanda esse hæç, & aliis modis providendum. Nam bellum cum Galeatio suscipere, tantis veteribus amicis destitutis, periculosissimum erat. Tamdem Raynaldus Giamfigliazzius assurgens, in hunc fere modum loquutus est: *Gratias vobis ingentes, præstantissimi Præsides, omnes nos, quos ad Consilium convocastis, agere debemus, quum hoc turbulentissimo tempore de salute publica consulendum censuistis. Nam quæ pericula imminent, si non antea provisa fuerint, ruinam & præcipitium plerumque minantur. Sæpius in hoc loco jamdiu verba feci: quæ quoniam parum grata esse quibusdam accepi, neglecta fuere. Nunc verò non dissimulare opus est. Sed licentius loquar. Ignoscite, quæso, si quemquam offendero. Magis me libertatis nostræ cura, quàm cujusque odium premit. Ignoscite, quæso, & quæ dico, animadvertite. Hæc, quæ dicitis imminere, pericula, magna & formidanda esse fateor, non tantum re ipsa timenda, quantum propter nostros mores, qui exspectando & differendo magna ex parte obtrectatorum culpa occasiones multas rerum bene gerendarum amisimus. Cujus caussa est ignorantia futurorum. Nec est qui in futurum prospiciat. Ex quo fit, ut non prius damna Reipublicæ sentimus, quàm facta sint. Quod si qui sunt, qui ventura damna providerint, continuò calumniantur, illos capere bellum, & tamquam quietis turbatores ejiciendos censetis, legesque imponitis tales, quibus qui vellent periculis obsistere, nullo modo possunt. Quum pericula evenerint, tunc demum consultamus. Neque enim ego hæc tam iniquo animo paterer, si cum alio Populo nobis esset cunctandum. Nam par esset utrorumque conditio. Sed quia cum potentissimo Tyranno nobis agendum est, qui nec vigiliis fatigatur, nec calumniatores formidat, nec legibus cujusquam inhibetur, nec Populi deliberationem exspectat, sed assidue rem suam cogitat, atque illi providet, rebusque agendis suis antevenit. Nos autem post res perditas remedia cogitamus. Johannem Grusiolinum Legatum Pisanum & Gerardum Appianum fœdus & amicitiam nostram postulantes boni Magistratus nostri ejecerunt. Videbant enim Pisani, à Galeatio periculum imminere. Cui si tunc, uti expetebant, obviatum esset, non his, in quibus sumus nunc, necessitatibus versaremur. Providerunt Pisani rebus suis bene quidem. Perusinorum Legatos amicitiam & fœdus postulantes similiter rejecistis, & eos, qui recipiendos censebant, tamquam novum cum Pontifice bellum exordientes increpastis. Illi propterea ad Galeatium confugerunt, & ab eo recepti sunt. Id nos nunc demum cognoscimus. Accusemus ergo ignaviam & tarditatem nostram, quæ effecit, ut in Etruria res Mediolanensis Galeatii creverint. Sed præterita omittamus, quoniam quæ facta sunt, mutari non possunt. Amoveamus calumniam nunc, & nimiam obtrectatorum licentiam, tarditatemque & ignaviam nostram, quæ nisi amoverimus, nullum remedium exspectemus. Ac si corrigere mores nostros & emendare volumus, magna me spes Reipublicæ conservandæ tenet. Civitas nobis magna est, opulenta, & dominium late Castellis & Arcibus inexpugnabilibus copiosum. Cives optime muniti sint, qui modò Reipublicæ invigilent, & tuendæ libertatis curam suscipiant cum potestate agendi, nec exspectare habeant Populum consulendum. Postquam verò hæc domi fecerimus, quid deinde mihi faciendum videatur, attendite. Parandos esse ante omnia milites, & belli Imperatorem deligendum censeo. Pecunias imponendas, ne nos inopes socii & Galeatius censeant, & omnino negligentes. De Senensibus verò, & Perusinis quid sentiam, audite. Primùm ne Senæ se Galeatio dent, nullum remedium est, quum illi nobis infensi omnes nostras exhortationes, & auxilii pollicitationem contemnant. Hac ex re nihil cum eis agendum puto. Nam sive Galeatius illis dominetur, sive non, omnia tamen ut libuit, de his disposuit. Hactenus & quæ volet, deinceps facturos arbitror. Perusinos autem utinam quidam*

dam nostrorum non rejecissent, apud quos nomen Pontificis plus potuit, quàm nostræ libertatis conservatio. Dicebam enim, in societatem recipiendos, sed non exauditus fui. Mittendum tamen ad eos censeo, quamquam nihil profuturum existimo, fœdusque & auxilia pollicenda. At si quis interroget: quid censes? movendum ne cum Galeatio bellum? minime: periculosum enim foret sine sociis cum eo decertare. Sed attendite, quæso, ad Venetos legationem mittendam, illisque esse ostendendum, quanta & qualia Galeatius in Etruria moliatur, utque occupando finitimas nostro dominio Civitates, nos omnino includere conetur. Quum hæc Venetos docuerint, nihil ab iis rogandum censeo, ne dignitatem nostram imminuant, sed tantummodo ostendant non minus hæc ad illos, quàm ad nos attinere hujusmodi Galeatii conatus atque pericula; præsertim quum minime credendum sit, Galeatium tam longinqua petere, & quæ finitima sint neglecturum, sed ut nobis oppressis ceteros tamquam imbecilliores factos adoriatur. Hæc animis ipsorum considerent; ante ei obsistendum, neque exspectandum, ut membra societatis disjungat; idque posse ab eis contra fieri, quum ille præter inducias, in Etruria hæc præparaverit. Sin autem socii, atque ipsi hæc non curent, nos rebus nostris provisuros, ut in rem nostram fore existimabimus. Hi iidem Legati Bononiensibus, Ferrariensibus, & Patavino eadem persuadeant. Spero hanc legationem Reipublicæ nostræ saluberrimam esse. Dixi hactenus, quæ in rem fore nostram mihi videntur. Vos, quod optimum sit, consilium capite, idque confestim agatis.

Postquam Raynaldus assedit, Magistratus, Senatusque omnis sententiam illius sequutus. Non multo post Galeatius hæc, quæ mente agitaverat, ita cautè agebat, ut apertè non ostenderet, nihil contra inducias eum fecisse. Nam Senenses & Pisani illius complices erant induciarum legibus. De Perusinis autem à neutra partium in eo fœdere cautum erat. Romani Jubilæo adventante Oratores ad Pontificem mittunt, exposcentes illius præsentiam. Ille se facturum sui copiam, si Malatestam Pandulphi filium in Senatorem reciperent, abrogarentque Badarensium Magistratum. Sic enim illa dignitas appellabatur: quod Romani fecere. Sic enim Pontifex Urbis Romæ plenum dominium occupavit, turrimque in Mole Adriani, quæ antea immunita erat, erexit, & valido præsidio communivit. Michaël Steno Dux à Venetis creatur. Eodem Anno ex Alpibus Cisalpinæ Galliæ initio facto multitudo hominum vestibus albis induta religiosè commigravit, pacem à Deo, & misericordiam exposcentes. Qui sic induti, erant pane & aqua tantummodo contenti, decem dierum peregrinatione suscepta. Hæc religio adeò brevì accrevit, ut duobus ferme mensibus omnem Italiam traxerit. Miranda profectò res. Ab omnibus arma deposita. Odiorum injuriæ amotæ. Nonnulli alio vestitu per Urbes cernebantur. Accessus & itinera tuta in alienas Civitates erant. Nemo etiam ex hostibus oppressus, & quasi tacitè cum omnibus induciæ erat. Ita quocumque pergebant, alios ad eam religionem adtrahebant. Sumtus his ex alienis Civitatibus hospitaliter præbebatur: tanta religio omnium animos incesserat, ut nihil injuriosum quisquam eo tempore cogitaret. Est in Miniate Oppido figura Salvatoris Cruci adfixa, quam deferentes, & qui sequebantur, oppidani & advenæ affirmant lachrymas fudisse ad supplicantium preces, pacis & misericordiæ nomine invocato. Emmanuel Grysolora Byzantius per id tempus literas Græcas in Italiam adduxit, quæ septingentis jam annis in Italia desierant cognosci. Hic patriâ à Turcis obsessâ, Venetiis salario illas edocebat. Deinde magno pretio à Florentinis conductus, juvenes eorum publicè erudiebat. Finito Dealbatorum tempore, ad curam belli omnes rediere. Florentini etiam quum vidissent, Pisas, Senas, Perusiumque in posse Galeatii, ingentem curam libertatis tuendæ susceperant. Præterea Castella Ubaldinorum, & Puppiensis, potentiam Mediolanensis auxerant. Accedebat ad hunc metum augendum, quod Ugucio Cortonæ Dominus quædam insuetata à Florentinis exposcebat, quasi non impetraturus, ut Galeatio & Senensibus adhæreret. Frumenta enim deferri Politianensibus inhibuerat, & in paludibus circum ea loca adjacentibus impedimenta posuerat, ut nihil per ea frumenti deferretur. Lucenses metu Pisanorum in Galeatii partes aspirabant. Genuenses quum diutius inter se decertassent, tamdem factio Gibellina Galeatio adhærens, Guelfos ejecerat. Bononienses pluribus seditionibus exagitati, multis cæsis, & in exilium datis, tamdem Reipublicæ summa ad Carolum Giambeccarium convenit. Ea tempestate Sanseverinorum familia à Ladislao delinita, Loisium Andegavensem Tarenti commorantem obsedit. Qui quum acrius urgeretur, tribus navibus, & septuaginta triremibus aufugiens, vix eorum manus evasit. Qumque Neapolim applicuit, intellexit, Sanseverinorum opera Neapolitanos defecisse, cujus fratrem in Arce obsessum reperit. Interea Ladislaus Tarentum recepit. Inde rediens Capuam, suæ ditionis effecit. Brolius ea tempestate multa fœda & crudelia in Piceno patrarat. Incolæ Insulæ Britanniæ eo tempore contra Regem suum multa prœlia commisere. Tamdem his prævalentibus, ab his superatus, trusus carceri moritur, cui Dux Lincastriæ in Regno electus eidem successit.

Anno Salutis 1400. Jubilæus ex antiquo more celebratur magna Populorum frequentia, & universi Christiani ad religionem versi. Orta deinde per omnem Italiam pestis adeo valida, ut duas fere partes ex tribus hominum in Italia absumserit. Eo Anno Paulus Guinisius Lucæ dominium absumsit, pulsis inde Ludovico Obizzio, & Conrado ejus fratre, qui postea Florentinorum stipendio meo tempore militabant. Florentini quorumdam Aretinorum fraude, sub specie Venetorum, Montoninam Arcem Aretio imminentem & Cortonæ propinquam occupavere. Ea à nonnullis nobilibus Ugucioni amicitia & familiaritate conjunctis tenebatur. Ugucio id ægre ferre, & cum Senensibus queri. Nihil tamen hostile tentavit, Florentinorum metu perculsus. Quadringenti equites Galeatii in agrum Casentinum descenderunt, & belli caussam per ea loca præbere videbantur. Nihil tamen movere. Nam increbrescente per Italiam peste complures inter se decertantes pacificari coëgit. Commoti enim jampridem fuerant ad religionem animi, & omis-

emissis deliciis, atque superbia, in melius sibi consulentes, à bellis paulisper quievere. Nam Bentivolus, qui Bononiensium Princeps factus fuerat, alia factione pulsa, quòd bellum cum Astorgio Faventino gessisset, suorum Civium precibus commotus, pacem Faventinis dederat. Etiam plures Civitates, quæ prius crudeliter inter se odiis disceptarant, tam salutare pacis consilium suscepere. Sed tanto tamque salubri proposito antiquus humani generis hostis, fortunaque, rebus prosperis semper adversa, adversari cœpit. Nam Albericus Comes Galeatio deditus, societatem cum Bononiensibus iniit, & Galeatii auctoritate confisus, ut Astorgio Faventino adversaretur. Et Galeatii Oratores effecerant, ut Paulus Guinisius, qui nuper Lucæ dominium occupaverat, ad amicitiam magis Mediolanensis aspiraret, quàm Florentinorum sibi finitimorum. Quæ res illorum animos perturbarat. Interea Uguccio Cortonensis moritur, cui Franciscus Casalis in dominio, quòd sibi cognatione propinquus successit, vir pacis cultor ac quietis. Et Robertus Puppii Comes eo Anno moritur, filiumque impuberem, quasi eorum, quæ fecerat, factorum pœnitens, Florentino Populo nomine tutorio commendavit. Eodem Anno plures contra Rempublicam Florentinam conjuravere, quibus patefactis maximi motus in Civitate fuere. Nam quum increbrescente in dies peste complures Cives Bononiam demigrassent, & in dies crescente numero, statum, quem amiserant, recuperare cupientes, aggredi Civitatem pæne Civibus vacuam statuerunt, dominiumque Urbis sibi vindicare, bonaque potentum illis pulsis arripere. His ita compositis, quum jam tempus rei compositæ adventaret, Minias unus è conjuratis Silvestro Adimario rem pandit, cupiens illum in suas partes attrahere. Socios nominat, & ad eam rem hortatur. Silvester ea re aliquantisper anceps quidnam consilii caperet, tamdem obfirmato animo rem Bartholomæo Valori aperit. Ille illico ad Magistratus defert. Capti ex conjuratis quidam capite damnati sunt. Qui aufugere, rebelles facti, & eorum bona publicata fuere. Missi eodem Anno Oratores Galeatii & Florentinorum ad Johannem Bentivolum gratulatum, ac etiam opes suas in sui favorem paratas offerre. Eorum enim quisque propter loci opportunitatem gratificari huic homini studebant, & in suas partes attrahere. Ex quo factum est, ut magnæ ab utrisque pollicitationes tanto viro fierent, quas ille non est aspernatus, gratiasque ambobus retulit. Sfortia Brolio mortuo se conduxit una cum Perino cum Galeatio cum equitibus sexcentis. Apud quem Sfortia incusatus, quod Guelphis faveret, à Galeatio dimissus est. Perinus Galeatii stipendio militavit. Carolus interea Loisii frater Neapoli in Arce Nova obsidebatur. Cui Loisius, quamquam Tarento fugatus, ea, qua aufugerat, classe subvenit. Pactione enim tradita Ladislao Arce, cum Carolo fratre in Provinciam rediit. Ladislaus postquam Tarento potitus est, Raymundum Ursinum Principem Tarenti creat. Is enim paullo ante Barulum, Melfium, Altamuram, Minervæ Oppidum, suæ ditionis effecerat, omnemque Hidrunti regionem, præter Brundusium. Nolæ Comes eo tempore moritur, cui Nicolaus filius successit; quo vita functo Pyrrhus Raymundi frater sobrinus, Nolæ Comitatum obtinuit. Diximus, Carolo Imperatore defuncto, Imperium devenisse in manus Vincilai filii, qui Regnum Boëmiæ obtinebat. Hic fratrem habebat Sigismundum, qui postea Cæsar fuit. Quumque Vincilaus multis annis Imperium obtinuisset, nullaque ejus acta digna Principe cernerentur, indignati Proceres Alamanni, qui eligere Imperatorem soliti erant, consilio etiam aliorum Principum, Imperio illum abrogarunt, & Robertum Bavariæ Ducem Imperatorem fecere. Hic ut primùm lectus est, per suos Oratores, quos Romam miserat, Pontificis gratiam sibi conciliavit. Nam quidam Alamanniæ Populi ejus electionem improbabant, & Vincilao adhærebant. Ad hunc igitur Robertum, quod fama ingens erat, Florentini Oratores misere: nam circumdati à Galeatio, & auxilii inopes, novos socios exoptabant, qui eos à Galeatio tutarentur; mandatumque Legatis, ut omni studio transitum in Italiam ei persuaderent, & opem & auxilia, quæcumque poterant, sibi offerrent. Quam legationem non invitus audivit, sperans se etiam aliquid in Italia posse movere, & pecunias ingentes à Florentinis opis externæ indigis posse suscipere. Eodem Anno Nicolaus Columnensis Pontifici infensus cum equitibus ferme quingentis, totidemque peditibus, noctu Romam ingressus, suorum auxilio fretus, quum ad occupandum Capitolium properaret, Populo non juvante discessit, Palestrinamque rediit. Sunt qui dicant, eum id suadente Galeatio fecisse. Capti ex suis triginta, quos Pontifex, qui in Mole Adriani confugerat, necari jussit. Nicolaus deinde se cum Galeatio conduxit, quibus Pontifex postea bellum indixit. Galeatius eo Anno Assisium occupavit, & Broilus, quum ad Florentinorum stipendia militaret, in agro Miniatensi morbo interiit.

Anno 1401. Sfortia se conduxit cum equitibus centum quinquaginta cum Florentinis pro mensibus sex. Ejus sedes in Miniate Oppido fuerat. Quo Anno natus est ei ibidem Franciscus filius die 23. Julii hora 24. Qui postea fuit Mediolani Dux, omni virtute præditus. Cui animi & corporis dotes multæ fuere. Scientia autem rei militaris tanta, quantacumque in alio Duce fuerit. In Bononiensi turbulentissimæ res exortæ sunt. Johannes Bentivolus cum Astorgio Faventino bellum excitarat, habebatque Florentinorum & Galeatii auxilia non contemnenda. Nam Albericus Galeatio deditus Astorgio infensus majorem in modum Bentivolo favebat. Astorgio autem aderat Carolus Malatesta bello insignis. Quum ferme utriusque auxilia æqua prope essent, pax inter eos sequuta est. Albericus id ægre ferens, seque à socio Bentivolo quum deceptum prædicaret, quòd eo inscio pacem cum hoste firmasset, omnem indignationem adversùs Bentivolum convertit, exulibusque Bononiensibus favere cœpit. Jamque defectiones oppidorum fiebant. In Urbe quoque Bononia occulta ferebantur contra Bentivolum colloquia. Florentini per Legatos auxilia illi polliceri, fœdusque cœperant. Ille timens Galeatii potentiam, fœdus recusare. Tamdem necessitate coactus, Flo-

Florentinis adhæsit. Mittuntque ad eum defendendum Bernardonum militiæ ducem: bellumque aperte gerebatur, quod Galeatius Alberico & exulibus favebat. In Etruria quoque quamquam bellum non gereretur aperte, tamen Galeatii potentia ita in ea regione augebatur, ut omnia jam occupaturus videretur. Unde factum est, ut Florentini magis ac magis ad Robertum Imperatorem respicerent. Sunt qui dicant, ea tempestate Roberti astu Galeatium veneno petitum. Quæ res effecit, ut fidentius ad eum Florentini Legatos mitterent, sibi adventum in Italiam suadentes, ducentaque aureorum millia his legibus illi promisere. Priusquam Alemannia discederet, centummillia, & alia centummillia, quum hostilem Galeatii agrum fuerit ingressus, Johannesque Roccius ad pecunias exsolvendas missus est. Jam rumor erat, illum magnas copias in Italiam ducturum. His rumoribus Galeatius excitatus, equites scribere, loca opportuna munire, suos in fide continere, sociis & amicis sua industria vigilare, & pecunias omni, qua poterat, cura sibi acquirere, flumina etiam observare, & ubi opus esset auxilia, præsidiaque disponere, & propugnacula simul erigere. Conversis igitur animis in exspectationem novi Cæsaris, Pistorii turbulentissimæ seditiones exortæ duæ sunt, non solùm in Urbe illa, sed in omni ejus agro. Ab antiquo factiones, altera Cancellariorum, cujus princeps ea tempestate Riccardus Eques, altera Panciaticorum. Sed Riccardus in suspicionem adductus, tamquam res novas moliens, quum ab adversariis impugnaretur, & sui auxilio essent, tamdem sive metu, sive appensate fecisset, Sambucam Oppidum in Apennino situm occupavit, & adversam factionem illud expugnare conantem valida manu & multo cruore fugavit. Ex quo factum est, ut ex Bononiensi, & Miniatensi illi loco finitimis, ingens ad Sambucam multitudo confluxerit. Habent hæ factiones per finitima loca clientelas, amicitiasque. Ingens Florentinos ob hanc rem metus invasit, quòd Cives Pistorienses divisi inter se in periculo erant, ne altera factionum alteram ejiceret, neve rebellarent. Immissæ igitur à Florentinis Pistorii equitum ac peditum copiæ, & circa Sambucam munitiones factæ, ne populationes fierent, aut quid aliud inde innovaretur. Sed tanta erat Riccardi virtus & prudentia, ut sæpe Florentinorum præsidia fugaret, & finitima loca popularetur. Ob eas res Riccardo & fama ingens fortitudinis, & auctoritas crevit. Media ejus Anni jam peracta parte Florentini iterum Sfortiam ad eorum stipendia conduxere cum equitibus tercentis; quòd egregia virtute vir semper majori auctoritate dignus videbatur, quam quod administraret. Audiebatur jam Florentiæ, Cæsarem Tridentum venisse sub autumni extremum, qui ut quod residuum pecuniæ ex pactione cum Florentinis inita reciperet, agrum Brixianum ingressus est. Erat enim Brixia ditionis Galeatii. Et juxta Lacum Benacum consedit. Contra hunc magnis copiis Galeatii duces profecti sunt. Erat enim Galeatii equitatus egregius, & ex Italis confectus. Hi levibus interdum prœliis hostes adorti, palam fecere, Italos Alamannis esse meliores, & equitatu plurimum posse. Tamdem quum aliquot diebus leviter prœliatum esset, Itali majori conatu illos adoriuntur, & adeo magnis animis, ut usque ad castra fugarint. Hoc metu prostratus novus Imperator, cum his, qui ex prœlio superfuerant, Tridentum rediit. Et ut fit ex re male gesta, quum alter ducum alterum incusaret, Episcopus Coloniensis, & Leopoldus Austriæ Dux, relicto Cæsare, in Alamanniam rediere. Ita Imperator ea accepta injuria, cum paucitatem suorum respiceret, incertus quidnam consilii caperet, pudore solummodo ne & ipse abiret tenebatur. Franciscus præterea Carrara, Legatique Florentinorum, qui cum eo erant, hortabantur, ut Paduam pergeret. Eo enim modo & famam servare posse, & spes suas in Italia rerum dignarum pullulare posse asserebant. Cæsar verò, quamquam redeundi in Alamanniam cupidus, tamdem pudore ac spe retentus, illorum consilia sequutus est, abiensque Tridento, Trivisium primò, inde Paduam venit. Dumque Paduæ esset, nova Florentinorum legatio ad eum venit, Raynaldus Giamfigliatius, Masius Albizzius, Philippus Corsinus, Thommasius Sacchettus, omnes Equites. Duxeruntque secum Italici generis equites sexcentos, quibus præerat Sfortia Attendolus, & Balthassar Mutinensis.

Sfortiam quum Imperator percontaretur, quo genere natus esset (videbatur enim vir magnæ auctoritatis) quum respondisset, ex Attendola familia, & Codignolæ natum, *immo verò*, Imperator dixit, *ex Attendulo Dacia Oppido, & stirpe regia natus es*. Admirantur hæc Florentinorum Legati, Franciscus Carraria; & qui cum Cæsare Principes erant, idem asserebant. Donatus est à Cæsare Leone flavo cum pomo citrino: quod in posteros usque perseverat. Imperator dum Paduæ erat, queri cœpit, Florentinos non rite facere: illusisse sibi, quòd accelerarint ejus in Italiam adventum, & quòd pecuniæ promissæ non servabantur. Velle se in Alamanniam redire, & omnem rei malè gestæ culpam in Florentinos rejicere. Et si in Italia vellent eum manere, ingentem pecuniarum summam exposcebat. Oratores, qui cum eo aderant, quum viderent eum territum, & adversarii potentiam formidare, quem ipse palàm laudibus ad cœlum ferebat, apertèque asserebat non posse superari, nisi Pontificis & Venetorum auxilia intercederent, eos omnes, qui antea cum Imperatore erant, Florentiam mittunt, ut rem hanc Magistratibus palàm facerent. Non enim literis facilè omnia perferri poterant. Hæc Imperatoris verba, quum Florentiæ relata essent, variè pro cujusque metu animos hominum moverant. Spes enim unica Imperatoris quæ fuerat, si in Italia perstaret, auferri videbatur. Si autem eum in Italia retinere vellent, magnis sumtibus id facturos videbant, ac etiam non sufficere ad tanta postulata ipsius. Tamdem per eosdem Oratores Imperatori ingentem pecuniarum summam, & equitatus Italorum magnam manum pollicentur, si perstare in Italia vellet, dummodo non pacificatur cum hoste insciis Florentinis. Robertus id extremum non ferendum ratus, & nomini suo indecorum, statuit prorsus abire, sed prius

Ve-

Venetias petere. Receptus est à Venetis omni solemnitate servata. Quumque apud illos rem Florentinorum quereretur, Legati, qui cum eo aderant, responderunt, quod sua venia dictum sit, ipsum esse, qui promissa non servaverit, neque illum copias, quas secum ducere promiserat, adduxisse, nec eum venisse in hostili terra, ut convenerat. Dici posse, quod non steterit promissis. Veneti altercationes has nisi sunt submovere. Tamdem ille eundi cupidus abiit. Jam enim viginti millibus passuum aberat, quum Veneti, ut rediret, hortati, se rem illam composituros, Venetias Venetorum precibus rediit. Ibi acceptis triginta quinque millibus aureorum à Florentinis, meliori etiam oblata spe, Paduam rediit, suosque regredi jussit. Quumque Paduæ esset, & à Venetis negligi rem videret, & Florentini ad ipsius postulata non correspondérent, tamdem in Alamannias cum suis profectus est. Eodem tempore Oratores Galeatii Venetias venerant, questum cum his, quæ Florentini contra fœdus fecissent induciarum, & in hunc ferme modum coram Legatis Florentinorum in Senatu Veneto loquuti sunt. *Princeps noster Galeatius, o Veneti, de violatis induciis, & fœdere non servato à Florentinis per nos querimoniam Legatos suos defert. Decet enim eos, qui induciarum auctores fuere, observationis auctores esse; ut qui justam adfert querimoniam, nos ne an illi, in vestra manu sit ac arbitrio judicare. Iniquissimi enim homines neque pactiones servare, neque fidem norunt. Sublatum est ab his sanctissimum jusjurandi vinculum. Quum armis vexati sint à Galeatio non offensi suos fines invadere, solverunt vinculum societatis humanæ Florentini. Non enim, o Veneti, hæc ignorantibus exponuntur. Notæ sunt vobis induciarum conventiones, & pacis; quamque solemniter acta sint, scitis. Stante hoc vinculo, Robertum Imperatorem cum magno exercitu eorum stipe conducto in suos fines induxerunt, nihil tale Galeatio exspectante. Convenere cum illo, ut non prius pecuniarum integram summam susciperet, quàm in Galeatii agro impetum faceret. Hæc vobis nota sunt. Legatos apud Imperatorem semper habebant, ut iter acceleraret, ut statum Galeatii Domini nostri subverteret. Questi sunt apud Regem Galliæ, nos fines suos invadere. Pacem, quam optarent, Galeatii caussa assequi non posse. Quod illi in Galeatium moliti sunt, re atque effectu compleruut. Gentem infestissimam nomini Italico super eum concitarunt. Certe id effecerunt, ut omnium Italorum odium in se converterent. De Pisanis & Senensibus à Galeatio adjutis queruntur. Scitote, profectò illos non indiguisse opis externæ. Si Florentini contra eos arma non movissent, nisi ab his vexarentur, ad hæc vitanda ad Galeatium non confugissent. Gerardo Appiano fœdus & amicitiam cum his habere cupienti, tradere recusarunt. Vocatus ab his Galeatius, veteribus amicis auxilia sua negare honeste non poterat. Nec tamen propterea contra eos movit. Nihil contra inducias factum est ab eo. Quid igitur, si quis vestrûm quærat, quid vult ista legatio? Primo, ut querimoniam fœderis non servati ad vos Venetos deferamus. Secundò, ut pœnam rupti fœderis à violatoribus exigamus, & à vobis auctoribus induciarum postulemus. Ultimò, ne admiremini, si contra pacis violatores Galeatius bellum prosequatur, quod vobis intercedentibus sublatum fuerat.*

Ad hæc Florentinorum Legati: *non fuisse* induciarum violatores, sed ita demum pacem fecisse, si Galeatius animos bellandi cupidos, & eis nocendi deposuisset. *Qua credulitate inducti non solùm arma, sed etiam animos bellandi deposuimus. Quod ille non fecit. Primò enim ductores suos vix pace peracta in Lucenses immisit, quos diripuisse socios nostros, & deinde Volaterranum agrum, palam est. Et in suam Civitatem Senas captivos, prædamque omnis generis detulisse conquerimur. Quæ omnia contra suum jusjurandum & promissa patravit. Pisas & ejus Castella omnia nobis finitima occupavit. Senas item in suam ditionem traduxit. Perusium, Assisiumque sibi subegit. Sunt ne hæc pacis servandæ signa? Non is tantùm bellum gerit, qui quatit mœnia ariete, sed qui occulte insidiatur. Nonne nos veluti cavea includebat? Bellum machinabatur. Itaque illum fregifidum dicimus. Restitisse illi, necessitas nobis ab illo imposita est. Quis non intelligat, quum illa faceret, nos tamdem invasurum fuisse? Non sumus nos qui quietis simus impatientes, sed ipse, qui propinquis, qui agnatis, qui sociis non quicquam tutum concesserit; qui Patavium & Veronam per fraudem sibi subjecit. Nunc verò totam Etruriam sibi adjungere nititur. Nec satiari ipsius cupiditas potest. Processit hæc sua ambitio, ut Regnum sibi totius Italiæ deberi non dubitet prædicare. Adversùs igitur hunc hominem si obsistere conamur, quis mirabitur? Postremò quam ipse pœnam ob inducias violatas expositi, nobis deberi dicimus; deque ea re arbitrium vestrum sit.* Quum hæc à Florentinis exposita fuerunt, Veneti lenire utrorumque dicta conati sunt: quod tamen facere nequiverunt. Eodem Anno Sigismundus Hungariæ Rex à Proceribus captus; quum proceres de alio eligendo non convenirent, tamdem ipsum carcere liberarunt, & in Regem assumserunt. In Regno quoque Neapolitano res turbulentæ erant. Nam Ladislaus, postquam Arce Nova potitus est, Fundos invasit, expugnatque. Inde terra & mari in Amalfitanos profectus, Rogerium Britannum, qui eam regionem occupaverat, dominio exuit. Inde in Aprutios versus, quòd Loisius in Provinciam iverat, brevi omnia suæ ditionis effecit. Restabant Calabriæ Civitates, in quibus major labor fuit, tum ob insitam animis hominum factionem Andegavensem, tum quòd Civitates natura munitæ non facile debellari poterant. Nam Rosianum, Catasarium, quas Civitates Nicolaus Ruffus obtinebat cum Crotono, Simeroque, ac Rhegio, & Civitates Restani Cantini, qui Comes Sanctæ Agathæ erat, alia omnia ejus Provinciæ Castella, Civitatesque sibi subjecerat. Quum illi omni spe destituti essent externæ opis, & ipsi per se se Ladislao obsistere nequivissent, quisque sibi consilium capit. Nicolaus suis Civibus dominio commendato, cum uxore & filiis in Provinciam aufugit. Cepitque Goffredum Marsanum, Thommasium verò Sanseverinum sibi conciliat. Alii permulti Sanseverinæ gentis perdomiti, capti Neapoli deferuntur. Deinde Thommasius quum Regem apud Palinurum redeuntem ex Calabria audiret, ab eo captus est; quumque apud Belverde esset Dux Venusinus, & Vigiliarum Episcopus, salutandi gratia Regem in triremi existentem adeunt, quumque descendere vellent, ut com-

commeatus Regi adduci facerent: *Non est opus*, inquit Rex. *Creditis ne, me sine commeatu iturum?* Signoque profectionis nautis dato, Neapolim secum asportavit, & carceri trusit. Ultimus ex Sanseverinorum familia Thomasius, & alter Roberti pater a Ladislao captus, Neapolim delati sunt. Polixena, quæ ad eam diem virgo sola ex Rufforum familia restabat, quæ in Sanesi Oppido erat, post Ladislai discessum Messanam aufugit. Hæc postea Carolo Malatestæ nupsit. Quo mortuo Michelettus Attendolus eam sibi desponsavit. Eo item Anno Ladislaus Regni diadema à Bonifacio assumsit per Cardinalem Florentinum, Caroli patris privatione prius abrogata, & Mariam Petri Regis Cypri filiam duxit uxorem.

Anno 1402. Roberto Imperatore in Germaniam reverso, Galeatius junctis cum Alberico copiis Bononienses invadit. Addit prioribus Alberici copiis Mantuanum, cum quo paullo ante fœdus inierat, & Pandulfum Malatestam Caroli fratrem, Ottolinum Parmensem. Sfortia Attendolus, qui cum equitibus sexcentis cum Florentinis stipendium sumserat, & duo filii Francisci Carrariæ, & cum Tartalia ex oppido Avello oriundo, & Bernardonus dux Florentinorum missi sunt in defensionem Johannis Bentivoli. Quum Galeatii exercitus esset in Mutinensi, quumque duces Galeatii Bononienses maxime infestarent, exules plura Castella jam in suas partes attraxerant, & in Urbe quoque suæ factionis hominibus erecti animi rem Bentivoli in maximum periculum adducebant. Erant Bononiensium castra quatuor millibus passuum procul Bononia apud Casalecchium, media inter Bononiam, & hostium castra. Id verò necessarium erat, quod inde aqua ex flumine Rheno Bononiam deferretur. Quam si hostes abstulissent, rem periculosam Bononiensibus reliquissent. Albericus dux hostium Bononiensium castra tamdem invasit. Commissa pugna acriter pugnatum. Tamdem quum Tartalia, qui pontis curam susceperat tuendam, multitudini hostium resistere nequiret, aufugit. Hostes occupato ponte, quum ex pluribus simul partibus invasissent, Bononienses in fugam versi cæduntur. Plures capti duces cum Bernardono ipso militiæ Florentinorum Principe. Duo filii Patavini se se Mantuano dedere. Castra deinde invasa, capta, atque direpta sunt. Præda ingens parta fuit. Die insequenti propius Bononiam castra admovere. Bononienses, qui adversæ factionis Bentivolo erant, erectis contra Dominum animis ea victoria elati, contra Johannem insurrexerunt. Jam non murmur modò erat, sed aperta voce clamitantes, nocturna pluribus in locis prœlia fecere. Contra hos Bentivolus obsistere, omnia providere, viriliter interdum pugnare. Sed quum tota Civitas esset in armis, & hostis ad mœnia, & in ipsis portis Urbis, structis aciebus insisteret, factio illa, quæ Bentivolo adversabatur, una portarum hostem introduxit, exulesque suos recepit. Tunc Johannes Bentivolus quum resistere multitudini conatus, multa prius expertus, pugnans confossus est, & cum illo Bardus, alter ex Florentinorum Legatis vulneratus. Insequenti nocte moritur. Nicolaus Usanus alter ex Legatis captus, Papiæ carceri truditur. Galeatius hoc maxime modo dominium Urbis sibi arripuit. Florentiæ postquam hæc nuntiata sunt, maxime trepidatum fuit. Capto enim nostrorum duce Bernardono, Bononia insuper à Galeatio occupata, in desperationem statum Reipublicæ adduxerat. Quod si hostes præsto adfuissent, non dubium erat, Galeatii jugum subiisse. Accedebat ad rerum desperationem Riccardus Pistoriensis, & Ubaldini, qui ea victoria elatis animis Florentinos invaserant. Duo restabant Florentinis, in quibus aliquid spei esse poterat, si Bonifacius Pontifex subvenisset, & Veneti. Missi ad eos repente Legati nihil profecere. Videbantur enim ambo Galeatii potentiam formidare, & propterea id lente agere; & Veneti pacta non satis æqua exposcebant, cum ob nimiam pecuniarum expostulationem, tum etiam quod pacem firmare cum Galeatio Florentinis irrequisitis posse ex fœdere volebant. Has Venetorum postulationes Florentini non concedendas rati; dura enim erat Venetorum petitio, & indecens Civitati existimabatur. Post captam Bononiam Galeatius adversa valetudine correptus, existimans filios suos adhuc impuberes esse, pacem exoptabat, Legatosque ad Venetos ob eam rem miserat. Hac spe allata Florentini, etsi non fidam pacis conditionem rebantur, tamen ab omnibus destituti acceptandam duxerant, existimantes pace peracta, Venetorum postulata leniri posse. Cometes illis diebus ingens exortus est. De quo Galeatius nuntiatus, ex cubili per manus suorum deductus, quum eam Cometem conspexit, *gratias*, inquit, *ago Deo, quòd mortis meæ signum Cœlo cunctis innotescere voluit*; paulloque post morbo invalescente mortuus est, tertia die Septembris in Madrignani Castello agri Mediolanensis. Quo cognito, mandatum Legatis, ne pacem firmarent. Superfuere ex Galeatio & uxore sua secunda, quam fuisse Bernabei patrui sui filiam supra memoravimus, Johannes, & Philippus. Nam ex prima uxore Elisabeth, Johannis Regis Franciæ filia quæ fuerat, prolem non susceperat. Quos parvulos heredes instituit; Johannem Mediolani Ducem, Bononiæ, Senarum, Perusii, & Assisii Dominum; Philippo verò reliquit Papiam, Veronam, & plura alia loca. Gabrieli verò filio naturali Pisas. Paullo ante Galeatii mortem Pontifex Bonifacius fœdus adversùs Mediolanensem cum Florentinis percusserat. Sfortia post conflictum more militiæ remissus est, & Florentiam se contulit cum equitibus sexcentis. Et quod Florentini pactione quingentos aureos ultra pactionem quotannis darent. Eodem Anno Tamburlanus, vir magnæ potentiæ moritur. In cujus exercitu fuisse perhibentur decies centena millia hominum. Persarum Princeps factus, quamquam infimo loco natus, Asiam occupaverat, Turcarum Regem cepit, & in triumphum secum in cavea ferrea victum asportabat. Subegerat Ægyptum, Damascum expugnarat. Si vixisset, Mundi Monarchiam sibi vindicasset. Jannellus Pontificis frater Perusium obsidebat. Contra eum missus est à Johanne Duce Mediolani Otto Bontertius Parmensis, qui Pontificis exercitum delevit. Nec ea hyems quieta Florentinis fuerat: nam qui equi Mediolanensis in Etruria erant, multas excursiones

fiones in Florentinorum agro fecerant; Florentinique etiam laceffiti & Pifanis & Senenfibus plura damna fecerunt.

Anno infequenti 1403. Pandulfus Malatefta miffus eft in auxilium Senenfium, & in agrum Aretinum ingreffus cuncta populabatur. Pontifex eo Anno fœdus cum Florentinis percufferat, conductofque plures duces ex his, qui Galeatii fuerant, Mediolanenfem infeftabat. In agro Parmenfi erant hi; Albericus Comes, Paulus Urfinus, & Carolus Malatefta, & cum his erat Balthaffar Coffa, unus ex numero Patrum, Legatus Pontificis. Qui tamdem apud Bononiam caftrametati, omnem Bononienfium agrum populabantur. Levia tamen prœlia per occafionem utriufque partis à Bononienfibus fiebant, non tamen ut in periculum fummæ totius belli pugnam adducerent. Eo Anno Braccius Montonus à Legato conductus, nullo fubditus poftea Duci, Dux belli optimus claruit, quum prius fub Alberico militaffet. Florentini eo Anno, corrupto Arcis cuftode Genuenfe nefcio quo, Caftrocaro potiti funt. Emerant id Oppidum prius à Bonifacio Pontifice, nec tamen ejus loci poffeffionem recipere potuerant. Pontificis copiæ eo Anno Affifiates deditione recepere, & poft Arce potiti funt. Mediolani eo Anno inter Confiliarios Ducis feditio orta, & quidam obtruncati funt, lectique alii Cives, qui rem Johannis pupilli adminiftrarent. Ex quo facta eft pæne totius ftatus conturbatio. Nam Hugo Cavalcabos Cremonenfis, expulfis Gibellinæ factionis urbe principibus, à Guelfis Dominus Civitatis creatur. Laudenfes à Duce Mediolani defecere, & uni ex Civibus fuis dominium Urbis tranftulere. Cremenfes fimiliter ab his invitati defecerunt à Duce ipforum. Placentini etiam fimilia perpetrarunt, & à Legato Pontificis auxilia fufcepere. Brixienfes, quum à Mediolanenfi defeciffent, Urbis dominium Francifco Patavino dedere. Quumque ille eo equites immitteret, Mediolanenfis exercitus illos euntes invafit, fugatque; plures Brixienfes interfecti, & Brixia recepta à Mediolanenfi eft. Eodem Anno Ladislaus Neapolitanorum Rex ab Hungaris in Regem legitur, Sigifmundo abdicato, quem vinctum carceri truferant. Quumque in Hungariam proficifceretur, Jadram Dalmatiæ Urbem fufcepit, plurefque Hungariæ Proceres ad eum venere, inter quos Epifcopus Strigonienfis, qui eum in Regem unxit. Ad eum enim pertinet Hungarorum legibus diadema Regni imponere. Miffus eft deinde à Ladislao Tricarici Comes in Hungariam, ut jus omnibus æquum redderet. Ille quum Proceribus Ladislai fautoribus nihil favoris præ ceteris ferret, indignati duces, Ladislao abdicato, Sigifmundo Regni poffeffionem reftituunt. Hac injuria Ladislaus Jadram ejus Regni Urbem poftea Venetis vendidit. Marchio Mantuanus Johanni Mediolani affinis quum videret tot Civitatum defectiones, & rem Mediolanenfis in periculum adductam, pacis auctor tanti belli fuit, conveniturque infciis Florentinis cum Legato Pontificis, ut Mediolanenfis reftitueret Pontifici Bononiam, & alia loca Ecclefiæ Romanæ, quorum poffeffionem habebat, & de rebus ipfius, quæ in Tufcia erant, omnis quæftio in Pontificis arbitrium committatur, ftandumque effe fuæ determinationi. Deceptos fe hoc fœdere Florentini queruntur, & tamen, quòd in Pontificis arbitrium res deducta erat, quievere. Bononienfes, pulfo in Arcem Facino Cane, Urbem Pontifici fubjecere. Deinde Arx à Mediolanenfi Legato Pontificis nomine traditur. Perufini etiam his auditis, Jannellum Pontificis fratrem quibufdam pactionibus in Urbem fufcepere, dummodo Ecellinus Michelettus quædam Perufini agri Caftella fufciperet, ac etiam Perufii gubernationem. Facinus Cane miffus Alexandriam à Duce ac ejus Matre, quòd tumultus in eo Oppido fieri perfenferant, plures res novas molientes ultimo fupplicio affecit, & dominium ejus loci fibi affumfit. Interea Pontifex quum ex arbitrio pacis tradito non poffet Florentinis perfuadere, ut paci ftuderent, dimifit eos. Ex quo factum eft, ut ipfi bellum cum Mediolanenfi gererent, idque perfeverarent, quod Galeatio vivo fufceperant. Ricardus Cancellarius pacem cum Florentinis firmat ea lege, ut exulibus fuæ factionis, & fibi fuifque, libere Piftorii degere liceret, & in ea habitare Civitate, bonaque reftituerentur omnibus fuis prius ablata; & domus fua, quæ diruta fuerat, reædificaretur eorum fumtibus, qui deftruxerant. Ipfe verò Sambucam Florentinis reftituit, & Florentini Domini Piftorii pleno jure effecti funt. Albericus Comes, Florentinorum ftipendio militans, mittitur in auxilium Hugonis Cavalcabovis, qui cum hoc duce agrum Mediolanenfem depopulatus eft. Cumani, quum rebus novandis ftuderent, Dux Mediolani immifit eo in fuorum præfidium Pandulfum Malateftam, qui pæne omnes exfpoliavit. Ea res tam dominio Ducis quàm Mediolanenfibus molefta fuit. Menfe Novembris Gabriel Maria, naturalis filius Galeatii, Pifas profectus, fibi à patre relictam, materque etiam in ejus comitiva fuit. Hi, quum acrius ad exactionem tributorum effent intenti, Francifcum Agliatam folvere recufantem obtruncarunt, & plures Bergolinæ factionis Cives carceri truferunt, quòd conjuraffe in eum dubitabant. Francifcus Salimbene Senenfis à Præfecto Ducis, Senis occifus eft; quòd cum Florentinis conjuraffe contra Ducem fuum ferebatur. Plures ejus rei auctores, illo occifo, fuga fibi confuluerunt.

Januario menfe Anni 1404. Florentini cum omni equitatu Pifas dolo capere adorti, ad mœnia ufque venere, fed proditoribus paullo ante captis, re infecta redierunt. Præfectus Johannis Regis Galliæ, qui Genuenfibus præerat Regis nomine, fœdus percuffit cum Pifanis, & Gabriele Maria, & Liburnum ex pactione fufcepit. Ex qua etiam Pifani tributi nomine penderent quotannis equum unum. Idque quum Florentinis nuntiaffet, ut à bello contra Pifanos moto defifterent, quòd id facilius fieret, bona Florentinorum, qui Genuæ erant, fequeftrari fecit. Id Florentini quamquam ægre ferebant, tamen ne bona amitterent, pacem per quatuor annos Pifanis dare promiferunt. Paulus Cretenfis Philofophiæ & Dialecticæ peritiffimus claruit. Tres Ducis Mediolani Confiliarii à Matre Ducis ultimo funt affecti fupplicio, & Antonius Vicecomes ex eadem cauffa carceri trufus, quòd contra Ducem facere nite-

ban-

batus. Petrus Ruffus Ducis rebellis stipendio Florentinorum militans cum tribus millibus peditum & ducentis equitibus, agrum Parmensem ingressus est, & cum his Urbem ingressus, dominium sibi arripuit solus. Sed Ottone Bontertio post paucos dies adveniente, secum in dominium hunc assumsit. Eo Anno Castilione Piscariæ agri Pisani à Florentinis capitur; similiter Collelungo, & ab his præsidio firmantur. Manfredus Scotus Placentinus Placentiam occupavit. Cives id ægre ferentes Ottoni Bontertio dominium illo ejecto tradidere. Hoc item pulso, adsciverunt sibi Franciscum Vicecomitem. Mense Aprili pax inter Senenses & Florentinos publice divulgatur. Ubertinorum Castella, quæ Antonius possidebat in Agro Aretino Vallis Ambræ, eo Anno à Florentinis occupantur. Gulielmus Scala cum Brunorio filio adjutus à Francisco Carraria, Veronam ingressi, assensu civium suorum dominabantur. Arx deinde traditur à suo Præfecto Francisco Carrario, qui ea munita dominium Urbis arripuit, dejectis Gulielmo & Brunorio, qui postea aufugiens in Alamanniam ad Sigismundum Imperatorem confugit, à quo benigne susceptus est. Pontremolum & omnis regio Ligurum à Duce Mediolanensi defecit, & Petro Parmensi se dedunt. Triginta duo Castella eo Anno in Casentino à Florentinis accepta, quæ prius fuerant Ubertinorum, & Guidonis, & Riccardi Comitis. Eo Anno motum est bellum inter Franciscum Carrarium & Venetos, & post fugatos Carrarii equites Vicentia Veneti potiti sunt, Malatesta Pisauri Domino eorum duce. Mediolanenses mense Aprilis quum quinque hominum busta sine capite cæsa reperiissent, excitato tumultu, gubernationem Ducis Duodecimviris per Populum electis dedere, Arcemque demoliti sunt, Matre Ducis repugnare non audente. Veneti continuant bellum cum Francisco Carrario, & magnis copiis Veronam obsidione cinxerunt. Otto Bontertius, expulso Petro Russo, solus Parmæ dominio potitur. Hoc in contemtum Florentinorum factum est. Mater Ducis timens plures seditiones Mediolani exortas, ad Monciam proficiscitur. Arcis autem Præfectus, quem sibi fidum Ducis Mater putabat, prodito puero, dat eum in posse Francisci Vicecomitis, qui Placentinis dominabatur. Is & Matrem & Puerum carceri trusit. Zacharias Papiensis, Galeatii olim Ducis familiaris, à quo etiam plures dignitates susceperat, Philippum Mariam carceri trusit, ut dominio Papiæ potiretur. Ita duo Galeatii filii eo Anno à suis proditi sunt; & quia impuberes ambo, magis calamitosum ab omnibus habitum est, magno profectò rerum humanarum documento. Astor Faventinus, quum ab Alberico infestaretur, nec Florentini subvenirent, Faventiam Legato Pontificis tradidit. Cui quum à Legato, qui tunc Bononiæ erat, promissa non servarentur, Urbe decedens, pauperrime vixit. Nicolaus Estensis Polesinem abstulit Venetis. Illi Ottonem Bontertium stipendio conductum mittunt, ut agrum Estensis invadat, bellumque illi inferat. Prima Octobris die Bonifacius IX. moritur, quum ad eum alterius Pontificis pro unione Ecclesiæ Legati venissent. Quo mortuo, Præfectus Arcis Molis Adriani eos cepit, nec Patrum jussu eos prius dimisit, quàm contra ipsorum voluntatem quinquemillia aureorum persolverent. Sic dimissi Florentiam ivere, exspectantes quid cum novo Pontifice ageretur. Mortuo Pontifice Patres elegere Cosmanum Sulmonensem, qui unus erat ex Patrum numero. Cui nomen inditum est Innocentius VII. hac lege, ut daret operam, ut Schisma omnino tolleretur, quod facere ante electionem juraverat. Jam tum Ladislai potentia formidolosa erat, omnisque Italia ejus metu tenebatur. Nam altus Cajetæ in summa paupertate ab infantia fuerat, vir callidus, & rei militaris peritissimus, dominandi cupidus; omnibus ferme bellis, postquam adolevit, adfuit; nullo denique labore corpus aut animus vinci poterat. Accedebat ad hæc Pontifex Innocentius Sulmonæ ortus, senex, & multarum rerum scius, ad quem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus est. Honesta videbatur Pontifici novo caussa. Sed Ladislaus ea accesserat mente, ut Romanos sibi adjungeret; clam verò id tentando in dies effecerat, quod Pontifex Romanis suspectus Urbe excederet. Idque effecit, ut Romani Urbis curam susciperent, sua Senatorum electio, & Moles Adriani esset. His ita dispositis in Regnum suum rediit. Mater Johannis Mariæ Ducis in carcere moritur. Ejus morte liberatur carcere Johannes filius, & Arces Mediolanenses pro Johanne ceperunt, quamquam Franciscus Vicecomes magnus apud suos Cives esset, & milites suo nomine omnes conscripsisset. Ea tempestate Marchio Montisferrati Vercellas & Novariam Duci abstulerat, & Salutii Marchio sibi Castella finitima. Occupaverat Facinus Canis Alexandriam. Eo Anno Veneti Pievaticum agri Patavini Castellum ceperunt, quod Paduani Principis erat. Pisani cum eorum Domino Gabriele Maria mandato Regis Galliæ novo Pontifici non parebant.

Anno Salutis 1405. rei frumentariæ inopiâ Nicolaus Estensis, relicto Francisco Patavino, cum quo fœdus jecerat, Venetis adhæsit. Cujus defectio caussam præstitit, ut Carrarius in maximas necessitates inciderit. Undecim Cardinales Italici generis ab Innocentio VII. Romæ creantur, quo tutior in Pontificatu perseveraret. Veronenses quum in metu frugum deperdendarum essent, Venetos in Urbem introducunt. Jacobus secundus, Paduani Principis filius quum obsistere nequiret, in Arcem se se recepit, paulloque post tradidit Arcem Venetis ea lege, ut ad patrem tute abire liceret; at dum iter faceret, captus est, & Venetiis carceri trusus. Benedictus, quem Galli Pontificem elegerant, cum Patribus Genuam venit, & à Genuensibus honorifice susceptus est. Ut facilius unio in Ecclesia Dei fieret, eò properaverat. Captâ Veronâ Patavini in maximo metu versari cœperunt. Crebræ enim in eorum agro excursiones fieri cœperant. Undique ager populabatur. Franciscus verò eorum Dominus sub spe pacis eos in fide continebat. Sed quum leges iniquæ sibi à Venetis offerrentur, statuit bellum continuare. Romæ per ea tempora contra Pontificem plures seditiones ortæ, Sabellis, & Columnensibus ceteris prævalentibus. Nam & Ursini in partes Pontificis putabantur, ob idque minus

minus poterant. Pontifex in Basilica Petri, pacis & quietis avidus, sedem elegerat. Ladislaus in præsidium Romanorum equitatum immiserat, ex quo cædes complures à Romanis factæ, & Pontificis fuga sequuta est. Deinde Romani Pontem Milvium in suam potestatem redigere conati, à præsidio Pontificis repulsi sunt. Dies erat festus, & qui ex fuga Romam venerant, Capitolium occupavere. Populus arma sumit, ædes Pontificis expugnaturus. Sed noctis interventu prœlium jam commissum direptum est. Quum pluribus diebus esset ab utrisque pugnatum, tamdem Romani per suos Oratores de pace quum agere cœpissent, multaque superbe expostulassent, re infecta in Urbem redeuntes, à Ludovico Pontificis Nepote juxta Molem Adriani obtruncantur, captique ex Romanis mense Augusto undecim, & crudeliter interemti sunt. Fuere ex his duo, qui electi fuerant ad Rempublicam gubernandam, novem alii ex principibus Civitatis erant, & ex his, qui pacis avidi aliqui fuerant Pontifici faventes. Hac re per Urbem vulgata, confestim arma resumta. Omnia Romæ clamoribus Populi resonabant. Occupant Romani Pontem, ubi Moles est Adriani. Pontifex re cognita, miro dolore angebatur: nam eo inscio res sic transacta crudelissime fuerat, à cujus lenitate nil magis alienum quàm cædes. Fortunam deplorabat, anxius tam suarum quàm suorum, quorum caussa tam pessimum facinus patratum fuerat. Deinde Deum invocat tantæ rei testem, se non conscium fuisse, ignarus tamdem, quid consilii caperet. Variæ Patrum erant sententiæ. Quidam standum censebant, præsidiaque amicorum contra Romanos evocanda. Alii statim abeundum, nec exspectandam Populi iram, & suorum justissimam ultionem, & eo maxime quòd equitatus Ladislai Urbi adventabat, quem in favorem Romanorum esse non erat ambiguum. Vicit tamdem hæc sententia. Et insequenti circa vigesimam horam abeuntes, ordinibus instructis, Vicum quarta hora noctis venere. Romani interea omnes, qui Pontificem sequebantur, qui Romæ erant, diripuerunt, quosdam etiam interfecerunt. Johannes Columna ædes Pontificis diripuit, ibique existentes obtruncat. Accessit Ladislaus; postquam eo pervenit, quum sui cum Romanis nonnulla furta commisissent, à Populo plures cæsi, ex quo Ladislaus in Regnum Neapolitanum rediit. Eodem Anno Gabriel Maria Pisarum Dominus intellecta fratrum suorum imminutione status, & res adversas in Liguria esse, Matre hortante Pisas Buccicaldo, qui pro Rege Galliæ morabatur, vendere est conatus. Quumque de pretio disceptaretur, Florentinis pro ducentis millibus ducatorum vendidit. Hi trigesima die Augusti quingentos pedites præsidio Arcis imposuere. Pisani indignati Arcem obsident. Gabrielis Mater, quum oppugnantes pellere conaretur, sonitu tormenti muralis moritur. Deinde Pisani majoribus animis Arcem adorti, vi illam expugnant. Capti & trucidati fere omnes, qui in præsidio Arcis erant. Arx verò diruta. Petrus Gaetanus suæ patriæ proditor, Lajaticum, Dorcianumque, & Arcem Petræcassæ Florentinis vendidit, & ab iis Eques creatus, & in numero Florentinorum Civium cum omni familia adscitus est. Pisani interea, quum pacem à Florentinis petitam impetrare non possent, Johannem Gambacurtam eorum exulem introducunt, qui pollicitus, se illis pacem daturum, Populi Capitaneus factus est; reconciliatis prius iis, qui factionis Raspantium fuerant, & sacramento adhibito, se Populi curam & libertatis tuendæ habiturum. Hæc ipse non servavit, nam quosdam ex inimicis obtruncari fecit; cum his Johannes Agnellus; & nonnullis omnia bona abstulit. Astor Faventinus mandato Balthassaris Cossæ Legati Pontificis occisus est. Mense Novembris Patavini contra Franciscum Carrarium eorum Dominum incitati, Paduam Venetis dederunt. Ipse Dominus, & ejus filius Venetias immissi sunt, ubi cum duobus filiis veneno periere. Pisani conducunt Angelum Pergulam ad eorum stipendium cum mille quingentis equitibus. Qui Pisas festinans, à Ludovico Innocentii Pontificis Nepote, qui à Florentinis ob id pecunias acceperat, in agro Senensi fugatus est. Hac clade suscepta Pisani triremi una pecuniam ingentem ad Ladislaum mittunt, ut Urbi præsidio esset, offerentesque ei plenum Urbis dominium. Quod ipse à Florentinis corruptus renuit. Captæ sunt mense Decembris à Florentinis triremes duæ, quæ in ostio Arni fluminis erant. Quæ res effecit, ut mari commeatus inhiberentur. Arx Verucæ paullo post à Florentinis capta est, in qua multa Pisanorum bona servabantur. Gaspar deinde Pagius Pisanorum stipendio militans cum equitibus quingentis Perusio movens, quum jam Pisanum agrum esset ingressus, à Sfortia Attendulo profligatus, equites pæne omnes amisit. Post eam pugnam depopulatus est Sfortia agrum Pisanum, Vadamque Oppidum, quod in litore maris situm est, expugnavit, diripuitque. Ob eam rem sancitum Florentiæ est, ut Sfortiæ quotannis, ultra provisiones sibi debitas, quingenti penderentur aurei: quod postea non servatum, ob quam causam se conduxit cum Ladislao cum equitibus septingentis.

Anno salutis 1406. mense Januario exercitus Florentinorum Vallem Heræ depopulati, Pecciolam Pisanorum Castellum deditione susceperunt. Et Comes Montis-Scutarii ad Florentinos defecit. Septem ei erant Castella, unde Pisanis bellum in maritima intulerunt. Amissa Pecciola, Castella Vallis Heræ Pisanorum ditioni prius subjecta Florentinis se dedere. Mense Februario Sfortia centumquinquaginta Pisanorum equites cepit. Romani Innocentio VII. plenum Urbis dominium, dum Viterbii esset, tradiderunt, Romamque evocarunt. Moles autem Adriani, in qua erat Regis Ladislai præsidium, obsidebatur. Tamdem Arx recepta, & pax cum Ladislao firmata est. In Liguria quoque res turbulentæ erant. Seditiones crebræ & cædes undique in Genuensi agro patrabantur. Ordelaffis deficientibus, Forolivienses libertatis avidi, & pressi à Pontificis exercitu, paciscuntur cum Balthassare Cossa Legato, quotannis tributum Pontifici pendere, ut adepta libertate fruerentur. Mense Martio Tojanum agri Pisani à Florentinis capitur. Receptis prope omnibus Pisanorum Castellis, Florentini mense Aprili Vicum obsi-

obsidebant; tormenta muralia plura ad id expugnandum exposita. Summa vi resistebant Pisani. Sed quum superioribus annis frumenta ex agris deperdita essent, Florentinis se dedere die sextadecima Julii. Ad Pisas obsidendas eodem mense itum est. Et quum Pisani frumenta ex Sicilia adducta exspectarent, Ranerius .... Civis Pisanus, quum videret tute per ostia Arni ingredi Urbem non posse, triremes, quibus advehebantur, litore demersit. Constat id illum fraude fecisse, cujus indicium fuit immunitas illi postea à Florentinis concessa. Interea Pisani rei frumentariæ inopia laborabant. Fecerunt tamen Johannem Gambacurtam Urbis Dominum, ut exactionem Civibus impositam exigere posset, quam acriter imposuerat. Avus enim meus Nicolaus Bonincontrius sexcentos solvit aureos; & bona Ecclesiarum abstulit. Interea Mons Calvolus à Pisanis defecit. Levia tamen prœlia ea occasione fiebant, quum Franciscus Mangiadorus, & Ludovicus Guicius Miniatenses Florentinorum rebelles cum paucis equitibus Pisanis præsidio essent, juxtaque portas sæpius pugnatum est. Legati Regis Galliæ denuntiant Florentinis, ut Pisis tamquam à re sua abstineant. Quibus Florentini responderunt, daturos se operam, ut Regi rem gratam facerent, & tamen in dies Pisæ acrius premebantur. Flumine deinde pluviis excrescente, Pisani strue lignorum facta impetum fecerunt in Pontem à Florentinis factum inter mare & Pisas, & illum expugnarunt, destruuntque. Propugnacula deinde adorti, quæ in ripa fluminis ad tutandum pontem erecta erant, expugnant, & non sine utriusque partis cæde expugnatio illa facta est. Tum Pisani superiores ea pugna Pisas rediere. Benedictus Mangiadorus, Bartholomæus & Franciscus ejus filii, quum intelligerent, Johannem Gambacurtam pactiones de prodenda Urbe Florentinis inire, prima noctis vigilia cum omnibus suis equitibus silentio noctis Pisis egredientes incolumes Lucam pervenere. Inde ad Venetorum stipendia profecti sunt. Johannes Gambacurta quum omni spe præsidii destitutus esset, & Pisani fame perirent, receptis quinquaginta millibus aureorum, & quibusdam ignobilibus Oppidis, Balneo, & aliis, Pisas Florentinis vendidit. Ita ille vir patricius imperio Pisanorum finem imposuit. Ludovicus Guicius ea pactione à Florentinis restitutus ea lege, ne in Miniate Oppido pernoctaret, neve tribus millibus passuum prope incolere liceret. Nam unus ex iis fuerat, qui cum Mangiadoriis Florentinorum Præfectum ex Palatio præcipitarant. Id ultimum Pisanorum imperium, quod tot seculis pollens fuerat, suorum Civium dissensionibus in posse suorum hostium devenit. Turcæ in Europam transeuntes Genuensium navibus freti, magnæ calamitatis initium Christianis dedere. Nam sexagintamillia Hungarorum & Græcorum prœliis absumsere. Deinde in Græciam reversi multa Castella ceperunt, in quibus etiam Civitatem Gallipolim, in qua Urbe validissimum præsidium imposuere. Ceteras Civitates immunitas reliquere, ne deficerent ab eis præter eas, quæ mari aut fluminibus propinquæ erant.

Innocentius VII. die V. Novembris Romæ interiit, & in ejus locum suffectus est Gregorius XII. natione Venetus, annum septuagesimum agens, cui Angelus Correrius nomen prius fuerat. Hic Paulum Ursinum stipe conduxit, ut libere Roma poti-retur. Eo tempore Ludovicus Nepos Innocentii VII. Firmi Dominus in Piceno fit, pluraque Castella Civitati finitima suæ ditionis effecit. Mirabitur fortè aliquis, quum Schisma in Ecclesia Dei jam pridem exortum est, cur Pater Angelum Patriarcham Constantinopolitanum, Cardinalem, Pontificem legerint, de quo altius paulo repetendum censui, quo electio illa clarius innotescat. Patrum Collegium, priusquam funeris solemnia fierent, dubium erat, Pontificem ne crearet in demortui locum, an exspectaret ita demum creare alium Pontificem renuntiaturum Pontificatui, si alter Pontifex, qui Romæ erat, renuntiaret. Hoc quum illi non impetrassent, anxii erant Patres, an Innocentio defuncto alium illi Pontificem sufficerent. Nam juris disceptatio inextricabilis videbatur, quòd non erat judex idoneus, aut superior, nisi Patrum Collegium. At ex altera parte, ne supersederent, difficultas urgebat, & metus, quum & dilatio longa videretur exspectare ex Gallia Legatos, quid illi censerent, & quod interea aliquid incommodi emergere potuisset. Quum hæc disceptata res aliquantisper à Patribus fuerit, tamdem vicit consilium, quod omnibus visum est. Patres mediam viam sequuti, eligere novum Pontificem statuere, sed ita eum legibus & jurejurando adstringere, qui eligeretur, ut se magis Procuratorem ad deponendum Pontificatum, quàm Pontificem factum existimaret. Hac cautione inter Patres facta, chirographo omnes se adstrinxere, ut qui eorum lectus in Pontificem esset, omnia jurata & conventa servaret. Ita depositurum eum Pontificatum, si Adversarius deposuisset. His peractis invitant alium Pontificem per literas ad Pontificatum deponendum, quum ille, quem ipsi creassent, deponere Pontificatum sit paratus. Idemque quod egerant, ad omnes Christi fideles per proprium Oratorem significarunt; bona fide egisse, quod fecerint, ut unio Ecclesiæ sequeretur. Pontifex igitur, ut primùm Romæ lætus fuit, idem, quod statuerant, juramento firmavit, atque ita loquebatur, ut si omnia sibi necessaria deessent, pedibus ad Concilium, ubi eligeretur, se iturum. Vir primò habitus bonæ fidei, ut in tali re opus esse Patres existimaverant, invitat suis literis, & cohortatur Adversarium ad Pontificatum deponendum, & ut locus Concilio statuatur. Eadem ferme alter Pontifex literis significavit, Saonæque sedes Concilii eligitur, locus ambobus communis atque percommodus. Sed tam bene cogitata humani generis hostis paulatim suspiciosa effecit, atque elabescere cœpit. Eodem Anno nascitur Leo in Castello Florentino Sfortiæ filius, dum ad stipendia Florentinorum militaret. Facinus Canis Johannis Mariæ Ducis Mediolani partes tutari cœperat acrius solito. Cujus ob invidiam Otto Bontertius Philippi Mariæ partes egregie tutabatur. Mediolanenses verò magnis inter se contentionibus decertabant. Paulus Ursinus, quum ad Pontificis stipendia militaret, nec sibi satis esset factum, Tusca-

scanellam arripuit, ac depopulatus est eam, quum benignè à Civibus fuisset juxta Urbem receptus. Exules Perusini in Agro Piceno quædam ignobilia Castella cepere. Raymundus Ursinus Tarenti Princeps moritur, relictis duobus filiis maribus Johanne Antonio & Gabriele sub matris tutela, & Catharina filia. Eo vita functo Ladislaus primo vere Tarenti castrametatus est. Dumque obsidio perduraret, omnia Castella agri Tarentini se Regi dedere. Erant in præsidium Johannis Antonii quidam exules Sanseverinæ familiæ. Civesque parvos liberos ægrè tutabantur, marique commeatus Tarentinis liberè invehebantur. Hæc quum Ladislao non laterent, Duci Atriensi obsidionis reliquit curam, ipseque Conversanum perrexit; Margaritaque, quæ ejus loci Domina erat, Regi se dedit. Deinde Æmiliam Comitem Sancti Angeli diu sibi rebellem perdomuit. Dum hæc per Regem fierent, Tarentini eruptione facta, quum aliquantisper magnis animis cum hoste pugnassent, tamdem in fugam versi, magna cum strage in Urbem compulsi sunt. Centum ex his cæsi, & centum quadraginta è Ponte præcipitati periere. Nec ea victoribus pugna incruenta fuit: nam Mascellus Fellapane, & Dux Atriensis cæsus est. Sunt qui dicant à suis cæsum ob tumultum in castris propter prædam exortum. Ejus mortem Josias filius acriter ultus est, & patris dominium suscepit Rege permittente. Nicolaus Ruffus eo tempore in Italiam rediit, quumque vidisset Mariam cum parvis liberis obsideri, ratus illam sibi matrimonio copulare, jam uxore in Gallia defuncta, sex Genuensium naves exornat, & Tarentum se confert. Gabriel Capitagnanus nobilis Tarentinus his perceptis, Tarentum Ladislao prodit. Maria verò cum parvis liberis in Arcem confugit. Quæ quum ingentes sibi parasset prius divitias, placuit mulieri probæ Regis Ladislai potius quàm Nicolai Ruffi nuptias celebrare. Rex, quòd erat genere nobilissima, & forma excellenti, matrimonium firmat, Licio, Sol.... que cum omni agro parvis liberis pactione servatis, nam Tarento Ladislaus prius potitus fuerat. Ruffus post hæc in Provinciam cum suis navibus rediit. Secundo nuptiarum mense Maria cum parvis liberis mandato Regis Neapolim venit, quæ à Neapolitanis honorificentissimè suscepta est.

Anno Salutis 1407. Ludovicus Innocentii VII. Pontificis jam defuncti Nepos, Gregorio XII. Pontifici adversus, dat Esculum Ladislao ea pactione, ut ipse Muropelli Comitatum recipiat, quod factum est. Sed non multo tempore observatum. Johannes Columna noctu Urbem Romam ingressus cum equitibus quingentis, & quibusdam suæ factionis exulibus, à Paulo Ursino repulsus & captus est. Hic se pecunia ingenti redemit, Pontifice non volente. Gregorius cum octo ex numero Patrum Senas profectus, relicto in præsidium Romæ Paulo Ursino, cui aliquot ignobilia Oppida ob stipem non solutam dederat, ut ad locum conventum Saonæ conveniret; sed injecti per suos metus, id jam lentè agere. Alter Pontifex jam Saonam venerat, & Gregorium perjurii arguebat, multaque præterea contra decus suum jactabundus in Concilio prædicabat. Erat in hoc homine non melior mens, quàm in Gregorio. Sed astu cuncta agebat, videbaturque obviam Gregorio ire, quia illum recusantem videbat. Berardus Varanus cum Ladislao fœdere icto, contra Pontificem plura machinabatur, multaque agri Piceni Oppida sibi adjunxerat. Henricus Britanniæ Rex Caroli Regis Galliæ Regnum invasit, pugnaque congressi apud Argentorium, dubie diu pugnatum; tamdem Britanni superiores facti quindecim millia Gallorum occidêre. Capti complures Galli duces, in quibus Dux Aurelianus, & Dux Borbonæ Regis affinis, & in Britanniam ducti, quorum alter in carcere obiit, alter post vigintiquinque annos à suis pecuniâ redemtus est. Post eam pugnam Normanni ad Henricum dasecere. Deinde Parisium cepit, in cujus captione Dux Armeniaci, & Delphinus Regis filius adolescens fugati sunt post longam pugnam, & sui omnes cæsi fuere; captusque in ea Delphinus fuisset: qui quia aufugerat, à Patre repudiatus, dedit unicam, quam habebat filiam Henrico in uxorem. Deinde Delphinus reparato majori exercitu, plura Oppida, quæ rebellarant, pugnando cepit. Interea Rex Franciæ moritur, & Delphinus ei successit. Quum inter Duces de pace ageretur, Henricus ad Montelsum ivit, ut cum Delphino & Regni Ducibus commodius de pace ageretur. Ita omuium animi ad iram proniores fuere, ut ad extinguendum hominum furorem gladio opus esse omnes succlamarent, atque ipsum Henricum insolentias agentem obtruncant. Sunt qui dicant, Delphinum hujus cædis inscium fuisse. Quæ res caussa fuit, bellum renovandi. Electus est in Regnum Henricus filius parvus ab Anglis. Galli verò in fines Normandiæ profecti magna manu Oppida expugnabant. Britanni contra, dum suis opem ferre niterentur, commissâ pugnâ, Galli in fugam versi sunt. Decemmillia Gallorum cæsa in ea pugna fuere, & Dux eorum à Britannis captus est, & complures alii Nobiles. Cecidere etiam ea pugna quatuor millia Scotorum, qui stipe conducti cum Gallis militabant. Ea clade suscepta Franciæ Rex omnia ultra Gæram fluvium amisit, præter eas Civitates, quæ Ducis Aureliani erant. Vigesima quinta Aprilis die Ladislaus, Columnensibus & Sabellis nitentibus, Romam ingressus est, Paulo etiam Ursino adnitente, qui ad Pontificis stipendia militabat; & à Bartholomæo Acciajolo Florentino Molem Adriani suscepit. Ob quod meritum Curratium Apuliæ Oppidum à Ladislao suscepit. Arcem illam Riccardo Cajetano tuendam dedit, præsidio in ea imposito. His temporibus Martinus Aragon Sardos sæpius rebellantes magna Sardorum clade subegit, & ne iterum rebellarent, triginta millia Sardorum sub hasta venire jussit, uxoresque eorum & filios in Aragoniam captivos duxit, servosque fecit. His peractis naturæ concessit. Quumque de Rege creando inter regni Duces contentio esset, Ferdinandus puer, qui pater Alphonsi fuit, Rex creatur. Iisdem etiam temporibus Martinus Aragon Siciliæ Rex moritur, regnumque ad Ferdinandum hereditario jure pervenit. Eodem Anno Maria filia Reginæ Mariæ, & Raymundi Ursini olim Principis Tarenti, Josiæ Aquino nup-

nupsit. Is erat Dux Atriæ. Petrus Celani Comes à Ladislao Regni Justitiarius creatur, cui Margarita Thomasii Marsani filia olim Admirati nupsit, quo Anno Lunæ Eclipsis, & magni terremotus Neapoli facti sunt. Tentarat Paulus Ursinus non multo ante Romam alteri Pontifici tradere, tredecimque triremes ex Genua accersierat; sed fœdis cœli tempestatibus illæ disjectæ, is prius à Ladislao præventus est, quàm Genuensium opera uti posset. Sunt qui dicant, Pontificem Gregorium non ignarum fuisse voluntatis Pauli Ursini, & Ladislao liberam facultatem dedisse occupandi Romam.

Anno salutis 1408. Gregorius, quum novos vellet Cardinales creare, à Patrum Collegio inhibetur, quos quum non posset in suam voluntatem attrahere, voluit illos carceri trudere. Re deprehensa Patres Lucam aufugere, quos quum capi à Paulo Guinisio Urbis Domino flagitaret, impetrare non potuit. Ipse tamen Pontifex quatuor in numero Patrum legit, dum mense Majo Lucæ esset: quorum duo Florentini fuere, Magister Lucas Ordinis Omnium Sanctorum, & Frater Johannes Dominicus. Alii Patres, qui prius cum Gregorio erant, his intellectis, deserto Pontifice, Pisas abierunt; & Patres alterius Pontificis, qui in Portu Veneris erant, Liburnum venere, deinde Pisas. Et cum ceteris congressi, de unione Ecclesiæ cogitarunt. Legati Venetorum, ac etiam Florentinorum, qui Lucæ erant, Pisas rediere, asserentes Gregorium non esse à Pontificatu depositum, Rege Ladislao jam adnitente, ne Gregorius Pontificatum dimitteret. Scripserat his diebus Ladislaus Florentinis, se velle Lucam proficisci, ut Concilio adesset, & ut pararent sibi commeatus, & exercitui suo; fœdusque & amicitiam exposcebat. Ob eam rem Florentini Oratores duos ad eum miserunt. Quos quum ille interrogaret, mandatumne ad fœdus percutiendum à Florentinis haberent, idque illi non habere mandatum ad eam rem assererent, indignatus Rex, altera deinde die dixit omnibus, se accersitum à Gregorio Pontifice, ut e Luca eum educeret tute per agrum Florentinum. Se esse Ecclesiæ Feudetarium, nec id denegare posse. Cepitque à Florentinis fidem publicam sibi dari pro duobus millibus equitum, quo tutius ire & redire Romam posset. Quumque hæc sibi Oratores denegassent, dixit vi se illud impetraturum. Deinde Roma discedens Neapolim ivit, ut exercitum compararet. Hæc quum Florentiæ relata sunt, Florentini obsides dedere Pontifici, ut tute per eorum agrum transire liceret. Ille Luca egressus, quarta die Senas cum uno tantùm ex veteribus Cardinalibus, & quatuor illis novis, quos Lucæ pronuntiasse diximus. Alter Pontifex, qui Genuam venerat, ut vidit, se à suis Cardinalibus esse relictum, triremi invectus, primo impetu Regem Galliæ excommunicat, quòd ejus consilio Patres abiisse ratus erat. Deinde in Aragoniam perrexit: dumque Perpignani esset, quatuor Cardinales pronuntiat. Balthassar Cossa Pontificis Legatus, qui Bononiæ & exercitui præerat, conduxit ad sua stipendia Galeottum Malatestam, ducemque creat exercitus Pontificis. Et audiens quæ facta erant, & Ladislai potentiam auctam, fœdus cum Florentinis percussit, statuitque cum his, ut Concilium Pisis fieret. Nam Patres utriusque Pontificis, qui Pisis aderant, scripserant universis Principibus & nationibus, neutri Pontifici fidem adhibendam, quum contra jusjurandum, quod ipsi promiserant, omnes fecissent. Similes etiam literas ipsi Pontifices scripsere, Patribus fidem non esse præstandam; & hi novos sibi Cardinales paravere. Deinde Gregorius Ariminum perrexit, & à Carolo Malatesta honorificentissime susceptus est. Dumque Ariminum pergeret, Cardinalis Columnensis Pisas aufugit, & secum aliis Cardinalibus conjunxit. Per ea tempora Gabriel Maria Genuam proditione capere cum quibusdam exulibus tentans, Urbem ingressus, à Buccicaldo captus est, & securi percussus.

Anno salutis 1409. Florentini per Oratores suos invitant Gregorium XII. ut Pisas proficiscatur ad novum creandum Pontificem, quem Patres ibi existentes eligerent? Quod ille facere recusavit, dicens illos ad se venturos. Ob quam rem Florentini denuntiant, se in posterum non habere eum in Pontificem. Ob quam rem Gregorius illos excommunicavit. Ladislaus Rex Gregorio favebat: datque ei viginti millia aureorum. Ob quam rem Pontifex concessit sibi totum Picenum, Perusium, Romamque, & quidquid nomine Ecclesiæ possidebat in Romandiola. Idem Rex, Francisco Salimbeno auctore, nisus est Senas sibi subjicere. Re intellecta Florentini veriti Regis potentiam, fœdus cum Senensibus percussere, ducemque belli elegerunt Malatestam Pandulfi, Pisauri Dominum. Ladislaus die duodecima Martii Romam ingressus, ad tertiam usque Aprilis diem ibidem fuit. Dum exercitum comparasset, deinde apud Bonconventum agri Senensis castrametatus est, Francisco Salimbeno ei commeatus præbente. Quumque accepisset, Florentinos cum Senensibus fœdus in suam perniciem percussisse, suos Oratores Florentiam misit, questum hanc rem, cum mandatis hujusmodi: *Maxime admiratur Rex noster Ladislaus, ò Domini Florentini, ex his, quæ nuper à vobis gesta sunt; & quum ab eo nulla lacessiti injuria, ausi sitis tot & tanta contra eum patrare. Ceterum maxime de vobis queritur, cur fœdus cum Legato Bononiensi feceritis, quem hostem suum cognoscitis, ac etiam cum Senensibus, quibuscum sibi bellum est. Deinde quod Pisis Concilium fieri permittitis, ut deposito vero Pontifice Gregorio, novum Pontificem Patres eligant. Postremò quod exules Perusinos Pontifici & sibi infensos ad stipendia vestra assumsistis, qui sibi vectigal sexaginta millium ducatorum debitum à Picentibus, eorum culpa, exigere Pontifice mandante nequierit. Ac etiam quod Montem Carolum Paulo Guinisio, sibi amicitia juncto, fraude intercipere conati estis. Orare vos, ut à talibus abstineatis, cupereque Regem, fœdus & amicitiam inire, dummodo suis hostibus, & Pontificis, nihil à vobis auxilii exhibeatur*. Hac oratione accepta, responsum à Florentinis est, non percusisse fœdus cum Cossa Legato, nec cum Senensibus, ut alicui, & maxime sibi bellum inferrent, sed ut sua tutarentur. Perusinos exules non fuisse ad ipsorum stipendia, quando ea in Piceno patrata essent; nec se aliquid umquam contra Paulum Guinisium molitos.

Ejus

Ejus rei ignaros esse, nec tantam rem illum apud eos questum. Quòd autem locum Concilii Pisis celebrandi Patribus permiserint, id non in contemtum cujusquam fecisse, sed ut unio aliquando in Ecclesia Dei fieret. Ibi aditum esse cuique liberum, & tutè inde abire posse. Quodque ipsi fecerunt, debere ab ipso quoque Rege fieri. De foedere autem & amicitia, quam exposcebat, id maxime eis placere, dummodo ab armis prius discedat, nec Senensibus sit molestus, sed in Regnum suum redeat. Deinde per otium & quietem responsuros. His auditis Ladislaus ad primum lapidem castra Senis habuit. Quumque Civitatem munitam Florentinorum praesidio vidisset, contra Florentinos movit, & Aretii castra habuit, cunctamque regionem depopulatus, ad Castilionem Aretinum ivit. Deinde in Cortonensem descendit. Cortonenses, ne ager vastaretur, Regem intra Urbem recepere. Deinde die trigesima Junii captus est à Comite Trojae Loisius Casale ejus loci Dominus, & Jacobus Gianfigliaccius, qui praesidio Florentinorum praeerat. Sfortia Attendolus, quum apud Marchionem Ferrariae militaret, cui cum Ottone Bontertio diu bellum fuerat, tamdem quum apud Rubieram pro concordia convenissent, Ottonem interfecit. Eo occiso, Marchio factus est Dominus Parmae, atque Regii. Sed ne cui mirum sit, qua ratione Sfortia Ottonem obtruncavit, paullo supra repetendum est.

Dum Nicolaus Estensis, ad cujus stipendia Sfortia cum septingentis equitibus militabat, cum Ottone decertaret, Michelettus Attendolus unus ex Sfortiae militibus ingressus agrum Parmensem populabundus, quum omnia armis infesta redderet, ab Ottone capitur cum equitibus centum viginti sex, & ab eodem carceri truditur: maleque habitus praeter militiae morem, tamdem elapso jam anno, effractis carceribus aufugit ad Episcopum Fillinum, qui eum pie recepit. Erat enim ex genere Ottonis, sed sibi infensus. Ob eam rem Otto Figlini castra habuit. Ibi Sfortia & Episcopus egregie tutati sunt, vulneratusque Otto in pede obsidionem reliquerat. Deinde quum Nicolaus & Otto convenissent pro pace firmanda, Michelettus statuit Ottonem obtruncare. Sed quum animo concidisset, Sfortia adhortante, vulneratur in capite, quumque ab equo concidisset, Michelettus ei vitam abstulit. Dum duo & viginti Cardinales utriusque Pontificis Pisis essent unà cum Episcopis, & Archiepiscopis centum octoginta, & cum tercentis Abbatibus, cum Magistris sacrae Theologiae ducentis octoginta duobus, solemniter congregati, saepius egerunt de novo Pontifice eligendo. Tamdem die vigesima sexta dicti mensis eligunt in Pontificem Petrum Candidum Cardinalem, sacrae Theologiae Magistrum, Ordinis Beati Francisci, qui prius fuerat Archiepiscopus Mediolani, & appellarunt eum Alexandrum V. Eodem tempore Ladislaus cum parte sui exercitus Neapolim rediit, quòd Ludovicus Andegavensis Ludovici filius Pisas venerat ad Concilium cum mille quingentis equitibus, & à Pontifice impetrarat Regnorum Apuliae & Hierusalem diadema. De quo Regno ejus pater cum Carolo Ladislai patre certarat, foedusque à patre cum Florentinis ictum iterum sanxit. Eodem tempore Ladislaus Jadram Venetis vendidit, immemor omnis maleficii ab iisdem suscepti. Genuenses rebellarunt eo Anno à Rege Franciae, quum Buccicaldus contra Facinum Canem esset profectus, & Guelfi omnes cum praesidio Regis Galliae Urbe pulsi, nonnulli resistentes caesi fuerunt. Equites Regis Ludovici, Florentinorumque, & Legati Pontificis, ceperunt Cetonam Urbemveterem, & Viterbium, in quo erat Gregorii Pontificis Nepos, & Urbis Romae Praefectus. Deinde Paullus Ursinus cum Pontifice, dum Pistorii esset, conducitur cum equitibus mille quingentis sexaginta, cui Florentini magna ex parte stipendium solverunt. His intellectis, Trojae Comes, quem Ladislaus in praesidium Perusii reliquerat, cum duobus millibus equitum Romam proficiscitur: adjutusque à Johanne, & Nicola Columna, & Baptista Sabello, multos ex factione Ursina in vinculis habuit, quosdam etiam Neapolim ad Regem misit, munitque Molem Adriani valido praesidio. Interea Sfortia Arcem Parmae, & Burgum Sancti Domnini ceperat, & alia complura Oppida, quae ab Ottone tenebantur. Ob eam rem Nicolaus Estensis dono dat Sfortiae Monticulum, quod in agro Parmensi situm est. Sed eo bello perfecto, Sfortia se cum Balthassare Cossa Legato Pontificis, Florentinis solventibus stipem sibi debitam, conduxit cum equitibus bis mille quadringentis, Romamque venit. Cum Paullo Ursino, Braccio Montono, & Gentili Montarano Vicum Sancti Petri ceperunt. Quumque nil contra Romanos moliri possent, in hyberna cessere. Sfortia Tudertum, ubi erat Tartalias pro Rege Ladislao, Paullus Ursinus ad sua Oppida, Braccius in Perusinum, Gentilis in Campaniam. Et quum Sfortia nonnulla Tudertini agri Oppida cepisset, inopia rei frumentariae Ameriam concessit, cepitque in uxorem Antoniam filiam Angeli Salimbeni, quae prius fuerat uxor Francisci Casalis, qui fuerat Cortonae Dominus; habuitque dotis nomine Montem Jovis, Montem Nigrum, Ripam, Balneum Vignoni. Cujus beneficio cepit deinde Dusium, Orrio Salimbene sibi favente. Eodem Anno Alexander Sfortiae Codignolae nascitur mense Octobris, cujus nomen Gregorius, sed quòd Alexander Pontifex eo Anno creatus est, Alexander dictus. Ea tempestate Ludovicus Andegavensis in Provinciam rediit, promisitque Florentinis primo vere adfuturum cum majori exercitu. Comes Trojae à Paullo Ursino fugatur. Qua ex re Romani à Ladislao rebellarunt, & Paullum belli beneficio intra moenia suscepere.

Anno insequenti, qui fuit 1410. Sfortias ivit cum Francisco filio, & Antonia uxore Clusium, ea spe, ut Cortona potiretur. Sed re non sequuta, relictis Florentinis, cum Alexandro Pontifice conducitur. Quo Anno Ladislai classis Telamonem expugnat, cepitque. Ea de caussa Senenses conducunt Michelettum Attendolum, Sfortia adnitente, cum equitibus tercentis, qui Telamonem Ladislao ademere, & statim ad Sfortiam redire. Deinde Sfortias, relicta in Civitate Castellana uxore, Romam venit. Malatesta Florentinorum Dux cum Paullo Ursino Tibur, Ostiamque deditione acceperunt, & quae-

quædam Oppida ignobilia parere Alexandro Pontifici coëgere, præter Columnensium & Sabellorum Castella. Alexander Pontifex discedens Pistorio, Bononiam ivit, à Bononiensibus honorificentissime susceptus. Sed V. Maji moritur. Sunt qui dicant periisse veneno per Legatum Cossam exhibito. Parum id constat. Eo Anno natus sum in Miniate Oppido, patre Bonicontrio, & Matre Jacoba, die XXIII. Februarii, Sole occidente. In demortui Pontificis locum Balthassar Cossa Neapolitanus suffectus est, dictus Johannes XXIII. Vir rerum gerendarum experientia magis, quàm literis aut sanctimonia clarus. Paullus Ursinus, & Sfortias mittuntur à Pontifice contra Ladislaum in favorem Ludovici Andegavensis. Nam Ladislaus Pontifici infensus, quòd cum Gentili Montarano Romæ prodendæ colloquia habuisset, Gentiles apud Ladislaum insinuatus proditionis, à Rege captus fuerat. Sed ille aufugit Padulum, & à Rege defecit. Contra hunc Ladislaus, quia Ludovicus Andegavensis jam Roma discesserat, non cunctandum ratus, occulte Paullum Ursinum in suas partes attraxit. Deinde complures Neapolitanos Urbe pepulit, quos favere Andegavensi cognoverat. Quo tempore Johannes Ursinus Tagliacotii Comes à Rege defecit, & ex Monticulo, quod in agro Fundano est, ubi plures hostis milites confluxerant, cuncta populabatur. Eodem ferme tempore Nicolaus Ruffus è Provincia solvens, in Calabriam venerat, & regioni illi adversus plura agri Crotoniensis oppida ceperat. Ludovicus ut vidit Paulli Ursini defectionem, putans se à Pontifice frustrari, Florentiam venit, & à Florentinis adjutus, inita cum novo Pontifice societate, suam classem Pisis exornat. Eo Anno Johannes Galeatius Estoris olim Faventinorum Domini recuperat Vallem Lamonis, & Faventiam, quæ loca Balthassar Cossa prius occupaverat, & ultimo supplicio affecerat Estorem ejus patrem, quum Bononiæ legatione fungeretur. Gentilis à militibus Ladislai oppressus, pactus salutem suam & filiorum, Regi se dedit, à quo Regno amissis Oppidis pulsus aberravit. Ludovicus pridie Idus Maji à Pontifice coronatur Regni Neapolitani Rex, misitque naves octo, quas exornarat, & triremes viginti in Regnum. Quæ in ipso itinere Ladislai classi obviam factæ. Præerant classis Ladislai triremibus septem Angelus Marestus, sex verò navibus Benedictus Lipparius. Hic naves Andegavensis, quod sine triremibus erant, expugnat, cepitque. Triremes verò, quæ jam Neapolim venerant, ut certiores factæ sunt de pugna à suis male habita, in Calabrias ad Nicolaum Ruffum ivere, & in ipso itinere Policastrum expugnant. Eo tempore Cicchus Burgus, quo Ladislaus in consiliis plurimum utebatur, mortuus est, vir consilio & eloquentia pollens. Eo die, quo naves Andegavensis captæ fuerant, ipse invaserat Regnum cum Johanne Ursino, Braccio, Sfortia, Gentile, Montarano, Francisco Mangiadoro, & pluribus ex Sanseverinorum familia cum equitibus duodecim millibus & peditibus sex millibus. Et apud Roccam-Siccam castrametati, commissoque cum Ladislao prœlio, cui erant tredecimmillia equitum, & par peditum numerus, diu anceps fuit pugna. Et secunda Ladislai acies, in qua ipse pugnabat, pedem referre cœpit; qui in tertia à Rege relicti in præsidium, fuerant in fugam versi. Ladislaus ægrè Torellam agri Casinensis evasit, plerique Duces capti: castris etiam hostium potiti sunt. Sed fortuna rebus prosperis adversa tantam victoriam Ludovico præstitam illico abstulit. Nam victoria illa consenuit, & quasi mox à suis desertus est. Ex tantis Regni Ducibus, quos ea victoria Andegavensis ceperat, nemo suas partes post eam pugnam sequutus est, nisi Antonius Cantarinus Alveti Comes. Is enim solus à Ladislao defecit. Ipse verò Andegavensis, quum se frustratum vidisset, in Provinciam rediit. Ladislaus brevi à suis adjutus rapto exercitu, IX. Calendas Maii contra Antonium Cantarinum movit. Alvetani Regi se dedere. Per ea tempora quum Vicepræfectus Urbis Jacobus opprimeretur, classis in auxilium ejus à Ladislao mittitur. Deinde in Calabrias profectus, Nicolaum Ruffum, qui jam Crotonium, & Catansarium occupaverat, omnibus bonis privavit. Ipse verò Ruffus in Provinciam abiit. Gentilis per ea tempora à Braca Comite Neocastri in Campania capitur, ad Ladislaum perductus, securi percussus est. Eo tempore plures Duces Regni, qui in custodia à Ladislao tenebantur, quum in eum conspirassent, detecta re ultimo supplicio affecti sunt (in his fuit Comes Terrænovæ Sanctæ Agathæ) custodes verò carceris laqueo necavit. Per ea tempora Sfortias Attendolus desertus ab Andegavensi ad Ladislaum se contulit, à quo in Samnio missus Alfium & Ariolam in Regis partes attraxit, diripuitque. Deinde Sfortias à Ladislao missus ad hybernandum in agro Reatino, in quo decem oppida subegit. Reate occupatur à Ladislao. Deinde quod reliquum hyemis fuerat, Sfortias Spoletum concessit. In Gallia quoque ea tempestate res turbulentæ erant, Anglis cum Rege Galliæ decertantibus. Sed in omni ferme pugna Angli superiores evaserant. In Etruria quoque Ladislai duces Jacobus Urbis Præfectus, & Tartalias Lavellensis patrimonii Terras infestabant, Rege eis mari auxilia ministrante, & opulentissima Italiæ Regio vastabatur. Eodem Anno Electores Imperii Vincislao Suevo Imperium malè administrante, Robertum, quem legerant, abrogarunt, Cæsaremque dixerunt Sigismundum Vincislai fratrem: cui omnes & animi & corporis vires fuere, majestasq; tanto Principe digna. Qui quum liberalissimus esset, atque munificus, vigintinovem annis Imperium rexit. Ferdinandus Aragoniæ Rex ea tempestate decessit, cui Alphonsus filius in omnibus Regnis successit.

Anno 1411. Pestis valida in Hetruria fuit, quæ multos absumsit. Nicolaus Medicus eo tempore claruit, librumque utilissimum in Medicina ex plurimorum Auctorum dictis confecit, quem Medici optimum habent. Is eo Anno Florentiæ moritur. Florentini paciscuntur cum Ladislao, fœdusque cum eo jecere, ea lege, ne contra Ludovicum Andegavensem, quocum fœdus erat, aliquid attentarent. Deinde Ladislaus Cortonam vendidit Florentinis vigintiquinque millibus aureorum. Die 18. Januarii possessionem Civitatis cepere. Johannes Pontifex Romam pro-

proficiscitur circa initia veris, & cum eo Loisius Andegavensis. Carolus Malatesta Dux exercitus creatur à Ladislao, ut Pontifici bellum inferret. Eo item Anno libertatem sibi Bononienses vindicarunt. Ferrariæ Marchio, qui prius cum Pontifice erat, defecit, & Forum-Livii occupavit. Celtæ ea tempestate cum Genuensibus eruentè certabant. Captæ enim plures ab utrisque Naves; piraticam uterque crudeliter exercebat. Celtæ triremibus meliores. Genuenses verò navibus plurimum poterant. Crescentibus in dies rapinis, odia asperiora erant; nam qui capiebantur, cum navibus mari demergebantur, & Genuenses paria in Celtas exercebant odia, vel gladio captos obtruncabant. Sfortias finito stipendii tempore in partes Pontificis fuit, unde Pontifex cum Sfortia consilia communicans, & Braccio Montono, juxta Pontificem aliquantisper fuere. Eo Anno Pontifex Cotignolam Sfortiæ, & Comitatus titulum dedit, & similior omnibus Attendolis. Eo Anno Antonia uxor Sfortiæ moritur. Quo Anno Pontifex non fidens Ladislao, Sfortiam in præsidium Civitatis Castellanæ misit.

Anno 1412. Cotignola tota igne crematur ab incerto auctore immisso igne juxta finem Februarii, exceptis Sfortiæ & Laurentii Attendoli domibus. Hac clade suscepta Sfortias inopiæ suorum subvenit, & ædificia multa propriâ pecuniâ refici cultoribus jussit. Mœnia ambitu majora fecit, omnemque materiam ædificare volentibus suâ coëmit pecuniâ, frumentaque ad victum Civibus præbuit necessaria, aliisque rebus juvit. Hungari eo Anno in Venetorum agros irruperunt, Friulo eis ademto, Pippo Stolario eorum duce, qui cum Sigismundo militabat. Deinde apud Tarvisium castrametati sunt. Quo tempore Veneti sumserunt iterum ad eorum stipendia Carolum Malatestam Pisauri Dominum, mense Aprili. Qui inde abiens, reliquit ducem exercitus Pandulphum ejus fratrem. Factæ sunt induciæ inter Sigismundum & Venetos pro annis quinque, non servatæ. Nam Hungari castris exuerunt mense Augusto Venetos, & Carolus eorum dux vulneratur. Deinde Imperator cum uxore castrametatur apud Udinum, populabanturque omnia ferro & igne vastantes. Deinde Tarvisium, Paduamque exercitus suos Imperator transmisit, & in Veronense, similia patrantes. Deinde reversi sunt in agrum Furlanum. Diximus, Sfortiam jam cum Pontifice militare. Et quum Ladislai metus in dies magis ac magis Pontifici de Rege esset injectus, convocat Romam suos duces, in quibus erat Paulus Ursinus, & Sfortias Attendolus cum equitibus duobus millibus. Braccius autem aliis rebus intricatus in Perusino erat. Dumque ibi essent, Sfortias non fidens Paullo, muniit Columnæ Oppidum, ubi se cum suis continebat. Pontifex anxius, ne hosti adhæreret, misit ad eum Angelum Cardinalem cum triginta sex millibus aureis, ut ei dentur. Quumque ille jussa Pontificis exsequi vellet, interrogat Sfortias, an sibi pro veteri stipendio pecuniam persolveret, an ut iterum ad Pontificis stipendia esset. Quumque ille pro conducta nova respondisset, *nolo eos recipere*, inquit Sfortias. *Sed ideo Roma discessi, quia non fidebam Paullo Ursino*. Non multo post Sfortias finito Pontificis stipendio, se cum Ladislao conjunxit cum equitibus duobus millibus & quadringentis, & peditibus quadringentis. Hi ob falsam suspicionem Capuæ à Rege carcerantur, & eorum bona direpta, quòd rumor erat, Sfortiam adhæsisse Pontifici. Re deinde cognita liberantur, & Sfortias Capuam ad Regem profectus est.

Anno Gratiæ 1413. Sfortias postquam stipendium à Rege suscepit, Picenum ingressus, Paullum Ursinum sibi invisum in Arce Contraria astu intercinxit. Fuit hæc potissima causa, ut Rex potiretur Urbe Roma. Quumque Rex Sfortiæ plurimum fideret, eo ad se advocato, misit ad continuandam Paulli obsidionem Carolum Malatestam Cesenæ Dominum, ut tam Paullo, quàm Comiti Carrariæ bellum inferret. Ea tempestate Paullus aufugit Carolo adnitente; nam Carolus Arcem illam, ubi Paullus obsidebatur, Malatesta dedit. Ceterum captâ Româ Pontificis jussu præerat Christophorus Cajetanus Fundorum Comes. Quum igitur summa vi Rex contra Christophorum niteretur, intromissis per effractam muri partem militibus, Cajetanum loco disjecit. Pontifex aufugit, captaque Urbe, Rex in Regnum rediens, animum ad omnem Italiam occupandam Sfortia consulente adjecit, & eodem illo auctore creat Nicolaum Estensem principem militiæ in Flaminia, Sfortia pro eo fidejubente. Michelettus verò Regis jussu in hibernis Faventiam ierat, & Malatesta Cæsenam, ut primo vere obsiderent Boniam cum equitibus quinquemillibus, quos Philippus Maria ex pactione cum Rege habita exsolvere tenebatur. Sfortiæque mandat, ut Præfecto Vici auxilio sit: mox sese sequuturum affirmans, ut Florentinis ac Senensibus bellum inferret. Johannes XXIII. Pontifex Româ à Ladislao captâ, & Patribus direptis, Florentiam aufugit. Quo tempore plures factiones Florentiæ exortæ sunt. Nam quidam Pontifici, multi verò Regi Ladislao favebant. Ob eam rem Pontifex Florentiæ non recipitur metu Regis, sed extra muros ædem Beati Antonii incoluit. Tamdem post tres menses receptus in Urbem est. Quo tempore quidquid agri èst inter Romam & Senas Rex suæ ditionis effecerat, & omni Italiæ formidabilis habebatur. Quæ res effecit, ut Pontifex ad extrema auxilia confugerit. Ea tempestate Sigismundus Cæsar, fratre Vincilao jam penitus abrogato, quod Imperium malè administrabat, finibus Italiæ adventabat. Re igitur literis prius cogitata, Pontifex ad Cæsarem duos ex numero Patrum Legatos misit. Quæ res initium fuit malorum, quæ postea Pontifici accidêre; effecitque ut omnia cœlesti ordine gubernari credamus. Quo enim loco Concilium fieret, prius ipse Pontifex secum cogitabat, asserebatque non fidendum loco, in quo Sigismundus plus se posset. Itaque amplissimam Legatis palàm potestatem dederat de loco, quem ipsi elegissent. Secretò autem quædam præfinita loca Concilio assignari volebat; docetque Legatos, quanti ponderis ea res sit. Deinde conversus ad benevolentiam, quum ipsorum prudentiæ cuncta demandasset, hortatur eos, ut suarum re-

rum curam eo dignitatis haberent, cedulamque, in qua præfinita loca demandarat, combussit, eorum fidei fidens. Hi quum ad Sigismundum venissent, Constantiam pro loco Synodi generalis elegerunt Imperatori subjectam. Quod postquam Pontifex scivit, condoluit, & fortunam suam deploratus est. Sed Dei judicium immutabile est. Igitur hyemis initio Bononiam ivit. Deinde apud Placentiam cum Sigismundo congressus, inde Laudum profecti, mense ferè uno ibi consedere. Ea tempestate Philippus Maria Mediolani Dux ex diutino bello vires resumere incipiebat, non tamen integrè adhuc patris Regnum recuperabat. Sed quæque Civitas suos Tyrannos habebat. Eo Anno Dux Venetorum moritur, & in ejus locum suffectus est Thomas Mocenigus. Ea tempestate Ladislaus Paullum Ursinum sibi adsciverat. Ipseque Rex paullò post valetudine oppressus, quum fidem Ursinorum fluxam vidisset, eos in vinculis conjecit, Neapolimque deferri jussit.

Anno insequenti 1414. invalescente in dies morbo, Neapolim delatus Rex interiit; sed antea mandarat, ut Paullus & ceteri, quos captivos habebat, capite punirentur. Quod sui exsequi recusarunt. Mortuus est Nonis Augusti. Sepultus est sepulcro marmoreo in Æde Divi Johannis in Carbonaria, quæ extra muros Civitatis est, annum agens quadragesimum octavum, qui etsi multa egregia egisset, fœda tamen, & Regi tanto aliqua indecora patravit. Nam frustratus est Carolum Carassium, Jadram Venetis, & Cortonam pretio inductus Florentinis vendidit; & quum Romam ingressus est, sacras Ædes diripuit, Reliquias multas Sanctorum, auro gemmisque redimitas, exspoliavit. Etiam in Matronas Romanas fœda commisit. Patres & Clericos veluti captivos redemit. Præterea Constantiam Claramontem, quam sibi matrimonio copularat, a qua ingentem pecuniam dotis nomine susceperat, nulla causa legitima subsistente, repudiavit, dote etiam non restituta, quod & privato homini indecorum fuisset. Johanna II. Ladislao fratri in Regno successit, quæ viro orbata, & rerum humanarum ignara, infimos quoque homines primò ad Regni administrationem evexit. Pandolfellum, virum antea abjectum, ac etiam sordido loco natum, omnium consiliorum participem fecit, & magnum Regni Camerarium. Ea tempestate Galeatius Malatesta dissentiens ab Anconitanis, conatus est noctu dolo Anconam occupare. Re detecta plures ex suis cæsi, captique; & re infecta discessit. Sed omnem Comitatum eis ademit mense Octobris. Deinde Venetis intermediis pax Anconitanis datur. Sigismundus Imperator ea tempestate ad res Gallorum conciliandas iverat, dubitans de Pontificis adventu, quem redisse Bononiam nuntiabatur. Ea tempestate Regni Neapolitani Proceres, qui à Ladislao vel exules, vel suis turbati possessionibus fuerant, rebus novandis intenti, omnia in Regno turbarunt; ducesque exercitus nova sibi consilia sumere cœperunt. Nam Sfortias, qui ea tempestate à Ladislao in auxilium Jacobi Præfecti Urbis missus fuerat, eo relicto in Regnum ad Johannam Reginam properarat. Braccius, qui cum Pontifice in Bononiensi erat, nova sibi consilia capere. Et ut paucis verum absolvam, quisque pro suo commodo consilia capiebat. Pontifex verò ob Regis mortem jam ab itinere ad Concilium alienus videbatur. Ea tempestate Henricus Britanniæ Insulæ Rex, adjutus à Burgundiæ Comite, Carolo VI. Francorum Rege, quem amentem dicebant, bellum moverat, quod multis tempestatibus postea continuatum est magna Gallorum clade. Johannes Pontifex, relicto apud Anconam Sigismundo, Mantuam petiverat. Tamdem exacta hyeme facti pœnitens Bononiam redierat. Florentini Buccicaldo pulso è Genua, Portum Veneris coëmere à quodam Gallo ejus loci Præfecto. Deinde Portum Lirici, & Sinum, & Sarrezanellum cepere. Iis de rebus Genuenses, quum à Florentinis horum Castellorum restitutio denegaretur, bellum contra Florentinos indixerunt, minisque effecere, ut Florentini timentes, ne Ladislao adhærerent, Castella illa Genuensibus redderent, & Genuenses navem Pisanis prius ademtam restituerent.

Anno gratiæ 1415. Sfortias, postquam Præfecto subvenerat, in Tudertinum profectus, omnia Castella Tudertini agri partim vi, partim deditione receptis, Tudertum obsedit, antequam ex Etruria discederet. Relicta obsidione Tuderti, quum habuisset à Ladislao Terras Orbatelli, Plani Castanearii, & Martem, cum Johanne Carazzolo comitivam volens, Johannæ Reginæ nomine, ea loca dedit Carazzolo pro aureis millequingentis, quos stipendii nomine suscepturus erat. Deinde quum Carazzolus alios quingentos exposceret, & Sfortias pecunia egens non posset persolvere, relicta Etruria abiit in Regnum. Ex quo factum est, ut Senenses Orbatello potirentur. Quumque Sfortias Romam peteret, ut in fide Reginæ Romanos contineret, jam eos rebellasse comperiit. Tum Columnensibus & Sabellis admittentibus Romam ingressus, tribus diebus cum factione Ursina acriter pugnatum est; ita ut Sfortias in magno vitæ periculo fuerit. Ictu enim quasi exanimis concidit, ensem & chirothecam amiserat. Sed mœnibus recuperatis, quum videret hostes plurimum posse, Viterbium rediit. Ea ætate Reginæ nomine suscepit Montaltum, Camnum, Guttas, Gradobium, Arcem Rebesenæ, Bassanellum, Sanctam Severam, Arcem Mediam, Aquampendentem, Radicosanum, Montemsalcinum, Lubrianum, Porcennam Silvenam, reliquitque ibi Michelettum, Fulchinum, & Sanctumparentem cum equitibus sexcentis. Ipse verò cum ducentis ferme equitibus Neapolim perrexit, ut ostenderet Reginæ fidem, & constantiam animi, quam Ladislao fratri integerrimam semper præstiterat. Ea tempestate Malatesta Cæsenæ Dominus bellum indixit Ludovico Miliorato Firmano, olim Piceni Marchioni, cui agrum Firmanum, & ejus Castella ademit. Binorii deinde metu induciæ factæ sunt, quia Braccius Cæsenatem agrum ferro & igne populabundus invaserat. Qua ex re Malatesta Cæsenam rediit. Eodem Anno Malatesta idem contra Rodulphum Varanum movit, credens eum & filios captivare. Captaque Constantia illius uxore, Gradaræ in vinculis habita, deinde post quartum mensem Ber-

Bertinori illam observare cœpit. Autumno deinde adventante liberatur à captivitate. Jamque Johannes Carazzolus, Marinus Boffa, & Pandolfellus primum apud Reginam locum obtinebant. Sed Carazzolus Sfortiæ infensus, quòd, quum apud eum militare voluisset, Sfortias non plus quam pro novem equitibus ei stipendium dare voluisset, vir ambitiosus, & quietis impatiens, id ægerrime tulerat, timens ne Sfortias tantis rebus præclarissime gestis, ejus gratiam imminueret, Reginæ persuadet, ne virum tam potentem in Regno susciperet. Quem si fortè demiserit, periculum esse, ne aliquam Civitatem occuparet, & ei bellum inferret. Jamque Autumnus instabat. His clamoribus Reginæ commotæ Sfortiam capi suadebat. Sed Pandolfello & Boffa consulentibus, quos pigebat Carazzoli potentiam magis magisque in dies augeri, res sublata est, datis tamen fidejussoribus Micheletto & Marco Attendolis, ne quid Sfortias innovaret. Primùm Sfortias cepit uxorem Catharinam Alapiam Pandolfelli sororem, quæ pedissequa Reginæ erat, Regina id maxime à Sfortia exposcente. Ea tempestate non solùm Florentini atque Senenses, sed etiam Pontifex, Ladislai morte solutus, venire ad Concilium repugnabat, nisi eum vulgi rumores, & literæ ab eo missæ deterruissent. Igitur circiter Calendas Octobris Bononia movens, Constantiam pervenit. Necdum Sigismundus ex Gallia redierat, paulloque post reversus, quùm altercari cum Pontifice cœpisset, Pontifex abire conatus, adjutus à factione Episcopi Moguntini, & Frederico Duce Austriæ, qui Imperatoris auctoritatem infringere conabatur, quarto sui adventus mense, noctu incognitus aufugiens, Patribus ignaris Scafusam pervenit, quæ Civitas Frederico subdita erat. Re cognita plures ex Patribus Pontificem sequuti sunt, ut eum ad Concilium retraherent. Qui quum ei id persuadere non possent, ad Concilium rediere. Quumque Fredericus literas satis graves à Sigismundo & Patribus recepisset, facti pœnitens Pontificem cepit; captusque Sigismundo mandante in vinculis habitus est. Deinde seu sponte, seu vi, Pontificatui renuntiavit.

Anno insequenti 1416. lenta Concilii res; & quum quædam tollere prorsus, nonnulla etiam moderari in Ecclesia Dei Imperator niteretur, à Patribus admonitus destitit, simul quod etiam Benedictus & Gregorius nuper Pisis damnati, alter in Piceno, alter in Hispania vivebat. Sed Benedictus pertinacissime perseverans, numquam Pontificatui renuntiarat, & per Concilium Constantiæ damnatus est; & tamdem Otto Columnensis postea Pontifex factus, & Martinus V. dictus. Interea Regni Proceres persuadent Reginæ, ut ad secunda vota transeat. Quorum suasionibus mota, Jacobum Borbonum Marchiæ Comitem accepit in virum. Quo tempore ipsa erat annorum quadraginta sex. Miserat paucis ante mensibus Johanna ad Concilium Pandolfellum. Quo tempore jam Johannes Carazzolus propter elegantiam apud Reginam primum locum obtinebat. Ex quo factum, ut Pandolfelli gratiam illo interim absente ita minueret, ut neminem cariorem haberet. Magnum rerum humanarum documentum, qui Regibus intimi esse velint, non esse longius abeundum. Sfortias deinde post nuptias celebratas, recepto veteri ac novo stipendio missus est, adnitente Carazzolo, in Patrimonium, relictis, quos supra diximus, obsidibus. Qui postquam eo pervenit, militibus suis, & Laurentio Attendolo, stipendio cum fide soluto, uti sibi mandatum fuerat, rediit in Regnum cum equitibus quatuor mille & quingentis, & peditibus quingentis. Jamque Aquilani morte Regis à Regina defecerant. Arx in fide Reginæ perstabat. Cui quum Sfortias auxilium afferret, Aquilani contranitentes facile à Sfortia fugantur. Sfortias multis captis atque occisis, Urbem ingressus, à præda abstinuit. Sed Arci subsidio fuit, eamque egregie muniit. His peractis contra Christophorum Cajetanum venit. Is Itrio se continebat; castrisque juxta positis, paullo post Christophorum in partes Reginæ attraxit. Deinde transvectus in Lirim, Jacobum Marsanum adolescentem Ducem Suessæ, hortantibus suis civibus, deditione recepit. Restarat Julius Cæsar, & Fabritius Leonitia, qui auctores fuerant rebellionis Capuæ. Hos item compulit ad deditionem. Ob quæ egregia gesta, in nuptiis Castellæ uxoris, Magnus Regni Comestabulus à Regina creatus est, Carazzolo id ægre ferente. Datque ei Regina in præmium rerum tam prosperè gestarum Sanense Oppidum, Tricaricum, Satrianum, Milionichum, Caseranum, & quædam alia ignobilia Castella. Interea Jacobus ad nuptias Reginæ celebrandas venit in Regnum ad Manfredonum, sed ea lege, ne Regium nomen assumeret, sed diceretur Calabriæ Dux, & Tarenti Princeps. Missi sunt ad Jacobum recipiendum Sfortias, Petrus Jurea Trojæ Comes, qui Manfredoniæ Dominus erat, Julius Cæsar Capuanus, Ceccolinus Perusinus cum mandatis, ne Jacobum tamquam Regem salutarent, sed dicerent eum Tarenti Principem, Ducemque Calabriæ; sed præter Sfortiam nullus fuit mandato Reginæ obediens. Quumque illi Regem salutassent, miratus, cur Sfortias non idem faceret, ægrè id tulit. Quumque omnes Jacobo persuaderent, ut Sfortiam caperet, & Pandulfellum, caussam quærens, responderunt, numquam illis incolumibus se Regem futurum. Id quum Comes Trojæ in sua ditione fieri non passurum assereret, res dilata est aliquot diebus. Quumque ad Calorem fluvium venissent, statuit Jacobus eum capere. Sfortias re cognita inter suos primus flumen ingressus ceteros transeuntes acie instructa in ripa fluminis vultu adeò terribili perterruit, ut injecto in illis metu, nemo eum accingere ausus fuerit. Sed postquam Beneventum ingressi sunt, quum ad Jacobum salutandum Sfortias Castellum esset ingressus, Julius Capuanus Jacobo coram cum Sfortia, uti convenerant, verbis satis gravibus altercatur. Tunc Trojæ Comes & Ceccolinus, quasi litigium sedaturi, Sfortiam & Julium in diversis Castelli cameris trahunt. Sed Julius illico liberatur. Sfortias captus, & Fuschinus, omnesque sui equites exspoliati sunt. Santus verò Parentus aufugit ad Laurentium Attendolum, qui Petræ fittæ erat. Fuere hæc mense Septembris. Sfortias cum filiis à Jacobo Neapoli carcera-

tur, & quæstionibus expositus est. Post hæc Pandolfellus capitur. Jamque Jacobus sibi Regium nomen adsciverat. Regina verò observabatur quasi captiva. Pandolfellus ultimo supplicio afficitur. Erant ea tempestate in Arce Nova capti Maria Ladislai olim uxor, & Johannes Antonius Ursinus, & Gabriel ejus frater, Mariæ ex Raymundo Principe Tarenti filii, Paullusque Ursinus, Sfortias, & Franciscus filius. Quos omnes præter Sfortiam & Franciscum, & Jacobum Marsanum, Jacobus vinculis & carcere liberari jussit. Eodem Anno Braccio adnitente Paullus Ursinus apud Collem Floridum à Ludovico Columna obtruncatur. Qui sub Sfortia militabant, pars ad Laurentium Attendolum, alii ad Michelettum confugiunt. Is ea tempestate Petræfittæ erat. Deinde ad Tricaricum ivere Oppidum munitissimum, unde & Lucanos & Apulos bello infestabant. Ad hos oppugnandos Julius & Fabritius à Jacobo jam Rege facto missi fuere. Quumque nihil proficerent, & querelæ subditorum in dies increbrescerent, Jacobus quatuor Oratores ad Michelettum misit, viros ex Nobilitate Neapolitana primarios. Hos in ipso itinere Margarita Sfortiæ soror, quæ Frumeri se continebat, intercepit, asserens, se eos numquam liberaturam, donec Sfortias liber esset. Quæ fuit potissima caussa, ne Sfortias necaretur. Erat hæc uxor Michelini Attendoli.

Carolus Malatesta Malatestæ frater ivit in favorem Perusinorum, quos Braccius bello persequebatur. Et die duodecima Julii à Braccio postea magno prœlio superatur haud procul à Perusio. Jacobus Rex rebus suis pæne diffidens, his conditionibus cum Attendolo paciscitur, ut Laurentius stipendio Regis sit in Regno cum equitibus mille, & cum eo Loisius, Sanctus, Bosius, & Fuschinus Attendoli. Quos omnes Sfortias evexerat. Michelinus & Margarita relicto Frumero exulent cum Micheletto & Sfortiæ filiis. Sfortias verò & Franciscus in Castello Novo sint carcere soluti, neve quicquam mali his fit, restituanturque à Sfortia Regi Oppida, quæ illi ademerat. Leo, Johannes, & Alexander cum Micheletto exulent. Qui iverunt in Tusciam ad ea Castella, quæ Sfortiæ erant in Patrimonio. Deinde Michelettus Braccio Montono adhæsit cum equitibus quadringentis, & ducentis peditibus. Braccius ea tempestate Bononiæ à Johanne Pontifice præsidio relictus fuerat. Qui quum accepisset alium Pontificem lectum, omnem agrum Bononiensem insequenti Anno occupavit, suscepitque à Bononiensibus pro his Castellis restituendis aureos sexaginta mille. Qua pecunia postea in Perusinum descendit. Sed prius Forolíviensem agrum depopulatus est. Præerat Perusinis Carolus Malatesta, & Ceccolinus. Commisso cum his prœlio, Perusini primò superiores erant. Deinde quum majori vi Braccius urgeret, Perusini in fugam versi, eorumque duces capti, Civitatem ad deditionem faciendam compulit. Fuere hæc circa diem XV. Julii. Ceccolinus carcere necatur. Carolus sexaginta millibus aureorum se postea redemit. Interea dum Johannam Reginam, quæ captiva à Jacobo viro observabatur, Julius Cæsar clam adiit. Queritur, se male à Jacobo habitum, & suis Gal-

A lis invisum, dolere & miserari Reginæ fatum. Sed si sibi, quæ errasset, condonare vellet, salutem se se sibi & suis libertatem restituturum. Quumque Regina postulasset, quonam modo id fieri posset, *obtruncando*, inquit Julius, *Jacobum, te his miseriis eripiam*. Illa ut erat injuriarum tenax, rem dissimulans, ait: *Fac igitur, quæso, rei huic bene provideas; dieque tertia ad me redi, ut intelligam, quid & tibi, & mihi agendum sit*. Quumque Julius abiisset, *ulciscar*, inquit, *de inimicis meis cum inimicis meis*. Jacobo accersito rem, uti à Julio acceperat, aperit, docetque ab illo cavendum. Ille rem incredibilem ratus, quum fingi à Regina existimaret, *fa-*
B *ciam*, inquit Johanna, *ut tuis auribus à Julio omnia accipias*. Die insequenti Jacobum absconso in loco apud se abdit. Julium deinde ad se venire jubet. Quumque interrogaret, quid consilii cepisset: *aggrediar*, inquit, *hoc pugione Regem, eumque interficiam. Non facies*, inquit Jacobus, comprehendique eum à circumstantibus facit, & post diem tertium securi percussus est. Ea re quum liberius Regina haberetur, communicato cum Sfortia consilio, & cum Annico Mommino, & Octino Carazzolo, Regina invitatur ab Augustino Bontiano Florentino ad cœnam. Quumque ibi esset, inquit Octinus: *Viri Neapoli-*
C *tani, hæc est Regina, & non Jacobus*. Quumque illa ad Arcem Novam ingredi vellet, tum Morminus & Carazzolus, *non facies*, inquiunt, Perduxeruntque eam magna Populi frequentia in Arcem Capuanam. Deinde obsident Jacobum. Is, quòd Neapolitanos omnes contra se armari viderat, cum iis paciscitur, tradita Arce Nova, ut Galli omnes, qui apud eum erant, exularent, quinquaginta tantummodo apud se retentis ex sua familia, Reginaque Regni administrationem haberet, ipse Vicarius generalis Regni, & Princeps Tarenti diceretur. Sunt qui velint, Reginam manus Jacobi evasisse, quumque per Civitatem vagaretur post Julii mortem, magnusque Populi concursus desiderio ejus
D visendæ factus esset, orare Populum cœpisset, ut sui aliquando misereretur, se à Jacobo male habitam observari captivam, imperium omne sibi ademtum, nec posse Neapolitanis ita, ut intenderat, gratiam referre. Ad eam vocem quum lacrymæ oculis obortæ confluxissent, commota Plebs mulieris misericordia, & Octinus Carazzolus, Annichiausque Momminus, & nonnulli alii Nobiles clamore ingenti Reginam expostulabant. Ferlingerius, qui à Jacobo Reginæ datus custos fuerat, his vocibus deterritus, quum tumultum cohibere tentasset, duobus acceptis vulneribus captus est. Regina ad Episcopatum perducta, illicoque adorti Ca-
E puanam Arcem insequenti nocte expugnarunt, sole exorto Reginam eo perducentes. Moxque eodem impetu Castellum Sancti Erasmi cepere. Rex his auditis, Arci Novæ non fidens, in Peninsulam Ovi aufugerat, ibi obsessus. Paucis post diebus Regina Arcem Aversæ primò, deinde Arcem Novam deditione recepit, tertioque post mense Peninsulam Ovi pactione à Jacobo viro suscepit. Hæc fama, ut vero proximior, valebat. Quumque hac lege regimen apud Reginam esset, Sfortias à Regina cum filio liberatur, magnique Comestabuli officio restitutus est.

Fran-

Franciscum verò filium Comitem Aresani creavit. Deinde donat Sfortiæ Trojam cum omnibus Castellis, & in aliis Regni partibus, & in Apulia Oppida duodecim.

Anno 1417. Braccius adjungit sibi magna pecunia Tartaliam Lavellum, & Bernardum Varanum. Sed Tartaliam ea lege, ut Castella Sfortiæ si caperentur, quæ erant in Tuscia, Tartaliæ essent. Michelettumque renuit, qui quum magnis precibus rogaret Braccium, ut Terrarum Sfortiæ curam susciperet, id renuit, nec vetus stipendium illi persolvit. Michelettus rogat Nicolaum Piccininum unum ex principibus Bracci, ut sibi det mutuo aureos quingentos. Ille quum pecuniam non haberet, dedit sibi vasa argentea, quæ pignori daret. Valde enim Nicolaus Sfortiam dilexerat. Ea pecunia Michelettus ad Aquampendentem, & Porcennam se continuit. Alia Sfortiæ Castella Tartalias habuit. Quo tempore Senenses contra Sfortiam moventes, ademere sibi Clusium, Ripam, Montem Jovis, & Balneum Vignoni. Hæc prima origo fuit inimicitiarum inter Braccium & Sfortiam exortarum. Ea tempestate Martinus V. Pontifex factus mense Novembris cum Johanna Regina fœdus & amicitiam fecit, ea lege ut Urbis Romæ, & Civitatum Ecclesiæ curam, tuitionemque susciperet, quoad ipse in Italia esset. Ea tempestate Sigismundus Philippo Scholario principe superat magna clade Teucros. Erat is Florentiæ oriundus, qui plures ea tempestate victorias ex Teucris reportarat, nec tum à Florentinis aliquo honore evectus, qui sibi & Patriæ magnis suis periculis tantum gloriæ pepererat. Sed mense Majo ejus Anni Henricus Angliæ Rex, Duce Burgundiæ sibi favente, Parisius occupavit. Eodem Anno ingens pestilentia totam Etruriam pæne invasit. Malatesta Cæsenæ Dominus, audito fratris conflictu, quum ad balnea esset, dolore interiit. Iisdem temporibus Johannes Hussius Boëmus hæresis damnatus est in Concilio, quòd asserebat, Clericos nil proprium habere apud se debere. Nec ea hæresis, quamquam igne crematus, exstirpari prorsus à Boëmis potuit. Mortuus est hilari vultu, cantans quemdam hymnum, quem fumus & ignis vis intercepit. Ea tempestate Ludovicus Andegavensis in Provincia moritur. Ejus imperium ad Renatum filium devenit, qui superioribus Annis ab Anglis prœlio victus in vinculis erat, captusque carceri observabatur. Eo Anno Ser Johannes Carazzolus magnus Regni Senescalcus à Regina creatur, & Marino Bosso magistratum restituit, à quo à Jacobo amotus fuerat, datque ei in uxorem Johannicellam Stendardam, quæ olim nupserat Samueli Thomacello Bonifacii Pontificis Nepoti. Sfortias cum Marino egerat, ut Francisco ejus filio hæc daretur, sed itinere Sfortiæ, quod postea sequutum est, frustra id tentatum evasit: magnum exemplum, ut omnes sibi melius quàm alteri malint. Erat enim ditissima, & multorum Oppidorum Domina. Braccius Perusio capto, plures Ecclesiæ Civitates occupavit, maximè circa Firmum diripuit, & Ludovicum Firmanum cepit, qui multa pecunia se & suos redemit. Deinde Nursiam obsedit, & multavit ingenti pecunia.

A Anno Salutis 1418. Martinus V. Pontifex Alamannia discedens, Brixiam venit, ubi à Pandulfo Malatesta ejus loci Domino honorificentissimè susceptus est. Deinde Mantuam venit, ubi aliquot mensibus fuit, egitque, ut Pandulfus cum Philippo Maria fœdus iniret, & à bellis cessaret. Quo tempore Guido Feltrius creatur à Martino Urbinatum Dux. Ea re indignatus Braccius, bellum Urbinatensibus intulit, quod postea cessat. Sfortias Attendolus à Johanna Regina in præsidium Ostiæ, & Molis Adriani, quæ loca Braccius obsederat, missus est. Et quia jam Regina cum Pontifice fœdus & amicitiam firmarat, & Braccii potentia plurimum B creverat, præcepit Regina Jacobo Caldolæ, ut Sfortiæ se conjungeret. Idem mandat Petro Barili Comiti Montis Odorisii, & Christophoro Cajetano, Comiti etiam Carrariæ, & Francisco Ursino, ut ad diem præscriptam omnes præstò in Campaniam adsint, Sfortiæ auspicio rem gesturi. Martinus excommunicat Braccium, eo quod subditis Ecclesiæ bellum intulerat. Eodem Anno Robertus Sanseverinus è Leone Sanseverino & Elisia Carazzola nascitur die 16. Julii paullo post Solis exortum. Mense Martio Sfortias, relicto Laurentio Attendolo ad Regni curam, contra Braccium proficiscitur. Quumque sub Frusolano esset, aliquantisper ibi stativa C habuit, ut Caldolam & ceteros sibi adjungeret. Sed jam Caldola cum Braccio convenerat, Sfortiam interficere. Re cognita, Sfortias propere Reginæ aperit Caldolæ defectionem. Illa jubet Sfortiæ, ut provideat, ne quid detrimenti capiat, idque suo consilio faciat. Jam Caldola ad Abbatiam Casæmalæ, quæ duodecim millibus passuum à castris Sfortiæ aberat. Cui erant equites mille ducenti. Misitque ad Sfortiam Comitem Montis Odorisii excusatum, quod nondum sui convenerant, ut Romam peteret: se se illico sequuturum. Sfortias hoc nuntio de proditione certior factus, Comitem ad Caldolam misit, asserens, se postera die profe- D ctorum, ut quamprimum eum sequeretur. Quumque ille hoc responso accepto abiisset, Sfortias apud suos concione habita, exponit quo in periculo sint, & quanta cum Braccio Caldola, ut eos intercluderet, egerit: non esse amplius fidendum Caldolæ & suis, nec expectandum, ut exercitus Braccii adventaret. Quid sibi à Regina mandatum sit. Jubet atque hortatur, ut eum sequantur, & bono animo sint. Deinde instructis ordinibus Caldolam aggreditur. Ille jam suos instruxerat, occupaveratque tumulum quemdam castris suis propinquum. Quumque illi non fideret, Abbatiam munivit. Commisso prœlio, in ipso montis accessu Caldola fu- E gatur, & captus est. Die insequenti Abbatiam cepit. Captus in ea Comes Odorisii, & omnes Furvaterum missi. Quod Oppidum erat Christophori Cajetani. Ceteros equites sacramento fidelitatis sibi adjunxit. Reginam de omnibus certiorem reddidit. Deinde tribus castris ad Marinum Pontificis Oppidum pervenit. Mense Septembris Carolus Malatesta Arimini Dominus moritur, relictis Pandulfo, Sigismundo, & Dominico filiis, non legitimo matrimonio natis, & Pandulfo ejus fratre. Mense Decembris Malatesta Pisauri Dominus moritur, dum esset in

cœna

cœna. His auditis Comes Carrariæ, quo se tutiorem redderet, affinitatem cum Sfortia contraxit. Datque Antoniam Sfortiæ filiam Ardizono Carrario ejus filio, & eodem Anno nuptiæ celebratæ Trojæ; junxitque se deinde Sfortiæ apud Marinum, ubi omnes sui convenerant. Erant omnes hæ copiæ equites quinque mille, pedites mille, quos Sfortias ex omni Regno & Campania secum adduxerat. Cum his copiis, acie tripartita, pluribus diebus Romæ pugnaturus se offerebant. Econtra Braccius suos egredi Urbem prohibebat. Sfortias, quum Braccius pugnandi copiam non faceret, Lavinium concessit, ponteque navigiis prope Ostiam peracto Tiberim trajecit. Quum annonæ inopia octo ferme diebus exercitum captivo pecore aluisset, ducesque copiarum id vidissent, interrogavere Sfortiam, si ab eo latere fluvii commeatus exercitui subministrabitur: *in dexteris*, inquit, *nostris*, *& armis commeatus erunt*. Hortaturque suos, ut bono animo sint; castraque decemmillibus passuum ab Urbe erexit. Ea nocte casu cerva fugiens, quum canes urgerent, ingressa Sfortiæ tabernaculum, ab eodem obtruncatur. *Bono*, inquit, *animo*, Sfortias suis, *estote*. *Fugabimus hostem*. Et per Pontem Molis Adriani orto jam Sole Urbem ingressus, Braccium fugat, qui per Pontem Milvium aufugit, Pontemque rescindit, ne Sfortias inde sequeretur. Quæ res fecit, ut plures, qui Braccium tamdiu sequuti erant, à Sfortianis interciperentur. Nec prius fugiendi finis factus est, quàm Mallianum in Sabinis pervenit. Ibi communicato cum Tartalia consilio, in Perusinum profectus est, Tartalias Tuscanellam, Berardus verò Varanus Camerinum petivit. Urbe capta Cardinalis Sancti Angeli, qui rebellioni Romanorum caussam dederat, à Sfortia captus est, & in Mole Adriani in vinculis habitus, ubi paullo post moritur. Convocatisque militibus, quos cum Caldola & Odorisio militasse diximus, interrogat, si apud se esse vellent, debitamque illis mercedem daturum. Omnes assensere præter Sclavertum & Gregorium Illyricos, qui id omnino negarunt, quibus Sfortias placido sermone respondit seriò: *Scio, quid animi vobis contra me fuerit, quum Regi Jacobo promiseritis me obtruncaturos. Sumite arma, & quidquid rei vobis est, & abite in pace*. Nicolaus Piccininus, qui in Præneste in præsidio relictus fuerat à Braccio, paucis post diebus quàm Roma capta est, Urbem cum quadringentis equitibus populabundus accesserat: qui à Sfortia capti, & ab eo bene habiti sunt, quo ad Tartalias relaxaret illos Micheletti, quos in Terris Sfortiæ interceperat. Deinde Nicolaus, donatus à Sfortia, ad Braccium rediit.

Jamque Autumnus adventarat, quum Sfortias, compositis Romæ rebus, Jacobum unum ex Patribus Romæ in præsidium reliquit, & Nannem Spinellum Senatorem. Deinde Viterbium profectus, quod Tartalias singulis ferme diebus ad portas usque populabundus veniebat. Contra hos Sfortias, quum Viterbii esset, equitem immisit, Musabubellumque, & suos equites intercepit. Fuerat hic unus ex Tartaliæ ducibus, armis strenuus. Quum Sfortias Romam ingredi proposuerit, antequam Viterbio abiret, instructis ordinibus, & in insidiis sex cohortibus relictis, equites levis armaturæ obequitare Tuscanellæ portis jussit, ipseque loco paullo eminentiori rei exitum speculaturus consedit. Tartalias non ferendum ratus, ut erat natura acer, copias eduxit. Prœlioque inito tribus ferme horis acriter pugnatum est. Qua in pugna plurimum Francisci Sfortiæ adolescentis egregii virtus enituit. Quumque ancipiti marte pugnaretur, Sfortias mittit in hostem Accattabrigam, Fuschinum, Mannum Barilem, Petrum Pelacanum, qui se paullulum ex pugna subtraxerant. Tartaliani autem segnius resistebant. Tunc Sfortias vexillum in hostem proficisci jubet. Tartalias veritus, ne major esset hostium multitudo, pedem referre cœpit. Conati sunt Sfortiani una cum Tartalianis admixti Urbem ingredi, idque fecissent, nisi Pons multitudine armatorum oppressus corruisset. Præcipitati sunt ex eo Jacobus Busus, Gerardus Gratianus, & Pellinus, qui in manus hostium devenere. Sfortias his peractis, ceteros incolumes Viterbium reduxit, tribus his tantùm amissis. Deinde Sfortias omni cum exercitu Romam proficiscitur; nasciturque ei filius Leonardus, sic dictus, quòd in quiete quum Neapoli captivus teneretur, Divus Leonardus sibi dicere visus est: *Die celebri mei Natalis vinculis liberaberis*. *Facque, ut filio tibi nascituro Leonardi nomen imponas*. Romam verò quum petiisset, Jordanus Pontificis frater rogat Sfortiam, ut Fuschinum in præsidium Romanorum relinquat. Quo facto Capuam ivit. Quumque susceptâ pecuniâ nova militibus stipendia dedisset, Neapolim petiit, & à Regina bene habitus. Datque ei ob res in Tuscia gestas, & Romæ, Beneventum & Manfredoniam, celebratque Claram filiam suam in matrimonium Marino Caracciolo fratri Johannis Caraccioli, quem sibi infensum ob invidiam cognoverat, & omnibus suis rebus adversum: quo tamdem modo animum tanti viri ea affinitate flectere potuisset. Sed nihil profuit, nam Caracciolo suadente Jacobus Caldola, & Petrus Barile à Regina vinculis liberantur, quos Sfortiæ infensos sciebat. Mittuntque Sfortiam in Valledíam contra Sanseverinos, ut gratiam, quam cum his habebat, Sfortias minueret. Sed contra evenit. Nam ille cohortatus eos ad deditionem, reduxit ad Reginæ obedientiam. Nec quicquam propterea ex amicitiâ Sfortiæ imminutum est. Interea Sfortias dat in matrimonium Francisco filio Polissenam Russam Comitem Montis-alti. Isque ad nuptias celebrandas mense Augusto in Calabrias profectus est, edoctus à patre, ne subditis quidquid injuriosum faceret, secundò ne in familiam suam verberibus animadverteret: quod si casu faceret, illico verberatum illum expelleret, tertiò quòd equum fræno non bene parentem non ascenderet. Datque viros præstantes ei in comitivam, atque armis edoctos, quòd hæc prima ejus militia fuerat, Berardum Varanum, Pellinum Blantium Parmensem, Antonium Farnensem, Anichum Roccham, Bardonum Raynaldum Codignolam, Theodorum Illyricum, atque Minutulum, & multos, quos enumerare longum esset. Sed ante omnes præfecit Berardum, ut filii curam haberet. Deinde nuptiæ celebrantur cum dote, præter Civitates & Oppida, vigin-

gintimillium aureorum, quæ fuere Mons Altus cum omni ejus agro, Paulla, Fascaldum, Carrate, Sellia, Campana, Boccole, Cachurum, Hinarium, Policastrum, Calmera, Meliocha, & Mesianum. Dum Franciscus in Calabria esset, Sfortias Neapolim rediens, quòd multa per Caracciolum contra se parari acceperat, quum ad Schafate Pontem pervenisset, veritus insidias, mutata veste incognitus Ponticulum transit. Inde ceteri subsequuntur. Deinde Neapolim venit. Erat ea tempestate Franciscus Ursinus præsidio Arcis Novæ. Quumque Sfortias eum adiret, Reginæ erga se animos exploraturus, ille ut erat paratus ad dissimulanda omnia, Sfortiæ bene polliceri cœpit, Reginam bono in eum animo esse, nilque timendum. His verbis fidens Sfortias, castra ad Incoronatam habuit, nil ab eo mali suspicans. Sed nocte insequenti Franciscus castra Sfortiæ invadit. Quare fuit necesse, ut Sfortias apud Griptam haud procul Neapoli pedem referret, ibique munitis castris consedit. Deinde in agrum Aversanum concessit. Quo tempore Caracciolus spondet Francisco Ursino nuptias Trojæ Comitis cum Canusia de Liceto & Sancta Agatha dotis nomine, quæ ex Caracciolis erat. Deinde amicis intermediis Sfortias Reginæ conciliatur, restitutis sibi equitibus & rebus, quas Franciscus Ursinus sibi ademerat.

Eodem Anno Bartholomæus nascitur Sfortiæ ex Catellina uxore Beneventi, & ipsa in eo partu periit. Eodem Anno Guido Feltrius, Bernardino Ubaldino principe ejus militiæ, Assisium Braccio ademit. Sed paullo post à Braccio recuperatur, captis ibi multis equitibus hostium. Æstatis fine Sfortias contra Franciscum Momminum Ebuli Dominum à Regina missus, illum ad deditionem occulte simulatam adduxit. Per ea tempora Philippus Maria patris imperium fere omne reassumserat, Brixiamque, quam Pandulfus Malatesta morte patris sibi ademerat, suæ ditionis effecerat, illo prius in patentibus Montis Clari campis profligato, duce Angelo Pergula, quo duce Helvetios gentem indomitam antea & Apennino subjectam fuderat. Interea Johanna Regina Jacobum virum suum nec plane repudiatum, nec liberaliter habitum, apud se habebat. Antonius Columna Pontificis ex fratre Nepos Neapolim venit, & fœdus Pontificis cum Regina ictum divulgari fecit; factusque est Dux Amalfitanus, donoque suscepit à Regina Castellum Maris Stabiæ; deinde Principatu Salerni donatus est. Jamque rumor erat, post Johannæ Reginæ mortem, Pontificem voluisse illum Regem Neapolitanum futurum, quod ex aliis rebus magis quàm ex vero compertum habeo. Nam Johanni Antonio Ursino, postea Tarenti Principi, Antonii Nepotis sororem in matrimonium collocavit, qui eodem tempore ob affinitatem contractam inter Johannem Caracciolum & Raymundum Ursinum Nolæ Comitem, creatus est à Regina Regni Justitiarius. Sfortias verò inhibente Regina filiam suam copulat Leonetto Sanseverino, & Capua egressus cum eo in Lucanos ivere, Leonettique Castella recuperarunt, quæ Regina sibi ademerat. Deinde adjungit sibi Franciscum Momminum, quem Ebulo deturbare

A non potuisse Reginæ persuaserat. Et cum omnibus copiis Neapolim venit ea mente, ut Johannem Caracciolum, & alios Reginæ Consultores deturbaret. Sed repulsi à Neapolitanis, Acerras se recepere. Neapolitani his rebus permoti Oratores ad Sfortiam mittunt: mirari Populum Neapolitanum, quum tam fideliter pro Ladislao, & deinde pro Regina multa egregia facinora peregisset, tam repente immutata voluntate superioribus diebus, tam fœde Neapolitanos in Reginæ fidem perstantes adortus fuerit; & quem Reginæ tutorem, defensoremque acceperant, ab eo maxime oppugnarentur: Se se eorum discordias sedaturos, si ab armis

B discederet, servataque sua dignitate supplex ad Reginam veniret. Assentit his verbis Sfortias. Sed velle prius quæ amiserat, integre restituantur, & suis Anchinum Marmorum cum omni ejus familia liberari. Deinde Johannes Caracciolus, cujus consilio Regina hæc scelera perpetrasset, Urbe pelleretur. Non posse illo præsente aliter cum Regina convenire, tam pessimo consultore apud eam manente. Denique postulare, ut Jacobum virum suum, quem honeste observari audierat, liberaret, quam rem non magis Neapolitanis quàm Reginæ ignominiosam censebat. Si hæc illa faceret, sibi & suis recte consulturam. Sin aliter esset animata,

C sciret non solùm amicitiæ vinculum inter eos non futurum, sed ne alicujus quidem bonæ spei superesse iterum atque iterum cogitaret. Regina certior ab Oratoribus de Sfortiæ animis facta, suadentibus illis, & Antonio Columna, petitionibus Sfortiæ assentitur. Missus est postea ob eam rem à Regina Johannes Caracciolus ad Pontificem, ut specie legationis Molem Adriani Legato Pontificis traderet. Cetera ex voluntate Sfortiæ peracta sunt, præter Jacobi liberationem, cujus etiam gratia Oratores Ducis Burgundiæ, & Johannis Regis Navarræ ad Pontificem primò, deinde ad Reginam venerant. Sed re non impetrata abierunt.

D Ea tempestate Jordanus Columna Pontificis frater, & Antonius Columna Salerni Princeps cum duobus ex Patrum numero Regni Neapolitani diadema Reginæ Johannæ Pontificis nomine imposuere; pompâque peractâ ab eisdem monita mandato Pontificis velle illum, omnino Jacobum virum suum libertatis compotem fieri. Magnam sibi infamiam conflare ob ejus captivitatem, odiumque ingens. Quæ si secus faceret, caussam illius coram se cogniturum. Hoc mandato Regina perculsa, respondit se Pontifici gratificaturam, nihilque sibi majus videri, quam Pontificis gratiam adipisci: Jacobumque carcere liberavit. Qui ut primum solutus est,

E Sfortiæ se conjunxit, palam vociferans, non prius se cum Regina conventurum, nisi eos ejiceret, quorum consilio Regina tantum facinus patravisset. Ipse interea in Arce Capuana cum Sfortia erat. Eodem etiam Anno Emmanuel Græcus Imperator moritur; & Constantinus ejus filius adolescens in Imperio successit. Qui nostra memoria in expugnatione Constantinopolitana cæsus à Turcis, vitam & imperium amisit, & in Turcas Græcorum Imperium translatum est, juxta illud Virgilii

—— Victis quondam dominabitur Argis.

Al-

Alphonsus Aragoniæ Rex Genuensibus bellum indixerat, classemque contra eos parabat, tum ob veteres Genuensium inimicitias, tum ob recentem injuriam, quòd hi navem unam Regis optimis rebus onustam expugnarant, nec restituere voluerant, sed nautas, mercatoresque in ea captos mari demerserant.

Anno salutis 1419. Martinus V. mense Februario Florentiam venit, nec Bononiam adiit, quoniam hi ea tempestate se in libertatem vendicarant, reseditque Florentiæ mensibus fere decem & octo. Eodem etiam Anno Johannes olim Pontifex, qui depositus in Concilio Constantiæ habito fuerat, inopinatus Florentiam venit. Qui quum Bavariæ captivus observaretur, scrupulum multis sua renuntiatio erat Pontificatus, quòd vi facta censebatur. Itaque Pontifice ea re cognita, Sigismundo persuadet, ut carcere eum solvat, ne sua electio alicui ambigua esset, & ut Schisma penitus tolleretur. Quod ut factum est, & Florentiam habitu miserabili venisset, sive conscientia permotus, sive quod desperasset aliquid posse proficere, quum Florentiæ liber esset, se se pedibus provolvens Martini in Consistorio existentis cum ceteris Patribus Martinum ut Pontificem verum & unicum salutavit. Susceptus à Martino intercessione Civium Cardinalis efficitur. Paucis post mensibus è vita migravit. Sepultus est in Æde Sancti Johannis Baptistæ. In eodem Consistorio existente Pontifice, quatuor Cardinales ab Hispania, deserto Benedicto, ad Martinum V. venere, eumque verum & unicum Pontificem adoravere. Eo Anno Sigismundus Imperator, fratre Vincislao defuncto, Regnum Bohemiæ obtinuit. Dux Burgundiæ, & plures alii Duces eo Anno Parisiis occiduntur. Ea tempestate Jacobus Tarentum aufugit. Hoc quum Regina accepisset, Laurentium Codignolam contra Jacobum misit, ut Tarentinis bellum inferret, eo quod Jacobum recepissent. Deinde quum majori vi opus esset, Reginaque pecuniis egeret, Tarentum cum omni Principatu vendidit Johanni Antonio Ursino Comiti Licii & Soleti pro viginti quinque millibus aureis, eumque Principem Tarenti creavit. Hic memoria Raymundi patris, à quo Tarentini bene habiti fuerant, brevì effecit, ut Tarenti potiretur. Jacobus Tarento abiens, Corcyram primò, deinde Venetias petivit. Eodem anno Sigismundus Augustus, Pippo Spano auctore, & Antonio Pisano, impetum tercentorum millium Turcarum sustinuit, quum non amplius decemmillia Hungarorum secum haberet. Magna profectò res, & memoratu digna. Antonius ob id Comes factus est. Eodem Anno Jordanus Pontificis frater, Pontifice id mandante, dedit Sfortiæ Vexilla Ecclesiæ, & cum his per Neapolim magna pompa equo invectus incessit. Quumque Pontifex mittere vellet Sfortiam contra Braccium, qui Civitates Ecclesiæ subditas occuparat, petiit à Regina, si vellet Johannem Caracciolum Neapolim redire, ut duo ejus filii sint obsides apud Sfortiam. Quibus habitis, Sfortias misit eos Beneventum. Sed casu ab alto alter eorum mortuus est. Sfortias deinde Romam ivit mense Majo. Laurentius verò Attendolus, & Franciscus Sfortia remanserant in Regno. Leo Sanseverinus ivit cum Sfortia. Postquam Sfortias Romam venit, susceptâ pecuniâ, & per milites distributâ, ivit cum omnibus copiis Viterbium. Castrametatus est inter Viterbium & Montem Faliscum. Braccius his auditis se Tartaliæ conjungit. Sfortias verò quum peditum numero ambobus impar esset, petit à Johanne Gatto Viterbiensium primario, ut quadringentos pedites electæ juventutis ad eum in castra mittat. Ille delectos ex omni juventute eos misit. Qui dum proficiscerentur inexplorato itinere, putantes castra Sfortiæ esse, quæ videbant, quum ad hostium castra venissent, ad unum omnes capti sunt. His auditis Sfortiæ cum hostibus pugnandum videbatur. Sed à suis desertus, Viterbium rediit. Braccius verò ad quartum lapidem Viterbio adhæserat, corruptis ex exercitu Sfortiæ Petrino Senensi, & Nicolao Comite Soanæ. Erat Viterbii ingens rumor propter captivos, videbatur Sfortiæ, ne cum his Braccius Urbi se offerret. Tamen quia non longè ab Urbe se instructis legionibus Braccius offerebat, Sfortias non ferendum ratus, veritus ne Braccius Romam peteret, postquam Viterbii nihil profecerat, Sutrium petens, incidit in exercitum Braccii. Quo viso, Nicolaus & Petrinus, uti cum Braccio convenerant, fugiunt Viterbium. Sfortias à suis desertus, quum & ipse regredi vellet, fugatur. A Braecio capti ex suis equites mille. Viterbienses eo metu, quum suos fugientes viderent, ne cum hostibus admixti Urbem ingrederentur, portam clausere. Sfortias hæc videns, circuens mœnia, alia porta ingressus Urbem, hortatur Populum in audaciam. Quumque à proditoribus non sequeretur, ipse delecta Populi juventute, eruptione facta, multos ex suis, qui capti ducebantur, recuperat. Quosdam etiam ex hostibus intercipit. Ea pugna Sfortias vulnus in collo suscepit à Comite Brandolino, percussus lancea in cursu. Postera die Sfortias quotquot ex Braccianis captivos habebat, ex more Italico ad Braccium misit. Ille quos ceperat, in Insulam Lacus Bolsenæ captivos adduxit, ut ibi observarentur. Hac clade suscepta Sfortias evocat è Calabria Franciscum filium. Mox apud Bulicamum adoritur Tartaliam, eumque fugat. Nicolaus Piccininus capitur cum triginta sex equitibus. Nox prœlium diremit. Ob eam rem Braccius movit longius castra. Et Sfortias paucis cum equitibus ivit Romam, susceptâque pecuniâ redit ad suos. Levia deinde certamina per occasionem facta sunt, in quibus Sfortias ad centum Signa militaria cum ipsorum equitibus cepit. Interea Sfortias naviculis complures ex suis captivis ex insula exemit. Vigintiquinque restarant, in quibus Andreas Serra, Franciscus Raphaël Spinola, Morellus Bononiensis, & Angelus Esculanus, qui Raphaëlis beneficio postea evasere, eorum naviculâ captâ, quæ eis commeatus deferebat. Quo cognito ceteri captivi Martam delati, iterum ibi capti sunt, & tamdiu vincti, quamdiu Sfortias affinitatem cum Tartalia iniit. Nam Tartalias dedit filiam in uxorem Johanni filio Sfortiæ, qui ivit Tuscanellam, ut cum Tartalia militaret. Braccius quum se à Tartalia desertum vi-

vidisset, mense Julio ivit Tudertum. Nicolaum Piccininum præsidio imponit in Monte Falisco. Sfortias interea expugnavit Lubrianum, & Bagnaream deditione accepit, & quædam alia ignobilia Oppida. Nicolaus Piccininus timens, ne Falisci crebris populationibus à Sfortia infestati à Braccio deficerent, ivit Ameliam, Nicolao Braccii Scriba id suadente, deinde Assisium, duxitque secum Fuschinum, quem captum habebat, ut cum suis captivis illum permutaret. Sfortias autumno jam adventante ivit Ameliam cum Christophoro Lavello misso à Tartalia in ejus comitiva, & Paullo Todesco cum equitibus quadringentis propter eam affinitatem, quam cum Sfortia Tartalias junxerat. Hi cum Tartalia plura Oppida cepere; Capitonamque diripuit, in qua Comes Brandolinus & Gattamelata capti sunt. Spoletini à Pontifice defecere, & quum Arx in fide perstaret, à Sfortia subventum est, præsidio illuc contra Braccianos immisso per Michelettum Attendolum. Tartalias, quum se Sfortiæ jungere vellet, dum Ameliam peteret, in ipso itinere à Braccio invasus fugatur. Braccius eum Ameliæ obsidet. Quod quum Sfortias accepisset, illico subsidio fuit. Braccius ejus adventu perterritus obsidionem reliquit. Non multo post Tartalia Tuscanellam rediit. Mense Decembri Sfortias, relicto in præsidio Ameliæ Fuschino, ivit ad Aquam-Pendentem. Braccius Florentinis intermediis Pontifici conciliatur, retentis Perusio, Tuderto, Assisio, Rocca-Contrada, Jesio, & Monte Alboddo: cujus operâ Pontifex Bononiam deditione suscepit.

Anno Salutis 1420. Martinus V. Pontifex Sfortiam ad se venire Florentiam jubet, is cum paucis equitibus Januario mense ad Pontificem venit, & benignè ab eo susceptus est. Quo tempore Florentini quum vidissent Sfortiam magis quàm Braccium à Pontifice benignè tractari, vulgarunt illud verbum à pueris decantatum, ***Pontificem Populonii Dominum, & Sfortiam nihil valere, Braccium verò plurimum posse***. Quod verbum altius quàm crediderint, in pectus Pontificis penetravit. Hortatur deinde Pontifex Sfortiam, ut relictâ Reginâ partes Ludovici Andegavensis sequeretur, impetratque id. Deinde Pontifice exposcente, misit Alexandrum filium ad Pontificem, qui tunc literis Ferrariæ operam dabat. Ludovicus III. Andegavensis Dux, quum multa prius de possessione Regni cum Pontifice per suos Oratores clam egisset, ut accepit, Pontificem Sfortiam in suas partes attraxisse, animum ad Regnum recuperandum adjecit, Sfortia suadente, quum Regina orba liberis esset, & facilè impetrari posset, si è Gallia solveret, ut illa in filium Ludovicum adoptaret, & quòd ejusdem generis esset, & metu etiam Reginæ injecto, se adnitente id effecturum. Quidquid enim Sfortiam moverat, ut à Regina deficeret, id totum Johannis Caraccioli odio fiebat. Harum rerum Ludovicus certior factus, & de metu in Regno contra Johannam exorto, amicis etiam veteribus suæ factionis exposcentibus, quos Reginæ imperii pigebat, ad spem Regni potiundi animum adjecit. Decem igitur triremibus, & sex navibus Massilia solvens, post non multo in Regnum venit. Sfortias jam in Regnum venerat, & Reginam allocutus, magistratui suo renuntiat, docetque se Pontificis voluntate cum Ludovico Andegavensi stipendio junctum, ut sibi bellum inferret. Consulique, ut quum heredem superstitem non habeat, Ludovicum adoptione suscipiat in filium. Se se modo maxime tutam fore, & salutare sibi, & suis, gratumque omnibus id futurum. Ne existimet, se inquieto esse animo adversùs eam; sed quidquid egisset, Caraccioli odio id se fecisse. His dictis ab ea discessit, exspectans Ludovici adventum. Jam autumnus adventabat, quum Andegavensis Stabiam venit. Ibi Sfortias eum recepit, & Castello Maris Stabiæ occupato, ad Turrim Octaviæ movit. Ejus adventu complures Regni Proceres à Regina defecere. Ceterum Ludovicus castra Neapolim prope adegit. Pugnatum est aliquot diebus singulari etiam certamine, in quo Leonettus Sanseverinus Sfortiæ gener à Carfello Caraffio lanceæ incursu confixus, tertio post die moritur. Uxor Francisci Sfortiæ Polissena, quæ erat Comes Montis Alti, moritur. Johanna his rebus permota, majorem in modum trepidare, rebusque suis diffidere, animoque revolvere, quæ à Sfortia de Pontifice perceperat. Tandem ex tempore consilium capit. Malitiam Caraffium, & Franciscum Senensem equites ad Pontificem Florentiam misit oratum, ut sibi præsidio esset, neve permitteret eam, quam sponte tantopere juvarat, ab adversariis opprimi. Hi, postquam mandata Reginæ Pontifici retulere, nec quicquam bonæ spei ab eo, aut præsidii offerretur, Malitias cum Garsia Hispano, qui Legatus Alphonsi apud Pontificem erat, rem tentans, quam factu facilem existimabat, à Garsia percontari cœpit, an Alphonsus ad id bellum induci posset. Gallos Hispanis semper invisos; Johannam sine filiis esse: fieri posse, si illi præsidio foret, ut Alphonsum in filium adoptaret; esse illi Siciliam Insulam Regno conjunctam, unde commeatus, arma, equi, suppeditari possint; permultos in Regno Populos Andegavensi infensos. Quid multa? Id homini persuadendo effecit, ut de omnibus Garsias Regem certiorem faceret; persuadetque Malitiæ, ut ad Alphonsum proficiscatur. Ille hac spe adductus, itineri se accingit. Deinde Garsias cognita sui Regis voluntate Braccium Sfortiæ infensum atque Pontifici, ad Alphonsi partes suscipiendas hortatur, eumque impulit, ut ad Regis stipendia se conduceret.

Dum hæc Florentiæ agebantur, Pontifex Romam proficiscitur cum Patribus, & à Romanis honorifice susceptus est. Malitias interea cum Francisco Senensi ad Alphonsum, qui cum Genuensibus apud Bonifacium bellum gerebat perrexit. Orationis caussam exponit, hortaturque Regem, ut præsidio Reginæ sit, quam injuste à Ludovico & Sfortia opprimi asserebat: illam sine liberis esse. Si animum ad Regnum Neapolitanum adjiceret, facile futurum esse, ut penuria liberorum, ac etiam tanto in eam beneficio Regina eum in filium adoptaret. His perceptis Alphonsus tantam vocationem non spernendam ratus, quamquam rei magnitudinem animo pensaret, & quòd Genuensibus, viris mari potentissimis, bellum indixerat, tamen avidus gloriæ, & quòd illam injuste vexari ac-

acceperat, utque decorum esse existimabat mulieri viduæ, & à se tantopere auxilia expofcenti, esse subsidio, statuit Johannæ esse præsidio. Erant ea tempestate Regi triremes duodecim, quibus quinque alias adjecit, easque cum Malitia in præsidium Reginæ misit. His præfecit Raymundum Periglioſum, Equitem Hispanum. Mox ipse majori apparatu sequutus. Horum adventu, & quòd iis Johanna tres addiderat triremes, cum his juxta Neapolim cruentum bellum commissum est cum equitibus Sfortiæ terra & mari cum Andegavensi. Nox prœlium diremit. Regina, ut ex conventione Malitiæ actum erat, Arcem Novam, & Peninsulam Ovi, Raymundo pro Alphonso suscipienti assignat. Alphonsum in filium adoptat. His auditis, Alphonsus Bonifacio solvit, & cum triremibus triginta, & quatuordecim navibus Neapolim appulit circa Octobris initia, & à Regina & à Neapolitanis magna cum pompa susceptus est. Miserat paucis ante mensibus Ludovicus ad Alphonsum sibi affinitate conjunctum suos Nuntios, ut sibi subsidio esset, quod ille Genuensi bello implicitus facere recusavit. Ludovicus & Sfortias his perceptis prope Neapolim acie instructa prœliaturi venere. Erat Sfortiæ animus illos, qui Neapoli egrederentur, intercludere, Bossiumque Centurionem in insidiis locat cum peditibus ducentis. Ipse levem tantùm armaturam ostendebat. Erat ea die Neapoli Jacobus Caldola, Ursinus, Bernardinus Ubaldinus, & complures Neapolitani, qui eruptione facta hostem fugabant. Sfortias repente suis cedentibus præsidio fuit. Alphonsus septem triremibus juxta litus Neapolitanis præsidio fuit; pugnæque illius exitum lætus expectabat, ut qui nunquam antea Italos equestri prœlio pugnantes vidisset. Tribus horis acriter pugnatum est; in qua multi vulnerati & capti sunt ex utroque exercitu. Squarcia Neapolitanus ex Sfortiæ ducibus capitur, & illico ad naves ad Alphonsum delatus est. Interrogat Alphonsus, ubinam Dux ipse esset. Ille Regi Sfortiam ostendit inter primos pugnantem, vexillaque ad mœnia deferentem. Rex admiratus tantam viri fortitudinem atque animum, præcepit sagittariis, ne illi noceant, asserens, se nunquam acriorem ducem vidisse. Interea Bossius ille Centurio, seu veritus impetum hostium, seu fato ita ferente, locum, quem occuparat, deserit. Ea re cognita Sfortias quum iniquum terra & mari haberet certamen, suos à pugna revocavit, & in pagis Agri Nolani castrametatus est. Ea tempestate Philippus Maria Brixiam obsidet, & in auxilium Pandulfi Malatestæ obsessi ivit Ludovicus Firmanus magno equitum numero Malatestarum collecto. Eo anno Nicolaus Estensis cum Philippo Maria fœdus percussit, ut restituta Parma cum omni Agro Parmensi, Philippus illi pacem daret, Regiumque suæ ditionis effecit; mandatque Sfortiæ, ut Monticulum Philippo restituat, sibi prius elargitum. Initio Autumni Aversani Ludovico Andegavensi adhæsere, Sfortiamque intra mœnia recepere. Deinde Arcem pactione receperunt, in qua erant complures ex Johannæ ducibus, in primis Josias Aquaviva, Gelasius Ursinus, Bernardinus frater Petri Celani, qui cum Christophoro Cajetano & Ursino militabant, compluresque alii. Quæ res Neapolitanos magno affecit incommodo: nam Urbem commeatu abundantem Andegavenses prope Neapolim ceperant, & occulta colloquia in dies creverant.

Igitur anno insequenti 1421. circa Januarii initia Lemus Arcamonus, & Ferillus Scriba portam Divæ Mariæ aperuere peditibus quingentis à Sfortia intromissis, ubi quum Populi concursus clamoribus excitatus esset, prœlium acre commissum est. His Sfortias cum equitibus præstò affuit. Sed portâ nondum ad integrum reseratâ, quum ingredi Urbem nequirent, magno ipsorum damno repulsi sunt. Proditores laqueo vitam finiere. Lemus, dum ad supplicium duceretur, Populi furore attritus interiit. Laborabant interea Neapolitani rei frumentariæ inopia, nisi Siculi duas naves frumento onustas ad Alphonsum misissent, Oratoresque. Qui quum Alphonsum adiissent, mirari universas Insulæ Civitates Alphonsi consilia, quòd tantum bellum assumeret: Neapolitanos & Regni duces infidos, & fide fluxâ semper fuisse, novarumque rerum cupidos; inter se divisos parum convenire: Reginæ verò fidem fluxam, & quòd imperio assueta, voluntate potius quàm consilio cuncta administraret; non fidendum adoptioni per se factæ: Superioribus annis Jacobum virum suum, & nobilissimi generis, in vinculis habuisse, tamdemque Regno abire coëgisse; decertaturum esse se non tantùm cum Andegavensibus, quàm cum ipsa Johanna: orareque ut quæ faceret, iterum atque iterum cogitaret; Siciliam in dies illo bello vastari, minui Siculorum opes: Genuenses, quibuscum bellum erat, nil pacatum in Insula relinquere; Periculosum esse, illos novis hostibus objectare: esse in Hispania Regnum satis superque Majoricam & Insulas habenti; Sardiniamque inclusam, atque Siciliam, quæ custodire à Genuensium incursu magni laboris erat. Postremò orare, ut ab inceptis desisteret. Alphonsus, etsi vera esse intelligebat, quæ à Siculis dicebantur, tamen avidus gloriæ & certaminis, periculum fecit, & bono animo esse jussit. Liburnum Castellum Pisani portus eo anno Florentini emêre centum millibus aureis, Genuensibus exsolutis, Thomasio Fulgosio id efficiente. Johanna interea animo volvens, quibus præmiis Alphonsum adoptasset, & ipsius Regis segnitiem ad milites conscribendos, parandumque exercitum, Bernardum Arcamonum, qui ea tempestate cum Andegavensi militabat, facti pœnitens accersit. Ille Ludovico permittente ad Reginam venit; cum quo quum multa prius de Ludovici moribus, & Sfortiæ defectione questa esset, tamdem infortunium suum questa, quod Ludovici injuriis excitata, extraneum potius quàm sibi genere propinquum adoptasset, cupere se illi adhærere, si quo modo res ad otium & pacem adduci posset. His auditis Arcamonus, quòd Reginam jam factæ adoptionis pœnitere acceperat, & se nihil in mandatis ab Andagavensi habere sciebat, tamen Reginæ spem optimam pollicetur, seque illi rem gratam facturum, ut sui voti compos esset. Deinde ad Ludovicum rediit. Cui, ut à Regina acceperat, rem omnem exponit. Ille advocato Sfortia, quid ab Arcamono acceperat, narrat. Pari con-

consilio statuunt, bellum segnius geri, Arcamonum frequentius ad Reginam mittere, aliosque, quos credebant, Reginæ carissimos esse, ut ejus animos emollirent. Alphonsus ea tempestate in Hispanias redierat, paraturus quæ ad bellum necessaria fore putabat. Sed de his, quæ à Regina fieri postquam acceperat, segnius rem agere: Igitur, ut hæc exploraret, misit ad Reginam Engaraum. Qui quum Neapolim appulisset, & quæ tractabantur, clarius accepisset, descendere ad Reginam dubius erat: Hujus adventu illa iterum immutata voluntate Ludovico non fidens, Alphonsi Legatum ad se venire jubet. Cum quo questa Alphonsi mores, nil se cum hoste pepigisse asserens, interrogat, quæ res Regis adventum retardarent. Ille confirmato prius Reginæ animo, docet, Regem brevi affuturum. Præmissum se ad Regni res explorandas, velle post hæc ad suum Regem redire. Tunc Johanna cum Engarao mittit Franciscum Ursinum, & Johannem Bozotum, Robertumque Bonifacium, Henricumque Podericum. Quibus mandat, ut omni studio Regis adventum accelerent. Interea Alphonsus Braccium Montonum cum tribus millibus equitum sibi adjungit. Qui quanquam Pontifici conciliatus, tamen non plane illi fidebat. Comes Carrariæ à Sfortia, Aversa discedens, Esculum ire jussus, non multo post Braccio adhæsit, & post paullo moritur, relictis Obizzo & Ardisono filiis. Laurentius Attendolus ignarus ejus consilii, quod Loisius cum Sfortia cepisset, in Apulia Vigilias, Rubros, Palum, atque Trilitium occupavit. Braccius in Regnum accersitus, non prius venit, quàm Capuam, & ejus Arces recepisset. His acceptis, ex Perusio movit, & per Campaniam ingressus Mugnanum occupavit, quod in agro Casinate situm est. Deinde per Capuam iter faciens, Neapolim venit. Deinde Castellum Stabiæ diripuit. Hujus ducis adventu nihil ultra de Alphonso suspicata Regina, illius fidei se totam commisit. Sed hic Braccii adventus cuncta Pontificis consilia prævertit. Ut enim vidit virum sibi infestum ab Alphonso conductum, & res in Regno præter ejus mentem succedere, Ludovico magis auxiliari plusquam solitus esset, & illi favere cœpit. Jamque non occulte præsidia suppeditabat. Illum in dies magis ac magis amplecti. Nam & Tartaliam cum sexcentis equitibus ad eum misit, mandatque illi, ut Sfortiæ se conjungat. Braccius interea ut vidit à Pontifice Tartaliam contra se missum, Neapolim rediit, Reginam de belli ratione consulturus. Casu accidit, ut qua die Braccius Reginam adierat, eadem etiam die Alphonsus cum viginti sex triremibus eodem appulerit; qui Reginam postquam omni honore prosequutus est, eam Matrem appellavit, eamque deosculatus est secundum Hispaniæ morem. Ea tempestate Ludovicus cum Sfortia & Tartalia, ceterisque suæ factionis ducibus Aversæ erat, iisque in secreto adductis dicit, se comperiisse, Tartaliam de prodendo exercitu nova consilia & occulte cum Braccio habuisse. Jubetque Sfortiæ, ut illum capiat: velle se ab eo rem manifestius explicari. Postquam ille conjunctis testibus inficiari rem non potuit, supplex à Sfortia auxilia postulabat. Sfortias tamen eum securi percuti fecit, cujus copiæ deletæ sunt.

Anno Gratiæ 1422. Philippus Maria Mediolani Dux fit Genuæ Dominus, Spinolis adnitentibus. Ea ex re Florentini sive metu, sive quod contra fœdus eum fecisse putabant, unà cum Venetis, infida interdum pace, vigintiquinque annis postea debellavere. Jam Acerræ adventu Braccii à Ludovico defecerant, Aversaque: sed Arx in fide perstabat. Eodem anno Carolus VI. Rex Galliæ moritur, dum Parisius esset captivus. Ejus filius Carolus VII. qui Delphinus erat, successit in patris imperio. Philippus Maria eo anno magnas copias inter Forum Cornelii & Forum Livii comparavit, Imolamque subegit, & juxta Florentinorum fines potentissimus imminebat. Interea Pontifex duos ex Patrum numero Oratores ad Reginam misit, non tam componendarum rerum ipsius cum Andegavensi gratia, quàm apud Braccium plurimùm metuebat. Hi post multam Regum disceptationem id effecere, ut Ludovicus Romam ad Pontificem pergeret, & Aversæ Arx, quæ à Braccio oppugnabatur, postquam Cives, & Acerrani à Ludovico defecerant, in Pontificis posse daretur. Interea quo ad res omnino componerentur, à bellis quiescerent, utque Castellum Stabiæ Pontifici assignaretur. Ludovicus Romam profectus; Arx Aversæ, & Castellum Stabiæ Pontifici tradita. Eodem Anno Pestis valida Italiam invasit, cujus metu Regina & Alphonsus Stabiam concessere. Nec tamen tunc à bellis cessatum. Nam Alphonsus Urbem Surrentum, natura munitam, obsedit, petitque à Regina, ut si ea potiretur, Urbem sibi permitteret. Regina primò negare, deinde precibus Alphonsi devicta concessit. Hæc prima dissensionis caussa inter Reginam & Alphonsum fuit. Nam capto Surrento, Massenses se Regi dedere. Peractis his Cajetam profecti sunt. Jamque Johannes Caracciolus, cujus consilio Regina plurimum utebatur, Regi ferme in omnibus adversabatur. Et qui apud Reginam plurimum antea poterant, imminui auctoritatem suam Regis præsentia plurimùm metuebant. Tutæ tamen & tranquillæ res erant. Sfortias per ea tempora pecunia egens, invitatus à Braccio ad pactionem componendam, auctoritate Pontificis iverat Præsentianum Oppidum agri Casinensis jam æstate adventante. Braccius ei obvius factus magna alacritate. Sfortias in tentorium Braccii perductus. Salutatio exercitus omnis facta. Duabus ferme horis ad invicem alloquuti, omnibus arbitris procul motis. Deinde Braccius memoria veteris amicitiæ & disciplinæ, quam ambo sub Alberico didicerant, repetita, liberius cum Sfortia gratificari, suaque consilia aperire: edocetque ea die, qua apud Viterbium male pugnarat, Nicolaum Ursinum secum convenisse, & Perinum Senensem. Deinde edocet, quid cum Tartalia egerit. Quumque multa amicabiliter ab utrisque dicta sint, Braccius dixit Sfortiæ, convenire dignitati suæ, ut quem amicum semper habuerit, in quibus forte suo judicio peccasset prodere. *Monere primò, non semper Vexillum suum debere progredi; neque id boni imperatoris esse officium; nonnumquam contingere, ut opus sit regredi, neque id, caussa permittente, indecorum est. Et aliud, quod te monitum volo, ne plus cives tibi subjectos, quàm milites*

tuos colas. Nam si milites amiseris, etiam subditos perdes. Ad hæc Sfortias placide & hilari vultu respondit, gratias sibi ex bono ejus animo erga se agere: *Vera esse fateor, quæ mihi à te dicta sunt. Scitoque, te his modis, & tua industria honorem & dominium esse adeptum, ac tua prudentia. Ego meis animis & celebritatem & nomen mihi comparavi*. Finis orationis fuit, ut pro amicitia & gratia ineunda sibi fideret, & ad Alphonsum & Reginam ad pacem firmandam proficisceretur. *Nam post hæc ibo Tifernum, & alibi, ad equites meos ditandos*. Nec aperuit quo in loco. Assentitur his dictis Sfortias; sed verebatur Reginæ petulantiam, ne quid sibi ignominiosum diceret. Tum Braccius, *id non verere*, inquit; *cum Alphonso hoc agam*. Promisit id Alphonsus, alloquiturque Reginam, & voluit ab ea jusjurandum, ne quid sibi indecorum diceret.

Quumque coram ambo Cajetam ad Regem venissent, & pax firmata esset, expostulat Rex à Sfortia, ut pacem sacramento fidelitatis firmaret. Quumque Scriba Reginæ verba solemnia hujus sacramenti, plures evolvendo chartas, perquireret; *quid tu, Scriba, quæris?* inquit Regina. *Permitte*, inquit, *Sfortiam suo arbitratu jurare. Sat enim, quo modo juretur, & quo modo dicatur*. Id Sfortias ægre tulit, sed Braccius & Alphonsus ægerrime. Paulloque post Rex blande Sfortiam allocutus ait, optare se, postquam fortitudinem suam in ea pugna viderit, quæ juxta Neapolim gesta erat, magnopere tanti viri præsentiam & amicitiam cupere. Se illi gratificaturum, si quando sua opera egeret. Eo uteretur: nec gratiam, nec auctoritatem apud eum defuturam. Proinde suis omnibus uti suis ad libitum uteretur. Cui Sfortias gratias egit. Deinde Sfortias ad uxorem Margaritam, quæ olim Loisii II. uxor fuerat (habuit hæc viros quatuor) in Suessano rediit. Braccius in sua castra. Biduo, postquam hæc acta sunt, Braccius ivit Tifernum, quod deditione accepit. Inde Nursiam, à quibus quindecim millia aureorum accepit, ne eorum ager ab eo vastaretur, neve eam Civitatem ex fœdere cum Bernardo Varano icto tradere tenerentur. Deinde magnis itineribus ivit Lucam, & pæne Paullum Guinisium ejus loci Dominum extra Urbem vagantem intercepit. Vastatoque omni agro, præda ingenti suos ditavit. Id non invitis Florentinis peractum; pecuniasque pro sexaginta quinque millibus aureorum, ut inde discederet, à Lucensibus habuit. Abiens ex agro Lucensi in Umbriam rediit. Sfortias à Regina suscepit Manfredoniam pro Annis quinque, Alphonso etiam id adnitente. Braccius deinde factus magnus Regni Comestabulus, Aprutii Gubernator. Actum inter Reges & Sfortiam inter cetera, ut si alter eorum quivis Sfortiam convocasset in auxilium, ad eum iret, qui primò eum convocasset. Reliquerat Sfortias apud Reges Benedictum Faventinum Scribam, ut capita Conventionis transcriberet, ad eumque deferret, qui à Johanne Caracciolo corruptus, fines egressus mandati, à Sfortia Beneventi carceri truditur, ubi quatuordecim mensibus fuit. Sed postea ad preces Pontificis vinculis solutus est. Eo Anno Leo Sfortiæ filius despondet filiam Manfredi Comitis Conversani. Sed nuptiæ non sequutæ sunt, propter mortem Sfortiæ subsequutam.

A Anno Salutis 1423. Thomasius Mocenigus Dux Venetorum moritur. Cui suffectus est Franciscus Foscarus, vir scientia literarum ignarus, sed rerum gerendarum peritissimus. Post pacem peractam mirabiles deinde motus in Regno Neapolitano fuere. Nam omnes ferme Civitates Terræ Laboris à Johanna defecere, præter Cajetam, omnes etiam ferme duces. Braccius ex alia Regni parte contra Andegavenses moverat. Et primo Jacobum Casertæ Comitem, deinde Georgium Polisini Dominum in deditionem accepit. Deinde in Calabrias pergens, Castrovillam Civitatem natura munitam expugnat. Inde Casentinos, Antonium Foscaldum, Coluc-
B cium Trojam, Carolum Ruffum, Comitemque Acerrarum in Alphonsi partes attraxit. Inde Rhegium progressus, ubi erat Franciscus Sfortias, subegit. Deinde in Apuliam ivit, Rogeriumque Bari Principem cum omni agro in Regis partes attraxit. Quumque ceteros factionis Andegaviæ, qui in ea regione essent, vellet opprimere, à Regina inhibitus destitit, quòd jam Alphonsi adoptio suspecta erat; verebaturque, ne prostratis Andegavensibus, Rex contra eam insurgeret, tanto Duce adjutus. Interea cessante pestilentia, Reges diversis itineribus Neapolim rediere. Rex stetit in Arce Nova, Regina illi non fidens in Arce Capuana. Quæ
C res effecit, ut quod hactenus occultum fuerat, omni Regno innotesceret. Alphonsus tametsi intelligebat, se Reginæ suspectum, nec ullis demeritis se alienatum, nihilominus frequens Reginam adire, mittitare nuntios, ceteraque facere, quibus Reginæ suspiciones tolli posse credebat. Quæ quanto accuratius à Rege gerebantur, tanto majorem metum illi ingerebant. Igitur Johanna Regi jam non fidere, prohibere aditus, omnia munire, Johannem Caracciolum ad Alphonsum mittere. Quem quum Rex hujus suspicionis auctorem esse cognovit, circa initia Junii carceri trusit. Eo capto Rex propere ad Reginam proficiscitur, caussam illi pate-
D facturus, qua Caracciolum ceperat. Sed jam Johannes Boncianus illius captivitatem Reginæ detexerat. Quum igitur Rex Castellum Capuanum ingredi vellet, janua prohibitus est, lapidesque in eum injecti sunt, magnoque Rex periculo discessit. Neapolitani etsi ægre Caraccioli austeritatem ferebant, tamen ea die metu rerum suarum quievere. Die insequenti, clamore ab incerto auctore exorto, armari Plebs, aditus viarum intercludere, loca altiora munire, armatisque hominibus angustias viarum occupare. Ea ne fierent, Rex prohibere conatus, Populum à tumultu continuit. Jam Braccius agrum Aquilanum populabundus erat ingressus. Qui ab Alphon-
E so revocatus in Terram Laboris voluit ab incepto desistere. Regina jam ex fœdere icto Sfortiam in auxilium expostularat. Is illico, ut Reginæ postulanti esset subsidio, ex Mirabello movit. Insequenti nocte nuntius Alphonsi ad eum cum codicillis venit, ex fœdere auxilium expostulans. Sfortias autem Regi scripsit, se prius à Regina accitum non posse salva sua dignitate ad suum præsidium ire, sed curaturum, quo ad fieri posset, ut omnis suspicio tollatur, præsertim quum sciret, se Caracciolo esse infestum. Iterque continuat, quo ad Neapolim venit. Quum-

qu

que Regem ab obsidione Arcis deturbare non posset, castra ipsius invasit. Sex horis acriter pugnatum prope Arcem est. Quumque Sfortias vidisset, non posse eos à fronte propter munitiones repellere, sex cohortes præfecto ex lateribus muro immisit, & à tergo, à latere, & à fronte illos invadens, loco deturbat, fugatque, ex qua pauci evasere. Capti sunt centum viginti sex viri ex primariis, & sexcenti equites, quos per Civitatem usque ad Arcem Novam fugarat. Fuerunt hæc mense Majo. Rex in Arce Nova se recepit. Domus Celtarum direptæ. Præda ingens parta est. Re bene gesta, postera die Aversam concessit, & proditione Johannis Hispani, qui Arci pro Alphonso præerat, Civitate & Arce potitus est. Alphonsus iterum exercitu comparato, Neapolitanos adortus, partem Urbis Arci Novæ finitimam occupavit. Eam ob rem Sfortias à Regina accersitus, commisso cum regiis intra Urbem prœlio, Celtas fugasset tota Urbe, ni sui prædæ magis quàm victoriæ fuissent intenti. Interea unus ex Alphonsi fratribus Don Petrus, inscio Rege, dum prœlium cum Sfortianis erat, eam Urbis partem incendit, quæ mari finitima & Arci Novæ sita est. His igitur inter se dissentientibus, Celtarum alia manus Sfortiam Urbe fugarunt. Deinde Sfortias sub ipsis mœnibus se loco munito cum exercitu continuit. Die insequenti Reginam, Arci Capuanæ non fidentem, Acerras primo, inde Aversam detulit. Post Reginæ discessum Alphonsus Castello Capuano, & tota Urbe potitus est. Johanna, postquam accepit quæ ab Alphonso agebantur, abrogata Alphonsi adoptione, Ludovicum Andegavensem, Romæ commorantem, in filium adoptavit, eumque in Regnum convocavit. Interea Johannes Caracciolus redimitur à Regina, commutatus cum duodecim Hispanis, quos prœlio Sfortias interceperat, quum à Rege juxta Neapolim malè pugnatum est. Ob eam rem Regina dedit Sfortiæ in præmium captivorum, quos vinculis solverat, Tranum & Barulum in Apulia. Jam medium æstatis erat, quum Ludovicus, adoptione per Reginam facta, venit in Regnum, & à Regina benignè susceptus est, Duxque Calabriæ dictus, quibus mos est, Rege mortuo, postea Reges fieri. Braccius magna spe adductus Aquilæ potiundi eam obsidet, quamquam ire ad Regem voluisset; tamen ex ducibus, quos secum habebat, misit ad Regem Bernardinum Ubaldinum, Jacobum Caldolam, Henricum Tuccam, & Ursinum, qui initio hyemis Neapolim venere.

Eo Anno nascitur Carolus Sfortiæ ex uxore filius, qui postea Religionem Beati Augustini professus à Francisco fratre promotus ad Archiepiscopatum Mediolanensem fuit. Sfortias, & Loisius Neapolim cum omni apparatu instructis ordinibus venere. Alphonsus econtra pugnæ avidus non detrectat certamen. Primo impetu Sfortiani fuga repulsi: mox illi facto majori conatu Aragonios intra Urbem fugarunt. Eo prœlio Alphonsus cognovit, non esse sine equitibus pugnandum in Italia. Ratusque optimum factu esse alia ratione bellum administrandum, & geri debere, Jacobum Caldolam præsidio Urbis reliquit cum his equitibus, qui ex fuga evaserant. Ipse ad Hispanos properat, Andegavensi bellum illaturus, ut suarum rerum cura solicitus, Regni Neapolitani bellum relinqueret. Sed in ipso itinere Ischiam (quam olim Inarimem appellabant) pugnando cepit, Insulam omnibus rebus abundantem, & Civitatem natura munitissimam. Inde solvens, Massiliam diripuit. Deinde Barchinonam se contulit. In fine hyemis Braccius, quo facilius omnem spem subsidii Aquilanis intercluderet, adjunxit secum Petrum Jampaulum Ursinum Muropelli Comitem: relictisque apud Aquilam propugnaculis, in hibernis concessit. Plures enim Aprutii Civitates ea tempestate Braccius occuparat, Lanzanum, Civitatem Theatinam, Francavillam, in quibus suos equites partitus est. Aquilani post Braccii discessum, duos Oratores viros impigros ad Ludovicum & Reginam misere oratum, ut eis præsidio esset: laborare eos frumenti inopia, & multis laboribus fatigatos; omnia, quæ extra Urbem erant, amisisse: eorum juventutem non magis ferro quàm fame absumtam; hostem metu nullo pro portis vagari. Quibus rebus defessi, deditionem se facturos dicebant, eamque conditionem accepturos, quam victor hostis dedisset. His Oratorum vocibus Ludovicus permotus, bono eos animo esse hortatur: se se brevi præsidium eis immissurum. Deinde Sfortiam cum equitibus in Aprutios mittit, ut Aquilanis auxilio sit. Ille, ut erat natura vehemens, brevì mandata exsequitur. Prima ejus expeditio apud Vastum Caldolæ Oppidum fuit. Is erat Neapoli. Fuere cum Sfortia Antonius Sanseverinus, Talianus Furlanus, & Comes Sancti Angeli. Recepto per deditionem Vasto, apud Montem Odorisium castrametantur. His receptis ivere Ortonam, & quædam alia ignobilia Oppida, ita ut Braccius coactus sit, quamquam hyems esset asperrima, Theatem suos reducere omnes, qui per Aprutios partiti fuerant. Ea hyeme Philippus Maria Florentinis bellum illaturus, nisus est adjungere sibi pro anno insequenti Sfortiam cum quinque millibus equitum, misitque ad eum aureos duodecim mille, dum in Aprutiis esset, Pontifice id suadente, qui alia quinque millia equitum Sfortiæ soluturus erat, ut contra Florentinos moveret, duxque Philippei exercitus esset. Ex iis equitibus Pontificis Regina duorum millium equitum stipendium daturam se promiserat, dummodo Sfortias relinqueret in Regno Michelettum, Laurentium Attendolum, & Franciscum Sfortiæ filium Arejani Comitem. In Solemnitate Natalis Christi Jesu Sfortias jussit Francisco filio, dum erat Ortonæ, ut transiret Piscariam fluvium, & iret versùs Aquilam. Nam exploratum habebat, quum Sfortias Aquilam adventaret, Braccium obsidionem relicturum.

Paucis post diebus circa Januarii initia anni 1424. Sfortias dum recederet Ortona cum omnibus copiis, ut vado juxta Piscariæ ostia trajiceret exercitum, quum porta Urbis egrederetur, ejus Vexillum corruit, malum id omen ab omnibus habitum. Ipseque tunc dixit, per quietem visum se flumine mergi, virumque magnæ staturæ invocasse, ut sibi præsidio esset. Multi ob eam rem persuadent, ne ea die proficiscatur. Prædictumque sibi fuerat, ne die Lunæ quicquam ten-

tentaret. Prædictum enim sibi fuerat, tale mortis genus instare. Attamen fato trahente proficiscitur. Postquam ad ostia fluvii ventum est, reperit hostes tignis & funibus vadum munisse, & quasdam ibi naviculas, quæ sagittarios portabant, ut aditum hostibus intercluderent. Postquam quatuor transiere, Franciscus filius vado trajecit. Ipse Sfortias sextus ad alteram ripam pervenit. Omnes armis instructi. Piscariæ erat Braccii præsidium, & equites ferme quadringenti, pedites verò ducenti. Oppidum verò Piscariæ circiter mille passus ab ostio fluvii remotum. Hi transeuntem Sfortiam invadunt, dum ceteros ad transeundum hortatur. Franciscus cum his commisso prœlio, cum his, qui jam vadaverant, hostem in fugam vertit. Eorum pars magna capta est. Magno id Sfortiæ gaudio fuit, quum videret filium nondum viginti annorum natum tam strenue dimicantem. Vento deinde exorto transitus difficilior factus est. Jamque ceteri ingredi flumen recusabant. Ob eam rem Sfortias iratus, ut animos suis ad transeundum augeret, uti erat armatus, iterum ingressus flumen, ostendit suis posse vadari. Dumque esset in reditu, videns puerum mergi, accurrit, manuque eum è gurgitibus ejecit. Dumque iterum se flectit in illius auxilium miseri, Sfortiæ equus demergi visus est. Sed equus egressus foras, Sfortias verò non apparuit, à vorticibus oppressus. Bis tamen visus est manibus elevatis, quasi auxilium exposcens. Nemo tamen succurrit; quare gurgitibus submersus est, nec ejus corpus umquam postea inventum fuit. Sfortia ita necato nuntius propere ad Franciscum prœliantem occurrit, dicens, Patrem esse necatum. Ille re dissimulata sensim pedem referre cœpit, lintremque unam ingressus, quam casu ceperat, uno tantùm adjutus socio, ad suos rediit. Quumque fletus & clamor circumstantium fieret, silentio indicto, ordines instruit, Ortonamque incolumes præter unum Sfortiam rediere. Braccius, ut acceperat, Sfortiam flumen transgressum, suos omnes cum impedimentis à Theate abducit, ut in Umbriam rediret. Jam triamillia passuum itineris confecerat, quum nuntius præstò fuit, Sfortiam necatum. Deinde alter nuntius adveniens idem affirmat. Ille tamen iter susceptum peragebat, falsum credens, quod nuntiabatur. Deinde tertius cum codicillis suorum venit, quibus significabant, Sfortiam necatum esse. Eo nuntio regressus Theatem, ubi multa de Sfortia, & ejus morte lamentatus, indoluit tam strenui ducis casum, nec se fuisse adeo Sfortiæ invisum, ut eum periisse lætaretur, sed suæ virtutis æmulum asserens se illo extincto non diutius esse victurum; scisseque se multorum vaticiniis Sfortiam ante se esse periturum. His peractis Franciscus Sfortia reliquerat in præsidio Ortonæ Sanctum Parentem cum equitibus quadringentis, & Comitem Sancti Angeli. In Monte autem Odorisio Gerardum Codignolam, & Filascum. Ex tanta patris multitudine nemo eum deseruit, nisi Antonius Comes Sancti Severini, qui rediit in Regnum ad suas Terras tutandas. Talianus etiam ad Braccium defecit. Franciscus nocte insequenti tota cum omnibus impedimentis, & die insequenti inter agrum hostium profectus, instructis ordinibus in Apuliam venit, inde Beneventum. Bracciani tamen eos insequuti, aliquot eorum intercepere. Comes Sancti Angeli interea occulta consilia cum Braccio de prodenda Ortona ceperat. Riccardus ejus loci Dominus quum id accepisset, una cum Sancto Parente Comitem obtruncant, suosque diripiunt. Deinde non multo post Sanctus ad Franciscum rediit. Januarii fine Franciscus Sfortias è Benevento venit Aversam, ut Reginam alloqueretur. Receptus ab ea humanissime, & de morte patris condoluit, nec à lacrymis temperavit. Deinde omnia patris Francisco confirmat, jubetque, ut fratres illi parentes sint; deinde accepto stipendio Beneventum rediit ad suos exornandum, ut primo vere Neapolim obsideret. Dumque ver adventaret, inter Maladonum & Aversam quum pergeret, fit obvius Ursino, qui cum quingentis equitibus Neapolim properabat. Clamore exorto, Ursini acriter invadebant. Quumque Franciscus Sfortias cum paucis esset, se se Acerras celeri passu recepit. Deinde comparentibus suis, & Micheletto Attendolo, juxta Neapolim castrametati sunt.

Erant Neapoli in præsidio Regis Don Petrus ejus frater, Bernardinus Ubaldinus, Ursinus, & Jacobus Caldola. Dumque Neapolis obsidebatur, classis Philippi Mariæ Guidone Torello ejus Præfecto Neapolim appulit. Cum hoc Franciscus amicitiam contraxit. Bernardinus, quum sibi pecuniæ deessent, auctoritate Don Petri rediit ad Braccium, cujus stipendio militabat. Guido Torellus in ipso itinere Cajetam, Prochitam Insulam, Castellum Stabiæ, Surrentum, Massamque deditione accepit. Erat ei classis quatuordecim navium. Loisius interea Johannem Antonium Marsanum Suessæ Ducem in suas partes attraxerat. Jacobus Caldola de prodenda Urbe quum colloquium cum Francisco Sfortia haberet, Don Petrus tanti viri potentiam veritus, in Arce Nova se continebat. Paulloque post Caldola Urbem Andegavensibus aperit ea lege, ne quem Civem Neapolitanum hostis loco haberet. Siculi omnes capti. Deinde Arx Capuana deditione suscepta est. Johanni Bozzuto, & Nicolao ejus filio, quamquam adversæ factionis, tamen à Ludovico bene habitis, & eorum bonis uti permissum est. His prospere gestis, Ludovicus Aquilanis extrema necessitate constitutis, quum mortuo Sfortia solus subvenire non posset, Oratores ad Pontificem misit, ut opem & auxilium ex fœdere cum eo icto postularent. Is in subsidium Andegavensis misit Franciscum Pizolpassum Legatum; & Ludovicum Columnam, ut se Francisco Sfortiæ, & Jacobo Caldolæ, ceterisque Andegavensis ducibus conjungerent. Circa initia Junii junctis copiis ad castra hostium pervenere. Braccius quum videret hostes ex monte descendere, suos ad pugnam paraverat loco æquiore. Qui quum commode se munitionibus castrorum posset continere, vel prohibere descendentes, pugnæ avidus, permisit omnes hostium copias ex monte locis patentibus descendere, atque acies instruere. Hortaturque suos ad eam pugnam, quam semper optassent, & cujus illis copiam fecerat, unumquemque moneas, ne spem, quam de eis con-

concepit, ea die amittat. Ea die se cogniturum cujusque militis animos. Providisse, ne pauciores cum pluribus decertarent. Illos sine duce esse. Exercitum ex necessitate coactum, pugnæ insolitum. Cavisse etiam, ne fessi cum recentioribus decertarent. A fronte esse pugnandum. Opposuisse Aquilanis obsessis Nicolaum Piccininum quatuor cum cohortibus. Proinde magnis animis adoriantur, & meminerint, sub se duces quatuordecim suis auspiciis viginti annis, tot prospere gestis, militasse. Postremò admonuit, ne quisquam à suis signis, nisi jussus, recederet. Jam Andegavenses rumore sublato invaserant Braccianos. Illi haud timide resistebant. Octo ferme horis ancipiti marte & cruento pugnatum est, quum Aquilani eruptione facta Piccininum invadunt. Contra hos Piccininus paulisper pugnavit. Tamdem loco pulsus aufugit ad suos. Primum erratum Braccii ea die ab hostibus animadversum fuit; & quod hostes maximè verebantur, scilicet eum omnes è monte descendere sivisse. Secundum, quòd non multam manum peditum contra Aquilanos opposuerat. Interea atrox certamen erat, Ludovico Columna, atque Legato Pontificis adhortante suos, ut contra Romanæ Ecclesiæ hostes pugnarent. Franciscus Sfortias jam suas copias in aciem duxerat; quumque acrius decertaretur, primam, & secundam Braccii aciem in tertiam compulerant. Tum verò à Braccianis multo acrius, & quasi de integro prœlium commissum est. Tum Ludovicus Antilocius ut vidit Braccium suos adhortantem, relictis ceteris eum adoritur. *Tune es,* inquit ille, *patriæ tuæ eversor, qui me, & meos ejecisti?* Eduxitque gladium & Braccium percussit, illumque ruentem ex equo quum sui vidissent, omnes in fugam versi. Capti plerique in hostium potestatem pervenere. Braccius semivivus in Aquilam delatus interiit. Castra Bracciana direpta sunt, & Aquilanis ea die egregiè subventum est. Brevi omnia Aquilanorum Castella à Braccianis rebellarunt, & ab Aquilanis recepta sunt. Hac clade vulgata, nova comparata classe, Alphonsus Neapolim appulit, & magno suorum damno Urbem oppugnare conatus, repulsus est. Deinde Don Petrum fratrem, quem Arci novæ præfecerat, in naves imposuit, præfecitque Arci Dalmaum quemdam Hispanum. Hac Arce, & Peninsula Ovi bene munita, deinde in Calabrias profectus, quum Arci Tropeæ subvenire vellet, tempestate exorta repulsus est, & in Siciliam abiit. Regina Ludovicum, quem adoptaverat, in Calabrias misit, qui adeò strenuè se & piè gessit, liberaliterque, ut omnium Calabrorum ore æqualiter laudaretur, summamque Populorum benevolentiam adeptus sit. Per ea tempora Philippus Maria Angelo Pergula Duce magna clade cum Carolo & Pandulpho Malatestis, Florentinorum ducibus, apud Zagonaram conflixit, magno Florentinorum damno. Mortuus est in ea pugna Ludovicus Obizzius Lucensis, & Ursus Ursinus. Castris hostes potiti, ingentem terrorem Florentinis injecere, si prosequi voluissent. Deinde Florentini reparato exercitu adsciscunt sibi Oddonem Braccii filium, & Nicolaum Piccininum. Qui iterum in Valle Lamonis ab hostibus superati, Oddo cæsus, & Nicolaus captus Faventiam perductus est. Qui adeo fidè pro Florentinis ita captus se gessit, ut Astorgium Faventinum in partes Florentinorum attraxerit.

Anno Gratiæ 1425. in Aretinos bellum traductum è Romandiola, quod finitum fuisset, nisi Prætor Florentinorum, qui Angliare erat, Burgensibus bellum intulisset, qui nil hostile contra Florentinos peregerant. Qui tam insigniter læsi, extemplo hostium copias ad se se tuendos convocarunt. In agro Aretino excursione facta, ferro, & igne omnia vastabant, & copias Florentinorum sub Anglare Oppidu stantes fugaverunt. Nicolaus Piccininus interea carcere solutus, quum suis meritis parum gratiæ à Florentinis haberetur, magnis querelis id vulgo prædicabat, asserens finitum esse sui stipendii tempus, cui si non subveniretur, palàm dicebat, se sibi consulturum & suis. Hac re neglecta ivit Cortonam; deinde in Perusinum, & paullo post Philippi stipendio militavit, vir profectò omni laude dignus, & à Florentinis non deserendus. Ipsi tamen tamquam proditorem loco publico pingi fecere. Deinde ingressus agrum Aretinum, quidquid inter Aretium & Bibienam fuerat, suæ ditionis effecit. Ea re Florentiæ majorem in modum trepidatum est. Pontifex eo Anno Indulgentiam Jubilæo similem magno hominum concursu Romæ indixit. Ea tempestate Antonius Pisanus, Albericus Cunii Comes, & Christophorus Lavellus à Florentinis defecere, & similiter ex more pinguntur proditores locis publicis Civitatis. Ea re Florentini, quasi de eorum libertate diffidentes, ad Venetos accurrunt, auxilia postulatum, simul ostendentes, quanto in periculo sint, Florentinis subactis. Philippus Maria veritus, ne Veneti se cum Florentinis conjungerent, pacem Florentinis obtulit, quam illi renuêre.

Anno 1426. Veneti cum Florentinis fœdere icto, contra Philippum Mariam movere, Brixiam Urbem invadentes, quam proditione postea suscepere. Confestim Dux suos in Etruria existentes in Lombardiam revocat. Arces diu defensæ, tamdem in Venetorum posse devenere. Florentini discessu hostium in Etruria victores fuere, recuperaruntque Castella Florentini agri, quæ prius amiserant. In Regno Neapolitano interea res quietæ erant, & à bellis cessatum. Franciscus Sfortias, Albericus, & Antonius Pisanus à Duce Mediolani adsciscuntur, qui suo stipendio militaverunt. Eodem Anno Pontifex Sarnum & Par . . . . agri Nolani permutat cum Noctano, & Auxio, Austroque cum Alberto Ursino Comite Nolæ. Quæ Antonio Nepoti tradidit, Ebulumque à Francisco Mommino nullâ legitimâ caussâ ademtum, à Regina dari fecit Antonio nepoti, jam Principi Salerni designato. Deinde collocat Polissenam Ruffam filiam Nicolai Marchionis Crotoni, & Comitis Catanzarii Antonio Nepoti in matrimonium, ad quam omnis ager Crotoniatis & Catanzarii jure hereditario attinebat. Crotoniumque recepit, ejusque sororem Paullam Columnam Pontificis neptem dat in matrimonium Johanni Antonio Ursino Principi Tarentino.

Anno 1427. Antonius Candola Jacobi filius uxorem duxit Æmiliam Johannis Caraccioli filiam; qua affinitate ceteri Regni Du-

Duces permoti, veriti sunt, ne Regnum solus occuparet. Nam ut verum paucis absolvam, ea tempestate cuncta suo consilio moderabatur, mirumque in modum ejus potentia creverat. Primò enim Johannis Antonii Principis Tarentini animum à se alienavit. Erat enim Princeps Caracciolis odio. Quo igitur & hunc sibi conciliaret, alteram ejus filiam Gabrieli Ursino Principis fratri copulavit. Tum verò omnibus terror injectus. Accidit, ut Cobella Ruffa uxor Ducis Suessæ levi quadam ex caussa cum Caracciolo altercaretur. Ea erat Reginæ affinis atque familiaris; à quo icta, quum irarum plena ad Reginam querimoniam detulisset, non esse ferendam illius insolentiam, Reginæ persuadet; illum omnes Regni Duces paulatim in suas partes attrahere; Reginæ potentiam, auctoritatemque in dies minui; illum ex sua libidine cuncta administrare. Quid inde sequatur, facilè ab ea discerni posse. Nihil enim reliqui est, nisi ut . . . . illi subjiciantur: proinde illam in magno esse periculo, quum & Ludovicum penitus in Calabrias abdicaverit, & Alphonsum Regno ejecerit. Quorsum igitur hæc, nisi ut solus imperio potiretur? Scire se querelas plurimorum delatas, & eorum gravissimas, quibus ille ad Reginam aditum interdixisset. Tamdem manus in Principes Regni injecisse. Ad hanc vocem quum lacrymis abstinere non posset, prorupit in fletum. Quibus Regina permota, *huic rei*, inquit, *Cobella, provisum esse à nobis oportet, atque ab hoc homine cavendum*. In Etruria quoque, & in Ligures Florentini cum Genuensibus decertabant. Nam Fulgosii Spinolas deturbabant atque Adurnos. Quibus quum à Lucensibus auxilia subministrarentur, Paullus Guinisius Lucensis Florentinos sibi infestos reddidit, illumque infestum servabant, Nicolaoque Fortebraccio jam pecunia sibi adscita imperant, ut contra Lucenses proficiscatur. Comes Carmignolæ à Philippo Maria defecerat, cujus caussa fuit, ut Brixienses à Philippo Maria defecerint. Qui eo Anno magna clade à Venetis profligatur.

Sed non multo post pax inter Venetos & Ducem ac Florentinos perfecta est Anno Salutis 1428. Eo Anno Nicolaus Fortebraccius, Braccii sororis Stellæ filius, qui in Gallia contra Philippum Mariam militaverat, pace peracta, in Etruriam redierat. Quum videret de more Florentinorum stipendium sibi imminui, & auctoritatem, pacis caussa, non ferendum ratus, majores ibi copias comparavit, in Umbria aliquid moturus. Sed repente contra Guinisium versus, agrum Lucensem populabundus invasit. Erat Lucensibus cum Florentinis pax, quamquam occulta odia, quòd Vincislaus ejus filius eo bello, quod cum Philippo Maria erat, Florentinorum stipendium recusarat, & Philippo adhæserat. Nicolao autem ex Florentino commeatus, peditesque subministrabantur. Prædatoribus liber in Florentinorum Castellis receptus benigne dabatur. Nonnulli etiam ex primoribus Civitatis bellum sumendum suadebant. Eoque res processerat, ut geri id bellum Florentinorum consilio omnes putarint. Itaque communi omnium consensu tamdem id bellum susceptum est.

Anno Salutis 1429. Carolus VII. Rex Francorum, postquam fere septem regnasset annis, Diadema Regni suscepit. Florentini eo Anno, quum modum solutionis tributorum subditis immutassent, idque magno subditorum damno, Volaterrani à Florentinis defecere. Eodem Anno Carolus Malatesta Arimini Dominus moritur. Superfuere ex Pandulpho fratre filii quatuor, Robertus, Pandulphus, Sigismundus, & Dominicus, nati non legitimo matrimonio. Eodem Anno Nicolaus Estensis Ferrariæ Marchio Hugonem suum filium naturalem deprehensum cum uxore ipsius Nicolai in adulterio, ambos ultimo affecit supplicio. Johanna quædam virgo, quamquam rustica, quartumdecimum agens annum, Carolo Regi Francorum dixit, se à Deo missam, ut Principissa belli contra Anglos fieret. Quod si is faceret, fore victurum. Rex ergo juxta petitionem suam constituit eam Principissam suæ militiæ. Quæ postea Anglos pluribus bellis superavit. Nam quum bellum maxime arderet inter Britones & Gallos, Britonumque res superiores hactenus floruissent, excitatus est à Deo spiritus puellæ, quæ Regi consuluit, quonam modo bellum administrari, & acies instrui deberet. Idque tanta vi animi & facundia disseruit, ut Rex eam Principissam fecerit. Quum igitur Britones Aurelianensem Urbem obsiderent, ut Loira fluvio facilius potirentur, tormento murali, quod Bombardam dicunt, Comite percusso Salisberiensi, qui vir omnium fortissimus dicebatur, & apud Gallos ejus nomen formidabile erat, cum parte exercitus Gallorum Puella in Britones invecta, Britones superat. Plures Duces in illa pugna occisi aut capti fuere. Ea victoria Civitas obsidione liberata. Deinde ea duce plura Oppida suscepere, quæ à Britonibus fuerant occupata. Tamdem post duos annos, quum semper rem prospere gessisset, à quodam in tumultuaria pugna capta est apud Compiegnium Oppidum, & apud Rotomagum à Duce Betford igne crematur. Jam Nicolaus Fortebraccius Villam Basilicam, & quædam ignobilia Oppida agri Lucensis ceperat, eaque Florentinis dederat. Florentini omnibus eorum copiis Collodum cepere. Inde Montem Calvolum in eorum ditionem traxerunt. Tamdem apud Lucam castrametantur. Quo tempore Philippus Brunelleschus, vir magni ingenii, persuadet Florentinis, Lucam inundari posse aqua fluminis Serchii per fossam deducta, & aggere injecto. Quæ res multo impendio fieri cœpta irritum sortitur eventum. Eodem Anno magna Solis Eclipsis facta est mense Februarii die 22. hora 21.

Unica erat Lucensium spes Philippus Maria, qui quum Franciscum Sfortiam in præsidium Lucensium misisset, conatus est stipe accepta cum Florentinis obsidionem continuare, si ei vigintiquinque millia aureorum darentur. Quæ quum illi solvere recusassent, Lucam venit cum quatuor millibus equis Anno 1430. Cujus metu obsidione relicta Florentinorum exercitus sub Librafracta consedit. His perceptis, Franciscus Sfortias Vallem Nebulæ ingressus, Pisciam oppugnavit, & Bugianum cepit, Astignanum incendit. Deinde Antonio Petruccio Senensi auctore, qui cum Philippo militabat, quibusdam etiam civibus adnitentibus, Paulus Guinisius à Fran-

cisco

cisco Sfortia capitur, & cum omnibus filiis Mediolanum perductus est, quod cives illi cum Florentinis pacisci de Luca prodenda intellexerant: omnisque ejus domus direpta. Eo Anno Martinus V. Pontifex per caduceatorem mandat Roberto Malatestæ & fratribus, ut restituant Terras, quas possidebant Ecclesiæ, qui restituere Burgum Sancti Sepulcri, Osimum, Cerviam, Fani Vicariatum, Pergulam, & Senogalliam. Eodem Anno Pontifex tradidit Senogalliam Carolo Malatestæ Pisauri Domino.

Anno 1431. die 22. Februarii, vir prudentissimus, ac felicissimus Pontifex, Martinus V. moritur. Nam quum tempore suæ electionis Ecclesia Romana nil possideret, quum primum Pontifex factus est, omnia Ecclesiæ jura restituit, & optimo in statu rem Romanam reliquit. In ejus locum suffectus est Eugenius IV. Venetus, qui Gabriel dicebatur, die undecima Martii. Hic in principio sui Pontificatus, contra Columnenses & alios finitimos ejusdem factionis bellum movit, quod varia fortuna gestum est. Lucenses postquam libertatem adepti sunt, expulso Tyranno quo cum Florentinis indignatio fuerat, pacem à Florentinis petentes non impetrarunt; immo illi continuant bellum, adscito sibi Guidone Urbini Comite, ducemque belli eum fecere, & majori conatu Lucam obsedere. Omni tormentorum genere mœnia quatiebantur. Jam Franciscus Sfortia, receptis quinquaginta millibus aureis à Florentinis, Mirandolam rediit; ferebaturque Nicolaum Piccininum in præsidium Lucensium à Philippo Maria mittendum. Quem quum Florentini pecunia tentassent, nihil profecere; sed venit, & magna vi exercitum Florentinorum una cum Antonio Pisano fugavit die secunda Decembris. Deinde in Pisanum agrum Oppidum Calci expugnat, & Sanctam Mariam ad Trebium, & Pontem Saccum; & quædam alia Oppida rebellarunt à Florentinis, Castellum Martis, Palura, Pesule, & alia omnia Pisanorum Castella, præter Cassinam & Liburnum. Deinde in Miniatensium agro profectus, decem & septem ejus agri Oppida diripuit. Inde non prius discessit quàm Senas profectus, eos impulit ad bellum contra Florentinos agendum, Stagiamque obsedit. Cui quum spes Aretii potiundi à nonnullis civibus esset oblata, relicta obsidione Stagiæ, nocte tota profectus, orto jam Sole Aretii portis se obtulit. Sed ea nocte conjuratio detecta fuerat, & conjurati securi necati. Quum spe illa frustratus esset, plura Aretini agri Castella cepit. Hoc bello Florentini Populi opes maxime attritæ sunt, & in summum discrimen adductæ, quum & Pisani agri Castella, & Volaterrani essent amissa, Pisæ etiam vix servatæ. In Aretino agro res in magno periculo erant. Qui restarant, ad defectionem erant intenti; Senensesque Gambasium Florentini agri occuparant. Et ut fieri solet, rebus male succedentibus, tributorum solutio ingens, exhausto omni ærario. Cives, qui hujus belli caussa fuerant, jam Populi vocibus exsecrati. Nisi à Venetis esset subventum, de eorum libertate actum fuisset. Eo Anno Concilium Basileense celebratur. Eodem Anno Sigismundus Imperator cum Teucro congressus, superior evasit. In quo prœlio triginta millia Turcarum cæsa sunt. Alphonsus Aragon iisdem temporibus cum Johanne Hispaniæ Rege cognatione sibi conjuncto decertabat, magno suorum damno. Nam fratrem amisit ab Hispanis obtruncatum. Eduardus Portugalli Rex ejusdem generis cum Afris pugnabat. Mauri cum Afris potentiores facti, Christianos continuis prœliis lacessebant, quos Rex tamdem magna industria superat, victorque in Hispanias rediit. Iisdem temporibus Jacobus Candola à Pontifice magna pecunia conductus, ut Columnensibus bellum inferret, pecunia accepta, à Pontifice defecit. Deinde stipendio Antonii Columnæ militans, octuaginta millibus aureis perceptis eum frustratus est. Johannes Caracciolus Marinum fratrem in Pontificis auxilium in Campaniam misit cum tribus millibus equitum. A quo Antonius pulsus se se ad sua Castella recepit. Sed non multo post Pontifici reconciliatus quievit: Eodem Anno Veneti cum Francisco Sfortia apud Cremonam navali prœlio confixere, in quo Philippus Maria superior evasit, captis Venetorum navibus. Veneti quievere. Fœdere cum Florentinis icto, quum nequivissent Philippo bellum inferre, qui paullo ante cum eo pacem firmarant; tamen classe parata apud Populonium classem Genuensium adorti, ceperunt undecim Genuensium triremes. Hoc Anno subditi Malatestarum in diversis Civitatibus tumultu exorto omnia perturbarunt.

Eodem Anno Nicolaus Tolentinus magna pecunia à Florentinis suscepta à Philippo Maria defecit: cujus discessu Veneti ejus Statum in periculum adduxere. Ille igitur rebus suis consulens, Sigismundum Imperatorem in Italiam ut veniat hortatur. Cujus adventum Eugenius IV. ægre ferens, caussam præstitit, ut Columnenses Philippo adhærerent atque Sigismundo, & bellum Pontifici moverent; qui jam Præfectum Urbis Jacobum suo dominio deturbarat. Ea tempestate Nicolaus Fortebraccius Tifernum obsedit. Contra hunc Guido Feltrius Bernardinum Ubaldinum immisit, & obsidionem sustulit. Pisaurenses eo Anno rebellarunt à Pandulpho Malatesta, qui quum Romam ivisset, sua jura petiturus, videns sibi verbadari, aufugit in Terras Columnensium. Eodem Anno Polissena Ruffa Antonii Columnensis uxor, patrui sui tutoris scelere, à Catanensibus fœde trucidatur. Ejus soror Henrichetta Sancia vix impias proditorum manus evasit, quæ postea Antonio Centilio nupsit. Hac cæde vulgata Antonius Columna, qui Crotonum iverat ad uxorem suscipiendam, Crotono relicto Asturum se contulit, Pontifici bellum illaturus eo fœdere, quod cum Philippo Vicecomite jecerat. Sigismundus jam Lucam properaverat, quum Philippi copiæ in Pisano rediissent, & una cum Sigismundo conjunctæ Florentinos deturbarent. Sed Piccininus in Galliam contra Venetos revocatus redierat. Erat Albericus Lugi Comes dux exercitus Philippi in Etruria, cui Philippus in mandatis dederat, ne prius manum cum Florentinis consereret, quàm Sigismundus iis adjungeretur, huncque ceteri duces vererentur non ut ducem exercitus, sed tamquam virum suæ voluntatis edoctum. Hi ergo duces statuunt, priusquam Sigismundo

A do jungerentur, Montoporium oppugnare. Eo profecti, quum Antonius Pisanus, qui peditibus præerat, oppugnationem oppidi tentaret, & ceteri eo se conferrent, ab Accattabriga & Raynerio Frogio Perusino invaduntur, qui præsidio Castellifranchi impositi fuerant. Hi ergo quum hostem lacesserent, non magno conatu ab iis repulsi & fugati sunt. Quadringentos ferme equites amisere. Redeuntibus denique victoribus ad suos, ut Montoporium, quod jam à reliquis copiis oppugnabatur, diriperent, Nicolaus Tolentinus, suadente Nicolao Pisano, Mediolanenses aggreditur. Aliquantisper cum iis pugnatum. Ob eam rem tamen oppugna-B tio deserta Montisoporii. Quumque hi duces convenissent, statuerentque contra victos jam prope hostes, & qui de fuga cogitabant, instare (erant enim hi magni quippe viri Bernardinus Ubaldinus, Ludovicus Columna, Ardizzonus Carrarius, pluresque alii) tunc Albericus *audite*, inquit, *quid Philippus Maria Dux & Dominus noster vobis his literis mandat*. Erant literæ præcipientes omnibus his ducibus, ut Alberico parerent, non ut principi ejus militiæ, sed ut homini suæ voluntatis certiori. Tunc omnes: *Quid præcipis?* inquiunt. At ille; *mandat, ne manum conferam cum hoste, donec Sigismundus una nobis jungatur. Vult & mandat Dominus noster.* C Tunc Ludovicus Columna, *tace*, inquit, *cum his tuis literis. Si enim Philippus Dux videret, quo in statu hostes sint, non tibi & nobis hoc mandasset.* Quumque Albericus instaret, Bernardinus, cui major equitum numerus, quàm alicui, erat, *parebo*, inquit: vexillumque, quod in exercitu ipse solus gestabat, retrocedere jussit. Hunc quum Nicolaus Tolentinus vidisset, in spem adductus rei bene gerendæ, paulisper substitit, exspectans, si Michelettus Attendulus, qui ex alia Arni parte erat, vado trajiceret. Quumque illum transeuntem videret, repente hostes jam retrocedentes invadit. Illico omnes in fugam versi. Capti D ea pugna ex exercitu Philippi equites ter mille. Fuit hic dies Dominicus. Pridie ejus diei Imperator Lucam venerat. Hac pugna Florentini animis erecti; libertas eorum, quæ in dubio fuerat, servata est. Ferdinandus Aragon eo Anno Alphonso Valentiæ nascitur ex concubina, sexto Nonas Junii, horâ ferme quintâ post Solis occasum. His rebus Sigismundus auditis, Lucæ paucis diebus moratus, quo ad Antonius Pisanus ad eum ex Pisano adiisset. Ibi confirmato animo ex Luca per Pisanum Senas advenit. Ea re Florentiæ trepidari iterum cœptum, & plurimorum animi ad libertatem erecti. Nam & Volaterrani quidam Urbe potentes E cum Senensibus pacti, ut jugum Florentinorum excuterent, re cognita, conjurati capite puniuntur: quidam verò fugientes, in exilium dati, bona eorum publicata sunt. Eodem tempore Miniatenses ad Sigismundum Laurentium Bonincontrium patruum meum misêre, ut libertatem sibi adsciscerent. Missus est in Pisano ob eam rem Albericus Comes Lugi, ut Miniatensibus præsidio esset. Qui quum venire recusaret, sæpius expostulatus, tale inceptum frustra susceptum est. Ego ob eam rem magno cum periculo patria pulsus. Bona mea detenta. Et ego in exilium datus, ad Sigismundum confugi. A quo adjutus apud eum fui. Ceterum ex omni Italia, Miniatensibus exceptis, nemo ad Imperatorem confugerat, suæ libertatis recuperandæ caussa. Sigismundus, quum Romam proficisci nequiret, magno Senensium sumtu, pluribus mensibus apud eos fuit, quærebatque, quonam modo Senenses & Lucenses cum Florentinis amicitia jungeret. Hæc quum Philippus Maria accepisset, idem ipse quærebat.

Anno Salutis 1432. Sigismundus de voluntate Eugenii Pontificis Romam profectus, à quo diadema Regni assumsit, & Romanorum Rex factus, rediit in Alemannias, Philippo Mariæ infensus. Audivi ego sæpius illum dicentem, quum Senis essem: *Ego ulciscar de illo perfidissimo Tyranno, qui me Senis tamquam belluam collocavit.* Venetorum amicus discessit, quum ejus adventu his inimicissimus esset. Veneti & Florentini cum Philippo Maria Duce Mediolani die 22. Aprilis pacem firmarunt. Qua pactione Pergamum Venetis traditur, & Florentinis sua omnia restituta sunt, quæ ex Pisano & Aretino amiserant. Franciscus Sfortia, qui Ducis Mediolanensium stipendio militabat, sub specie alleviandæ ab eo militiæ, in Picentes descendit. Omnem illam provinciam suæ ditionis effecit. Eram ego ea tempestate Francisci miles, quum Montem Ulmum diripuimus. Clamabatur ab omnibus Ducis Mediolani nomen; cujus auctoritate Civitates permotæ, Francisco portas aperuere. Quumque provincia capta Auximates ad eum venissent, ut pacta, quæ postularant, stipularentur, quum illi dicerent, velle Ducis Mediolani præceptis parere, tum Sfortias, *ego*, inquit, *vos cepi, & non Dux. Quod si id piget, redite: nam vi capiam vos.* Illi admirantes, & quod res ipsorum in dubio relinquebantur, cum Francisco paciscuntur. Idem à ceteris Civitatibus factum est. Eodem Anno Regina Johanni Antonio Principi Tarentino, Jacobo Candola duce, dominium omne arripuit, præter Tarentum, Motulam, Licium, atque Gallipolim: inde Francisco Bautio Andriam. Qua ex re Johannes auxilia à Francisco Sfortia expostulans impetrat. Et Ardizonus Carrarius cum sexcentis equitibus mari ab Ancona solventes, in præsidium ejus iverunt. Ille enim Alphonsi partes tutabatur. Eodem Anno Veneti affecere ultimo supplicio Franciscum Comitem Carmignolæ, qui exercitibus ipsorum præerat, cujus beneficio Brixia potiti fuerant. Clausum fuit prius ejus os, ne fari posset. Non multo post Veneti magno sunt à Duce Mediolani prœlio superati, Autumno jam adventante. Florentini seditionibus civilibus agitati, Cosmam Medicem in exilium dedere; capiteque eum punissent, ni Mariottus, Baldovinettus, & Gentiles Varani Camertinensium Domini, Johannem eorum fratrem occidissent. Ejus parvi liberi cum matre Viscium aufugiunt; ibique fideliter ab iis educati & tutati sunt. Erat enim eorum mater Conradi Trincii Fulginatum Domini soror. A quo majorem in modum adjuti sunt. Erat enim cum eo bellum à Varanensibus motum. Franciscus Sfortia contra Varanos movens, Sanctum Guinisium eis ademit: deinde in Tudertinos versus, Tudertum cum omni eorum agro deditione su-

suscepit, ubi quod reliquum æstatis fuit, egit, & tota hyeme consedit. Interea Nicolaus Fortebraccius pace peracta, à Florentinis discedens, ab Everso Comite Anguillariæ adjutus & Philippo Maria, Tibur occupavit, sociatis sibi Bartholomæo Guildio, & Antonio Pisano, quos prædæ participes, uti inter eos pactione convenerat, fecit. Ea tempestate quum nihil esset tutum Pontifici, tantis undique exercitibus circumvento, cum Francisco Sfortia paciscitur, eique Vexillum Ecclesiæ Romanæ dedit, ut contra Nicolaum Fortebraccium esset. Eo tempore Genuenses in Asia apud Sovactum à Tartaris superantur magna clade, in qua desiderata sunt Genuensium millia octo. Antonius Pisanus, dum pactionis spe à Fortebraccio missus est ad Pontificem ea lege, ne quid interea Fortebraccius innovaret, non servata fide populabundus Romam accessit. Indignatus ea re Antonius cum Pontifice paciscitur, & cum mille equitibus stipendio accepto, Fortebraccio infestus erat. Quod bellum postea utriusque clade gestum est. Totam tamen Campaniam Antonius volente Pontifice suæ ditionis effecit, ne eam Provinciam Fortebraccius occuparet. Eodem Anno Jacobus Caracciolus, adhortante Cobella Ruffa, obtruncatur. Ea tempestate, qua Franciscus aliarum partium factus, quàm Philippi Mariæ, Nicolaus Piccininus ab eodem in Etruriam in præsidium Fortebracciis missus est, sed ea tempestate à Micheletto Bautio, Antonio Attendolo, Antonioque Pisano Tiburi pæne obsessus tenebatur. Faliscum, & in Sabinis Mallianum, occupaverat. Piccininus Vetrallæ postea se continebat. Franciscus Sfortia Viterbio haud procul in monte, ut aditum ad Romam Piccinino prohiberet. Anxius enim Pontifex ea de re maxime erat, quamquam Florentiæ esset. Post Caraccioli mortem Regina Ludovicum Andegavensem Neapolim advocat: sed immutata voluntate, Cobellæ Ruffæ consilio, ab incepto destitit, & contra Principem Tarentinum in Apuliam ivit.

Anno Salutis 1433. Alphonsus classe centum navium in Africam trajecit, Gelbos debellaturus, sed peste valida impeditus, tale inceptum frustra suscepit, & in Siciliam rediit. Anno isto, sive sequenti, Thomasius Hellica Fabriani Dux à suis civibus, cum filiis obtruncatur. Vidi ego unum ex filiis septennem, quum vitam à proditoribus deprecaretur, dicentem, se religioni à matre dicatum. Moverunt ejus lacrymæ, & quòd forma excellens erat, pæne omnem multitudinem. Duo tamen ex conjuratis linea vitta eum suffocarunt. De Conrado Trincio Fulginatum Domino idem factum postea fuit, auctore Johanne Vitellesco Legato Pontificis, viro omnium crudelissimo. Miserat ea tempestate contra Guillielmum Murum in Lucanis, cui quum Tarentinus opitularetur, non solùm hunc, sed ceteros Regni Duces solicitat ad defectionem. Adjunxitque sibi Jacobum Suessæ Ducem, qui cum Cobella Ruffa ejus uxore ea tempestate decertabat. Illa enim Calabrias ferme omnes suæ ditionis effecerat. Deinde hi Duces per Oratores suos Alphonso nuntiant, quo in statu Regnum sit, hortanturque eum ad Regnum capessendum. Hæc quum Reginam non lateret, lenire magis tantorum Principum potentiam, quàm exasperare, consilium cepit, ita quod cum iis segnius bellum gerebatur. Alphonsus ea spe fretus, medio hyemis tempore, rem è proximis exploraturus, Gynariam venit: ubi rerum omnium certior factus sperabat, Cobellâ Ruffâ intermediâ, cum qua primo ejus adventu magnam familiaritatem contraxerat, rem cum Regina componere. Erat enim hæc mulier magnæ audaciæ, consilio & animo pollens, primumque locum, Caracciolo mortuo, apud Reginam obtinebat. Hæc ut vidit, Alphonsum mariti partes tutari, immutata voluntate, contra Alphonsum plurimùm nitebatur. Persuadet Reginæ, dolum sibi parari, nec alia de caussa Alphonsum in Insulam venisse, nisi quòd certior factus erat, Tarentinum apud Montem Fosculum cum duobus millibus equitum convenisse. Mense Augusto Johannes Varanus cæsus est à Bernardo & Gentile Pandulfi fratribus. Ob ejus mortem mater cum duobus parvis liberis Vixium aufugit. Quæ mors caussa fuit amissionis status ipsorum. Nam Septembri mense Petrus Gentilis eorum frater eorum assensu captus à Johanne Vitellesco Legato Pontificis in Piceno, & ultimo supplicio affectus est. Mense Januario Franciscus Sfortia Spoletum cepit. Deinde contra Varanos movens, qui cum Conrado Trincio debellabant, plura Oppida eis ademit, & Picenum pæne omne occupavit.

Anno 1434. Nicolaus Piccininus & Fortebraccius re dissimulata Pontifici bellum indixere. Contra Romanos plura damna fecere. Romani indignati Pontificem cepere, qui postea Pisas aufugit. Eodem tempore Franciscus Sfortia, dum Vigoli esset, & Nicolaus Piccininus Malliani, adversa valetudine correptus, coactus est Philippi Mariæ Oratoribus intermediis pacem cum Piccinino & Fortebraccio facere. Pace peracta Piccininus à Philippo in Flaminiam missus contra Ecclesiæ, Venetorum, & Florentinorum exercitum, qui tamen quum illis equitum numero impar esset, consilio eos profligavit. Nam quum Pontifex Bononiensibus, dum Florentiæ degeret, bellum indixisset, illi ad Philippum Mariam confugerant. Ea de re bellum quasi de integro cum iis exactum est. Piccininus ergo pluribus diebus exploraturus hostium castra, levi armatura cum his decertaverat. Deinde transgressus flumen, iteratò concurrebat. Erat enim flumen exercitus utrosque dividens. Quumque ille sensim suos pedem referre jussisset, si fortè illos trans pontem allicere ad pugnam potuisset, animadvertit vir sagax, & rei militaris peritissimus, duces hostium inter primos versari, & ad omnem clamorem primos esse, utpote qui paucitatem equitum Piccininum vereri videbant. Ubi satis explorata sunt quæ voluit, suos adhortatus ad pugnam, Bernardino Ubaldino præcepit, ut non prius loco se moveat, quàm omnes duces exercitus transire Ponticulum viderit, idque se illi in tempore ostensurum. Deinde Baptistæ Grosso Senensi præcipit, ut cum levi armatura, sicuti superioribus factum erat diebus, castra hostium invaderet. Quumque ille id fecisset hostibus non sequentibus, redit ad Piccininum, qui indignatus, *redi-*

inquit, *& si non sequuntur, intra vallum hostium adorire*. Ille imperio parens, iterum hostes invadit. Quumque illi raptim indignabundi eum sequerentur, sensim referre pedem cœpit. Contra hos Piccininus aliam equitum manum immisit, mandans ut eos trans Ponticulum alliciant. Jamque res eo pervenerat, ut omnes duces pontem transgressi Piccininos fugarent. Tunc Piccininus Bernardino dat, ut pontem occupet, nec regredi quemquam patiatur. Erant duci huic equites septem mille. Qui repulsis his, qui in ponte hostium erant, pontem occuparunt. Quod ut Piccininus animadvertit, omnem exercitum in hostem servatis ordinibus convertit. Quid plura? Ad unum omnes capti sunt. Sunt qui velint id fuisse Anno 1434. Deinde Piccininus suos hortatus, *cepimus*, inquit, *duces hostium. Eamus nunc, ut reliquos capiamus, diripiamusque eorum castra*. Tantisque animis in hostes profecti sunt, ut primo impetu eos fugarint, castraque diripuerint. Quatuordecim ex ducibus hostium capti ea die fuere, in quibus fuit Nicolaus Tolentinus Florentinorum equitum dux, Petrus Jampaullus Ursinus, Gattamelata, Astorgius Faventinus. Equitum verò sexmillia ferme cepere. Hac clade suscepta, Anno 1435. Pontifex Mediolanensi conciliatur, & Imola restituta est, paulloque post cum Venetis & Florentinis fœdus cum Mediolanensi percussum est. Eo Anno Veneti ultimo supplicio affecere Marsilium Carrarium, qui conatus erat Paduam sibi vindicare. Eodem supplicio sex Cives Paduani cum eo necati. Johannes Vitellescus, qui Patriarcha erat, missus à Pontifice Romam, Urbem ad Pontificis imperium traxit, Cardinalemque Pontificis nepotem, quem Romani ceperant, vinculis exemit, Florentiamque ad Pontificem perduxit. Eo Anno Rex Franciæ & Dux Burgundiæ, pace inter eos firmata, auctoritate Pontificis, quieti & tranquillitati post longa bella studuerunt. Ludovicus Andegavensis, dum contra Principem Tarentinum & alios Aragonenses in Apulia bellum continuaret, adversa valetudine oppressus, Cusentiam ivit, ubi mense Novembri interiit, Anno salutis 1434. Cujus cadaver in Ecclesia Cathedrali insepultum vidimus arca inclusum, quòd testamento mandarat in Provinciam deferri. Ejus mortem Johanna II. Regina acerrime tulit, palamque fassa est, se filium obsequentissimum, clarissimumque perdidisse. Princeps Tarenti ea tempestate Ludovici morte respirans, Leporanum vicepit, Galeotto ejus loci Præfecto ictu sagittæ interemto. Inde Brundusium profectus, dum Honoratus Gajetanus vallum tutaretur, defectione Civium in potestatem Tarentini devenit. Hac re vulgata, omnis illa regio Tarentino se dedit. Quum superiore Anno Johannes Antonius Tarenti Princeps complura ex suis Castellis, quæ amiserat, recuperasset, palam Alphonsi nomen invocant, majori conatu rem gessit. Quumque Johannam adversa valetudine correptam audivisset, Tarentum rediit. Nec multo post per internuntios cum Alphonso pactus, Menicuccium Aquilanum in Alphonsi partes attraxit, tantaque apud suos benevolentia fuit, ut sine vi cuncta perficeret. Ex quo apparet, illos, qui ad Reginam defecerant, metu magis quàm aliqua bona voluntate id fecisse.

Interea mense Februario Anni 1435. Johanna II. Regina Neapoli moritur. Sepulta est in Æde Annuntiatæ, humi tantùm defossa. Ludovici fratrem Regni heredem instituit. Ejus morte vulgata Jacobus Candola in Aprutios rediit. Quo tempore Riccius Monteclarus olim gregarius miles, sed ea tempestate Candolæ militans, ab eo defecit, ad idque fastigii postea pervenit, ut viginti octo Castella & Civitates possideret, in quibus Arpinum, & Sora; cum quo ego postea Alphonsi temporibus militavi. Johannes Vintimillius natione Siculus ab Alphonso in Regnum ad Tarentinum mittitur cum equitibus trecentis. Creaturque Johannes Antonius Tarenti Princeps ab Alphonso magnus Regni Comestabulus. Hujus metu Jacobus Candola, seu id benevolentia fecisset, Tarentino persuadet, ut Franciscum Baritium, qui ea tempestate quartumdecimum annum agebat, Principi ex sorore Sueva nepos sobrinus, quum filios legitimos non haberet, in Regem assumat, relictis Aragonensibus & Andegavensibus. Quandoque regnicolam Regem, & non barbarum, habeant, quando Johanna Renatum heredem instituerat. Ita Candola cum sibi, tum Regno Neapolitano consuluisse credebat. Hanc Jacobi persuasionem & consilium profectò non aspernandum Princeps Tarentinus aspernatus est, idque dolo fieri censebat, tum etiam quòd jam cum Alphonso pactus, salva fide id facere nequiverat. Constat, tantam rem à Candola frustra tentatam esse. Eo Anno Alphonsus Aragon cum duobus fratribus navali prœlio à Genuensibus superatur, captusque est & Mediolanum perductus, qui Cajetam magna vi oppugnabat. Neapolitani quum ob mortem Johannæ II. scirent, Renatum Andegavensem heredem factum, Oratores ad eum in Galliam miserunt, quo tempore Renatus carcere emancipatus fuerat, à Duce Burgundiæ captus ea pugna, in qua Galli cum Burgundiis male pugnarant. Quum vidissent, eum non posse precibus redimere, Isabellam ejus uxorem in Regnum ducere properabant. Quo tempore Alphonsus Aragon à Genuensibus capitur cum duobus fratribus, & quasi omnibus Regni Ducibus, qui Cajetam obsidebant, quæ à Philippo Maria tenebatur, Ottolino Zoppo, & Francisco Spinola ibi in præsidium collocatis. Dux verò Mediolanensis Philippus, quum duos Reges Aragonios, Magistrumque Sancti Jacobi ejus fratrem, Johannem Antonium Ursinum Tarenti Principem, Jacobum Marsanum Suessæ Ducem, totque alios Regni Proceres captos haberet, animum ad Regnum occupandum adjecit. Sed Nicolao Piccinino consulente, ea liberalitate usus atque magnificentia est, ut omnes non solùm libertatis compotes fecerit, sed etiam magnis muneribus dimiserit, ob quam libertatem Genuenses Regi infensi à Philippo paullo post defecere. Eodem Anno Johannes Vitellescus, qui prius Patriarcha erat, creatur à Pontifice Legatus in temporalibus & spiritualibus, ut Regni curam susciperet. Hic ut Tudertum venit, Franciscum Sfortiam Pontifici conciliat, Vexilloque sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ donat. A quo Interamnam, Ameliam,

liam, & alias Terras & Arces Patriarcha recepit. Militat deinde Franciscus stipendio Pontificis, castraque ad Montem Faliscum adegit, in quo erat Nicolaus Fortebraccius cum equitibus septingentis. Quumque Divi Francisci Ædem, quam hostes munierant, mœnibus junctam expugnare conaretur, vulnerati sunt milites octoginta, in quibus ego capite ictus pæne interii. Quos Sfortias sua liberalitate Viterbium missos curare suis sumtibus fecit. Tamdem Falisci, Nicolao abeunte, & Vetrellani Ecclesiæ se dedere. Mense Octobris Isabella Renati uxor Cajetam appulit, & eam Civitatem Philippo Mariæ abstulit.

Anno salutis 1436. Johannes Vitellescus in Casentinum profectus, Pratum cepit in ipsa hyemis asperitate, Florentinisque dedit. His peractis ivit in Aprutios contra Franciscum Piccininum, qui Aquilanis bellum inferebat. Inde eum fugat, & Matricium in deditione suscepit. Per ea tempora Parisius, & aliæ permultæ Civitates ad Caroli Regis Galliæ obedientiam, desertis Britannis, rediere. Pontificis exercitus eo Anno contra Franciscum Sabellum profectus, ferro & igne ejus Castella vastavit, cepitque Sabellum, Albanum, Stafanum, & Roccam Priorem, in qua erat uxor Francisci prægnans, quam honorificentissime incolumem ad suos remisit. Hoc Anno Genuenses à Philippo Maria defecere, quia nimis liberaliter Alphonsum & ceteros Duces habuerat. Deinde Vitellescus contra Antonium Pisanum, qui Campaniam volente Pontifice occuparat, perrexit ne eam Fortebraccius occuparet. Quumque prius multa cum Antonio egisset, ut Civitates Campaniæ & maritimæ, quas stipendii non soluti nomine possidebat, nihilque præter Tuscanellam ei dare vellet, re in litigium versa, Sesiam primo illi ademit, deinde Privernum obsedit. Quumque Antonius cum Alphonso, qui jam Mediolano in Regiensem redierat, pactus esset, Rexque in præsidium Privernatum Ursinum Riccium, & Antonium mittere statuisset, Antonius sive ne ejus auctoritatem cum Ursino communicaret, sociumque gloriæ haberet, sive existimans id per se posse conficere, adscito sibi Riccio, castra Pontificis invasit, & ab his desertus à Riccio captus est. Privernates ea spe destituti, Pontifici se dedunt, & omnes Civitates Campaniæ, præter eas, quas Riccius possidebat. Tertia deinde die Somninum diripuere, ubi Antonium Pisanum suspendere fecit. Sui omnes ad carcerem missi. Pontifex postquam ex fœdere cum Philippo Maria icto Bononiam receperat, eo Anno Bononiam profectus est circa Aprilis initia. Eo Anno Nicolaus Piccininus in Lucaniam pervenit, Philippi Mariæ stipendio militans. Petiit à Florentinis iter pacatum, ut in Senensem iret, Fortebraccio opem laturus. Quod quum sibi denegaretur, cepit agri Pisani Filectolum & Sanctam Mariam in Castello. Quo Anno Genuenses recuperarunt Portum-Venerem, per multos antea annos ab Alphonso occupatum. Eodem Anno Nicolaus Fortebraccius suscepit deditione Montem-Faliscum, & inde abiit, & ivit contra Dominos Camerini, & nonnulla Oppida recepit. Quumque Anno insequenti apud Belvedere esset, Alexander Sfortias & Talianus Furlanus contra eum profecti, commisso prœlio fugant ejus exercitum, & ipse præcipitans ex equo mortuus est. Leo Sfortias eo Anno, dum castra apud Mercamam Conradi Trincii Oppidum haberet, à Nicolao Piccinino castris exutus, vulneratus & captus est. Patriarcha non multo post Laurentium Columnam Preneste obsedit. Dura fuit ejus loci obsidio, abstulitque obsidione durante Zagarolum, Gallicanum, & alia quædam ignobilia Oppida. Tamdem fame domiti Prænestini deditionem fecere. Laurentius ad Alphonsum profectus illa pactione est; exul factus & dominio omni privatus, non multo post adjutus à Rege furtim recuperat Zagarolum, ubi iterum obsessus à Patriarcha, eum amisit, sed magna clade susceptum. Laurentius ibi captus, Bononiam ad Pontificem missus, qui eum vinculis exemit, & benigne à Pontifice habitus est.

Anno Salutis 1437. acciverant Florentini Franciscum Sfortiam in Etruriam, qui militabat Venetorum & Florentinorum stipendio, ne Piccininus ultra progrederetur. Nam profectus Bargam oppugnabat, ubi à duobus millibus peditum profligatus in Galliam rediit. Discessus Nicolai bellum Florentinorum & Lucensium fuit, quibus Florentini, postquam quæ amiserant, recuperarunt, omnia ferme Castella Lucensibus ademere. Deinde Lucam castrametati sunt ferro & igne omnia vastantes. Quumque hæc fierent, Veneti revocato in Gallias Francisco Sfortia, Florentinorum castra admodum imminuta relinquunt. Tamdem continuantes obsidionem in discrimen pervenerant. Nutriebat tantummodo eos Nicolai Piccinini spes, qui se venturum propediem in eorum præsidium pollicebatur. Franciscus Sfortias, Florentinorum hortatu relictis Venetis, Florentiam rediit. Patriarcha Vitellescus mandato Pontificis ivit in Regnum contra Alphonsum Regem cum ferme quinque millibus equitum & quatuor millibus peditum. Cepit primo Venafrum deditione Francisci Pandonii, cui Patriarcha restituit Venafrum, & illum in suas partes attraxit. Deinde Alifium, & Pedemontem. Deinde Varanum diripuit, & tamdem Neapolim ad Isabellam Reginam fame laborantem ire statuens, casu Romam rediens, compositis cum Isabella rebus, submissisque in præsidium quatuor Genuensium navibus cum frumento, quod Pontifex dono Neapolitanis dederat, in Regnum rediit. Obsidet Montem Sarchium, quod à Jacobo Leonissa possidebatur, partem castelli igne cremavit. Deinde firmatis cum Jacobo induciis, ivit contra Principem Tarenti Johannem Antonium Ursinum, junctis sibi Jacobo Candola, & quibusdam aliis Isabellæ copiis. Adortus in agro Beneventano apud Montem Fuscum castra Tarentini, invadit, fugatque. Princeps ipse captus, quem mandante Pontifice dimisit, & ad suas partes attraxit, ob idque Patriarcha Cardinalis factus est. Anno insequenti Franciscus Sfortias quum rediret ad Florentinos, Talianus Furlanus ad stipendia Philippi Mariæ suscipienda se contulit, quem in præsidium Picentum Franciscus Sfortias cum Alexandro fratre locarat, eo metu quòd Nicolaus Fortebraccius, ut ferebatur, in Picenum descendere di-

dicebatur. Qui post Nicolai conflictum eo metu solutus, quum Talianus non ita, ut rebatur, sibi gratias referre cognovit, ad Ducem Mediolani defecit. Ea re Franciscus Sfortias, deficientibus Venetis ex foedere icto stipendia sibi pendere, quòd illi ægre ferebant Lucam in posse Florentinorum venire, petiit à Florentinis, ut liceret sibi res suas cum Philippo Maria componere. Illi eo metu promiserunt solvere Francisco eadem, quæ prius stipendia solvebant ac etiam quod illi à Venetis pendebatur, dummodo, si heic opus esset, sua opera illis præsto subveniret. Post hæc Florentia discessit, quòd Florentini pacem Lucensibus dedere, restitutis omnibus Castellis, Portu Motroni, & Monte Carulo exceptis. Questi sunt eo tempore Florentini cum Venetis, quòd eorum societate durante defecerint Francisco Sfortiæ de stipendio, & quòd noluerint Lucam in eorum potestatem venire. Quam querimoniam Veneti parvi facientes, caussam odii præstitit inter Venetos & Florentinos. Eodem Anno 1437. Sigismundus Cæsar in Hungaria moritur, vir dignus memoria hominum sempiterna. Cui & animi & corporis dotes egregiæ fuere, & liberalitas tanta, ut pæne ad prodigalitatem accederet. In ceteris vero rebus prudentissimus & modestissimus fuit. Albertus II. Saxoniæ Dux Sigismundo in Imperio successit, qui duobus ferme annis rexit Imperium. Eodem Anno Nicolaus Piccininus dux exercitus Philippi Mariæ in Picentes contra Franciscum Sfortiam venit; Post aliquot prœlia satis levia inter eos acta à bellis cessarunt. Renatus Andegavensis eo Anno Neapolim appulit cum quatuor Genuensium navibus, & duodecim triremibus, quas ipse è Provincia sibi comparaverat. Ejus adventu Andegavensium factio animos erexit. Quo Anno postquam Nicolaus Piccininus cum Francisco Sfortia à bellis quieverat, Bononiam, Imolamque, & Forum-Livii occupavit. Deinde Venetis bellum indixit, quos omni clade affecit, pluribusque captis eorum Castellis, apud Brixiam castrametatus est, tormentisque mœnia quatiebat ea celeritate, ut omnes in admirationem attraxerit. Salernitani ea tempestate diversis seditionibus exagitati, Urbem cultoribus vacuam effecere. Arces ibi duæ, quarum altera in fide Renati, altera Alphonsi perstabat. Ad hanc oppugnandam Patriarcha ex Casinate cum quingentis equitibus iverat. Alphonsus per Vallem Sancti Severini cum quatuor millibus equitum suis subvenit & ne Urbs penitus vastaretur, amborum consensu induciæ inter eos factæ sunt. His rebus peractis Alphonsus in agro Aversano, quamquam hyemis tempus esset, apud Julanum consedit. Patriarcha omnis fœderis & pactionis immemor, nondum pæne exsiccatis literis, Candolæ se junxit, & in celebratione Missarum Natalis Alphonsum adoritur. Ille genuflexus, quamquam impar duobus hostium exercitus erat, numquam à cultu divino surrexit, quo ad Missæ solemnia peregisset. Tamdem suis adhortantibus, amissis omnibus impedimentis, ægre manus hostium evasit, Capuamque se recepit. Equites autem paucos amisit. Creditum est, ea pietate Dei opera crudeles hostium manus evasisse.

Anno Salutis 1439. Patriarcha in Apuliam

A ivit, existimans, Principem Tarentinum, uti ex fœdere convenerat, suis castris adjungere. Quumque apud Vigilias esset, Princeps Tarentinus ab eo defecit, & Alphonso se jungit. Ita ille & à Principe Tarentino & à Candola est frustratus. Relicto exercitu tanto navicula Venetis se obtulit. Deinde missus à Pontifice Romam, misit ad suos in Apulia hibernantes stipem, ut quamprimum ad se proficiscerentur. Eodem Anno Pontifex Florentiam ivit cum Johanne Palæologo, & Græcorum Patriarcha, & magno honore omnes recepti sunt. Quo Anno Florentini cum Venetis fœdus jecere, quòd Nicolaus Piccininus transgressus Athesim fluvium,

B circa Veronam & Vicentiam cuncta populabatur, & terribilis apparebat, ceperatque Legnagum, & quamplura ejus provinciæ Oppida. Cujus metu spretam paullo ante Florentinorum societatem Veneti resumsere, & eam firmarunt. Contra hunc Franciscus Sfortias, Florentinis rogantibus, profectus Nicolai impetum repressit. Complura amborum exercituum præclara ea tempestate patrata sunt. Nam Nicolaus Veronam Urbem à civibus evocatus nocte intempesta suscepit. Quam Urbem Franciscus Sfortia illi ademit. Pugnatum tamen est intra Urbem ab octava hora diei usque ad noctis insequentis septimam cruente. Tamdem Piccininus fugatus.

C Patriarcha Vitellescus, ut primum suos equites ex Apulia suscepit, contra Nicolaum Sabellum proficiscitur. Hoc perdomito contra Fulginates, & Conradum Trincium eorum Dominum profectus est. Cepitque ipsius nonnulla ignobilia oppida. Deinde Romam rediit. In ipso quoque itinere accepit, Nicolaum Piccininum in agrum Tifernatem descendisse. Cujus ut reprimeret impetum, Paulum . . . . . olanum contra eum misit, qui in agro Aretino dum iter faceret, à Leone Sfortia castris exutus est. Quæ res magnæ suspicionis caussam præstitit, ne Franciscus Sfortia à Legato dissentiret. Missique ob id Oratores ad Franciscum Sfortiam à

D Patriarcha, qui amicitiam confirmarunt. Et paullo post omnia restituta sunt. Eo Anno in Cathedrali Ecclesia Florentiæ decisa est Quæstio de Spiritu Sancto inter Græcos & alias nationes: quæ diutius agitata fuerat tum Ferrariæ, ac Bononiæ, tum etiam Florentiæ, privilegio bullis aureis Græcis literis apud Florentinos remanente, in quo omnis illa determinatio late & diffusius explicatur, manu ipsius Imperatoris Græcorum inscripto. Concilium Basileense mense Julio Eugenium Pontificem abdicavit, & Felix Dux Sabaudiæ in Pontificem assumtus est. Sed non multo post & ipsa abdicatio & Concilium evanuit. Quo tempore Florentini restituerunt ea Op-

E pida Francisco Comiti Puppii, quæ Patriarcha prius sibi ademerat. Et quum fama esset, Nicolaum Piccininum in Casentinatem venire, etsi apparebat in favorem ipsius Comitis, tamen à Florentinis in ea regione imperium demandatum eidem Comiti, putantibus eum sibi beneficiis devincire: quod contra evenit, nam Piccinino adhæsit, Florentinis bellum inferens. Armeni & Indi Fidem Catholicam Florentiæ coram Pontifice approbavere, & Imperator Græcorum Florentia abiit. Extremo ejus Anni Patriarcha quod reliquum fuerat agri Fulginatis cepit,

pit, ipsumque Conradum cum duobus filiis, quem in Arce Sariana captum misit, ubi non multo post mortuus est; Fulgineumque suscepit. Philippus Maria nova consilia belli gerendi cepit, postquam Franciscus Sfortias res suas in Gallia Cisalpina pervertit. Misitque Nicolaum Piccininum contra Florentinos cum magno equitum & peditum numero in agrum Mucellanum. Conatus ille est Politianum primò intercipere; sed inde repulsus, depopulatus est usque ad mœnia Urbis. Qui verò in Urbem confugerant cum pecoribus, & rapta ex hostibus supellectile, Urbem complerant cum conjugibus & parvis liberis, & miserabilem Urbis faciem clamoribus & ploratu faciebant. Plebs verò fame premebatur, nec aberat civium relegatorum suspicio. Itaque valde trepidatum est ea de re.

Initio Veris Anni 1440. decem Ballæ Viri præstantes Florentiæ creantur. Neque enim erat expediens mediocribus viris, sed exercitatis, tantam rem committere. Itaque Nereus Capponus, qui quinquies antea eum magistratum gesserat, Cosmusque Medices, & Angelus Acciajolus Eques, & Leonardus Brunus Aretini, in his fuere. Interea Patriarcha Vitelleschus postquam multas Civitates & Oppida in fidem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ reduxisset, & postremò Spoleti Arcem munitissimam, capto Abbate Casinensi, quum Romam rediisset, in transitu Pontis Molis Adriani à Præfecto Arcis, fraude interceptus est catena ferrea elevata, vulneratusque, post paucis diebus moritur veneno, ut ferebatur. Cujus rei indicium est, quod Hieronyma Ursina matrona excellens, quum evocata ab eo sibi dixisset, bono ut esset animo, Pontificem hujus suæ captivitatis ignarum, relaxandumque eum fore, *non*, inquit, *propterea te accersiri feci. Qui enim tot rebus egregiè gestis capi non debuerat, nec relaxari debet. Sed ideo ut intelligas non his vulneribus me interiturum, sed veneno.* Hæc fama propterea invaluit. Ea tempestate Alphonsus in Aprutios iverat contra Candolam & Aquilanos. Cepitque in agro Celano quædam Oppida, Ortonamque juxta litus maris sitam, & Capellam. Renatus verò Aquilanis subvenit, & junctis sibi copiis Candolæ, & Aquilanorum delecta juventute, Regi diem belli denuntiat, castrisque Regis proximior factus, quum pugnæ suos pararet, Rex in Terram Laboris rediit. Quumque navis una ex Hispania septingentis cum sagittariis Cajetam applicuisset, Alphonsus illis fretus in Caudinos profectus, Arparam & Laurentium cepit, duo Marini Bossæ Oppida, ipsumque vi expugnatum & captum Capuam in vinculis habuit, quem tamen postea dimisit. Nicolaus Piccininus ut vidit, apud Politianum nil posse proficere, in Casentinum penetravit. Quod factum maxime Florentinorum res sublevavit. Nam quum inter cetera mala frumenti inopia Civitas premeretur, nec aliunde nisi ex Miniatensi & Pisano subveheretur, Emporioque, maximo erat terrori, ne Piccininus, qui hoc sciebat, Urbem inter & Pratum castra adegisset, iterque viæ Pisanæ & commeatus Florentinis intercluderet. Sed profectò fortuna in omni re dominatur, & magni errores numquam nisi à magnis viris provenere. Sive igitur inscitia id fecerit, sive quòd à Francisco Puppii Comite veteri amico accitus, ut in Casentinum penetraret, cepit Bibienam, Romenamque. Inde Francisco suadente ad Sanctum Nicolaum castra habuit. Suppeditabatur commeatus tantis Nicolai copiis ex Puppio propinquo loco, & aliis Francisci Oppidis. Tamdem post quadragesimum diem Oppidum magno labore suscepit. Interea auxilio Florentinis fuere Michelettus Attendolus cum septingentis equitibus ex Piceno, & ex Flaminia Petrus Jampaullus Ursinus, & ex Gallia totidem copiæ. Quibuscum Pontificis copiæ, quibus dux Loisius Patriarcha, apud Aretium se conjunxere. Pedites etiam quatuor mille, quos Florentini conscripserunt. Ibi Nereus Capponius vir exercitatissimus existens, ad Anglare Oppidum perduxit omnium copias, pugnare paratus. Nicolaus jam ad S. Sepulcri Vicum exercitum duxerat, unde Tifernum occupare tentabat; mox Perusium à sua factione adjutus in suas partes attraxit. Deinde Cortonam proditione occupare tentavit. Quæ omnia ea celeritate perfecit, ut omnes in admirationem adduxerit. His peractis ad Burgum Sancti Sepulcri rediit, castraque inter Tifernum & Burgum habuit. Iterum Florentini Castellum Sancti Nicolai pridem amissum recuperarunt. Sed adventu Piccinini Michelettus simulans metum, juxta Anglare Oppidum rediit. Castra Florentinorum idem fecere. Quæ res Piccinini audaciam auxit. Igitur in Vigilia Apostolorum Petri & Paulli castra Florentinorum invasit. Fuere Piccinino duæ res adversæ. Prima, quòd sub ipso Anglare prœlium gerebatur. Altera quòd ejus milites fessi itineribus pugnabant. Post multam tamen pugnam exercitus Piccinini fugatur. Capti ferme omnes. Ipse Piccininus ægre cum paucis ad Burgum Sancti Sepulcri se contulit. Ea victoria finem bello imposuissent, si celeriter ad Burgum castra habuissent. Sed distulere triduo, quo tempore Nicolaus inde abscesserat. Capti enim fuerant prope mille ejus loci homines, qui populanter spe prædæ allecti, cum Nicolao profecti ad pugnam fuerant. Non post multos dies Burgenses se Patriarchæ dedere. Nereus verò Capponius cum aliis ducibus quidquid Florentini amiserant Oppidorum, intra paucos dies recepit. Tamdem apud Puppium castrametati, quòd frumenti inopia laborabant, nam priori tempore exercitum Piccinini aluerant, ad deditionem Franciscum compulit. Is egressus est Puppio cum omni supellectile, & filiis suis, Battifolle & Puppio Florentinis tradito. Factique sunt Florentini totius Casentini domini, quod nongentis ferme annis à suis gentilibus possessum fuerat. Comes quum impetrare aliquid dominii à Florentinis non posset, ad Philippum Mariam se contulit, aliam opportunitatem exspectaturus. Eo Anno Eugenius IV. in præsentia, & assensu Patrum, Amedeum Sabaudiæ Ducem, & sibi adhærentes, Ecclesia interdixit. Nicolaus Piccininus à Philippo Maria adjutus exercitum reparat, quem prius amiserat.

Anno 1441. Don Petrus Aragon Infans Castellæ, Alphonsi frater, dum Neapolim cum Rege obsidebat, ictu lapidis à bombarda emissi interiit. Nuntius ad Isabellam Renati conjugem, sperans se ab ea quid magnum

gnum eo nuntio susceptum, ab ea male mulctatus est, nec ipsa lacrymis abstinuit. Alphonsus Rex relictis castris Aversam perrexit, quòd illius Civitatis Arx in fidem Renati perstabat, quam tamdem suscepit. Deinde Neapolim rediit ad exercitum, reliquitque ibi Don Ferdinandum filium, & Corellam Hispanum in castrorum præsidium, ubi prope annum fuere. In Lombardia quoque non cessatum à bellis. Nam quum Philippi exercitus, Venetorumque & Florentinorum satis appropinquassent alter alteri, Franciscus Sfortias factus est ab omnibus arbiter belli illius. Positisque in sua potestate pacis conditionibus, quum ille ob affinitatem contractam cum Philippo non vellet eum ab hostibus omnino deprimi, neque Florentinos & Venetos, quorum stipendio militabat, deserere: ita decrevit, ut Blancam Philippi filiam naturalem sibi in conjugium acciperet, nuptiasque perficeret, Cremonam & Pontremolum dotis nomine haberet. In ceteris rebus Veneti & Florentini non indecentes conditiones accepere. Ipse Comes Blancam Philippi Ducis filiam naturalem sumsit uxorem. Bartholomæus Orlandinus Eques & Vexillifer Populi Florentini, accito ad se Bindaccio Centurione, bene de Republica ipsorum merito, vulnerari fecit eum, & à fenestris Palatii altissimi præcipitatus interiit. Alphonsus eo Anno Neapolim oppugnaturus, ad muros Civitatis scalas adegit ea spe, ut sui, qui via subterranea per parietem Divi Johannis in Carbonaria ingressi erant, Urbem ex improviso invaderent. Sed illi à Renato repulsi, intra hortos Urbis quidam mortui, alii præcipitati; in quibus Diomedes Caraffus, Gregorius Corella, cujus frater Ludovicus à Renato cæsus fuerat. In loco quodam Ponti finitimo, ubi custodia nocturna fieri solita erat, se cum paucis servabat Renatus; at existimans, omnes hostes fugisse ad mare, ubi classis regia erat, eo profectus singulas Urbis custodias hortatur, ne loco discederent: hostem abiisse. Interea Rex Alphonsus, qui jam ad Ædem Divi Antonii Urbi finitimam retrocesserat, excitus suorum clamoribus, ad Urbem rediit. Gregorius Corella, ut vidit Regem, *quid statis? inquit. Urbs hæc capta est. Vos dubitatis murum ascendere, & portas infringere!* Cepitque quasi vestes custodum, & è muro dejecit. *Hæc*, inquit, *hostium spolia sunt. Mœnia à Neapolitanis deserta.* Ita Aragonii effracta porta Neapolim Regem introduxere. Tribus horis direpta Urbs. Postea Alphonso jubente à rapinis cessatum. Renatus in Arcem Novam confugit.

Anno 1442. Nicolaus Piccininus Vexillifer Romanæ Ecclesiæ abstulit Tudertum Francisco Sfortiæ. Deinde Picenum ingressus, Tolentinum & alia complura Oppida illi ademit. Eo Anno Dominicus & Raphaël Adurnus Fulgosios Genua deturbarunt, seque Alphonso confœderant ea lege, ut quotannis patenam auream Alphonso tributi nomine penderent. Quod per plures annos fecere. Manat inde Alphonsi edictum, ut omnia rapinis ablata restituantur, ipseque Inquisitor factus magnum Neapolitanis beneficium contulit. Deinde Capuam ivit. Mense Junio Renatus duabus Genuensium navibus Pisas abiit. Deinde à Florentinis honorifice susceptus, tamdem in Provinciam amisso Regno rediit. Post hæc Alphonsus in Casinatem contra Riccium Montisclari profectus, Sanctum Germanum illi ademit. Deinde in Aprutium contra Antonium Candolam, qui ab eo turpiter defecerat; quem in pugna cepit, redimique quadraginta millibus aureis permisit, recepitque omnia illius Castella. Deinde contra Johannem Sfortiam profectus, in Picenum eum fugavit. Johannes Cossa Neapolitanus Præfectus Arcis Novæ voluntate Renati Arcem Alphonso tradidit. Sic ille Rex inclytus omni Regno potitus, curru aureo Neapolim intrans, maximo apparatu triumphavit, Ducibus Regni pedibus currum triumphantem sequutis. In ea pompa plures Equites aurea Bulla donati, in queis Jannottius Pittius Florentinus. Pontifex Florentia abiit, Senisque octo ferme mensibus fuit. Inde Romam ad Concilium, quod sibi statuerat, profectus est. Quo Anno Bononienses à Philippo Maria deficientes, ad Pontificem se dedere. Deinde mense Julio fœdus percussere cum Venetis & Florentinis, ne quis ipsorum libertati obsisteret, & à Pontifice rebellarunt. Franciscus Sfortia Sanctam Anatoliam in Piceno vi cepit, Pazaliamque Centurionem Oppido capto obtruncat. Deinde Tolentinum deditione suscepit. Eodem Anno Eugenius Pontifex fœdus & amicitiam cum Alphonso iniit, ut pulso Francisco Sfortia è Piceno, Terrisque Ecclesiæ restitutis, Alphonsus susciperet à Clericis sui Regni de Ecclesiarum reditibus aureorum centum millia, sibi & suis per decem annos solvenda. Confirmatque eidem Regni Neapolitani, & Siciliæ possessionem, liberans eum à Censu annuo pro uno equo phalerato. Deinde Pontifex mense Septembri Senas reliquit, Romamque pervenit.

Insequens Annus 1444. multo turbulentior fuit. Leonardus Brunus in initio veris moritur, vir omni laude dignissimus, Literarum etiam Græcarum peritia singularis, laureamque suscepit in morte. Turcæ quum à Vincilao Hungariæ Rege obsiderentur, una Genuensium navi conducta à magno Turca, septuaginta millia Turcarum ex Asia in Græciam exposuit. Quibuscum Turcarum Rex, qui prius triginta millia suorum amiserat, reparato exercitu, commisso cum Christianis prœlio, Julianum Cæsarinum Legatum Pontificis unum ex Patrum numero cum sexaginta millibus Christianorum superavit, ipsumque Legatum, & Vincilaum Pannoniæ Regem cum omni exercitu crudeliter interemit. Tantum potuit Genuensis inexplebilis avaritia, quæ pro his, quos transfetarat, è Turcis septuaginta millia aureorum percepit. Eodem Anno Nicolaus Piccininus Mediolani moritur, vir rerum bellicarum apprime ea tempestate peritissimus. Eodem Anno moritur Bernardinus Senensis Ordinis Minorum, qui postea miraculis claruit.

Anno 1445. Alphonsus Rex cum suis & Pontificis copiis ademit Picenum Francisco Sfortiæ, quod prope sexdecim annis obtinuerat, ipsumque Franciscum longius persequuti essent, nisi Philippus Maria Nicolaum Piccininum ab incepto proposito superiori Anno revocasset. Ea de re metu suborto, Veneti cum Florentinis fœdus prius ictum renovavere. Mediolanensis enim, & Regis potentia

nia toti Italiæ jam formidabilis erat. Baptista Canetulus Bononiæ tumultuatur, interficitque Annibalem Bentivolum, qui cum Venetis & Florentinis confœderatus erat. Ceterum Oratores Veneti, ne ille Bononienses in partes Mediolanensis attraheret, Populum ad vindictam cædis excitavere. Tum verò alia factio munit Baptistæ domum. Sed inde fugati, Baptista à suis desertus, in abdita suarum ædium parte latitans, à Plebe inventus, laceratus interiit. Domus ejus direpta atque incensa est. Eodem Anno Alphonsus contra Antonium Centilium Crotoni Marchionem, qui à Rege rebellarat, profectus debellavit, captumque Neapolim duxit, & conjugem honorificentissimè habuit.

Insequenti Anno 1446. Venetorum exercitus duce Francisco Sfortia cum eorum confœderatis inter Cremonam & Mantuanum magnas Philippi Mariæ copias profligaverunt: nec multos post dies ponte super Adduam facto, transmisso omni exercitu, superatis copiis, quas Mediolanensis tumultuosè conscripserat, populabundi ad mœnia usque Mediolani perrexere, nullis ultra copiis prohibentibus.

Initio sequentis Anni 1447. Februario mense Eugenius IV. Pontifex Romæ moritur. Cui suffectus est Nicolaus V. qui prius Thomas Serezanæ oriundus dicebatur, in sacris Literis eruditus. Qui quamquam humili loco natus, unico tamen in Anno Episcopus, Cardinalis, & Pontifex factus est, & in suo Pontificatu felix, nisi Turcæ Constantinopolim diripuissent. Eo Anno Veneti recuperarunt agrum Cremonensem. Mense Augusto Philippus Maria Mediolani moritur. Hic viginti quatuor annis cum Venetis, interdum cum Florentinis, gesserat bella, quique alios semper invaserat, hostes eum obsidentes vidit, atque suas copias profligatas. Magnum rerum humanarum documentum. In quo Vicecomitum imperium finitum est, quod tot & tam potentes Duces habuerat. Reliquit tamen heredem Alphonsum Aragonium. Ejus morte Veneti Laudam & Placentiam deditione susceperunt. Franciscus Sfortias electus fuit à Mediolanensibus dux eorum exercitus. Papiam sibi adscivit, & contra Venetos bellum movit, quorum stipendio prius & Florentinorum militaverat. Alphonsus eo Anno misit Mediolanum Raymundum Barulium Hispanum ea spe, ut Mediolanense imperium jure hereditario possideret. Deinde bellum Florentinis intulit, ut his perdomitis, qui Venetis favebant, liberior in Galliam sibi pateret ingressus. Igitur per Senensem in Volaterranum agrum profectus expugnat Castellum Novum. Ripam maritimam diripuit. Deinde tempestatibus actus prope Campiliam primo vere castrametatus est, captis prius in maritima quibusdam ignobilibus Oppidis in Giardesca, quæ erant agri Pisani. Deinde cepit Castilionem, Piscariam, & Insulam Fluvii. Eodem Anno Constantinus Sfortia nascitur ex Alexandro patre & Constantia Veronensi ejus consorte, die V. Julii circa Solis occasum, Pisauri. Cujus mater tredecim post ejusdem mensis dies illo partu interiit. Interea Franciscus Sfortia Placentiam expugnat; diripuitque, cepitque in ea Venetorum equites duos mille, qui in eo præsidio relicti fuerant. Magna profectò res & memoratu digna. Alphonsus adductus in spem Florentiæ occupandæ, adscivit in stipendium sibi Sigismundum Malatestam cum equitibus mille, cui dedit trigintamillia aureorum. Sed is non multo post ab Alphonso defecit. Deinde Guidonem Antonium Faventiæ Dominum, qui item ab eo defecit, & ambo Florentinorum stipendio contra Alphonsum militarunt, bellumque illi intulerunt. Ea de re coactus est Rex apud Castilionum in hibernis esse, nec quicquam memoratu dignum ea hyeme peregit.

Anno insequenti 1448. Alphonsus, quum compertum haberet, Raynaldum Ursinum sibi subditum cum Florentinis occultè convenisse, primo vere apud Populonium castra posuit; quod Oppidum omni tormentorum genere expugnabat. Raynaldus egregiè se se & sua tutabatur. Florentini interea Sigismundo Malatesta eorum duce, qui turpiter à Rege defecerat, suadente Giannoctio Manetto Equite Florentino, trium Linguarum, & Literarum peritiâ doctissimo, recuperant Castella, quæ prius amiserant, excepto Castilione, & Insula Fluvii. Deinde mittunt Sigismundum Campiliam, ut quum Rex Populonium oppugnaret, ille ex propinquo loco Regis castra adoriretur. Interea Florentini, dum duas triremes, quas Galeatias vocitant, militibus & commeatibus refertas, & unam navim in præsidium Raynaldi mitterent, capiuntur magna pugna à triremibus Regis. Qui ex cæde superfuere, remigio omnes impositi, & in servitutem redacti. Eo Anno Solis defectus, dum Alphonsus Populonium obsideret, in meridie factus est. Circa initia Augusti Alphonsus quum expugnare Populonium statuisset, quòd sui adversa valetudine in dies magis ac magis opprimebantur, mense Septembri, instructis legionibus mari & terra mœnia oppugnabat. Jam Johannes Antonius Candola adolescens egregius, & Baldassar Siculus mœnia primi conscenderant. Quum ceteri idem facere dubitarent, à militibus Raynaldi dejecti, magno ipsorum damno oppugnatione reliquere, multis cæsis, & pluribus vulneratis. Inde abiens, Neapolim perrexit, palàm fassus se à suis non diligi militibus, quòd mœnia conscendere dubitarint. Eo Anno, mense Octobri natus est Alphonsus Ferdinandi Ducis Calabriæ filius, Alphonsi nepos. Franciscus Sfortias apud Caravagium confixit cum exercitu Venetorum, magna clade eos superans. In quorum exercitu quindecim millia armatorum equitum erant. Capti omnes, Vexilla quoque, & duces copiarum, & Donatus Venetorum Præfectus. Hæc fuit inter Francisci Sfortiæ egregia facinora insignis pugna. Pax deinde Venetis à Francisco Sfortia datur ea lege, ut sibi stipem debitam quotannis penderent, quamdiu ipse Mediolanensium Dux crearetur. Fines assignati utrisque Populis, & Mediolanenses Laudum suscepere. Guidaccius Faventinus, quem à Rege defecisse diximus, eo Anno Senis moritur. Reliquit filios heredes sub tutela Populi Florentini, qui eos postea ad ipsorum stipendia conduxerunt. Eo Anno pestilentia satis valida totam pœne Italiam oppressit.

Anno 1449. Dux Sabaudiæ renuntiat Ponti-

tificatui, ad quem per Concilium electus fuerat, & Felix dictus. Franciscus Piccininus & Jacobus ejus frater, dum ad stipendia Mediolanensium essent, Marignanum, in cujus præsidio erant, dederunt Francisco Sfortiæ, & ad sua stipendia postea militarunt. Eodem etiam Anno Parma à Francisco Sfortia occupatur. Eodem Anno Sigismundus Malatesta conatus est Pisaurum adimere Alexandro Sfortiæ proditione. Sed re detecta destitit. Plures suspensi ex proditoribus. Veneti etsi à Francisco Sfortia pacem acceperant, tamen contra eum fœdus cum Mediolanensibus percutere quæsierunt, ut se in libertate servarent, promittentes eis tam sua auxilia, quam Florentinorum præstare. B His rebus irritatus Franciscus Sfortias, acriùs contra Mediolanenses invectus, bellum jam inceptum asperrimum gerebat & acrius. Florentini Cosimo adnitente Medice Venetis invisi, etsi cum eis fœdus erat, tamen sub specie mutui, vigintimillia aureorum Francisco Sfortiæ dedere. Qui quamquam Papiam, Placentiam, Cremonam, Parmam, Novariam, Tortonam, Alexandriam, & Pontremulum possideret, pecunia egebat, quòd nolebat subditos in principio sui Principatus opprimere. Quæ res effecit, ut bellum cum Mediolanensibus continuaret. Jubilæus à Nicolao V. Romæ per annum indicitur ex veteri Hebræorum instituto à Moyse celebratum. C

Anno 1450. Jubilæus tantâ hominum frequentiâ Romæ celebratus fuit, ut panis penuriâ necesse fuerit Pontifici minuere tempus dierum visitationis Ecclesiarum, quod priùs longius erat. Simul etiam accidit, ut post Sudarii ostensionem, quum multitudo Christianorum se obviaret alteri multitudini in Ponte Molis Adriani, tantus concursus hominum fuit, ut centum viginti homines fuerint attriti, & quidam in Tiberim præcipitati. Hoc ego certius affirmare ausim, quòd mortuos paullo post deferri in Ædem sacram ibi propinquam vidi. Die XXVI. Februarii Franciscus Sfortia, à Mediolanen- D sibus accitus, Dux Mediolani creatur, tumultu à Populo facto. Nam quum præcedenti die Populus fame periens, querelam ejus egestatis apud Primates exposceret, Leonardus Venerius Venetus, Legatus Venetorum, persuadere cœpit Rectoribus, ut aliquot ex iis capite punirent, qui instantius panem exposcebant. Quæ vox ut à Populo percepta est, illico Leonardum trucidarunt, acclamantes: *Introducatur Franciscus Sfortias, & Ducem nostrum faciamus*. Quod postea insequenti die factum est, magno totius Populi & Patrum assensu. Et honorificentissime per Urbem invectus consedit. Eodem Anno Alphonsus pacem Florentinis dedit E mense Junio. Bernardinus Senensis, Ordinis Sancti Francisci, à Pontifice in catalogo Sanctorum adscriptus est. Quo Anno Amadeus Dux Sabaudiæ, qui Pontifex fuerat dictus, moritur. Raynaldus Ursinus Populonii Dominus eo Anno peste interiit. Catharina ejus uxor, filia olim Paulli Columnensis, ei in dominio successit. Conati sunt Venetorum & Alphonsi Oratores, qui Florentiæ erant, Florentinos, relicto Francisco Sfortia, in eorum partes attrahere, minis etiam gravioribus, ni id fecerint, expulsuros eos omni eorum dominatu. Quibus responsum est, esse alias Mundi partes, in quibus reciperentur gratuitò, & non relicturos Franciscum Sfortiam. Quod quum Rex accepisset, omnes Florentinos ex suis Civitatibus pepulit. Idem & Veneti fecerunt.

Anno insequenti 1451. Carolus VII. Franciæ Rex subegit Normannos & Guasconos, depulsis Anglis, sub quorum dominio multis antea annis provinciæ illæ fuerant, excepto Calese Oppido, quod valde munitum expugnare non potuit. Eo Anno Catharina Populonii Domina moritur; & Emmanuel Appianus, qui in Apulia sine ulla spe degebat, à popularibus accitus, fit Populonii Dominus. Exules Bononiensium intrarunt in Urbem, prœlio cum altera factione commisso, quod diu anceps fuit. Tamdem magna clade fugantur. Florentini contra Alphonsum Aragonium fœdus cum Francisco Sfortia percussere, & contra Venetos. Bellumque indictum illis fuit; adsciscuntque sibi deinde Genuenses Alphonso & Venetis infestissimos.

Anno 1452. Fridericus III. Dux Austriæ Imperator electus, initio Anni Florentiam, Romam petiturus venerat, & cum eo Regis Hungariæ filius Alberti olim Cæsaris, nepos ejus, & filiæ unicæ Sigismundi olim Cæsaris, ad quem hereditario jure Pannoniæ & Bohemiæ Regnum debebatur, annum agens duodecimum. Eleonora filia Regis Portugalliæ, & sororis Regis Hispaniæ, Romam cum Friderico Cæsare ejus viro ad nuptias Neapoli celebrandas pervenit. Romæ coronatus, Rex Romanorum à Pontifice creatus est. Et vadens ad Ædem Divi Johannis, in Ponte Molis Adriani, ducentis bullis aureis diversos donavit, inter quos septem tantùm Italici generis fuere. Deinde Neapolim perrexit, ubi ab Alphonso affine honorificentissime magno sumtu susceptus, nuptias Eleonoræ celebravit. Deinde in Alamanniam rediit, nulla re, præter nuptias & coronationem, memorabili gesta. Franciscus Sfortias contra Venetos in Brixianum ingressus cuncta populabatur. Contra hunc Veneti suas copias opposuere. Eodem Anno Fridericus Feltrius Dux Urbinatum noctu immisit in Fanum mille quingentos pedites & equites à proditoribus Urbis intromissos. Isti Civitatem Sigismundo Malatestæ ademissent, ni rapinis intenti, à Civibus rejecti essent, Friderico non subveniente suis, qui haud quinque millibus passuum magno equitatu Urbi adventabat. Ferdinandus Alphonsi filius eo Anno cum octo millibus equitum, & quatuor millibus peditum Florentinos invasit, & in agro Aretino castra apud Fojanum habuit, quod tamdem expugnat, ibique præsidio cohortum & ducentorum peditum relicto, Rencinum petit, quod male munitum suscepit. Post hæc ad Castellinam profectus, quum diutius illam oppugnaret, cuniculisque, ipse cuniculo ictus vulneratus est. Sed hyeme jam sæviente obsidionem reliquit, & in agro Senensi juxta mare inter Telamonem & Grossettum consedit. Eo tempore Bordea Guasconiæ Civitas à Rege Galliæ defecit, & ad Anglos se convertit. Quo tempore Florentini Angelum Acciajolum ad Regem Galliæ miserant, ut illum impellerent ad Regnum Neapoli-

poli-

politanum contra Alphonsum invadendum. Ea tempestate Antonio Olzina Hispano duce Regiæ triremes Vadam cum Arce occupaverant; mœniaque Oppidi restaurare conati, ædificia permulta ibidem fecere, menseque Decembris vallo & fossa muniunt. Stephanus Porcius Eques Romanus, quum Bononiæ esset relegatus, Urbem Romam clam ingressus, Nicolaum V. Pontificem cum suis conjuratis voluit interficere, & Romanis libertatem restituere. Re detecta à suis, V. Januarii captus est, & in Mole Adriani laqueo suspensus interiit. Simili pœna quinque ex suis conjuratis in Capitolio strangulantur. Ea tempestate Veneti contra Ludovicum Gonzagam Mantuæ Dominum invecti, commisso prœlio cum Francisco Sfortia fugantur. Capti equites septem mille, & Johannes Comes Romanus, pluresque duces exercitus Venetorum. Quo Anno Tibertus defecit à Venetis ad Franciscum Sfortiam cum equitibus mille ducentis, & quingentis peditibus. In Patavino agro tempestas exorta magna vi ventorum diruit ædes mille quingentas, salvis qui aufugerant, & una ædes per aërem vecta sine ulla læsione mille ferme passus sublata est, & in alium agrum translata.

Anno 1453. Bysantium à Mahometto Ottomano Turcarum Rege post longam obsidionem expugnatur atque diripitur. Nec cædi temperatum. Cæsus etiam est Constantinus Palæologus Græcorum Imperator die XXIX. Maji, ultimus Imperator Græcorum, in quo illud Imperium finitum est, de quo Sybilla Erithrea sic vaticinata est: *Veniet Pardus filius Aquilæ, habens capita duo, pedes septemdecim. Hinc Leo simul cum catulis rugitum dabunt. Debilitabitque Leonem Pardus, & duos ex catulis devorabit; & non erit ultra semen Aquilæ. Et venient Danai Bysantium, nec erit ultra gloria ejus.* Multa fœda & crudelia in Christianos patrata sunt. Sævitum est in mulieres atque impuberes. Renatus eo Anno à Florentinis accitus, in Lombardiam venit, seque Francisco Sfortiæ junxit. Qui quædam Venetorum Castella ceperunt. Florentini magno equitum numero Rencinum recuperarunt, Alexandro Sfortia eorum duce. Eodem tempore Gerardus Gambacurta dedit Regi Alphonso eas Terras, quas pater ejus Johannes pro tradenda Civitate Pisarum susceperat. Sed proditus à Sigismundo Gualando, pæne captus est, vixque adnitente Alexandro Gambacurta manus Florentinorum evasit. Sic Rex illis Oppidis ignavia Puccii Regis Præfecti frustratus est. Vada, olim Pisanorum portus, diu oppugnata, tamdem à Florentinis recipitur, à quibus funditus eversa est. Fojanum quoque eodem tempore à Rege Alphonso ad Florentinos defecit. Populus Florentinus his rebus prospere subsequutis, Senensibus bellum inferre volebat. Patres stetere contra, ne illi bello oppressi Regem invocassent. Hæc sententia valuit, Nerio Capponio id persuadente.

Anno à salutifera Christi Incarnatione 1454. Florentini accivere Johannem Regis Renati filium Florentiam ad sua stipendia. Qui honorifice ab eis receptus est. Erat enim prudens, & animo magno atque elato, sed rerum Italicarum ignarus. Alphonsus eo Anno ademit Gavorianum Johanni Malavolvolti, qui erat Florentinorum stipendio militans, & illis societate conjunctus. Veneti per Simonettum Camerinensem Ordinis Sancti Augustini pacem petivere occulte à Francisco Sfortia. Illeque Cosmo Medices literis intimat, quibus conditionibus Veneti pacem petiissent; neve gravarentur, quoniam in suum decus resultabat, si Castilionum, & Gavorianum non eis restitueretur ex illa pacis pactione. Hortaturque Cosmum ad sibi rescribendum illico. Paullo post Franciscus Sfortias Diotisalvio Florentinorum Oratore pacem cum Venetis & Florentinis apud Laudum firmat. Et quia Pontifex multa egerat in hac re, Romam ad eam firmandam miserunt, quos ille ad Regem Alphonsum cum Legato Pontificis misit.

Anno insequenti 1455. mense Januario Neapoli pax peracta & firmata est inter Venetos, & Florentinos, Franciscum Sfortiam, & Alphonsum, præsente Dominico Cardinali Pontificis Legato, & Oratoribus Florentinorum, & ipso Alphonso, anno octavo Pontificatus Nicolai V. quarto Calendas Februarii. Initio veris Nicolaus Pontifex moritur Romæ, illique suffectus est mense Aprili Callistus III. Aragonius, qui prius Alphonsus dicebatur, & erat Valentinus Episcopus, & in numero Patrum à Nicolao adscitus, annum octogesimum agens. Quum prius Callistus III. Pontifex factus est, ita vovit. *Ego Callistus III. Pontifex promitto, & voveo Sanctissimæ Trinitati Patri & Filio & Spiritui Sancto, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beatis Apostolis Petro & Paullo, totique curiæ Cœlesti, quòd etiam usque ad effusionem proprii sanguinis, si opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnimodam diligentiam, quantam cum Deo potero, juxta consilium venerabilium Fratrum nostrorum, ad recuperationem Civitatis Constantinopolitanæ, quæ (heu!) peccatis omnium exigentibus, temporibus nostris occupata & eversa est per Jesu Christi crucifixi & Salvatoris nostri benedicti inimicum, & filium Diaboli, Mahomettum Turcarum Dominum; & pro libertate inde captivorum; nec non ad exaltationem Fidei Orthodoxæ, & exterminationem Sectæ diabolicæ reprobi perfidique Mahometti potentissimæ in partibus illis, ubi maxime Fidei lumen occubuit. Quod si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, & si non proposuero te, Hierusalem, in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adjuvet, & hæc, quæ tango, sancta Dei Evangelia.* His peractis, Decimas omni Clero imposuit pro his peragendis, invenitque in bonis sacrosanctæ Ecclesiæ relictis à Nicolao V. ducenta ferme millia aureorum, quæ mandavit in præsidium Christianorum, erogatque, Patribus ad id exsequendum sacramento cogentibus, eoque in sui electione affirmante. Quis hæc non crederet, tanto sacramento peracto? Quod qualiter exsequutum sit, ex insequentibus apparebit. Non multo post missi sunt Prædicatores per universos Christi fideles, qui eleemosynas ad ea exsequenda homines hortarentur, susciperentque. Jacobus Piccininus à Venetis recedens, existimabat posse Bononiam intercipere, quem Franciscus Sfortias & Callistus III. ab incepto proposito deturbarunt. Igitur per Romandiolam ille vertens iter, in agrum Senensem pervenit in latrocinii modum,

Cortonamque & Mantianum illis ademit. Contra hujus impetum Senenses equitatum Francisci Sfortiæ, Florentinorum, & Pontificis mittentes, ejus audaciam repressere. Tamdem prœlio male tentato, ab Alphonso suasus apud Castilionem Piscariæ imminuto exercitu se se recepit. Cepitque Orbitellum, ubi latrociniis pluribus mensibus exercitum aluit. Eo Anno Johannes Renati filius è Florentia abiens, ad suos in Provinciam redit. Magna Florentinorum gratia discedens, donatusque pluribus muneribus abiit.

Anno Salutis 1456. quinta die Decembris in aurora ingens terræmotus in Regno Neapolitano factus est, multasque obruit Civitatum Ædes, Neapoli trecentas, Nolæ quinquaginta, quasdam etiam funditus evertit, Arejanum, Alifium, Apicium, Trojam pæne totam, Alphonso Rege Sanseverini demorante in solemnitate Missarum, qui quum omnes fugerent, solus Deo fidens, genibus uti erat flexis, ante Altare permansit. Ego autem cum ceteris aufugi, ne tectorum ruina opprimerer. Eodem Anno quum ex pactione inter Florentinos & Alphonsum acta Genuenses excluderentur, & Sigismundus Malatesta ob veteres inimicitias Alphonso esset infensus, irritatus ipsorum literis, bellum Genuensibus gravius intulit, quod antea per has ferme literas eis indixit. *Qui vos fortasse non novit, ò Dux, Baliaque præsides (si modò aliqui vitam in terris agunt, qui vos non norint) poterunt ii quidem ex literis vestris metu aut admiratione affici. Ego verò, qui toties jactantiam vestram, toties levitatem atque perfidiam expertus sum, non solùm, quod scribitis, magni neque facio, nec formido; sed iis potius sum, cui facere videamini, quod impudica mulier solet: quæ si semel pudorem ex animo abjecerit, postea in castas, probasque objectare adulteria non desinat. Etsi vobiscum verbis contendere consilium non est, respondebo tamen abunde satis pro tempore literis vestris, ut omnes intelligant Dii, hominesque, me nequaquam bellum contra Genuenses suscitasse, cum quibus & amice & perpetuò nobis vivere, nisi nobis publice fiat injuria, decrevimus. Immo verò pro Civitate Genuensi, idem pro Optimatibus, summisque viris, qui vestra vi atque opera extorres degunt, nos contra fœdifragos triremes nostras immisisse: pro illis, inquam, quos multis ante hac experimentis inspectis servivimus, firmos & constantes publicè & privatim in proposito perstitisse, humanitatem & justitiam colere consuetos, quos haud dubie speramus, si nostrâ operâ restituti fuerint, melius fidem, pacem, & decus omne nobiscum servaturos. At primum omnium, si qua vobis rerum præteritarum memoria est, primam & secundam pacem vestrorum avaritiâ atque perfidiâ violatam invenietis. Sed ut vestra dimittamus, ad hæc recentiora, de quibus querela & controversia est, veniamus. Precibus vestris demum factum est, ut Callistus nos ad inducias vobiscum ineundas compulerit. Quas etsi pro vestris moribus parum duraturas videbamus, tamen Pontifici Domino nostro placere potius volumus, quàm de fide vestra parum confisos videri. Quumque id, quod Pontificis auctoritate factum erat, sustentare posse existimaremus, præsidium, quod in Insula Corsica habebamus, revocavimus. Vos deinde occasione oblata, Oppida, quæ illic nostra domus egregia possidebat, ut erant propugnatorum va-*

A *cua, occupastis; Præfectos, & populares nostros fœdissimè trucidastis; pacem Pontificis auctoritate factam violastis, nondum ejus pacis conventionibus literis exsiccatis. Deinde nonnullas nostrorum subditorum naves, nihil tale timentes, cepistis, diripuistis, & incendistis. Quibus ex rebus per Bernardum classis nostræ Præfectum, quum apud vos querimoniam exposuisset, ita negligentes exstitistis, ut lætari potius malo, quàm id velle corrigere videremini. Non igitur frustra contra vos bellum indiximus, quum nec damna illata emendare velitis. Quid igitur Turcarum pericula nobis commemoratis, qui primi ex Asia in Europam illos avaritiâ ductos vestris navibus trajecistis? Quid quod omnibus Christi*

B *infidelibus quotidie arma, tela, commeatusque defertis? Viderit Christus justus Judex, nos pacem Italicam summa cum diligentia procurasse, firmasseque, ut facilior contra Turcas expeditio esset. Quod si victoriæ alicujus recordatio vos movet, memineritis simul & in ea fœderis violati: ut quantum ex victoria illa lætitiæ susceperitis, tantum ex perfidia mœstitiæ contrahatis; sitque vobis posthac persuasum, non dolo aut perfidia, sed armis & justitia vincendum esse. Decimo Calendas Augusti.* His literis Genuenses necquiquam permoti, à bellis non cessarunt, sed parta navium atque triremium classe contra Regem perrexere, Castilionis suburbium, quod in agro Pisano erat, depopulati, quod Regis erat in ditione. Deinde

C Gilium Oppidum conati sunt intercipere, querimoniam belli eis ab Alphonso illati ad Callistum Pontificem deferentes. Pontifex igitur, ut expeditioni contra Turcas Regem attraheret, gravioribus literis eum monuit, ut ab indicto Genuensibus bello desisteret. Qui per suos Oratores in hunc ferme modum respondit. *Quamvis, beatissime Pater, Genuenses me armis, minisque provocarint, novissimèque Gilium Oppidum nostrum occupare tentarint, & suburbium Castilioni diripuerint, deinde contra subditos nostros piraticam exercentes sævierint, nos nihilominus, Sirectio eorum Oratori diximus, si extra fines nostri Regni se*

D *se continuerint Genuenses, nos eodem animo erga eos fore, quo jam dudum fuimus: pacem & concordiam non refugere, dummodo satisfaciant ea, quæ nostris damna intulerunt; cessurosque etiam aliquid de jure nostro, dummodo non præpediant expeditionem contra Turcas statutam. Hoc responso Sirectus abiit. Nos verò sperabamus, non denegaturos, quæ justè petebamus. Interea Genuensium classis intra fines nostros hostiliter ingressa nostris triremibus fit obvia, quas pro tutela nostri Regni armaveramus. Et ut Deo placuit, justi injustos, mites superbos, provocati invadentes facilè profligarunt & ceperunt. Hæc, beatissime Pater, quum ita facta sint, non putet Sanctitas Vestra me insolentem, aut inhu-*

E *manum ea victoria factum. Sed eo promtior ad pacem sum, quòd Deus me oculis suæ pietatis aspexit, intendimusque aliò, ipso Auctore, vires nostras experiri, unde & Christianis salus, & Christo gloria futura sit.* His orationibus quum Pontifex non moveretur, effecit, ut plures in Italia imperitantes conceperint, mentem Regis aliò tendere, atque altiora moliri: præsertim quum duo potentissimi Regis exercitus, unus in Genuensi, alter in Flaminia contra Sigismundum Malatestam, victores essent. Hæc quum Regi nuntiarentur per Dominicum unum ex Patrum numero, horta-

hortareturque ad arma deponenda contra Genuenses, quòd sine his tam sancta expeditio contra Turcas non facilè fieri posset, Rex in hunc modum ferè respondit. *Si perrexero meam caussam contra Genuenses amplius tutari, jure apud Beatitudinem Vestram, Pater Optime nihil aliud faciam, quàm anteacta agere. Ego quidem ille idem sum, nihil omnino victoria immutatus: quin libentius nunc pacem Genuensibus concedam, quòd nobis propositum est contra Turcas vires & potentiam nostram in Christi gloriam experiri, modò id petant Genuenses. Victoria quidem nos à justitia nequaquam avertet. Vale.*

Insequenti Anno 1458. Jacobus Piccininus, & Fridericus Feltrius diripuere in Piceno Renfortiatum; deinde ad Insulam & Montem Altum castra habuere. Oppida Pandulphorum, Sigismundumque Malatestam acrius infestabant. Eodem Anno mense Decembris Franciscus Foscarus Dux illustrissimus Venetorum, depositus à suo Magistratu abiit, ob falsam filii suspicionem, quem occidisse Nobilem quemdam criminabantur. Et in ejus locum Paschalis Malipierus suffectus est. Jacobus Piccininus cepit Insulam Gualteriam deditione, recepit-

A que ab eis aureos mille pactione inter eos habita. Alexander Sfortias Pisauri Dominus eo Anno in Gallias proficiscitur, ubi stetit mensibus sex, Regis Galliæ stipendio, ea pactione, quæ secum erat cum Francisco Sfortia Duce Mediolani. Inde Anno insequenti Pisaurum rediit. Jacobus Piccininus depopulabatur Carpignam, Castellinamque, in qua capta est uxor Domini Carpignæ. Alphonsus Aragon extremo mensis Junii moritur in Peninsula Ovi, paullo ante Solis occasum. Reliquit Siciliam Insulam testamento Johanni Principi Navariæ nepoti suo, filio Johannis Regis fratris sui. In ceteris Insulis, & Hispaniæ Regnis Johannem fratrem. Regnum autem Nea-

B politanum Ferdinando Aragonio filio naturali. Multaque & magnifica legata per eum exsolvenda reliquit. Fuit Alphonsi mors IV. Calendas Julii, religiosa atque suavis. Quumque exprimeret verbum illud: *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, in hoc ultimo verbo defecit, anno suæ ætatis sexagesimo tertio, mense octavo, & diebus viginti septem.

FINIS.

JOHANNIS
SIMONETÆ
HISTORIA
DE REBUS GESTIS
FRANCISCI PRIMI
SFORTIÆ VICECOMITIS
MEDIOLANENSIUM DUCIS,

IN XXX. LIBROS DISTRIBUTA,

Hoc est ab Anno MCCCCXXI. usque ad Annum MCCCCLXVI.

ANTEA EDITA,

In præsenti verò impressione cum Autographo ipsius Auctoris collata, emendata, & aucta.

IN LIBROS JOHANNIS SIMONETAE DE REBUS GESTIS FRANCISCI I. SFORTIAE MEDIOLANENSIUM DUCIS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Laudare ac mirari solemus Reges & Principes, qui fortes ac strenui in armis fines imperii sui, simulque gloriam nominis longe lateque dilatarunt. At mihi longe majori laude atque admiratione dignior videtur, qui neque nobilitatis praerogativa conspicuus, neque avita potentia timendus, unius fortitudinis, ingeniique sui ope, ex humili fortuna ad sublimem conscendit. Debent illi Majoribus suis non modicam partem suae felicitatis: hic uni suae virtuti omnia debet. Quamobrem nemo neget, quin inter ipsos Heroës recensendus sit *Sfortia Cotineolensis*, qui in Oppidulo Flaminiae obscuri antea nominis, sed ob ejus virtutem postea clarissimo, neque illustri genere natus, per militiae labores animum invictum gerens, eo processit, ut primis militiae honoribus functus apud Pontificem maximum Martinum V. & apud Johannam II. Apuliae Reginam, Principatus etiam insignia sibi compararit. Verum glorioso patre longe gloriosior filius, *Franciscus* videlicet, cujus gesta in Historia nunc mihi recudenda leguntur. Si magnanimum inclytumque hunc virum praeclarissimo cuique aut Romanae Reipublicae, aut Greciae antiquae Imperatori aequem, quantum quidem video, non injuria faciam. Scilicet ille, quamquam modo secunda, modo sinistra fortuna usus, tantum tamen consilio, fortitudine, & industria potuit, ut proelia inire ac vincere mos ei familiaris evaserit; tanta denique contentione animi bellicam rem pertractavit, ut amplissimum Ducatum Mediolanensem, & Genuae dominationem adeptus, ad filios etiam transmiserit. Manca nimis profecto foret haec mea Collectio, atque Italicae veteri Historiae multum deesset, si quae tantus vir gessit, & Mediolanensium rerum pars adeo memoranda, nullum habuisset egregium Scriptorem, cujus Historiae locus in hac ipsa Collectione daretur. Et revera habuerunt, nempe Franciscum Philelphum in Poëmate *Sfortiados*, & Bernardinum Corium in Historia Mediolanensi, ut alios praeteream. Verum in hoc studio ceteros post se reliquit *Johannes Simoneta*, qui in Commentario *Rerum gestarum Francisci I. Sfortiae Mediolanensium Ducis*, fusissime, & quidem ejus jussu, argumentum hoc persequutus est. Neque ullus fortassis aptior ad suscipiendum, complendumque ejusmodi aedificium, tum quod Latinis literis maximo cum successu operam dedisset, tum quod ab Anno 1444. usque ad 1466. quo celeberrimus ille Princeps finem vivendi fecit, ejus lateri adhaeserit, & apud eum testis magnorum operum semper fuerit. Hunc ergo Commentarium delegi, e quo Vitam *Francisci Sfortiae* petant eruditionis Historicae amatores, non novum certe, quippe antea non semel typis traditum, sed hercle dignum, qui rursus editus reliquis Italicae veteris Historiae monumentis adjungatur.

Porro quis fuerit *Johannes Simoneta*, paucis aperiam. Fuit illi pater Antonius Simoneta Calaber, fratres Cicchus & Andreas. Eorum patriam indicabit nobis Leodrisius Cribellus eorum aequalis, in Vita Sfortiae supra a me edita. Nam inter Oppida, quae in dotem Francisco ejusdem Sfortiae filio detulit Polixena Ruffa, ennumerat *Cachurium, Cicho & Johanne clarissimis fratribus Oppidum insigne.*

Inde Francisco nata occasio dignoscendi, quantum probitate & ingenio polleret *Angelus Simoneta*, Antonii nuper memorati frater, quem propterea Anno 1426. in famulitium suum a Secretis adscivit, tum Anno 1440. Corio teste, Legatum ad Venetos misit, ac deinde ad Alphonsum I. Apuliae & Siciliae Regem. Angeli istius tumulus Mediolani visitur in Carmelitarum sacra Aede cum hacce epigraphe:

Angelus hic situs est, inter clarissimus omnes
Simoneta viros meritis & laudibus unus.

Angeli autem cura factum puto, ut Franciscus Sfortia *Cicchum* etiam, & *Johannem*, ejusdem Angeli ex fratre Nepotes perspectos haberet, atque ut erat hominum justus aestimator, ambos etiam ad suum famulitium adsciscceret, *Cicchum* videlicet a Secretis, *Johannem* vero ab Epistolis, sive Cancellarium, sibi deligens Anno 1433. *Ducalis* etiam *Secretarius* appellatur idem Johannes a Francisco Philelpho. Quod attinet ad Cicchum, is fide singulari fortunam Domini sui sequutus, eodem Secretarii munere apud ipsum, Mediolanensi Ducatu auctum, fungi perrexit, uti & sub Galeatio Maria Duce, Francisci filio; & postquam hic a conjuratis trucidatus fuit, sub Johanne Galeatio peremti Ducis filio impubere relicto. Ingenium hominis vividum, longa rerum experientia, & incorrupta fides, ita Cicchi virtutem Bonae Ducissae pupilli Ducis tutrici commendarunt, ut is unus post ipsam in regimine omnia esset. Verum Anno 1479. arreptis imperii Mediolanensis habenis Ludovicus Sfortia, cognomento Maurus, quum nefariae ambitioni suae auctoritatem & constantiam Cicchi obicem non exiguum esse animadverteret, eumdem in vincula conjectum, & crudelissime tortum, vita tamdem exuit, Italia universa tantam Principis impotentiam, ac indignum adeo egregii Viri exitum dolente simul & detestante. Epitaphium Cicchi habemus apud Corium.

Involvit eadem procella & *Johannem Simonetam* Cicchi fratrem, & Sfortianae Historiae nunc mihi recudendae Scriptorem. Trusus enim & ipse in carcerem, quamquam, ut idem Corius testatur, *uomo di somma bontà e dottrina*, acerbissima de eo quaestione habita, caput tamen incolume servavit, & Vercellis Anno 1480. exulare coactus est. Nimirum, ut ait Jovius, *mitiore aliquanto fortuna erga Johannem, quum in eadem quaestionis acerbitate diu tortus evaserit, valido scilicet apud Tyrannum pudore, ne videretur ingrate sublatus, qui Patrem summae virtutis Principem, ne umquam interiret, beneficio literarum immortalem effecisset*. Mediolani tamen diem suum obiisse videtur. Nam in Gratiarum Templo haec ei posita Inscriptio fuit

D. OP. M.
JOHANNES SIMONETA
SFORTIANAE HISTORIAE CONDITOR
DIVI FRANCISCI SFORTIAE FILII ET NEPOTIS
SUBINDE SECRETARIUS
INNOCENTIAE ET PROBITATIS CULTOR
ET IN UTRAQUE FORTUNA MODESTISSIMUS
HIC CUBAT
HOC SEPULCRUM. HAER. SEQUATUR

Johanni Simonetae uxor fuit Catharina Barbavaria, spectatissimae nobilitatis mulier, e qua plures filios suscepit, *Jacobum* in primis, quem Clemens VII. Episcopum Pisaurensem constituit, Paulus vero III. Anno 1535. Cardinalitia Purpura ornavit. Ejus elogium Ughellius contexuit in Catalogo Antistitum Perusinorum, ad eam quippe Cathedram translatus ille demum fuit. Alter Johannis filius *Alexander* primogenitus, Comes Palatinus a Carolo V. Augusto Anno 1526. creatus, is fuit, qui *Ludovicum*, & ipsum inter S. R. E. Cardinales a Pio IV. cooptatum, genuit, uti & *Hieronymum Comitem*. Et ab isto quidem ad nostra usque tempora propagata est nobilis & clarissima Simonetarum Mediolanensium progenies, cujus dignitatem nunc tuetur *Antonius Simoneta Comes*, tum singulari sua humanitate, tum amore Literarum, ac studio promovendae hujus meae Collectionis, mihi summopere commendandus. Neque reticebo, Auximi quoque Simonetarum gentem inter illustriores Familias recenseri, quae & nunc viventem numerat Illustrissimum & Reverendissimum Praesulem *Rainerium Simonetam* Archiepiscopum Nicosiensem, & Romani Pontificis Nuntium Neapoli, virum singularibus non minus animi quam ingenii dotibus ornatissimum; ejusque fratrem Comitem Fridericum, suae Familiae principem. An ab uno stipite tam Mediolanenses Simonetae, quam qui Auximum illustrant, olim prodierint, aliis inquirendum relinquam. Illud quidem novi,

novi, a multis Seculis Simonetas Auximum incolentes in Anconitana Marchia, tamquam primariae Nobilitatis viros fuisse memoratos, utpote qui Aesio per complures annos dominati sunt, usque ad Annum 1408. & inde pulsi Auximum se se recepere. Ut hoc etiam obiter adnotem, Anno 1381. (uti ex Annalibus Bononiensibus Matthaei Griffonis Tom. XVIII. hujus Collection. editis constat) Bononiensem Praeturam gessit alter *Rainerius de Simonettis de Aesio*: quod unum, nisi tot alia monumenta suppeterent, ad statuendam vetustam gentis Nobilitatem satis foret.

Ceterum ut ad Historiam *Johannis Simonetae* redeam, quanta diligentia, quanto veritatis amore eadem conscripta fuerit, praecipue ab Anno 1444. quo illius Scriptor individuus comes Francisci Sfortiae esse coepit, ipse in Praefatione indicavit. Immo, jubente eodem Francisco Duce, contextam hanc fuisse, testis est Paulus Jovius in Vita Sfortiae. Quare nil mirum, si plausu omnium Eruditorum fuerit olim excepta, ac non semel typis tradita. Eam nempe Antonius Zarottus Anno 1479. Mediolani aeneis typis luce donavit. Repetita est in eadem Urbe Anno 1486. per ipsum Typographum editio. Deinde hujus Historiae interpretationem Italicam a Christophoro Landino Florentino confectam, idem Zarottus Anno 1490. publici juris fecit. Denique altera Italica versio, a Sebastiano Fausto elaborata, Anno 1543. in lucem prodiit Venetiis, ubi & insequenti Anno rursus evulgata est versio Landiniana. Ego vero, ut nova haec editio Lectorum gratiam iniret, incuriam Simonetae, quam & in aliis Scriptoribus offendas, in rite adnotandis Annis, quibus res gestae fuere, quantum potui, supplevi, singulis rebus suo Anno redditis. Ad haec supra laudatus Comes Antonius Simoneta MStum Codicem ipsius Historiae mihi suppeditavit, autographum videlicet Auctoris, in quo alia manu apparebant quaedam praecisa, quaedam immutata. Et edita quidem inveni correctionibus hisce conformia, quarum religiosus quidam vir, Johanne ipso consentiente, auctorem se prodit. Attamen quum nonnulla agnoverim, aut desiderio brevitatis, aut caussa evitandi quorumdam invidiam, expuncta, ex iis selegi, quae non contemnenda videbantur, atque in Notis huic Editioni adjecta volui. Supervacanea haec dices: non abnuo. Postquam tamen legeris, fortasse non inutilia putes; ac praecipue quod magnorum virorum vel ipsa prima specimina veracitatem propius interdum exprimant, neque venustate careant.

AD ILLUSTRISSIMUM AC MODERATISSIMUM PRINCIPEM

LUDOVICUM

SFORTIAM VICECOMITEM

BARI DUCEM

FRANCISCI PUTEOLANI

POETÆ PARMENSIS

ORATIO

IN COMMENTARIOS RERUM AB DIVO FRANCISCO SFORTIA GESTARUM.

SOleo mecum subinde mirari tuam, Ludovice Sfortia, Princeps candidissime, summam omnibusque numeris perfectam sapientiam: eaque cogitatione sic fruor, ut incredibilem voluptatem fructumque inde percipiam: cum te video eodem animi tenore semper tibi constitisse, ut neque premens fortuna unquam abjecerit, neque indulgens reddiderit feraciorem: veræ solidæque virtutis officium. Qua in re quibusdam magnis viris jure venis anteponendus. Nam & Ciceronem & Metellum indignissima exilia perpessos, hunc Apuleii Saturnini, illum Clodii furore, aliquanto fractiore animo extitisse, quàm illorum gravitas postulabat, memoriæ proditum est: & C. Marium in utraque fortuna ut nimium merito reprehensum constat: de quo non falso dici & commemorari solet; ubi felix, nemo felicior: ubi miser, nemo miserior: *Te autem vultu mutato nemo adhuc videre potuit, & omnes fortunæ ictus contemnentem, & omnia blandimenta dissimulantem. Magna illa laus; non minor hæc, quod tanto studio parentis tui invictissimi Francisci Sfortiæ, numquam sine præfatione Regis regum nominandi, memoriam tam avide renovas, & ad illius exemplar te effingis, omnes illius mores, omnia dicta factaque usurpans, ut te ex patre, patrem ex te quilibet possit agnoscere. Nam cum officio maximo præsis, Audiendo, Cognoscendo, Jure dicundo, Moderando, Instruendo, Ornando, reguli nostri nepotis tui (qua dii immortales indole!) regno dies impendis. Atque hoc ex parentis præscripto. Noctem partiris: partem somnus vindicat; reliqua commentarios rerum gestarum illius lectitas, recenses in manibus, & sinu habes, in hac quoque parte Alexandro Macedone, quem quiescentem subjectam semper capiti habuisse Iliada memorant, non multum dissimilis. Sed minor illius quàm tua felicitas: Tu enim ad capessendam virtutem nullo Achille, ad consequendam immortalitatem nullis externis exemplis, sed domesticis & paternis imaginibus excitaris. Divus Julius Alexandri æmulatione promovebatur, Alcibiades Periclis. Tu meliorem ducem, meliorem auctorem, delegisti parentem, à quo utriusque temporis & belli & pacis officium edoceri possis. Fuit enim in gerendo bello pater & in omni bellica & imperatoria laude, cum Pyrrho, Annibale, Cyro, Alexandro, Fabiis, Papiriis, Marcellis, Camillis, Scipionibus, denique cum Cæsaribus, conferendus. In toga vero & pace Trajano & Antoninis haud inferior. Huic enim uni natura omnes & animi & corporis dotes, & quidem tantas, quantæ nemini obtigerunt, tribuit, ut quicquid legimus in omnibus usquam optandum, id in patre tuo cumulatum esse recognoscamus. Sed tibi illius immortalitatis assertori quid magis enixe elaborandum fuit simul, & ad tuam & illius memoriam propagandam & totius orbis utilitatem, quàm ut ii libri tuis auspiciis emendatissimi edantur, publicenturque? Primum enim ex hoc omnes intelligent, te adhærere vestigiis sapientissimi & moderatissimi principis: tum legentes cognoscent, quale prudentissimi patris de te judicium fuerit: quam spem jam tum adolescentulus de tuis virtutibus dederis. Nam cum in suscipienda adversùs immanissimas Turcarum gentes expeditione, poscente Pio Pontifice ducem unum, è liberis suis potissimum te delegisse legerint, cui signa illa sua auspicatissimá, cui tantam belli molem toto committeret, aperte judicabunt quid de te senserit, & qualem futurum ducem opinatus fuerit. Non tibi mavis illud optimi rerum, æstimatoris judicium, quam ingentia auri & argenti pondera? omitto quæ aliàs de te*

dixerit.

dixerit. Sæpe enim signanter & aperte reliquos umbras, te unum virum futurum multis conjecturis ostendit. Quod autem ad eum attinet nihil, si ullus mortuis sensus est impresentiarum, illi gratius facere potuisti, quam hæc illius acta per omnes populos & nationes longe lateque diffundere. Nam etsi ejusmodi sit illius conditio, ut nullius laude crescat, nullius vituperatione minuatur, paucis tamen seculis ejus fama erat interitura, nisi literarum adminiculo propagata fuisset. Neque illos ego sapientes puto, qui maluerunt tabulis & imaginibus posteritatem suam commendare: quæ ut alicujus sunt temporis monumenta, ita facile corrumpi possunt, & multis injuriis sunt obnoxia. En quotus quisque reperietur, qui se vidisse affirmet Alexandri, qui in ea re studiosissimus fuit, imaginem aut penicillo in tabula expressam, aut cælo elaboratam, vel denique auro, argento, ære conflatam, cum Apelles, Lysippus, & Pyrgoteles, diversissima laude inter sese pares, præstantissimum regem plurifariam, veluti spirantem, effinxerint? Agesilaus ille Spartiota prudentior, qui imaginem suam neque fingi, neque pingi, aut fundi unquam voluit (unus enim Xenophontis Socratici libellus in eo laudando omnia ejusmodi lenocinia superavit); Pallas illa Attica ex ebore à Phidia tanta arte concinnata: Juppiter Olympicus: Venus illa, cujus caput & summam humerorum decennio Apelles pinxit: Mausoleum, Templum Dianæ Ephesiæ: Pyramides quodam tempore, sed admodum brevi, admirationi miraculoque fuerunt, quorum sensum nullum nunc haberemus, si è medio sublatæ literæ essent: una fidelis rerum gestarum memoria. Cajus Julius Cæsar, ut nostris exemplis utamur, insecutique eum principes theatris, amphiteatris, porticibus, basilicis, stadiis, gymnasiis, thermis, colossis, satis superque posteritati suæ consuluisse judicabantur. Ii tamen omnes funditus interiissent, nisi disertissimorum virorum ingenia ab temporum & oblivionis injuria eos vindicassent. An inficiabitur quispiam, plus debere Vespasianum Tranquilli & Taciti libellis in conservanda memoria, quàm amphiteatro, quod maximum erexerat. Trajanum excudere multi, pinxere multi; expressior tamen & diuturnior illius imago fuit una Plinii Secundi oratione, quam delere vis umquam nulla poterit; cum interim veterum statuariorum, pictorumque nulla, aut admodum pauca, opera supersint. Quæ cum ita sint, fateamur, sapientissime Princeps, ad parentis tui post hominum memoriam maximi ac de te optime meriti famam extendendam, optimam te iniisse rationem. An forte vereamur in tanta librorum copia, quantum nostra ætas propensissimo quodam deorum immortalium dono vidit, hos Commentarios in obscuro futuros? Ego verò affirmo, nihil aut nos æquioribus animis accepturos, aut posteritatem studiosius lecturam, amplexuramque. Neque enim hæc legentes prodigia, poëtarum fabulas, vetularum deliramenta, ægrotantium somnia, qualia apud plerosque priscorum, & præcipue Græcorum, cernuntur, legere se arbitrabuntur: Sed in iis recensendis quisque sibi credet, cum adhuc recens fama sit, & plerique supersint eorum, qui videre, quorum testimonium omnem adulationis assentationisque extinguet opinionem. At tu, constantissime Princeps, ut nunc parenti optimo cumulatissime gratiam retulisti, ita perge benemereri de omnibus. Publicam omnium causam suscipe. In tanta rerum temporumque varietate in primis nepotulum, cujus ætas tuæ fidei commissa est, mox totam Italiam, fove. Ea meditare, excogita, para, quæ esse & in filio divi Francisci Sfortiæ debeant, & tantarum rerum digna susceptione videantur. Vale decus publicum, mea unica spes.

Franciscus Philelphus Johanni Simonetæ Ducali Secretario Salutem dicit plurimam.

„ Legi & perlibenter quidem, Johannes Simoneta, eos Commentarios, quibus
„ Vitam, & res gestas illius fortissimi Viri, & inclyti Mediolanensium Ducis
„ Francisci Sfortiæ, ornatissima oratione complexus, cum apud homines nostri Se-
„ culi non parvam admirationem, tum apud posteros maximam tibi laudem pepe-
„ risti. Quis enim non miretur, potuisse te in tantis occupationibus tuis res tan-
„ tas tamque varias persequi tanto cum ordine & prudentia? Jure igitur laudabe-
„ ris semper, nomenque tuum nulla hominum memoria ignorabit. Nam ipse,
„ quod ad me attinet, sum id circo tuis scriptis magis delectatus, quod Sfortianæ
„ laudi & gloriæ ita faveo, ut nihil malim, quam de uno Francisco Sfortia sem-
„ per aliquid dignum memoratu & lectitare & audire. Itaque tibi, mi Johannes,
„ gratias ago immortales, quod tuos istos disertissimos Commentarios videri à me
„ volueris, quorum lectione ita sum delectatus, ut vix aliud quicquam hoc tem-
„ pore jucundius mihi contingere potuerit. Vale.
„ Mediolani ex ædibus nostris, sexto Idus Junias, MCCCCLXXIX.

JOHANNIS SIMONETÆ
IN COMMENTARIOS RERUM GESTARUM
FRANCISCI SFORTIÆ
MEDIOLANENSIUM DUCIS
PRÆFATIO.

LEgenti mihi nonnumquam, Princeps Illustrissime, & dum per otium liceret, apud rerum scriptores antiquorum regum & ducum res gestas diligentius consideranti, eorum nonnullorum vera profecto videtur sententia, non semper antiquitati posteritatem jure concedere, nec antiquiores recentioribus virtutis præstantiâ, rerumque gestarum gloriâ semper antecellere. Ejus autem rei argumentum & exemplum ne longius repetamus, abunde nobis suppeditat Franciscus Sfortia, Avus tuus, Quartus Mediolanensium Dux invictissimus, singulare sæculi nostri decus & ornamentum: quippe quem nemo vel æquus diligensque rerum æstimator negaverit in omni prope virtutis laude & rerum præclare gestarum gloria facile cum omni antiquitate certare. Quemnam aut vidimus, aut legimus, aut audivimus, corporis pulcherrime compacti decore, apta membrorum lineamentorumque convenientiâ, virium firmitate, oris dignitate, vultusque majestate huic comparandum? Quem deinceps ingenii acumine & bonitate, mentis consilio, animi magnitudine, humanitate, gratia, affabilitate, liberalitate, clementia & pietate, huic anteponendum? Quem postremo rei militaris scientia, auctoritate, laborum tolerantia, ærumnarum perpessione, invicta semper fortitudine, constantia singulari, prospicientia, celeritate conficiendi rerum, non tam fortuna quàm propria virtute gestarum magnitudine, gloria, felicitate, usque adeo excelluisse reperiemus? Nempe aut rarissimos, aut nullum potius invenies, in quem tot corporis animique dotes & bona confluxerint. Nec enim sunt viri hujus laudes & egregia facinora aut nobilium poëtarum figmentis, aut eloquentissimorum oratorum literis (quod majoribus illis sæpe obtigit) vel conficta licentius, vel amplificata copiosius, vel exculta sublimius. Hæc siquidem omnia ipsi aspeximus, ac vidimus. Vidit, & novit omnis Italia. Viderunt, & experti sunt maximi reges & potentissimi externique Populi. Hæc denique cognovit universus prope terrarum Orbis. Quæ sane talia & tanta sunt, ut omnium superatâ invidiâ compellantur cuncti ea veluti maxima propeque divina & admirari & obstupescere & prædicare. Verùm quia nulla in humanis tanta res est, quæ aliquando vetustate non corruat, & à memoria hominum non excidat, nisi literarum maxime beneficio immortalitati commendetur, illius ego res gestas post obitum Proavi tui Sfortiæ, pauloque altius pro rerum cognitione repetens, carptim scribere, & quo brevius liceat, recensere institui ab Anno incipiens Quarto & Vigesimo usque in Quartum & Quadragesimum supra Millesimum & Quadringentesimum Christiani Natalis, quo Anno accersitus ad eum me contuli. Inde enim usque in ultimum vitæ diem ab eodem gesta & copiosius & apertius explicabo, quod eis præsens semper coramque affui. Sed cum inter ipsius Francisci Avi tui, summi imperatoris & divini Principis, res magnifice gestas pars non minima sit bellum, quod sublato ex humanis Philippo Maria materno Proavo tuo in hac nostra Cisalpina Gallia fortiter gessit, feliciterque perfecit, dum ad ipsius Philippi imperium, quod à multis tum petebatur, ille unus jure meritoque aspiraret, & patriam regnumque ipsum ab hostium faucibus ac tyrannide eriperet ac liberaret: hoc ipsum inquam bellum & re maximum & memoriâ dignissimum (cui dum gereretur, assidue interfui) paulo diligentius scribere operæ pretium duxi. Equidem omnia in Commentarios, & eo ordine, quo gerebantur in dies, singula celeri stilo depromsi, si minus eleganter, minusque ornate, at vera & incorrupta fide. Nihil enim à me scriptum est, quod vel non ipse viderim, & contemplatus fuerim, vel à locupletissimis testibus auctoribusque, vel etiam ab ipso Francisco, dum ille de se modestissime loquens aliquando præteritorum temporum pericula, resque per omnem fortunam non tam ab se, quàm ab aliis gestas recenseret, acceperim, quod aliis haudquaquam contigit, si qui fortassis reperiantur earumdem rerum scriptores etiam eruditiores. Hos autem rerum ab Avo tuo gestarum Commentarios nemo venit in mentem, ad quem potius inscriberem, quam ad te, Johannes Galeati Maria Sfortia, Mediolanensium Dux præstantissime, ut ad verum & legitimum aviti paternique regni, imperii, & gloriæ successorem. Tui ergo nobilissimi ingenii fuerit, ut, cum per ætatem licuerit, in avitis rebus tanto cum splendore ac felicitate gestis, tanquam in speculo quodam, teipsum inspicias, operamque des, ut quod pulcherrime cœpisti, omnia, quæ vel cogites, vel dicas, vel agas, ea prosequaris laude, ut hoc tale tantumque imperium non tam jure hereditatis, quàm pulcherrimis tuis splendidissimisque virtutibus adeptus ab omnibus judiceris. Quod tum maxime feceris, si Deum Optimum Maximum ante oculos semper habueris.



JOHANNIS SIMONETÆ

RERUM GESTARUM FRANCISCI SFORTIÆ MEDIOLANENSIUM DUCIS

LIBER PRIMUS.

Anno 1421.

Regnante Johanna Secunda, Karoli Regis filia, quæ Ladislao fratri sine liberis è vita migranti in Neapolitanum Regnum successerat, Alphonsus Taraconensiũ Rex magna classe è citeriore Hispania movens, Corsicanis rebus ex itinere temptatis, in Siciliam suæ ditionis Insulam adnavigavit. Illius adventus mox varia animorum studia, diversa consilia, ac non parvos in eo regno motus concitavit. Johanna enim multis probris, impudicisque amoribus addicta, ut regium munus, rerumque pondus mulierem haud facilè tueri posse cognovit, Jacobum Narbonensem Marciæ Comitem conjugio sibi devinxit, cum sanguinis nobilitate corporisque forma & dignitate, tum virtutis fama inter Galliarum principes insignem. Sed ubi eum non tam viri, quàm Regis partes agere, seque negligere vidit, instabilitate fœminea paulò post repudiatum omni administratione abdicavit. Quo factum est, ut opulentissi-

A mum regnum ad dissensiones atque discordias naturâ pronum, Reginæ moribus & flagitiis ad id maximè accedentibus, in vetera factionum studia delapsum, magis atque magis cœperit fluctuare. Nonnullis mulieris dominatio minimè displicebat, quod nomen illa retineret, rebus autem ipsi potirentur. Alii contra Lodovicum tertium Andegavensium Ducem, Lodovici, quem Apuliæ Regem nuncupabant, & Jolantis ex regia Taraconensium familia filium, adoptandum censebant. Is enim non multo ante & Martini Pontificis maximi & Sfortiæ Attenduli, Francisci, de quo scripturi sumus, patris fortissimi ea tempestate bellorum ducis hortatu, classe
B non exigua ad Campaniæ litora cùm appulisset, Sfortia sibi adjuncto, bellum Reginæ inferre cœperat. In tantis concertantium dissensionibus iis, qui ne Lodovicus adoptaretur, repugnabant, optimum factu visum est, Alphonsum Reginæ filium declarari: Quo Neapoli Rex adesset, qui terra marique potens, reprimendis Gallorum viribus opponeretur. Itaque in ea Principum procerumque contentione Alphonsus ab Johanna Regni socius heresque accersitus, tanta accessione non illustrior solùm, sed & plerisque formidabilis visus est: Gottholanumque nomen eo usque in Italia maritimis præterquam populis, si haud omnino obscurum, at certe parum celebre invisumque exstiterat,

rat, increbrescere illico cœpit, clarumque fieri. Ceterum Alphonsus & Johanna quotidie à Lodovico & Sfortia adeò premebantur, tantusque eorum mentes terror occupaverat, ut suis diffisi viribus, ad Braccium Perusinum, alterum eo tempore ducem in Italia insignem, mitterent, initio Anni ejus, qui fuit Vigesimus primus à Natali Christiano supra Quadringentesimum ad Millesimum rogatum auxilium, multis conditionibus propositis: inter quas illa præcipua fuit, quòd Urbem Capuam nobilissimam se ejus potestati liberè tradituros pollicerentur. Quibus allectus conditionibus Braccius, Capuâ etiam cum arcibus mox in potestatem acceptâ, magnis contractis copiis, per Picentes Pelignosque Neapolim ad ferendam Alphonso, Reginæque opem maturavit. Ejus adventu res Lodovici propter pecuniæ inopiam ita sensim labi, & Alphonsi superiores esse cœperunt, ut Lodovicus relicto in Campania adversus tantas vires Sfortiâ, Romam ad Martinum Pontificem confugere coactus sit. Sed Pontifice longo bello non minus pecunia exhausto, inanis ad eum Lodovici profectio fuit. Itaque non multo post cùm data esset Sfortiæ libera à Pontifice & Lodovico potestas, ut suæ ac suorum, Urbiumque earum, quæ suo tenerentur præsidio, saluti consuleret, factum est Braccii etiam ipsius operâ, ut Sfortia à Regina, & Alphonso, à quibus sæpe magnis pollicitationibus invitatus fuerat, benignè & magno honore præsertim à Regina exceptus sit. Nam si unum sibi junxissent, cæteros in eo Regno contumaces propediem imperata facturos esse, non dubitabant, futurumque, ut ipsi Regnum ubique pacatissimum possiderent. Donatur ob id Sfortia ab Regina Urbe Manfredonia in Apulis non ignobili. Invaserat autem jam tum suspicio Reginæ & Johannis Carazoli animum non mediocris, ne Alphonsus Regni cupiditate ductus Johannem aliquando morte afficeret, & Reginam custodiendam traderet. Erat enim Johannes ipse, quem magnum Regni Senescallum appellabant, Reginæ quidem carissimus, quippe quem in deliciis haberet. Admisso igitur ad intimum colloquium Sfortia, quem omnium sibi fidissimum defensorem parare instituerant, causam concepti de Alphonso timoris aperiunt. Rogant, ut Reginæ tutelam suscipiat, injurias, insidiasque, si quæ pararentur, propulsaret. Sfortia ad hæc, se auxilio, ubi opus esset, nunquam defuturum recepit. Hæc ubi seorsum inter sese clanculumque egerunt, alia deinde fœdera ex Alphonsi etiam sententia iniere; quorum hæc summa fuit, ut rem regiam Sfortia pari fide tueretur, & quotiens in auxilium vocaretur, præsto esset, seu utrique, seu seorsum primum vocanti. Firmatis in hunc modum rebus, humaniter à Regina & à Rege dimissus Sfortia in castra rediit, quæ non longè erant à Benevento. Braccius autem his omnibus ex sententia peractis, Regno excedit, exercitumque in Umbros reducit, spe per proditionem Tiferni potiundi ductus. Is igitur in agrum Tifernatem profectus, ubi se de obtinenda primo adventu Urbe spem fefellisse vidit, castra mœnibus admovit. Ac non repugnantibus Florentinis, quorum sese fidei Tifernates commiserant, propterea quod crescentibus Philippi Mediolanensium Principis opibus, maxime soliciti, Braccium sibi amicum, adjutoremque servare decreverant, eam Urbem parvo negotio subegit.

Jam Tertius & Vigesimus ad Quadringentesimum & Millesimum agebatur Annus, cum ineunte æstate ubique quiescentibus armis, bellum grave & periculosum in Regno duobus in locis uno tempore renovatur. Nam & Braccius contractis undique copiis, in Regni fines reversus, Aquilanos invadit, eorumque agros populatus, ipsam Urbem Aquilam quantis potest viribus aggreditur, quam sibi ex fœdere, quod cum Alphonso percusserat, in propriam ditionem vindicare licebat. Vir enim animi immoderati, & dominandi libidine flagrans, quem secundiores res superbientem nimium fecerant, spe jam Regnum universum invaserat, cum id subactis Aquilanis haud difficile futurum arbitraretur, & Alphonsus his rebus adductus, quæ jam de Regina, Carazolo, & de vindicando sibi universo Regno diu cogitaverat, per oblatam occasionem venientis ad se in novam arcem Carazoli experiri statuit. Itaque eo in vincula conjici jusso, coacta celeriter Gottholanorum manu, qui Neapoli erant, ad arcem Capuanam, quam vocant, ubi se Regina continebat, pergere properat, arcem, Reginamque in potestatem acturus. Verùm qui arci præsidio erant, cùm primum tumultuari per Urbem senserunt, demissa catharacta, sumptisque propere armis in venientes Gottholanos tela conjiciunt, eosque procul arcentes, multos vulneribus confodiunt. Quamobrem repulsus ab ingressu Alphonsus, contracta undique majore militum manu, aperto jam bello, Reginam adortus, arcem circumsistit. At Regina tam repentino circumventa malo, cùm in carcerem conjectum insuper Carazolum intellexisset, ad Sfortiam maturare jubet, qui dicerent, ne cunctaretur, laboranti, & in summo positæ periculo subsidium ferre. Qua quidem recognita Sfortia, & quod data fides urgebat, & quod pro eo, quo Reginam prosequebatur, studio, illius conditionem commiserabatur, quam celerrime copias contrahit, quas jam ex hibernis eduxerat, & totam, quæ insecuta est, noctem ordinibus instructis Neapolim ire contendit. Ei jam procedenti ab Alphonso nuncii obviam facti, ut sibi & stipendii & fœderis jure auxilio esset, deposcunt. Quibus Sfortia per summam modestiam ita respondit: se Reginæ ac Regi idem sentientibus copias suas omnes quocunque rerum casu numquam negaturum. Verùm in præsentia Reginæ jussu præventum ex fœdere, quod sibi cum utroque esset, opem prius exposcenti ferre. Dolere autem plurimum, quod tantum inter eos discordiarum, tantumque irarum exarsisset, ut armis inter sese contenderent, quos & maternus amor & filii pietas & beneficiorum insuper magnitudo carissimos sibi invicem facere debuerant. Regem proinde suis verbis redeuntes rogarent, ut cœpta Capuanæ arcis oppugnatione abstineret, nec injuriæ loco duceret, Reginam loco tuto se tenere. Quod ubi compertum habuerit, non longius progressurum. Hoc unum se ab Rege impetrare debere, & Reginæ benemerita erga se maxima, & suæ militiæ rationes, cujus primas

sibi

sibi hoc tempore partes illa vindicaret, postulare. Hæc ad Alphonsum relata nihil proficiunt. Magna enim spe, sed majore cupiditate obtinendæ arcis incensus animus, suis etiam adversus Sfortiam viribus fretus præceps in eam oppugnationem ferebatur. Continuato igitur itinere Sfortia ubi ad tertium jam lapidem Urbi appropinquasset, mittit ex suis, qui rursus Alphonsum summis precibus orarent, ut ab inferenda vi Reginæ *desistat*, nec eum sibi hostem provocet, quem *si honesta* velit, obsequentissimum sit habiturus. Cùm nullus apud Regem in incepto pertinaciter perseverantem precibus locus esset, Sfortia tamdem acie instructa eo pervenit. Alphonsus, qui nec oppugnationem deserere, nec Sfortiæ cedere statuisset, relictis contra arcem iis, quos satis esse putarat, reliquos omnes in advenientem hostem immittit. Committitur collatis signis mox sub ipsam arcem ad locum, cui Formello nomen est, magno utrimque impetu prœlium ingens. Conserebatur enim inter fortissimos viros atrox pugna. Taraconenses armorum equorumque magnificentia conspicuos ipsa etiam sui Regis præsentia, & animorum elatio, in vulnera ac cædes incitabat. Sfortiani milites pristinæ virtutis memores gloriæque cupidi, sui etiam fortissimi ducis adhortatione & exemplo magis atque magis in prœlium incendebantur. Ille enim & ducis & militis operam uno eodemque tempore obeundo, acerrime dimicabat. Tutabantur Taraconenses angustiæ viarum, in quibus res gerebatur plurimum. Nam undique aut muris aut macerie hortorum septæ, crebris etiam repagulis muniebantur. Pertinacissimis utrinque animis decertantibus confertissima pugna, cum neutri pedem referrent, suspensam sex amplius horis victoriam vario eventu faciebat. At Sfortia ubi rem ancipiti loco positam animadvertit, statuit, circumducto agmine, hostem à tergo adoriri. Jussis igitur iis, qui circa se pugnabant, locum in quo essent, tueri, ipse sumta pedestri cohorte ad diruendos, qui à latere parietes erant, festinat. Sed illi per ducis absentiam loco pelli cœperunt. Imperatore autem confestim redeunte milites redintegratis animis, vique in hostes facta, amissum locum rursus occupant. Quod cum sæpius eo abeunte redeunteque fieret, increpare eos acerbius cœpit, & ignaviæ accusare, cùm per unius hominis momentum nunc imbelles nunc fortes viderentur. Promiserunt jurejurando pugnantes milites, ipso se loco non cessuros. Quod cùm ab iis postea fortissime servatum esset, urgente Sfortia obstantes parietes subruuntur. Itaque patefacta in hostes via impetuque à Sfortianis mox à tergo & à fronte uno tempore facto, Taraconenses circumventi fractis animis, loco cedere compelluntur, funduntur que, ita ut quisque fugâ salutem petere cœperit. Fusis fugatisque Gottholanis instant acrius Sfortiani, eosque præcipiti cursu in Urbem fugientes ad ipsas portas agunt. Sternuntur, capiunturque passim Taraconenses. Regia signa Sfortia ipse impetit, eaque Signifero prostrato capit. Eodem impetu Urbem ipsam ingressi Sfortiani hostibus immixti, Taraconenses insequuntur, cædunt, cædendoque capiunt. Cùmque Rex vix tamdem cum paucis admodum in arcem novam se recepisset, reliquus omnis ejus exercitus prædæ Sfortianis militibus patuit. Inter ceteros ex iis, qui intercepti sunt, centum & viginti Gottholani proceres & primarii viri, qui magna spe ducti, Regem secuti erant, in Sfortiæ potestatem venerunt. Magnus insuper equorum numerus captus: supellex ingens ac pretiosa direpta. Quo prœlio Sfortiæ victoris nomen summis laudibus in cœlum ferebatur. Postridie verò ejus diei Urbe Reginæ imperio restituta, compositisque Neapolitanis rebus, Sfortia toto exercitu Aversam petit. Hanc nullo labore dedentibus sese civibus, arceque à Gottholano Præfecto, omni spe auxilii derelicto, tradita in pristinam Reginæ fidem accepit. At Alphonso inopinanti, cum rebus maxime diffideret, auxiliaris à Barchinone classis quarto decimo die post Neapolitanam pugnam affuit, quam Neapolitano litori appropinquare Regina ex arce Capuana conspicata, Aversam ad Sfortiam confestim mittit, qui tuendæ Urbis auxilium ab eo peterent. Is re audita, Foschinum Attendulum cum equitibus quingentis citato cursu Neapolim ad Reginam jubet properare. Quo cùm pervenissent, exposuisse jam classem armatum militem, & prœlio Reginæ milites lacessere comperiunt. Hi majore quo possunt conatu navales turmas à litore pellere nituntur. Verùm adversarii numero longè superiores, & scorpionibus, omnique missilium genere instructi, non tantum litus, sed proxima etiam portui loca occupant. Deinde tertiam Urbis partem eo ipso die Sfortianis equitibus ægrè resistentibus paulatim invadunt. Miserat Foschinus, qui hostium vim Sfortiæ renuntiarent. Qua quidem re permotus Sfortia insequenti die & ipse cum reliquis copiis eo proficiscitur. At Gottholani audentiores facti, quod & per angustissimos Urbis vicos ipsi pedites Sfortiano equitatui ad id parum valido potiores erant, & Neapolitanorum præterea nullus in hostes arma capiebat, sed veluti spectatores tantæ rei eventum pugnæ expectabant, progressi sensim cùm à prima luce in vesperam usque pugnatum esset, universam prope Urbem occupant, & in ea planè dominantur. Civium eorum, quos sibi suspectos putabant, plurimorum domos diripiunt, injecto insuper igne in eam omnem Urbis partem, quæ portum mareque prospectat. Sfortia ubi retineri ab se Urbem non posse videt, copias extra mœnia ædificiaque paulatim reducit, firmatisque in suburbano stationibus haud procul Capuana arce ibi quatriduum consedit. Unde crebris in Urbem irruptionibus factis, posteaquam hostem nulla arte extra mœnia allicere posse intelligit, facta per præcones libera omnibus, qui inde discedere vellent, abeundi potestate, & imposita vehiculis, quæ undique convenire jusserat, omni Reginæ supellectile, Capuanæque arci præsidio imposito cum Regina ipsa Aversam revertitur. Secuta est autem abeuntem Reginam incredibilis omnis sexus atque ætatis ex Urbe multitudo Gottholanam vim fugientium, quorum supra quinque millia numerus fuisse fertur. Cùmque per eam noctem tardantibus impedimentis, & inermi turba, secundo à Neapoli lapide substitissent, tanta erat Urbis in-

incendia, & ita omnia flammis collucebant, ut eo usque legendarum literarum facultatem datam fuisse à multis affirmatum sit. Exinde non multis post diebus Sfortia Dolionum profectus dum Neapolitanos crebris incursionibus infestat, & Capuanæ arci commeatus affatim subministrabat, & Taraconensem deterrebat. Cùm ita res aliquandiu gererentur, Regina, quæ incredibili habendi apud se Carazoli, illiusque consuetudinis desiderio tenebatur, Sfortiam quàm vehementissimè rogat, ut per captivorum commutationem magnum Senescallum in libertatem restitui permittat. Itaque Sfortia nihil, quod Reginam cupere intelligeret, recusans, viginti ex Gottholanis proceribus primores, quos in Beneventanam arcem custodiendos miserat, in libertatem permagno auri pondere redimendos, permutatione cum uno Carazolo facta, missos fecit, quiesque deinde Reginæ animo data est. Nec fieri tamen potuit, ut hoc tanto beneficio accepto ingratus livorisque plenus Carazoli animus bene umquam de Sfortia cogitare potuerit, & quin illi semper infestus fuerit. Eo igitur per immensum desiderium recepto, Regina cum Sfortia & Carazolo ipso, multis ex omni ordine gravissimis sapientissimisque viris in concilium advocatis, de illatis in se per summam indignitatem ab Alphonso Rege injuriis questa, eorum sententias super tantæ rei novitate, superque regni statu singillatim exquirit. Illi Alphonsum indignum admisisse facinus incusantes, quem etiam Martinus Pontifex odio non mediocri insequebatur, eum omni regia adoptione privandum, aliumque tanto imperio destinandum successorem censent. Exinde omnibus diligentissimo circumspicientibus quod è re Johannæ regnique totius foret, Ludovicus Tertius Andegavensis, quem Romam ad Pontificem profectum supra ostendimus, visus est ceteris, qui offerebantur, præferendus. Ea re non modò à Regina, sed & à Pontifice Martino, cujus maxime intererat, comprobatâ, Sfortia se utrimque servandi à Regina & Ludovico percussi fœderis vadem recepit. His constitutis rebus Alphonsus edicto publico missisque non solùm per omnem Italiam sed per universam prope Europam literis regia adoptione jure abdicatus, ob ingratum iniquumque in Reginam animum, & insignes illatas injurias, declaratur, iisdemque præconiis Ludovicus à Regina filius & in Regnum institutus heres pronuntiatur.

Dum hæc in Campania geruntur, accidit in Calabris facinus rei novitate memorabile. Miserat eo Ludovicus Andegavensis, priusquam è regno migrasset, ubi partium studio plurimum poterat, Franciscum Sfortiæ filium magnæ spei, futuræque probitatis adolescentem, quem jam supra ætatem mira gravitas, constantia, & eximia in gerendis rebus virtus extulerat, vice regia dignitate Præfectum. Huic pater, in quem unum summam paterni amoris curam conjecerat, primarium quemque ex omni suorum ordine delectum equitem cum non exiguo militum numero attribuerat. Horum principes fuere Paulus Urbevetanus, Tinctus Michilotus Perusinus, viri consilio graves & rei bellicæ usu periti, Nannus Spinellus, Forojulianus cognomento Grandis: Floramontes Ruber Præfecti ordinum, Cæsar Martinengus, Raynaldus Bulgarellus, Petrus Gyrasius, cui cognomen erat Flasco, Riccius Viterbiensis; Jacobus Acciapacius, Pellinus Cotignolanus, Leo Salernitanus, & Boldrinus Faventinus, multique præterea alii fortissimi equites, præter gregarios milites. Cum iis in eam regionem profectus non modò Cusentiam inferiorum Brutiorum caput, sed universam prope eam provinciam, quam tumultuantem invenerat, suo parere imperio coegerat. Sed post varias, ut docuimus, regni mutationes, cum renovatum esset postremo adversùs Taraconenses in Calabrias bellum, Franciscus copias ex hibernis eduxerat, & inter Cusentiam, oppidumque Rendam non longe ab hostium finibus castra ponebat. Hi autem, quos supra nominavimus; præter unum Pellinum, depositâ tum fidei datæ tum magnorum à Sfortia acceptorum beneficiorum memoriâ, quem diem obisse falso vulgatum erat, de deserendo Francisco eorum duce inter sese conjurarant. Itaque quo minus nefarie turpiterque id facere viderentur, Franciscum circumsistunt, & non soluta primum præteriti temporis stipendia superbe nimium deposcunt. Deinde alias atque alias gravissimas connectunt querelas: & patefacta demum conjuratione, constituisse sese ab eo discedere aperte pronunciant. Ad eas tam inexspectatas voces Franciscus primo auditu obstupuit. Collecto deinde spiritu, ubi conjuratos in sententia persistere videt, petit, quandoquidem ita fixum in animo habeant, ne se solum in hostium prope conspectu deserant, socii eo usque fint, donec in tutum locum se recipiat. Postea si ita eis visum fuerit, abirent. Illis autem obstinatis animis recusantibus, eos perfidiæ acerbius accusare ultionemque interminari cœpit. Quibus verbis nihil tamen molliti sed majore ira commoti cum omni equitatu agmine facto abeuntes aliquot primum dies per circumvicina loca vagantur. Dein accersiti à Johanne Issera Taraconensi in Calabris Præfecto, ad hostes transeunt. Flascus qui invito potius quam voluntario animo cum reliquis conjurarat, pridie ejus diei, qui defectionem præcesserat, sceleratí facinoris pœnitentia ductus, Franciscum adierat, rogaveratque, uti se revinctum torqueri juberet. Quod si fieret, ea certe detegeret, quæ magni momenti judicaret. Volebat enim cruciatu coactus ea fateri, quæ libet seu jurisjurandi religionem, seu proditæ conjurationis pœnam veritus enunciare non audebat. Verùm cum id nihil pensi à Francisco haberetur, perinde ac de re incredibili frustra locutus est. Itaque Franciscus à commilitonibus destitutus, cum Pellino & prætorianis in proximum oppidum Rendam se contulit. At non multis post diebus hujus tantæ ulciscendæ perfidiæ exoptata videtur Francisco affuisse fortuna. Nam posteaquam ea de re factus est Sfortia certior, Michaëlem Attendulum cum quadringentis equitibus in transfugarum supplementum filio transmittit.

Franciscus cum intellexisset per exploratores Taraconenses cum ipsis perfugis in Cusentinorum agrum venisse, spe per insidias magnæ rei gerendæ summa celeritate, quan-

A quantas potest ex locis propinquis, auxiliares copias contrahit, Ludovicumque Sanctoseverinatem, qui Cusentiæ urbi pro Ludovico rege præsidio erat, magnæ quidem jam tum inter belli duces auctoritatis virum cum valido equitatu sibi adjungit. Quorum auxilio auctus, ingenti in eos animo, pernicitateque mirabili delatus pugnâ confertâ omnes primo impetu profligat, fugatque, ac magnam eorum partem capit, & in his Forojulianum, Cæsarem, Flascum, reliquosque fugientes insecutus in captivorum numero habuit. Videre hoc loco licuit summam in adolescente clementiam ac mansuetudinem, qua in captivos perfugas usus est (1). B Nam cum hæc Sfortiæ renuntiata essent non multis post diebus, quibus Neapoli Alphonsum fuderat, patris animum recenti victoria exultantem majore gaudio replevérunt. Sed de transfugis re cognita confestim per nuntium filio jussisse ferunt, ut illis omnibus laqueo colla frangeret. Quo patris imperio accepto, cum videretur severius & ab illius, qui erat miti ingenio, consuetudine longe alienum, paululum subdubium fuisse & cogitabundum, velut qui & patri parendum esse duceret, & nihil crudelius faciendum. Dein conversum ad nuntium dixisse. *Dic mihi, quo vultu pater, ut ista mihi referres, imperavit.* Illumque *iracunde* respondisse. C Tum Franciscum. *Non igitur patrem jussisse, si jussit iracundus.* Qua re accersitis ad se captivis, patris imperium dissimulando: *Quoniam pater meus* (inquit) *erratis vestris ignoscit, & ego vos omnes quamliberalissime pœnâ absolvo, & manendi insuper, ut antea, & abeundi pro arbitrio optionem permitto.* Tum omnes præ lætitia collachrimantes, & patri gratias egisse ingentes, & filio, ac sese manere apud eum velle alacriter respondisse. Quod cum Sfortia ex literis filii intellexisset, conversum ad circumstantes subridentem dixisse ferunt, longe filium esse patre prudentiorem. Cæterum Alphonsus ubi ea, quæ de Johanna per Italiam perque D Europam vulgaverat, persensit, institutumque insuper præcipuâ Pontificis operâ Ludovicum regni successorem, partesque suas ob id difficiliores futuras animadvertit, majoribus viribus sibi gerendum bellum judicavit. Quamobrem Braccium rogatum mittit, ut in Campaniam ad ferendum sibi auxilium adversùs novam belli molem transitum maturaret. At ille, qui suos cogitatus omnes in unam obtinendam Aquilam, quam obsedisset, converterat, neque regiis precibus, neque jure fœderum, neque ullis denique pollicitationibus adduci potuit, ut ab ea obsidione discederet. Itaque Alphonsus ea spe auxilii frustratus, sive quod per id temporis E suam Neapoli præsentiam parum sibi auctoritatis afferre intelligeret, sive quod Hispani eum belli, quod nuper exortum fuerat, cura premeret, seu quod Genuæ à Philippo Mediolanensium Duce classem adversum sese parari audierat, Petro fratre, quem Infantem appellabant (quæ est dignitas apud Hispanos post regiam prima) & cum eo Jacobo Caudola, Berardino Ubaldino Cardense & Urso ex Ursina gente primariis suæ militiæ ducibus, præsidio Neapoli relictis, paratam in portu classem conscendit: & Tirrhenum inde mare adnavigans, Massiliam Urbem vetustissimam ac portu celebrem venit. Hanc, cum Andegavensium pareret imperio, inopinantem adortus, expugnat, ac in prædam vertit. Nec tanto vulnere Civitati immeritæ illato contentus, ob odium, iramque, quibus in Ludovicum exarserat, incendit. Exinde sacris divi Ludovici ossibus, & aureis argenteisque plurimis vasis ablatis, in paterna regna delatus est. Inter hæc Braccius, qui, ut docuimus, magnis viribus Aquilam premebat, ubi obstinatis ad resistendum Aquilanorum animis, diuturniorem futuram ejus Urbis oppugnationem animadvertit, consumta jam æstate, Petrum Johannem Paulum, Johannem & Franciscum fratres Ursinos, ductores equitum haudquaquam postremos, & Manupelli Comites sibi asciscit, quorum præter militarem operam accessio magno usui Braccio fuit. Nam complura per eam Brutiorum oram oppida possidebant, quam regionem recenti vocabulo Aprutium dicunt. Hæc Pelignos, Marucinos, Marsos, Ferentanos, Furconenses, Larinates, Albenses, vetustissima populorum nomina, Samniique item maximam partem continet. Adventante hyeme, ædificatis adversùs Aquilam castellis, præsidioque imposito, per ea loca Braccius copias suas hyematum distribuit. Ipse cum delecto equitatu Theate Marucinorum Urbem, quam nunc Thetim nuncupant, Orthonâ per simulatam cum Regina amicitiam occupatâ, nullo adversari auso, in biberna profectus est. Tulit hos Braccii successus Regina modestissime, quæ parum in ea re cum Carazolo Braccii fautore sentiebat. Dolebat autem vehementer, urgeri ab eo Aquilam nomini suo deditissimam, quæ ut se in illius fide contineret, omnia extrema patiebatur: hominemque præterea dominandi cupidum majores animos intra regni fines sumturum metuebat, quod subactis Aquilanis illum ab invadendo regno nequaquam temperaturum existimabat. Verum hunc jamdudum alebat intestinus morbus. Infensus enim Sfortiæ Carazolus, quibuscumque poterat artibus discordiarum fomenta inter Sfortiam Bracciumque subministrabat. Qui ut irritatos eorum mutuis odiis animos vidit, Braccianas partes secutus, quamvis Reginæ adversas, occultis insidiis nutriebat.

His igitur de causis Regina vehementer commota, statuit non amplius cunctari, imminentique Aquilanorum periculo, & crescentis insolentiæ Braccii occurrere. Proinde Sfortiæ ad se accersito, & quid sit opus facto, & quid ab eo fieri velit, ostendit. Is etsi iniquo anni tempore adversùs rerum omnium munitissimum hostem ex hybernis sibi educendum erat, tamen alacri & invicto animo Reginæ imperata facit: revocatisque

(1) *MS. Simonet.* Supplicibus ipsis non modò ignovit, sed manendi etiam, si vellent, facultatem præbuit; quos cupidissime annuentes, pristinæ apud se gratiæ & dignitati restituit, eosque deinceps omni tempore fidelissimos habuit. Fuerunt hæc non multis post diebus Sfortiæ renuntiata, quibus Neapoli Alphonsum fuderat. Quæ quidem res patris recenti victoria exultantem animum majore gaudio replevit. Ferunt autem Sfortiam ea re de transfugis cognita, confestim per nuntium filio jussisse, ut illis omnibus &c.

que ad se quamprimum Francisco filio & Michaële ex Calabris, & Foschino ex Apulis, quo æstate superiore miserat, copias undique cogit. Necdum omnes convenerant, cum in ipsum Braccium ire contendit. Ex itinere Ischonium, quod nunc Vastum Amonis vocant, Caudelanorum oppidum aggressus, parvo negotio in potestatem accepit. Inde Montem Therisii; postea Orthonam progressus ejecto Bracciano præsidio, dedentibus sese oppidanis, in Reginæ ditionem redegit. Duæ potissimum res hoc tempore Sfortiam maturare adversùs hostem & hortabantur, & urgebant. Una erat & præcipua, ut Reginæ imperia ad comprimendam Braccii audaciam exsequeretur. Altera, ut quæ jam cum Philippo Mediolanensium Duce pepigerat, efficeret. Per idem enim tempus Philippus, cujus potentia adeo creverat, ut ejus nominis fama ac magnitudo toti propemodum Italiæ formidini esset, Franciscum, cui Cremagnolæ cognomen erat, supremum antea sui exercitus ducem, qui maximis rebus gestis magnam sibi auctoritatem magnamque gloriam comparaverat, ob easque res invidiæ obnoxius, multorum insidiis circumventus fuerat, à militia per speciem honoris Genuæ Urbi Præfectum revocarat. Dum igitur Philippus, quem potissimum Cremagnolæ subrogaret, quærit, in unum Sfortiam mentem converterat. Itaque annuente Regina, Martini etiam Pontificis operâ, Sfortia cum Philippo convenerat, ut liberatis obsidione Aquilanis, firmatisque Johannæ Ludovicique rebus, ineunte proxima æstate Florentinis bellum inferret. Braccius autem ut irruentem in se Sfortiam infesto exercitu didicit, copias suas omnes præter eas, quas præsidio castellis iis, quæ adversùs Aquilanos fabricaverat, reliquisse diximus, ex hybernis educit. Nec ausus apertis campis cum hoste contendere, deditissimos suæ factionis Populos in fide continere studebat; & modò huc modò illuc advolans, oppida seu munitione, seu dubiis incolentium animis infirma præsidio, orationeque firmabat. At Sfortia quocumque eum accessisse cognoverat, insequebatur. Per hunc modum pluribus oppidis pulsum, intra Theate tamdem munitiorem locum compulit. Et quoniam hyemis acerbitas Decembri mense sæviente castrametari prohibebat, confert sese Orthonam cum parte copiarum Sfortia, reliquis per propinqua municipia distributis. Sed jam Sfortiæ fatalis hora advenerat. Jam paratis omnium ad bellum animis, Franciscum filium, in quo omnis paterna fiducia reponebatur, & cum eo Michaëlem Attendulum cum exercitus parte trans flumen Aternum, quem nunc de proximi municipii nomine Piscariam dicunt, qua fauces mari immiscet, mittere instituit, ut inde celeriter Aquilam petentes hostem jam perterritum prævenirent. Ipse cum reliquo exercitu eos præsidio subsecuturus. Exploratam jam omnes victoriam habere videbantur, nisi tantæ rei gloriam Sfortiæ acerba inopinataque mors intercepisset. Apparuere autem tanti ducis iniqua futuræ sortis præsagia: quæ cum cæteros terruissent, solus ipse cui exitium portendebatur, adversùs ea ferebatur impavidus. Narravit enim, peracta diluculo Hostiæ Christianæ celebratione, circumstantibus multis, per somnium vidisse se in altissima aqua periclitari opem nequicquam implorantem. Hæc etsi audientes omnes, ut profectionem in dies proximos tardaret, & adhortabantur, & rogabant, commemorantes præterea quædam Astrologorum judicia, quæ monebant, uti die Lunæ *Sfortia* amnium transitum præcaveret, perstitit ille nihilosecius contra omnium sententias intrepidus, velut is, quem inevitabile ejus diei fatum maneret extremum. Jubet igitur Sfortia armatos militum ordines Aternum versùs, ut statuerat, procedere. Cumque pro consuetudine profectionis initio ante se sublata signa ferri imperasset, quadrati vexilli Signifer vix ipsam Urbis portam exierat, cum equi lapsu corruens Signum solo illisit. Ubi verò ad Aterni ostium perventum est, comperit hostes vadum ejus fluminis in adversa ripa sudibus præfixis, scaphâque subsubmersâ, interrupisse, castellumque desuper ædificasse. & præsidio imposito transitu suos prohibere. Hac difficultate nihilo segnior Sfortia ad trajiciendum amnem factus, anteriores progredi jubet, deducto ad dexteram in mare itinere qua minorem aquæ altitudinem putaret. Et quoniam crebris è regione telis impetebantur, cassides induunt, hastisque fœmori adactis quinque omnium primi insignibus vecti equis flumen ingrediuntur. Hos Franciscus & Michaël Attendulus subsequuntur. Sfortia octavus additur, & non multo labore in ulteriorem ripam trajiciunt. Quadringenti circiter equites eos secuti sunt. Interim refluens in adversum amnem maris unda vento impulsa exasperascere atque intumescere: qua re perculsi reliqui in ripa constiterunt. Imposuerat Braccius Piscariæ municipio, quod sublicio ponte utramque amnis ripam complectitur, præsidii causa equites ad quadringentos & peditatum non parvum. Hi, ubi nuntiatum est, ad ostium fluminis transitum à Sfortia tentari, nec posse ab iis, qui in Castello erant, prohiberi, instructa acie ad vadum feruntur.

In hos igitur Franciscus cum iis, qui transierant, obviam factus, acerrime confligit, eosque tamdem in fugam versos ad pontem usque præcipites agit. Complures ex iis capit. Hac pugna alacrior factus Sfortia, qui incredibilem prope de adolescentis filii virtute lætitiam capiebat, in fluminis fauces regressus, voce manuque stantes in adversa ripa ordines transire ac se subsequi jubet. At ubi eos cunctari segnesque stare videt, rursus ipse, ut acrius cogeret, transeundique timentium animis fiduciam præberet, amnem ingreditur, & qua profectus erat, infelicem maris undam repetit. Sed priusquam ad fluminis ripam perveniret, ad armigerum quemdam, quem Hippagium appellant, inter fluctus periclitantem flectit sublevaturus, ne mergeretur, & dum pereunti illi manum extendit, quo insidebat equus posterioribus desertus pedibus, labitur, moxque Sfortia ephippio excussus, ac thoracis reliquorumque armorum pondere pressus, exæstuantibus undis obruitur. Equus sessore vacuus ad litus enatavit. Ipse vero Sfortia bis junctas ferreis manicis graves manus sustulit, perinde ac auxilium implorans. Cumque nemo se maris fluctibus hostilibusque telis objicere auderet, fluctuum magnitudine obru-

obrutus, anno ætatis quarto & quinquagesimo à Natali Christiano MCCCCXXIV. III. Non. Januarias vitâ deseritur, qui diu postea ac multum conquisitus nusquam repertus est. Viderat ejusmodi repentinum miserandumque ducis casum unus ex iis, qui flumen transierant. Hic protinus ad Franciscum advolat, eumque paululum ex acie retractum mœstus tremensque paternum casum edocet. Quo nuntio Franciscus gravissime affectus dolorem immensum per summam constantiam supprimit, seque à lachrimis singultibusque continet. Sed quod maxime expediebat, suos à pugna rejectis hostibus revocat. Et per speciem ferendi auxilii reliquis flumen transeuntibus celeriter ad vadum reducit. Cumque ceteri iisdem fere vestigiis, quibus flumen superarant, redeuntes ingruentibus undis sese committerent jamque nonnulli absorberentur, ipse dimisso equo, qui eum traduceret, inventum forte ibi lintrem conscendit, & inter sagittarum, & omnis generis missilium jactus brevissimo conto impellens in ripa expositus se recepit ad suos; quos cum omnes acerbissimo ob amissum ducem dolore confectos tumultuantesque invenisset, gravi oratione consolari cœpit; utque bono essent animo hortari. Dein rogare, ut quemadmodum hactenus sub patre Sfortia magna cum laude omni tempore meruissent, iisdem animis eademque fide secum perseverarent. Nam si ea bene sentientium inter sese animorum fama ad Romanum Pontificem, & ad Johannam Reginam, si ad hostes denique ipsos perferatur, nihilo certe quam antea inferiore loco & Sfortianum nomen, & res eorum omnes futuras. Præterea stipendia commeatusque, ac Urbium & Populorum gratiam facile sibi comparaturos. Quod si secus senserint, & diversas in partes distrahi cœperint, tum demum & hostibus & amicis æque ludibrio fore. Hac oratione habita, mirum in modum conversæ sunt in eum omnium mentes, ita ut ingenti favore dignissimus sit habitus, qui paterno exercitui præesset, qui nondum tertium & vigesimum ætatis annum excessisset; Urbium item Populorumque omnium, qui Sfortiæ paruerant imperio, administrationi succederet, eumque dein suum imperatorem consalutarunt, & ut de se omnia sibi promitteret, uno consensu eodemque ore alacriter affirmarunt. Post hæc communicato cum primoribus consilio eodem die Orthonam, unde discesserant, cum universis copiis revertit. Braccius interim, cum intellexisset hostem ad Aterni fauces exercitum duxisse, ejusque partem jam flumen transisse, nec reliquam transitu prohiberi posse (jusserat enim per nuntios singulas horas, ut res gererentur, edoceri, qui rem per se magnam, verbis etiam multo majorem fecerant) suis rebus diffidens, præmissis impedimentis, Theate omnibus egreditur copiis eo consilio, ut soluta Aquilana obsidione, relictaque omnino Brutiorum ora in Picentes, Umbrosque suæ ditionis populos remigraret. Et jam fore tria passuum millia procul Theate processerat, cum missis ad se crebris ex Piscaria nuntiis de Sfortiæ interitu cognoscit. Fertur primo & item secundo rem tanti momenti renuntianti minime credidisse. Supervenienti demum ter-

A tio fidem adhibuisse. Itaque revocato itinere Theate regreditur. Fama est, Braccium nulla de hostium ducis morte lætitiæ signa ostendisse, sed mortuum summis laudibus extulisse, seu quod humanarum rerum exemplo admonitus tanti viri casu terreretur, seu quod, ut plerique affirmant, prope exploratum vaticinio haberet, brevi se post novissimum Sfortiæ diem supervicturum. At Franciscus reductis, ut ostendimus, Orthonam copiis, cum Beneventum quamprimum petere statuisset, quo & paternæ ditionis oppida, priusquam ullo agitarentur tumultu, confirmaret, & Reginam deinde viseret & salutaret, illiusque gratiam sibi ma-

B gis conciliaret, Sanctiparentem Cotignolanum ex præfectis equitum, & Nicolaum Antonium Zurlum Sancti Angeli Comitem cum equestribus turmis Orthonæ præsidio relinquit. Rogatus item à Comite Montis Terisii, imminentis Braccii vim metuente, Flascum, Girasium, & Gerardum Cotignolanum cum quadringentis circiter equitibus tutelæ gratiâ eidem destinat. Ipse cum reliquis copiis ex Orthona de prima noctis insequentis vigilia movens, non prius restitit, quam Apenninum transgressus, Beneventum pervenit. Tenebatur autem Bracciano præsidio Anxanum, Samnitium oppidum. Id nunc Lanzanum, regionis emporium est. Huc ob

C nocturnas tenebras cum equites non exiguo numero cum impedimentorum, parte ab itinere errantes divertissent, nullo negotio omnes intercepti, prædæ hostibus fuere.

Exinde postea quam omnia Franciscus in fide perstare cognovit, Idibus Januariis assumtis nonnullis de exercitu primoribus Aversam ad Reginam proficiscitur. Ab ea benigne exceptus, non potuit simul ob Sfortiæ patris desiderium se à multis lachrimis & questibus moderari. Commovebatur ingenti dolore mirum in modum Reginæ animus, quod eum amisisset virum, quem unum omnium sibi fidissimum, & suæ salutis & totius regni acerrimum propugnatorem defen-

D foremque habuisset. Commovebatur præterea cum Franciscum in magno victoriarum cursu tanto parente ac reliquos fratres, quos ipse jam parentis loco complexus fuerat, orbatos intueretur. Itaque Franciscum in magnam spem erectum, uti bono esset animo, hortata, sicuti paterna signa ac copias ita & Urbes Oppidaque omnia, quibus jamdudum Sfortiam donaverat, ut in majorem natu, qui nondum quartum & vigesimum ætatis attigerat annum, transfert pleno jure. Dein Regina studio non mediocri in filios nepotesque renovandi & propagandi Sfortiani nominis incensa, jubet Franciscum, fratresque omnes, adjecto proprio nomini

E Sfortiæ cognomine per omnem posteritatem perpetuò appellari, & inscribi. Quod ex eo tempore observatum est, cum Franciscus Sfortia, & ceteri eodem modo fratres & appellati sint & inscripti. Idemque in hunc usque diem cognomen à fratribus ipsis & filiis retineri videmus. Quibus peractis rebus Regina, quæ jam Taraconenses, qui se Neapoli continebant, ubi per tempus liceret, bello acrius premere decreverat, quid ab eo fieri velit, ostendit. At Francisco Beneventum redeunti forte Ursinus à Braccio Neapolim cum equestri præsidio missus fit

ex

ex insperato obvius. Committitur mox utrimque pugna. Sed cum esset longe Franciscus numero inferior, tutiora consilia secutus non insequente Ursino, quod insidias vereretur, Acerras proximum oppidum incolumis se recepit; perbenigne quidem & ab Agapeto Patricio Romano, quem ei oppido Johannes Antonius Bautius Tarentinorum Princeps præfecerat, & ab Acerranis exceptus: qui postridie, ut statuerat, continuato itinere Beneventum se contulit. Quod molestissime ferens Tarentinus Taraconensium partium fautor, quippe qui, ut creditur, vel non recipi, vel retineri ab Agapeto Franciscum Sfortiam maluisset, illum statim ab eo magistratu abdicavit, Acerrisque abire jussit. At Franciscus Beneventum reversus, suos exinde non tam milites quam Populos revisit. Postea verò acceptis partim à Regina pecuniis, partim ab amicis subditisque in supplementum comparatis & in milites distributis, exercitum summo studio equis armisque exornandum curat. Dum hæc geruntur, Zurlus quem cum Sanctiparente præsidio Orthonæ relictum diximus, de prodenda Urbe, Sfortianisque militibus diripiendis cum Braccio clam convenerat. Qua quidem re ad Sanctiparentem primum, deinde ad Franciscum Ricardum in Civitate principem cæterosque cives delata, gravi ira omnes metuque periculi permoti, captis illico armis in Zurli hospitium furentes provolant, ipsumque obtruncant. Dein suppellectilem & equitatum ejus omnem eodem ipso furore in prædam vertunt. Quo facto, non multo post Sanctiparentes cum suis in Apulos profectus Francisco Sfortiæ se adjunxit. Ineunte vere Franciscus coactis undique copiis Neapolitanos, ut Regina constituerat, invadit, castrisque mœnibus admotis, Urbem obsidione premere cœpit. (2) Sed aucto exercitu cum Francisci ætas non capere tantum imperium videretur, placuit Reginæ, ut Michaël Attendulus ætate maturior & rei militaris scientissimus ei socius adderetur, cujus consilio & auctoritate res agerentur. Hæc ad obsidendam à continente Neapolim provisa. A mari autem classis non multo post affuit omnibus rebus instructa. Fuerat siquidem triennio ante Philippus Maria Mediolanensium Dux Genua urbe amplissima cum armis tum civilibus discordiis, quibus ea Civitas sæpe agitari consuevit, potitus. Ad hunc terra marique potentem Johanna abdicato Alphonso, miserat rogatum auxilium, Martino etiam Pontifice & Ludovico Andegavensi deprecatoribus. Philippus ubi Alphonsum, quem inter Italicos Principes peregrinum modestius vivere æquum fuerat, elatum insolentemque vidit (quasi Italiæ domitor haberi ac prædicari vellet) se Reginæ postulatis facilem præbuit. Accedebat ad hæc quod pleraque inter sese conventa Rex minus religiose servasse putabatur: & Genuenses quoque natura Gottholano nomini (3) infensi ab eo petierant, ut Ludovici mitissimo ingenio principis amicitiam Taraconensi superbiæ anteponeret: quodque Ludovicus ipse & auxilium pro facultate se subministraturum pollicebatur. Accedebat etiam quod pulcherrimum existimabat, si cujus modo Alphonsus domitor haberi cupiebat, ipse censor Italiæ haberetur. Quibus rebus permotus classem parari jussit. Præerat tunc Genuæ Cremagnola, qui & militaris disciplinæ peritissimus & quid tanto apparatui usui esset, probe callens, omnia quam diligentissime subministrabat: eoque majore studio, quod jam à Philippo Dux classis ejus designatus erat. Itaque ingentis magnitudinis naves duodecim & triremes duas supra viginti coëgit: ex quibus Ludovicus quatuor paraverat, quas præter equites externosque pedites è Mediolano missos egregie navalibus sociis & Genuensi milite munivit. Jamque omnes in portum convenerant, nec aliud præter adversos ventos remorari classem putabatur. Cum repente Guido Taurellus eo à Philippo missus, posthabito Cremagnola, classi præficitur, veluti nihil tanto studio Philippus curaret, quam ut inter duos egregios belli duces implacabile odium subministratis æmulationum irarumque caussis acueret (4). Nam paulo ante à Genuensi bello, abdicato Guidone, Cremagnolam prætulerat. Itaque Guido classe per asperam hyemem è Genuensi portu soluta, Cajetanum sinum cum longis navibus primum, paulo deinde post cum onerariis secundo vento portum subiit. At Cajetani qui intra Urbem regium præsidium receperant, tantæ classis repentino adventu territi, ad Taurellum legationem mittunt, pactique ut Hispano præsidio incolumi abire liceret, Urbem dedidere. Quorum exemplum omnes ferme maritimæ Urbes Populique secuti Gottholanos ejecerunt, Reginæ, Philippique imperia facturi.

Supererat una Neapolis, quæ cum terrestri exercitu obsideretur. Taurellus in portum delatus, classem haud longius teli jactu à litore in ancoris stare jussit: & ita multo arctius mari quàm terra ea Urbs obsideri cœpta est. Quo tempore Franciscus Sfortia Guidoni, & illius opera Philippo postea magna ac prope singulari benevolentia junctus est. Quod quidem tantarum rerum, quas insequentibus annis Franciscus ipse per Italiam fortissimè gessit, initium fuisse constat. Circumsessa per hunc modum terra marique Neapolis, rei frumentariæ primum, dein omnium ferè rerum inopia durius haberi cœpit. Tuebantur intus obsessos cives magno militum præsidio, ut supra ostendimus, Petrus Infans regius frater, & cum eo Jacobus Caudola, Berardinus Cardensis, & Ursus Ursinus, ductores equitum insignes. Itaque cùm oppugnare Urbem obsidentibus ipsis non videretur, nec classis finito stipendii tempore manere loco amplius vellet, & inclusi diutius obsidionem perferre non possent, colloquia sunt cum Neapolitanis haberi cœpta

(2) *MS. Simonet.* Et quoniam Johanna, quammaximis poterat, accersitis abunde copiis, exercitum auxerat, nec omnes unius Francisci dicto audientes erant, quippe cui juvenilis ætas minus, quàm oporteret, auctoritatis tribueret, ut summa imperii ad eum deferretur, placuit Reginæ &c.

(3) *MS. Sim.* Propter pravam ac execrabilem illius gentis vivendi consuetudinem infensi &c.

(4) Nam paulo antea Genuensi bello abdicato Guidone, Franciscum Cremagnolam prætulerat. Mox postea Taurellum, contemto Cremagnola, cariorem habere visus est. Itaque Guido &c.

ta. Moxque factis paucorum dierum induciis, missi sunt ad Jacobum, qui eum edocerent, nullas in Italia classes, nullos exercitus, in quorum subsidiis spem ullam ponere posset: eum aliquandiu deditionem differre, effugere autem nequaquam posse. Quanto satius esse prudenti necessitatem in gratiam vertere? posse, si sapiat, & Reginam & Philippum non mediocri beneficio sibi conciliare. Neapolitanis civibus praeterea deditionem non ingratam fore. Ad haec Jacobus, qui propter innatam avaritiam semper venalis fuit, ita respondet: magna sibi militiae stipendia deberi. Si Urbe excedat, neminem aes depromturum; quamdiu Urbem obtineat, esse sibi idoneum ac certum consequendae pecuniae pignus. Iis colloquiis tentatis saepe utrinque animis factum est tandem, ut si pecunias Jacobo Philippus pendeat, Urbs dedatur. Re Mediolanum perlata, conquisitum continuo aurum Genuam mittitur, idque navi celeriter delatum Jacobo numeratur. Interim Berardinus ubi praeter caetera incommoda, quae obsidio afferre solet, Caudolam, se insciente, cum hostibus clanculum conspirare videt, impetrata à Francisco fide publica abeundi, Urbe egressus omni suo equitatu ad Braccium, cui jure militiae obstringebatur, se recepit. Caudola etsi consumpto induciarum tempore, factis ferè quotidie eruptionibus, manus praecipuè cum Sfortiano milite conserebat, tamen accepta pecunia foedereque cum hostibus icto, tuendae Urbis curam intermittit. Ex quo factum est, ut Sfortiani Caudolanis militibus intermixti partim portis, partim muris Urbem indefensam invaderent, excursionibusque dein vicatim factis, Petrus Infans, & qui superfuerant, regii milites in Arcem novam confugerent. Franciscus & Michaël Urbe plane potiti, eam Reginae potestati tradidere. Quorum tanta fuit modestia, ut in tanto rerum motu ac tumultu nulla vis neque publicè neque privatim Neapolitanorum cuiquam illata sit. Recepta per hunc modum Neapoli, omnia Taraconensium praesidia, arcibus solum quibusdam in eorum fide persistentibus, Regno demigrarunt. Qua quidem re pacatis ubique populis, omnes nulla usi exceptione, Reginae imperia faciebant. Quibus gestis rebus jam per Italiam Francisci nomen praedicari, celebriusque in dies fieri, & gravissimo insuper Taurelli apud Philippum testimonio magis atque magis augeri coeptum est. Ea impulsus fama Philippus, qui praestantibus virtute viris suum exercitum muniri plurimum delectabatur, Juvenem cum Sfortianorum militum robore, stipendio, non multos tamen in menses, magna omnium exspectatione conducit. Perseverabat interea obstinato animo in Aquilae obsidione summo conatu Braccius, post Sfortiae obitum confidentior factus, contractisque undique viribus, ad Urbem castra admoverat, omnique ferè commeatu interclusam multis machinis quatiebat. Quod cùm Martinus Pontifex, & Johanna Regina molestissimè ferrent, & Philippus minui, non augeri Braccii vires cuperet cum Florentinis sentientis, cum quibus ipse bello contendebat, haud cunctandum quin laborantibus extremo periculo Aquilanis subsidium ferant, rati, jubent omni ex parte exercitum cogi: & adversus hostem ad liberandam obsidione perituram Urbem summa celeritate duci. Conveniunt unum in locum non multis post diebus Jacobus Caudola, Franciscus Sfortia, cum Michaële Attendulo, & duo Ludovici Sanctoseverinas & Columna, multique praeterea alii, qui sub Pontifice & Regina merebant. Imperandi autem propter aetatem omnis Caudolae datur potestas. Cum his etiam mittitur à Pontifice Franciscus Piccolpassus Bononiensis, qui postea Mediolani Archiepiscopatum gessit, cum Pontificiis signis Legatus. In hujus belli eventum variis votis tota animum erexerat Italia. Ex his enim duobus exercitibus, Romana ne Ecclesia serviret, an imperaret, & Neapolitani regni salus omnis & rerum insuper Mediolanensium, Etruscarumque, & totius denique Italiae status pendere videbatur. Itaque Kalendis Juniis Aquilanorum fines ingressi haud longius ab Urbe quatuor passuum millibus castra ponunt, ab hostilibus verò castris non amplius duobus. Mons quidam haud magnae altitudinis sed transitu perdifficilis inter utraque castra intercedebat. Ardebant propinquiores facti paribus animis in proelium parique fiducia utrique exercitus: jamque Bracciani insolentius jactabundi victoriam in manu habere se existimabant, nihilque magis veritum Braccium ferunt, quam ne parvo detrimento hostes profligatos cerneret. Is enim ut erat bellandi proeliandique callentissimus, de hostium adventu certior factus, montis ejus summum, quod hostibus impendebat, duobus munierat castellis, & in iis magnas pedestres copias collocarat. Ad radices autem montis, quà hostibus in campestrem planiciem descensus erat, omnia aquis, ex proximo Aquila fluvio deductis, in stagni similitudinem compleverat. Inde ipsius castra incipiebant equitibus supra quatuor millia robustis quidem & exercitatis permunita: quos in quatuor & viginti ordines instruxerat. Inter reliquos autem praefectos, ductoresque hi principes erant: Nicolaus Picininus, Petrus Johannes Paulus, Comes Populi, Castellanus Roseus, Malatesta Balio Perusinus, Antonellus Senensis, Johannes Antonius Aquaspartanus, Nicolaus Pisanus, Paulus Piscius, Teverutius, Johannes Picininus Burgensis, Catamellata, Comes Brandolinus, Boldrinus Papiensis, Lucas & Trovarellus Aretini, Matthaeus & Raynaldus ex Gallia Narbonensi, Jannucius Focus, Agamemnon Perusinus, Philippus Dalmata, & Petrus Testa, viri sane fortes, & magnum belli usum habentes. Jusserat praeterea Braccius eundem Nicolaum Perusinum, cui propter corporis brevitatem Picinino cognomen fuit, virum certè bellicosum & impigrum cum equitibus quadringentis, & valido peditatu è regione Urbis in eo colle considere, qui dicitur Sanctae Mariae ad Collem Maji, ne quis impetus ab Urbe erumpens pugnantes suos à tergo adoriretur. Inter caetera autem quae Braccio eo tempore curae erant, illud maxime providendum putavit, ne frumentum aut ullus commeatus in Urbem per insidias importaretur, cùm de Aquilano populo parum sibi negotii fore existimaret.

At contra Ecclesiastici exercitus duces, posteaquam hostem perstare loco vident, quem

quem putarant eorum adventu non congredi ausurum, sed deserta Aquilana obsidione, procul cum exercitu abiturum, maximam habendam esse censent committendi praelii rationem. Itaque convocato concilio, in diem posterum, quæ more Christiano feria sexta erat, pugnam denunciant, equestresque ordines, quemadmodum dimicaturi essent, constituunt. Ceterum una maxime difficultas eos perturbabat, quod ex montis cacumine descensuro in planiciem agmini iter esset peranguftum, quo vix bini equites ire simul possent, prodirentque ob id in manifestam perniciem ordines primi, si in eos impetum hostis fecisset. Contendentibus igitur inter sese de ineundo prælio ducibus, Ludovico Columnæ, duos equestres agenti ordines, praeire cæteros forte contigit. Secundum locum Franciscus cum ordinibus quinque ultro sibi delegit, quem Michaël cum duobus subsequeretur. Dein communi omnium consilio decretum est, ut hos pone Jacobus Caudola sex suos duceret. Post eum Fredericus Matelicensis & Paulus Catena cum tribus sequerentur. Tartaliani præterea cum ordinibus duobus, quorum Tartalia dux superiore biennio proditionis insimulatus, Aversæ à Sfortia obtruncatus fuerat. Novissimus omnium Ludovicus Sanctoseverinas cum duobus equitum ordinibus & peditibus trecentis subsecututus esset. Aderant pedites reliqui supra mille & trecentos. Hi galeas clypeosque ferentes, equestres ordines anteire jussi. Constabant equestres singuli ordines equitum numero supra ducentos, egregie equis armisque ornatos. Quæ cum intellexisset Braccius, posteaquam suos ad futuram pugnam instruxit, illorum animos oratione confirmat: scire se hostes numero superiores esse, sed virtute longè inferiores, collectitium & invalidum exercitum & male inter sese consentientem, cum quo eis congrediendum esset. Proinde omnes, ut bono essent animo, hortari, certamque victoriam polliceri. Et ob id tabulas ad patentes sui tabernaculi columnas affigi jubet, in quibus erant descripta omnium sui exercitus militum nomina, ut numerus omnibus innotesceret. Quin quo magis hostes contemnere videretur, mittit in ipsorum castra cum literis tubicinem, quibus duces omnes & hortabatur & provocabat in prœlium, addebatque per se eis licere, sinè ulla prorsus vel molestia vel impedimento & montem ascendere, & ex eo in æquum campum descendere. Idque jurejurando inviolatum fore affirmabat. Quibus auditis cum à cunctis silentium servaretur, Franciscus Sfortia ad Piccolpassum Legatum conversus: *Si jusseris, pater*, inquit, *posteaquam nemo respondere audet, ipse ut juvenis respondebo*. *Responde igitur*, ait ille, subridens. Tum Franciscus conversis ad tubicinem oculis. *Dic*, inquit, *Braccio*: *nos pro voluntate nostra in eum* vel invitum, & in suam quidem *rem malam venturos*. Itaque postridie ejus diei, ut erat ante constitutum, ubi illuxit, duces instructa acie collocatisque inter postremum agmen impedimentis, montem subeunt, nullo in eos ab hoste impetu facto. Quo ex sententia occupato, liber inde prospectus in hostilia castra dabatur. Illic Braccianum exercitum in acie stantem conspicere omnibus licebat. Cœpere ad montis radices omnes

A quidem pedibus descendere. Nam propter callis angustias rupesque præruptas equo descendere coacti sunt ob eamque rem eos, qui primi descendissent, fama est, turbatos non mediocriter trepidasse. At Braccius sive quod jurejurando per litteras, ut docuimus, se obstrinxerat, liberam hostibus in planiciem descendendi potestatem fore, sive quod tanta animi vis & spes certa vincendi in eo esset, suos intra aciem tamdiu continuit, donec hostes in apertum campum omnes descendisse vidit. Nam cum in eos, qui primi descendissent impetum facere à suis admonetur, jactabundus respondisse fertur: se propterea liberum illis descensum præbuisse,

B quo nemo ex pugna evaderet, cum tot ex hostibus equos penes se quasi ad præsepium deligatos habere videretur, quot in planiciem pervenissent. Jam plerique ordines planiciem tenebant, & reliqui per declivum subsequebantur, cum multos ex his Franciscus timore territos vidit. Hos certa vincendi ratione adhortatur, ut forti animo sint, victoriæque præmia commemorat. Item contra si terga hostibus verterint, omnia victis impedita, nullum fore uspiam tutum locum commemorat. Proin se ducem & militem sequerentur, suo exemplo rem strenue gererent, & quanta semper Sfortianis in prælio fuerit animi virtus, meminerint. Horum ubi

C confirmatos in pugnam animos vidit, instructa confertaque acie in hostem pergit. Idem faciunt reliqui. Jusserant enim Ecclesiastici duces, quo expeditius cum hoste manus consererent, ut omnes cum primum venissent in æquum campum exudo palustrique solo jam facto, ita ut equos ægre sustineret, in aridum, unde sibi parum ab hoste timerent, celeriter progrederentur. Quod à Bracciano milite videtur illis fuisse sinè controversia permissum.

Primus igitur omnium Ludovicus Columna, ut erat ante constitutum, cursu alacri hostem invadit. Huic contra Ursinus fit obvius, quem mox subsequitur Petrus Johannes Paulus, qui ad resistendum paratus aderat, hostemque repellit. Hunc Sfortiana cohors ma-

D gno excepit impetu. Itaque collatis signis ad secundum ab Urbe Aquila lapidem maximis utrinque viribus ac exæstuantibus animorum ardoribus pugna conseri cœpta est, & non minus ipsi duces quam milites sese inter pugnantes inferunt. Inter fortissime dimicantes Leo Sfortia Francisci germanus frater, adolescens, pugnandi avidus prolapsus hastâ humi prosternitur. Is dum rursum equum conscendere innititur, ab hostili turma circumventus capitur, moxque in proximum municipium custodiendus perducitur. At Franciscus id conspicatus majore in hostes ira

E incenditur, manuque ex suorum robore celeriter facta, qui ob recens Sfortiæ funus omnes uno ordine nigrantibus cristis lugubribusque equorum faleris ornati prodierant, rursus dimicantem è conspectu hostem impetit, acerrimeque pugnam lacessit. Aderant inter primos ejus lateri commilitones Catabriga, Flascus, Mannus Barrilis Neapolitanus, Pellinus, Gerardus, Sanctiparentes, quem supra nominavimus, & Betutius Cortesius Cotignolani, Angelus Asculanus, Cæsar Martinengus, & Raynaldus Bulgarellus. Hi nunc hostes enixe repellunt, premuntque.

Nunc

Nunc & ipsi item repelluntur, & premuntur. Nam contra à Braccio duce immissi Comes Populi, Malatesta, Antonellus Senensis, Castellanus, & Aquaspartanus, magno equitum numero stipati pertinacissimis animis eorum impetum fortiter & sustinebant & reprimebant. Ab iis Martinengus in terram dejectus intercipitur. Subeunt alii ex Sfortiana juventute: Michaële Attendulo duce, pugnamque acrius conserunt, qui dum hostes enixius primo impetu agunt, Senensis multitudine circumseptus comprahenditur. Lex erat utrimque forte dimicantibus data, eaque vincendi studio servabatur, ut quisque perturbare conficereque hostem, non autem capere conaretur, nondum inclinata adversariorum acie, ne in quærenda servandaque præda & pugnandi tempus amitteretur, & acies milite nudaretur. At Braccius, ubi videt suos urgeri, magnam equitatus partem, quæ nondum se prælio immiscuerat, una immittit in hostes, ut suis defatigatis & vulneribus pæne confectis subsidio fit, præliumque instauret. Horum ductores erant Nicolaus Pisanus, Paulus Piscius, Boldrinus, Lucas Aretinus cum Trovarello, Johannes Burgensis, Teverutius, Philippus Dalmata, Petrus Testa, & duo ex provincia Narbonensi, quos diximus, qui suis cum ordinibus magnis viribus in pugnantes Sfortianos feruntur, eosque paulum loco submovent. Sed illis postea fortissime resistentibus pugna atrox conseritur. Quare fessis longo densissimoque certamine, numeroque pressis Sfortianis, Jacobus Caudola cum omni suo equitatu opem ferens, in Braccianos magno irruit impetu. Augetur hinc atque inde pugnantium numerus, exasperatus, crudescitque mutuis vulneribus pugna. Jamque Bracciani vi coacti, paulatim cedere videbantur. Cum Braccius, qui omnia ingenti animo & circumspiciebat, & providebat, pugnantes suos adhortatus, ut paulum vim hostium sustinerent, donec socii eis auxilio adessent, continuo Brandolinum, Catamellatam, Jannucium, & Agamemnonem cum ordinibus octo apprime ad conserendum prælium instructis, ac magnum insuper peditum numerum, prælium subire imperat, quos velut præcipuam arcem & præsidium ad hunc usum servaverat. Cum his ultimo conatu experiri omnino pugnæ fortunam constituit, existimans illorum virtute ac numero hostes loco pelli & in fugam tamdem compelli posse. Certatur igitur universis copiis summo cum vitæ periculo. Utrimque vulnera, utrimque cædes inferuntur, nec uno sed pluribus locis uno tempore prælia committuntur. Hac fugiunt, illac premunt, clamoribus sonituque tubarum omnia resonant: omnia fremunt, perstrepuntque. Inter spem & metum omnia tumultuantur. Iidem eodem fere momento nunc victores nunc victi videntur. Nam cum omnes undique coiissent ordines, tum demum intermixti inter sese equites peditesque vulnera cædesque innumerabiles edebant. Fit magna præcipue equorum strages. Planicies tota cruore cadaveribusque fœdabatur. Aquaspartanus inter alios hasta transfixus cadit. Tum Braccius majore suorum parte rursus coacta magnoque adnixus conatu in Ecclesiastica, Caudolanaque signa impetum facit: ac inter primos Philippus Dalmata & signa & Imperatorem audacissime impetit, atque prosternit. Quibus sic humi prostratis, ac summo ubique inter hostes lætitiæ clamore sublato, victores jam sese Bracciani arbitrabantur. Quod conspicatus Nicolaus Picininus è montis supercilio, ubi adversùs Aquilanum Populum, uti demonstratum est, à Braccio stare jussus erat, prædæ, ut fertur, cupiditate allectus ad diripienda hostium impedimenta, quæ paulatim è monte in planum descendebant, relicta in monte peditatus parte, cum reliquis convolat. Quod ubi Aquilani animadvertunt, haud sibi amplius eventu pugnæ exspectandum rati, facto repente agmine, universi erumpunt. Quos in monte Picininus præsidio reliquerat, parvo labore loco deturbant, & in Braccianas cohortes delati, magnos & insperatos excitant tumultus. Interim Franciscus & Michaël, cognito in quanto communis omnium salus discrimine versaretur, cum jam Ecclesiastica acies inclinari pellique cœpisset, ad suos conversi, quod in tanto tumultu vox exaudiri non poterat, manu enseque significantes suos contrahunt, globoque ex iis facto, pugnam instaurant acerrimam. Franciscum casside nigrantibus cristis, triplicique insurgenti ordine conspicuum omnes pro regio signo aspicientes, quocumque sese inferebat, ardentissimis animis ducem sequebantur. Is enim quam in partem se immiscebat, ibi confertissima acie res gerebatur. Ibi veræ virtutis argumenta laudesque bellicas pulcherrime spectare licebat. Quare Brandolinus, qui inter Braccianos sine controversia nulli erat virtute secundus, cum is quocumque isset, sibi fieret obvius, admiratus viri virtutem: *Et quis*, inquit, *hic est nigranti insignique ornatus crista, qui tam infestus ante omnes cruento mucrone dimicat, quique nulla hodie parte oculis meis eripitur*? Cui responsum cum esset, Franciscum Sfortiam eum esse: *Nimirum*, ait, *hic Sfortiæ filium se ostendit*.

Quum varia fortuna jam horis amplius octo collatis signis pugnatum esset, eo res deducta est, ut stantibus è conspectu duobus infestis exercitibus, ita ut mutuo se omnes uno prospectu conspicerent, eo spatio quod ad lapidis jactum inter utrasque acies intercedebat, non magno militum numero dimicaretur, & nunc hi cursum in hostes inirent, nunc ad suos repulsi recursum redintegrarent, & nunc illi idem facerent. Tamdem seu ducum militumque prudentia & virtute, seu divino consilio effectum est, ut uno tempore unoque momento universa Ecclesiastica manus ingenti undique sublato clamore, confertissima acie moveretur, ac ferretur in hostem. Nec posthac quisquam, ut prius fieri solebat, hostibus terga verteret. Hunc tantum Bracciani impetum ægre sustinere cœperunt. Tum Pellinus Cotignolanus ingenti animo vir & manu promtus medios per hostes iter ferro aperiens, ad Bracciana penetrat signa, eaque mox audacissime humi prostrata devolvit. Hunc Ludovicus Sanctoseverinas, Paulus Catena, & Fredericus Mathelicensis, qui suos adhuc integris viribus acie continuerant, secuti hostes acriter perturbant, eosque ingruentibus undique aliis repellunt, sternuntque passim magna cæde. Inclinata igitur re Bracciani territi, animo deficiunt, & loco cedere incipiunt. Tum de-

demum Braccius se erraſſe animadvertit, quod minus æquo judicio hoſtium virtutem dimenſus eſſet, à contemto hoſte inſperatam ſibi cladem inferri clara voce obteſtatus. Quare deſperata ſuorum ſalute omnem ſpem in fugæ auxilium ponit: ac in proxima ſuæ ditionis oppida properare contendit. Viderat eum in fugam equum intendentem Franciſcus: qui, ex quo pugnari cœptum eſt, vigilantiſſimis eumdem oculis aſſidue obſervabat. Ea igitur re perſpecta, ſuis, qui proximi eſſent, ut ſe ſequantur, jubet, factoque agmine obvios quoſque jam perterritos proterit, vulnerat, equos viroſque proſternit. Vi viam aperit & vertentem jam terga Braccium, qui ne agnoſceretur, galeam abjecerat, celer inſequitur. Erat enim Braccii galea ſerico tecta purpureo, & argenteo torque inſignis, quem eminentiores argenteæ pilæ ornabant. Cum ita Franciſcus per innumerabilia occurrentium vulnera Braccium inſequeretur, effectum eſt, ut ille fugiens, ab expedito & audaciſſimo Sfortiano equite, cui Fulginato erat cognomen, ſæpiuſque ut ſeſe dederet, Franciſcique fidei permitteret admonitus, nihilque reſpondens, in occiput lethali vulnere percuteretur: & ita repente vir bellicoſiſſimus eo vulnere accepto præceps in terram corruit. At Braccianus exercitus qui jam inclinari & in fugam verti cœperat, audito ducis caſu, tum demum quaqua verſum funditur, profligaturque, & quam in partem ſors ſe obtulerat, quiſque fugæ ſe mandat. Itaque cæſorum captivorumque magnus numerus fuit. Caſtra deinde diripiuntur. In prædam omnia vertuntur. Bracciana ſigna Flaſcus ad Franciſcum refert. Pauci Bracciani noctis beneficio, quæ inſtabat, per fugam in proxima municipia atque oppida evaſere. Quorum in numero fuere Nicolaus Piciuinus, Nicolaus Fortebraccius, Stellæ Braccii ſororis filius, unde Stellæ cognomen accepit, qui in Otriculum municipium ſeſe receperunt. Comes autem Populi in oppidum, quod Populum vocant ſuæ ditionis, & Petrus Johannes Paulus omnium poſtremus Sicilianum proximum municipium ægre confugerunt. Interim Leo Sfortia, qui ut ſupra dictum eſt, initio pugnæ captus fuerat, manumiſſus ad ſuos rediit. Ipſe Braccius ſemianimis clypeo in caſtra refertur, & quamquam eum amicis mitiſſimiſque verbis Franciſcus ad reſpondendum, omni adhibita medicorum ope adhortari non deſiſtebat, ille tamen nullum ſeu gravante vulnere, ſeu indignante animo verbum emiſit. Die poſtero ad veſperam exſpiravit. Miſerant paucis ante diebus in caſtra ad Braccium Florentini Nerium Capponem Gini filium cum ſex & ſexaginta aureorum nummorum millibus legatum, qui eum ſtipendii jure quo Florentino Populo obſtringebatur, ſubactis aut ſolutis obſidione Aquilanis in Flaminiam cum exercitu adverſus Philippum traduceret. Nam accepta ſuperiore anno Carolo Malateſta duce apud Zagonariam Flaminiæ vicum ingenti clade magno Philippi metu tenebantur, Bracciumque ob id illius viribus opponere ſtatuerant. At Braccius, qui ut ſupra oſtendimus, tantos ſibi ſpiritus ſumſerat, & tanta dominandi cupidine flagrabat, ut non modo Aquilanos in ditionem ſuam redigere poſſe putaret, ſed ad ipſam etiam occupandem Urbem Romam, Neapolitanumque deinde regnum invadendum, ſublato maxime è vivis Sfortia, animum mentemque vertiſſet, jamque minitabundus inſolentiſſime Martino Pontifici renunciari juſſerat, ſe illum eo redacturum, ut pro denario Miſſas centum celebrare cogeretur, ita Legato reſponderat, ſe niſi devicta ea, quam obſideret, Urbe Aquila, qua brevi ſe potiturum ſperabat, numquam loco diſceſſurum. Quare aurum Paganicæ municipii caſtris proximi, Braccii, Legatique juſſu ſervabatur. Quod ubi Jacobus & Franciſcus poſt pugnam cognoverunt, municipium milite circumſederi imperant. Huc per noctem Nicolaus Piciniuus cum eo, qui prœlio ſuperfuerat, equitatu ſe contulerat. Quo cum pacti ſunt, ut pecuniæ pars illius eſſet, pars victoribus daretur, ipſi verò Picinino cum ſuis incolumi abire liceret. Pecuniam inter ſeſe duces partiti ſunt. Struxerat interim Caudola Picinino inſidias, ut ex itinere neglecta fide data, & auro illum & bonis ceteris exueret. Quod cum perſenſiſſet Franciſcus, indignatus, nequaquam id ſe paſſurum dicit; proin armari ſui equitatus partem jubet, & Picinino tamdiu præſidio fore, donec tutum in locum perveniſſet. Hac tanta victoria parta, ejuſque per loca finitima velociter rumore perlato, non modò Aquilani obſidione & imminentiſſimo periculo, & Martinus Pontifex, item & Johanna Regina maximo metu liberati ſunt, ſed univerſa etiam Oppida atque Urbes, quas in Piceno agro in Umbris atque Etruſcis Braccius obtinuerat, rebellione concitata, in priſtinam Pontificis Eccleſiæque Romanæ fidem rediere. Hæc ubi primum pugna, quæ ſane acerrima & cruentiſſima fuit, & qualem noſtra memoria paucis locis videre contigit, Romæ nuntiata eſt, Martinus Pontifex tanta animi lætitia affectus eſt, ut incredibile dictu ſit; quumque etiam in argumentum publicæ lætitiæ per omnia Templa ubique æra perſonaſſent, tanta fuit exſultantis multitudinis vociferatio atque tumultus, ut vix plerumque ſonitus ille ingens audiretur. Exſatiata poſt hæc omnium lætitia, decreta eſt ab eo tridui per Urbem ſupplicatio, ut fauſtarum rerum fautori in primis Deo honores ac laudes haberentur: cui ipſe gratias ingentes agere non ceſſabat. Eo enim ipſo die, quo dimicandum erat, Euchariſtiæ ſacrificium celebranti ſibi, Deumque optimum maximum multis lachrymis oranti, ut ſe, Eccleſiamque ejus à Tyranni & hominis inſolentiſſimi manu liberaret, quod pientiſſime oraverat, ex ſententia evenit. Poſt hæc Braccii corpus Pontificis juſſu Romam delatum eſt: cumque poſtea in id multis exſecrationibus deſæviſſet, quod infeſtus Eccleſiæ inſectator & in ea pervicacia exſtinctus eſſet, profano ſolo conditum fertur. His rebus feliciſſime geſtis, Franciſcus Romam à Martino accerſitur, à quo paterno quodam affectu exceptus eſt, quippe qui inter loquendum dilectus ſuus, Eccleſiæque almæ filius ab eo ſæpius appellatus ſit. Cumque eum multis laudibus extuliſſet, plurimiſque benedictionibus proſecutus eſſet: *Vade tamdem*, inquit, *dilecte nobis fili, & de nobis in Chriſto Jeſu tibi omnia pollicere*. Interim ſoluto ad Aquilam Eccleſiaſtico exercitu, Michaël cum Sfor-

Sfortiana manu in agrum Romanum profectus, non procul Urbe consedit. Dein Franciscus à Pontifice adversùs Conradum Trincium mittitur, qui, cum Fulginatibus imperaret, Braccianarum partium factus, Ecclesiæ rebus semper infestus fuerat. Quo cum pervenisset, Fulginatium primum agros passim populatus, multa non tam municipia, quam oppida partim per voluntariam deditionem in potestatem redegit, partim per vim metumque cepit. Dein Urbi castra admovit. Quare Conradus omni spe auxilii destitutus ad has cum Francisco conditiones devenit, ut Pontifici, Ecclesiæque Romanæ deinceps pareret, & quas Pontifex leges daturus esset, acciperet. Quibus confectis rebus, Michaël cum equitatus parte ei à Francisco concessa à Martino conductus in Romanum agrum hyematum proficiscitur. Franciscus vero in oppidum Aquampendentem à patre Sfortia jamdiu possessum se contulit. Ibi per proxima oppida milite distributo hibernandum sibi statuit.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

DUm per otium in Aquapendente Franciscus agit, & stipendii tempus, quo Martino Pontifici, Philippoque Duci obstringebatur, effluit, & hyems prope consumitur, interim & à Philippo ipso & à Florentinis, qui inter sese non minus armis, quàm mutuis odiis de rei summa certabant, mittuntur ad eum legati, quo illum magnis conditionibus propositis quisque suæ partis facere conarentur. Sed Franciscus qui stipendii negotium in diem ducere statuerat, quo melius rebus suis consuleret, nulli se certo fœdere âscîscit, nemini tamen conducendi sui spem adimit. Omnes accommodata quadam oratione distinet. Florentini interea Braccianos milites, qui ex Aquilana clade superfuerant, bonis denudatos ferè omnibus vagantes, Oddone Braccii filio, & Nicolao Picinino ducibus, conducere, datâque affatim pecuniâ, equis armisque resarcire atque ornare non desistunt. Deinde coacto undique haud exiguo equitum ac peditum numero duces iidem ex Etruscis movent, in Flaminiam ut jussi erant, profecturi adversùs Guidonem Antonium Manfredum Faventinis imperantem, & Philippi tunc partes sequentem. Jamque superato Apennini jugo in Amonis Vallem pervenerant, cum per arctiora montis loca ab ingenti agrestium multitudine pressi profligantur. Oddo à multis circumventus interficitur. Nicolaus cum Francisco filio capitur, Faventiamque deducitur. Pater in vincula à Guidone conjicitur, filius Mediolanum ad Philippum perducitur. Non abest tamen suspicio, quin Nicolaus rei & gloriæ cupidus, ut solus Braccianorum omnium, qui post Braccii interitum veluti è naufragio convenerant, ductor evaderet, perfidia & fraude Oddonis cædi causam præbuerit. Dum Picininus carcere retinetur, Guidoni persuadet, ut relicto Philippo Florentinas partes multis propositis præmiis sequeretur, quibus ille facile adductus utque etiam Florentinorum benivolentiam, qui ditioni suæ essent finitimi, beneficio sibi conciliaret, ad eos desciscit, Nicolaumque in libertatem restituit. Ceterum eo anno qui Vigesimus Quintus ad Quadringentesimum & Millesimum à Natali Christiano numeratur, Blanca Maria pridie Kalendas Apriles in Septimo Ticinensi municipio nata est. Quo etiam tempore Franciscus Cremagnola vir ingentis spiritus reique militaris scientissimus, & quo duce multa Philippo feliciter successerant, cum ægre impatienterque ferret, Guidonem Taurellum in præfectura classis, ut docuimus, prælatum sibi à Philippo fuisse, nec minus paulo post revocato sibi à Genuensi procuratione Jacobum Issolanum Cardinalem Bononiensem successisse, cumque etiam ad hæc cerneret, suos apud Philippum obtrectatores gratia & auctoritate plurimum valere, seque quotidie magis atque magis despectum iri, novissime verò illius conspectum adire prohibitum, indignatione commotus Mediolano excessit, & in sua Oppida, quæ in transpadanis possidebat, se recepit. Unde paucis diebus dum principum populariumque animos explorat, consumtis, à Venetis stipendio conductus, per Taurinenses, perque Allobrogas, quos nunc Sabaudienses dicunt, Alpes transgressus, & per Germanos iter faciens, in Venetorum fines pervenit, ac terrestri exercitui non multò post præficitur. Jam prope ver transierat, cum tandem Franciscus Sfortia post multas magnasque à Nerio Cappone Florentinorum Legato conditiones propositas ad Philippi partes animum deflexit. Itaque Martino Pontifice & Johanna Regina non annuentibus modo sed magnopere etiam adhortantibus ita cum Philippo de militia, stipendioque convenit, ut equites supra mille & quingentos, pedites trecentos destinata mercede aleret. Quem quidem militum numerum etsi Florentini se duplicaturos, majoremque pecuniam daturos illi sæpius pollicerentur, tamen ea omnia prætermittenda sibi duxit, quo Philippi animum, cujus amicitiam parare maxime cupiebat, ea oblata occasione magis conciliaret. Ineunte igitur æstate Maffeo Muzano Laudensi in primis Legato, aliisque Philippi Nuntiis maxime instantibus, repræsentatâ abunde militibus pecuniâ, ex hibernis educit, paucisque diebus ornato ex sententia milite, atque in ordines decem coacto, ex Etruscorum finibus movet: & per Umbros, Picentesque justis itineribus in Flaminiam profectus, primo adventu ceteris Philippi copiis, quæ in ea regione erant, sibi additis in Faventinum agrum irrumpit. Dein castra ad ipsa Urbis mœnia locat. Tuebatur intus Guidonem ac cives Nicolaus Picininus magno militum robore, quem Florentini eo paulo ante cum præsidio miserant. Fiebant crebræ ob id in castra eruptiones, obsessisque intra munitiones confestim repulsis, pro Urbis portis acriter dimicabatur. Franciscus tempus frustra consumere dolens, diffisus Urbem valido defensam præsidio obtineri posse, obsidionem solvit, exercitumque Imolam reduxit: unde tamen non desistebat Faventinos quotidianis prope incursionibus infestare. Post hæc à Philippo accersitus, circa Idus Augustas Mediolanum petit, ubi ab eo honorifice perbenigneque exceptus, multis magnisque muneribus ornatur. Eum certe Philippus unice & diligere, & amare perinde ac filium visus est, quippe quem & magnis laudibus extollere, & maxima de eo præsagire, coramque prædicare, expleri non poterat. Admirabatur enim magis atque magis quotidie tum illius prudentiam, facundiam, egregiosque mores, tum formæ præstantiam, vultus, gestusque dignitatem contemplans. Quare dum Mediolani Franciscus immoratur, viros quidem præstantes sibique carissimos illi comites adhibuit, qui omnibus eum obsequiis prosequerentur. Postea adventante hyeme, eum ad suos in Flaminiam remisit, ut inde in Cisalpinam Galliam rediens suas in Brixianum agrum copias, ubi ei stativa constituerat, traduceret.

Sub idem quoque tempus Picininus à Florentinis è Flaminia revocatus, in Etruriam adversùs Philippi copias, quibus Guido Taurellus

rellus dux præerat, in Aretinorum fines cum omnibus suis copiis hyematum mittitur. Is rerum novarum cupidus, quo se majore Braccianorum militum numero auctum videt, eo majore studio augendi sui flagrabat. Tanta enim habendi cupido incesserat, ut nihil esset tam arduum aut periculosum, quod & animo & viribus aggredi non auderet. Itaque quammaximum potest militum numerum undique contrahit, quos vel pecunia conduxerat, vel pollicitationibus pellexerat. Postea vero de occupanda Cortona Florentinorum urbe, Aretioque propinqua, per proditionem agere cœpit. Jamque omnibus ad capiendam Urbem paratis, milites nonnulli per noctem introducuntur. Sed re prodita, ad Prætoremque delata, confestim qui ingressi erant per muros, coacti fugâ sese ejecerunt, & cives facinoris conscii capti admissi criminis pœnas mox dedere. Ipse vero Picininus spe potiundæ Urbis destitutus, in agrum Perusinum discessit, unde missis ad Philippum de stipendio nuntiis obtinuit, ut ab eo nulla cunctatione majoribus etiam rerum militarium conditionibus, quam ipse petiisset, conduceretur. Quare Picininus per Flaminiam iter faciens in Longobardiam ad Philippum proficiscitur. Ceterum Florentini hanc tantam Picinini perfidiam graviter ferentes, cum in eum animadvertere non possent, per summum dedecus illum decreto publico pede suspensum (quod apud eos more majorum gravissimum notæ genus est) patenti loco depingi jusserunt. Dum hæc in Flaminia, Tusciaque geruntur, Florentini, quibus per superiora tempora ingentia & assidua prope cum familia Vicecomitum bella fuerant, Philippi potentiam maxime perhorrebant. Nam adeo terra marique opibus creverat, ut regna illi pro libidine aliis adimere, aliis elargiri liceret. Flaminiam pæne totam occuparat, ubi magnas copias eo consilio alere putabatur, ut per eam regionem viam sibi in Etruriam aperiret. Quas ob res non ad resistendum modò potentissimo hosti, sed ad oppugnandum omnia consilia cogitationesque convertunt. Alphonsum Regem, quem ei sciebant infensum, quod eum in Neapolitano regno perturbasset, ut mari communi hosti bellum inferret, solicitant. Ad Venetos præterea mittunt rogatum auxilium, qui etsi nimiam Philippi felicitatem plurimum oderant, tamen quia cum eo pace convenerant, erantque societatis fœderibus conjuncti in quinquennium, neque odio neque metu exagitati facile quiescebant: quippe qui mallent, belli eventum exspectare, alienamque fortunam in consilio habere quàm armis Philippum lacessere, hostemque sibi reddere. Florentini tamen multos per Italiam Tyrannos quibus Philippus terrori esset, sibi asciscunt. Sed quoniam imminentibus in dies gravius periculis terrebantur, mari etiam hostem vexare constituunt. Triremes regias Petro Infante duce stipendio conducunt, additisque perpaucis, quas Pisis paraverant, trium & viginti longarum navium classem cogunt: adhortatique Thomam Fregosum, qui quadriennio ante Genuam per studia civium cum Arce Philippo tradiderat (unde & Serezana & plerisque aliis in agro Lunensi oppidis donatus fuerat) ut patriam ab illius jugo liberaret, plurimorum insuper civium animos multis pollicitationibus ad vindicandam sibi libertatem compulerunt. Itaque persuasus Thomas mari, & Baptista ejus frater terrâ, Johanne Ludovico Flisco adjutore, orientalem Genuensium oram magno tumultu involvere cœperunt. At Philippus contra Genuæ confestim armari classem imperat. Quæ quo celerius instrueretur, ipse accolas Pado flumine, Benaco, Lario, & Verbano lacubus exercitatos in supplementum remigum ex Longobardia mittit: magno præterea delectu habito ad quinque peditum millia, & trecentos equites, Nicolao Tertio Parmensis Othonis filio duce (cui Guerrerio cognomen fuit) per Placentinorum fines adversùs Fregosos, Fliscosque in Ligures ascendere jubet. Nondum ornata classis erat, quæ ex triremibus duo de viginti constabat, cum Nicolaus cum copiis adventare cœpit, occupatisque finitimis montibus, Segestæ imminebat. Deinde cum patenti campo aciem instruxisset, non detrectavere hostes certamen. Commissum est prœlium equestre primum, & cum utrinque acriter pugnatum esset, tamdem incertâ victoriâ discessum est. Postridie ejus diei cum Guerrerius suas copias rursus in aciem produxisset, tum demum manifesta trepidatione signa edidere. Nam vix dum Philippiani hostem conspexerant, cum rumore perlato, Fliscum cum lecta, quam ex Taro, Pontremuloque acceperat, juventute è montibus descendere, in fugam versi, per invia quæque præcipites ferebantur; quos fugientes nisi Clavarum oppidum excepisset, perpauci admodum evasissent. Magnus tamen eorum numerus insequentibus hostibus captus est, in quibus Jacobus Isseus Brixiensis, & plerique alii ex primoribus viri fuere. Sed non multo post ornatis Genuæ triremibus, quibus duæ onerariæ naves additæ sunt, placuit Urbis Præsidi in ipsis Genuensis portus faucibus paratam classem teneri, ne quis intra Urbem forte tumultus, ubi jam diversa animorum studia exarserant, excitaretur. Et quanquam aliquando hostilis classis pugnandi potestatem faciebat, tamen Philippiani præfecti, quibus satis eo tempore & Urbem à repentinis motibus, quibus animorum mobilitas obnoxiam faciebat, & classem incolumem servare videbatur, navali prælio omnino abstinendum censuerunt. Florentini ubi mari nequicquam proficere cognoverunt, Gottholanasque triremes nil aliud parere, nisi inexplebilem quandam pecuniarum voraginem, dimissa classe, ad alia suæ libertatis tuendæ consilia versi, mari cessere. Itaque fessa bello, multis acceptis detrimentis, & viribus prope diffisa Florentina Civitas, secundam ad Venetos legationem decrevit; quæ & societatem offerret, & opem adversus Philippum peteret. Legati cum res adversas & pericula, longa oratione, commemorassent, bellique societatem orassent, & nihil Venetum Senatum movissent, postremo Laurentius Redolfus, qui prudentia, gratia, & auctoritate in suo Populo plurimum poterat, ultro se Venetias profecturum, si per suam Rempublicam liceret, pollicitus est. Cum hæc civis in patriam caritas laudata admodum esset, Laurentius Venetias profectus, ac in Senatum ad-

admissus, enumeratis cladibus Florentini populi cum ingenti sui ærarii inopia, alienatos ab se vicinorum animos omnes edocuisset, & ob id in quanto discrimine Civitatis suæ salus versaretur, ostendisset, & negata sibi rursus societas videretur: *Novissime*, inquit, *superioribus annis, Genuensibus auxilium vestrum implorantibus adesse noluistis. Fecerunt Philippum Genuenses dominum. Nos quandoquidem à vobis repellimur, illum Regem faciemus. Vos postea Imperatorem*. Ea verba cum indignantis & præceps consilium capientis esse viderentur, flexerunt tandem Senatorum animos, fœdusque adversùs Philippum cum Florentino Populo percussum. Quæ quidem eo facilius Veneti egere, quod Franciscus Cremagnola, qui non multo ante ad eos, ut ostendimus, transfugerat, magnam de Philippi non bono in eos animo suspicionem injecerat, celeris victoriæ spem afferens, si bellum adversùs illum susciperetur. Quod quanquam Philippus intellexerat, tamen adduci numquam potuit, ut crederet Venetos, cum quibus perpetua in pace viveret, fœdere etiam decennij icto ad quinquennium durante, nulla præsertim injuria lacessitos, arma in eum sumturos. Sed longe præter ejus opinionem accidit. Nam Veneti firmata cum Florentinis societate, conversis ad belli studia omnium animis, quæ ad gerendum bellum oportere putabant, clam comparare. Nec Italiæ solùm potentatus, sed peregrinos quoque principes in Philippum concitare non desinunt.

Interea Brixienses Gelphæ factionis cives, qui Philippi dominationem impatienter ferebant, Petro & Achille fratribus Advocatis auctoribus (qui & apud populum & municipes ejus factionis gratia & auctoritate plurimum valebant) cognita Venetorum, Florentinorumque societate, Cremagnolæ insuper opera, cujus familiaritate & patrocinio apud Philippum usi fuerant, dedita ea Urbis parte, ubi Gebellini minus possent, ad Venetos desciscunt. Nam vetus, novaque urbiculæ, quas hi potissimum inhabitabant, una cum subjecto suburbio & arcibus Urbis reliquis in Philippi fide perstabant. Rebellio autem facta est noctu ad sextumdecimum Kalendas Apriles Anno, qui fuit à Natali Christiano Sextus ac Vigesimus supra Quadringentesimum ad Millesimum. Copiæ Venetorum perpaucæ ac pedestres ea nocte in Urbem receptæ, quas Cremagnola eo submiserat. Sed Advocati fratres magnam municipum manum ex eadem factione, quos clam collegerant, muro Urbis per noctis silentium fracto, ad rem conficiendam secum adduxerant. Erat per eos dies Franciscus Sfortia Mediolani apud Philippum. Ejus vero milites alii apud Montemclarum, alii in proximis Urbi municipiis hibernabant. Hi audita Urbis defectione, Brixiam protinus contendunt. Atque eo, qui insecutus est, die in urbiculas excepti sunt. Qui Urbem prodiderant, mox ejus vias doliis terra repletis, trabibus atque catenis muniebant, nequis repentinus impetus rem urbanam prius perturbaret, quàm Cremagnola cum viribus advenisset. De his rebus Philippus rumoribus primum, deinde nuntiis certior factus, non potuit primo auditu non commoveri; præsertim Oldrado Lampugnano Præside, in

A quo magnam Urbis in officio retinendæ spem haberet. Sed re postea multis nuntiis confirmata, arces & urbiculum utramque suo præsidio teneri, dubius trepidusque ejus animus in spem certam recipiendæ Urbis revocatur: quod accitis ex Flaminia copiis, coactoque omni ex parte exercitu, perstantibus in fide munimentis non dubitabat amissam Urbem recuperari posse. Proinde Franciscum eo confestim maturare jubet, qui incredibili celeritate triduo postquam Urbs defecerat, cum ceteris suis copiis Urbiculas ingressus est. Reliquæ autem Philippi copiæ partim in Flaminia eo tempore, partim in Etruria adversùs Florentinos agebant. Non multo B post Cremagnola cum valido equitum ac peditum præsidio Urbem quoque ingreditur. Conspirarant præterea eodem tempore adversùs Philippum cum Venetis Amideus Sabaudianorum Dux, Elvetii, & tres Marchiones, Nicolaus Estensis, Johannes Jacobus Montisferrati, & Johannes Franciscus Mantuanus, Alphonsus verò Rex, uti ostendimus, una cum Fliscis & Fregosis jam res Genuenses & terra & mari turbabat. In tantis rerum motibus ac difficultatibus solus munitiones, quæ in fide remanserant, Franciscus adversùs hostes tuebatur, subsidium à Philippo exspectans. Interim assidue non tam diurnis quam nocturnis eruptionibus in C Urbem factis, hostem lacessere, cædere, pabulatores interdum adoriri, interdum agros Urbi proximos populari, ferro ignique vastare, numquam quiescere Cremagnolam sinere, quem in eam prope desperationem adduxerat, ut nesciret, quid consilii caperet: quod videret, si Franciscus majoribus augeretur copiis, necesse sibi fore cum magno suo suorumque periculo Urbem relinquere. Quare quoad poterat pugnâ abstinebat, eique tantummodo operi intendebat, ut Castellis è regione portarum eductis, per catapultas & plumbeas pilulas bombardarumque moles hostem à frequenti eruptione coërceret. Interim Philippi exercitus, supra quatuor D equitum millia cum ex Tuscia, Flaminiaque ad ferendam obsessis opem properaret, ad Scultennam amnem (Panarum vulgo appellant) pervenit, qui Bononiam Mutinamque Urbes interfluit: ubi præter spem transitu prohibetur. Nam Venetorum causâ, Nicolaus Estensis ita per suos fines egerat, ut flumen aquis aliunde deductis auctum, custodiisque ex octo circiter armatorum hominum millibus circa ripam frequenter dispositis, neque vado neque ponte transiri posset. Quæ res permagnam Cremagnolæ & muniendi sui & hostis eruptione prohibendi facultatem præbuit. Quod cum animadvertisset E Philippus, veritus, ne quid Francisco per diuturnam obsidionem mali accideret, immisso in Urbiculas valido peditum præsidio, jubet, ut relictis, quibus præesset, munitionibus, in proxima municipia cum equitatu se reciperet. Franciscus dicto paret, tempusque discessui idoneum nactus, per medias hostium munitiones post quadragesimum, quàm eo venerat, diem cum suis omnibus erumpit, atque uno conatu per innumerabilia occurrentium tela Urbe egreditur. Hunc Cremagnola, quem jam captum in manu habere videbatur, magno insequitur impetu. Totis enim copiis, quas, ubi per explo-

exploratores de ejus discessu cognovit, secreto per civium ædes in armis esse jusserat, hac illac circumfusis consequi innitebatur: cujus ille, cum ad Montemclarum concitatis equis contenderet, ferociam sæpe conversus fortissime reprimebat, retundebatque. At posteaquam ad patentissimam planiciem (Montemclarum vocant) ventum est, tum instructa acie acerrime dimicans, ferebatur in insequentium hostium globos. Sed cum aliquandiu à Sfortianis perpaucis, adolescente Francisco eorum duce, cum ingenti prope Venetorum equitatu, veteranoque Francisco Cremagnola fortissime pugnatum esset, Franciscus Sfortia animadvertens non posse diutius tantarum virium impetum sustinere, se pugnâ sensim explicat, quod haud difficile fuit, cum adversarius victoriæ diffidens, suos ab eo insequendo continuisset, quod plus ipse quam hostis ignominiæ & detrimenti accepisset. Quamobrem & hic in Montemclarum incolumis cum suis se recepit, & ille Brixiam ad oppugnandas Urbiculas rediit.

Ceterum cum jam majorem æstatis partem Philippi duces cum exercitu apud Scultennam consumsissent, data tamdem est à Nicolao Philippi rogatu non tam potestas quàm materia secreto faciendi in eo flumine pontis; quo clam celeriterque confecto, per noctis silentia ignorantibus omnibus flumen transierunt, quos nec hostes, postea quam eos transisse intellexerunt, persequi ausi sunt. Interim dies noctesque muri novæ Urbiculæ variis tormentorum machinarumque generibus à Venetis quatiebantur, nec intima Philippi præsidia minore industria atque virtute repugnando tuebantur. Sed postea quam Philippi copiæ ex Flaminia in Brixiensem agrum pervenerunt, & ad secundum lapidem una cum Francisco consederunt, inclusum hostem variis artibus in pugnam provocare cœperunt. Aberat per idem Cremagnola tempus, qui, ut ferunt, sibi ab advenientibus hostibus metuens, simulato laterum dolore, ac demandatâ Johanni Francisco Mantuano Principi exercitus operumque curâ, ad balnea Apponi concesserat. Cæterum Franciscus Sfortia magno recipiendæ Urbis Brixiæ, posteaquam exercitus advenisset, studio intentus, quotidie socios hortari, instareque non cessabat, ut omni cunctatione sublata per Urbiculas Urbem ingressi, hostem invaderent, priusquam à Venetis majores cogerentur vires, & à Florentinis auxilia mitterentur, cui profectò si fuisset obtemperatum, constat omnium fere judicio, & Brixiam recuperari, & de hostibus celebrem victoriam reportari potuisse. Sed id consilii nemo inter exercitus duces, excepto Nicolao Picinino probarat. Nam Angelus Pergulanus ceterique ductores Francisci gloriæ invidentes, vinci malebant, quam illius virtute & consilio videri vicisse. Quibus discordiis factum est, ut & Cremagnola in meliorem spem non tam sustinendi quàm conficiendi suscepti belli adductus ex balneis ad exercitum redierit, & Veneti majores quotidie copias comparaverint. Florentini quoque omni bellico metu in Etruria, Flaminiaque liberati, Nicolaum Tolentinatem, quem habebant ducem rei militaris scientissimum, cum quatuor equitum, & duobus peditum millibus, Venetis auxilio misêre. Qui ubi primum Brixiam venit, cognita Philippi ducum dissensione, maturandum esse ad oppugnandas hostium munitiones ratus, ne si forte illi ad sanitatem reversi, idem sentirent, difficiliora belli gerendi negotia redderentur, fossam ineundam esse censet, qua transitu hostes omnino ad ferendam obsessis opem prohiberentur. Id operis cum à Cremagnola mirum in modum laudaretur, magno fossorum coacto numero, fossam deduci ingentem jubet ad quinque passuum millia in longitudinem, in latitudinem verò ac altitudinem pedum duodecim, eamque summo studio aggere, vallo, & castellis quibusdam frequentibus muniri. Quo opere perfecto, copias ex Urbe educit, atque eo, quod inter urbis mœnia fossamque interjacebat, spatio castra locat. Constabat Venetorum Florentinorumque exercitus amplius triginta mercede conductorum hominum millibus: Philippi autem Ducis ad tria & viginti. Equitatus erat utrisque pæne par. Sed Venetorum peditatus multo superior. Dum hæc ad Brixiam Tolentinatis suasu aguntur, Franciscus Sfortia rei gerendæ pro Philippi commodo intentus, sæpe adversarios opere occupatos justa acie adoriri voluit, sed neminem ex sociis præter unum Nicolaum Picininum habuit, qui secum sentiret. Omnes adverso studio ejus sententiam impugnare, & apud Philippum acrius ipsum insimulare: quod cum Venetis clam conspiraret. Erant apud Principem illum multi purpurati, & præsertim Zanninus Riccius, cujus consilio & arbitratu negotia omnia administrabantur, qui eum hortabantur, ne rem tanti momenti, ne suam suorumque salutem unius & juvenis & peregrini consilio velut aleæ committeret. Commemorabant præterea, Brixiam majores ejus amisisse: Ipsum postea nullo suo periculo armis recuperasse. De his obtrectatorum, invidentiumque calumniis cum fieret Franciscus certior, facile à Philippo accepta est insontis purgatio, eique deinde ingenti animo dixisse Franciscum ferunt. Si Brixiam à Pandulfo Malatesta tyranno occupatam recepisset, nondum tamen ipsum è Venetorum manibus tantam urbem eripere didicisse. Dum his consiliis suspicionibusque à Philippi ducibus tempus teritur, Urbiculæ enixius oppugnantur, & præsidium durius laborabat: & tamdem dirutis assiduis tormentorum ictibus Urbicularum muris, præfecti rei frumentariæ necessitate pressi, deditionem præsidio incolumi ad hostes fecere. Perseveravit tamen in fide plures menses Arx, quæ validissima in collis summitate sita Urbi supereminet. Sed cum nihil auxilii ab exercitu mitteretur, Antonius Landrianus ejus Arcis Præfectus, frumenti inopia coactus, per pactionem hosti Arcem tradidit, post mensem & annum unum, quo Brixiensium rebellio ad Venetos facta est. Ita nobilissima Civitas Cænomanorum quondam Gallorum caput ob ducum discordiam, ignaviam potius atque socordiam in Venetorum ditionem devenit. Unde tot mala, quæ postea universa Cisalpina Gallia multos annos perpessa est, habuerunt initia, quæ sanè innumerabilia pæne ac maxima nostrâ etiam memoriâ fuisse satis constat. Nam eo, quod insecutum est, biennio

nio (ut omittamus ea , quæ postea provenerunt detrimenta) cum Philippo non tam exercitus supplementa , quibus tot tantisque uno eodemque tempore bellis presso sibi maxime opus erat, quam dux deesset, magnis prope calamitatibus conflictatus est. Edocuerat eum sæpenumero & literis & nuntiis Franciscus, se plurimum vereri, ne quid adversi ejus exercitus ob solam ducum discordiam aliquando acciperet , cùm nemo inter eos adeò excelleret , cujus imperio reliquos parêre non puderet . Itaque Philippum hortari, & rogare non cessabat , ut aliquem tamdem virum universis copiis præficeret , cujus auctoritati ceteri obtemperarent . Se paratum semper, qui omni in re illius pareat jussis, Deligitur ob id à Philippo Carolus Malatesta Pisauri Princeps, quem Philippus propter familiæ nobilitatem & rei bellicæ quandam opinionem , magno amore colebat.

Inter hæc Martini Pontificis interventu de pace agi cœptum est . Apparebat enim Philippum Brixiâ amissâ non invitum pacis fœdera accepturum. Sed cùm ea , quæ in Brixiensi agro, municipia ab illo adhuc retinerentur , per pacis conditiones Venetis tradere cogeretur, iratusque illius in Venetos animus id pati non posset, quod recuperandæ aliquando per summam injuriam ereptæ Urbis facultas sibi per pacis fœdera adimeretur, de bello magis quàm de pace cogitandum sibi duxit . Itaque quammaximis potest copiis exercitum munire contendit. Idem faciunt Veneti , & quo majore vi auri abundabant, eo majore studio majoreque conatu sese ad gerendum bellum comparant. Exercitum milite mercede conducto ingentem undique cogunt. Classem præterea validam Venetiis ædificandam curant , qua flumine Pado submissa , hostem multis locis fatigarent. Per idem quoque tempus cùm Genua variis exulum molestiis terra marique, Alphonso & Florentinis fautoribus, assiduè quateretur, Philippus ad jungendam cum Alphonso pacem consilia vertit . Nec Regis animus experti , quantum rebus suis in Philippo momenti esset , à pace abhorrebat. Legationibus ultro citroque missis, pax facta. In fœdere promisit Philippus Calvum & Bonifacium Corficæ oppida Regi traditurum. Quod cùm invitis Genuensibus præstare non posset , Arx interim Lunensis portus (quem Veneris dicunt) & Ilicensis Alphonso traduntur, donec promissa à Philippo perficerentur: quæ Philippi sumtu regio præsidio tenerentur. His conditionibus cùm redintegrata inter eos amicitia esset, pacata maria & tuta Genuensibus undique navigatio fuit, præter quam à Florentinis, qui aliquando Myoparonibus & perpaucis triremibus , prædonum non belligerantium more, onerariis minoribus navigiis insidiabantur . Sed tamdem captis triremibus cum ipsis ducibus, maritimo bello abstinuere. Ineunte, quæ insecuta est, æstate Philippi duces, eductis ex hybernis atque unum in locum collatis copiis, Brixiam omni ferè ex parte adeò infestius premere cœperunt , ut parum ab obsidione distare videretur. Cremagnola contra

A ingenti exercitu contracto ex Mantuanorum finibus in Brixianos movet, & quæ in inferiore Brixiani agri parte , & circa Olium amnem municipia sunt, partim vi , partim metu capit: aliqua tentata frustra expugnatione in hostium potestate relinquit. Demum post prœlium apud Gotholengum oppidum de improviso factum, ubi non totis sed parte copiarum ex utrisque exercitibus neutram in partem inclinante victoria fortiter pugnatum est : ad Olium profectus ponte sine controversia constructo in Cremonenses trajecit, Binamque municipium cum arce haud invalida in ipsa fluminis ripa situm adortus, non multis diebus consumtis, vi tormentorum in potestatem redegit. Interea jam

B Veneta classis & numero navium , quas Galeones appellant , & milite & armis egregie instructa , è Venetiis solverat , & flumine Pado adnavigans , municipiis quibusdam secus flumen ex itinere captis non procul Cremona steterat ; Philippique classem longè numero sociisque navalibus imparem navibus quatuor per Pacini Eustachii Præfecti seu ignaviam seu imperitiam captis, in fugam adverso flumine vertit, quæ non priùs restitit , quàm Papiam se recepit. Quare hostilis classis Cremonæ propius admota , Castella quædam è regione Urbis in Pado ad prohibendos hostes transitu edificata alia defensoribus vacua,

C nullâ confertâ pugnâ, capit: alia repugnante etiam præsidio expugnat , quæ statim incendio ingenti concremantur. His victoriis cum data videretur Venetis vagandi impune per Padum potestas , Præfectus Cremonam prætergressus , tamdiu adversùs vim fluminis subvehitur, donec Ticini fluminis ostia navibus universis ingressus non longè Papiam pervenit , qui tamen suos navibus continebat , quod exponendi in terram militis hostili equitatu passim prohibente facultas nusquam dabatur, præterquam in fluminis Adduæ ostio: ubi expositis navalibus copiis oppidum, quod Castellum Novum vocant, op-

D pidanis timore perculsis sese dedentibus parvo negotio cepit. At ubi nihil ea navigatione proficere , cum omnia à terra hostilia essent , nec ullum ad se terrestre auxilium mitti posse videt , qua venerat , regrediens in Cremonensium finibus constitit , ex quo fiebat: ut in tanto rerum motu omnia circa Padum tumultuarie agerentur: Nam incolas ubique per loca Pado proxima terror ingens invaserat. (5) His rebus gestis Cremagnola classis fiducia, majore animo majora sibi negotia gerenda sumit. Pado exercitum admovet, unde commeatus abunde & sinè periculo eo flumine in castra importabantur. Dein cum de occupanda Cremona consilia injisset,

E ad tria passuum millia ab ea Urbe ad vicum, quem Sicci Casalem Cremonenses nuncupant, castra ponit , spe aut per proditionem , aut per voluntariam civium deditionem , aut tamdem per longam obsidionem ejus potiundæ Urbis; cum non dubitaret & à terra potentissimo exercitu , cujus militum numerus quadraginta millia superabat, & à Pado flumine potentissima etiam ac formidabili classe facile obsideri posse. At Philippus his cognitis

(5) MS. Horolandus Palavicinus , qui pleraque haud ignobilia & in Parmensibus & in Cremonensibus municipia atque oppida non longe ab eo flumine possidebat , quòd existimabat, jam de Philippi imperio actum esse, ad Venetos defecit. His rebus &c.

tis veritus id, quod hostis in Cremonenses conabatur, exercitum tuendæ Urbis causa eo celeriter deduci jubet. Qui cum mille circiter passus ab urbanis mœnibus castra posuisset, quæ non amplius duobus passuum millibus ab hostilibus castris aberant, Philippus magno comitatu è Mediolano Cremonam profectus, suos duces hortari ac monere coram cœpit: incolumem in primis servarent exercitum; hostem, si citra periculum fieri posset, lacesserent, nec in suo Urbisque conspectu vagari finerent: in summa honori, sed præcipue saluti, consulerent. Duces, ne tam propinquis hostibus, si prælio abstinerent, ignaviæ accusarentur, quamquam longè adversariis numero inferiores essent, uti belli initio semper fuerant (erat enim utrique exercitui militum numerus, quantus vix ullo Italico bello patrum memoria referatur, cum supra septuaginta hominum millia utrimque in exiguum agri spatium convenissent) tamen communi consilio hostium castra invadere constituerunt. Ad id præter pudorem impellebat Philippi præsentia, qua quisque ardere videbatur, ut dignum aliquod se facinus ederent, præsertim cum scirent eum neminem de se benemeritum indonatum dimittere solitum.

Duces igitur præmissis cum præsidio stratoribus, qui iter subsecuturo agmini sternerent, instructo exercitu in hostes ire contendunt. Quod ubi persensit Cremagnola, conclamantibus undique ad arma militibus, jubet celeriter armari exercitum atque omnes in acie consistere. Castra pro consuetudine sua Cremagnola qua hostes venturos existimabat, carris velut muro munierat, nec longe fossa quædam erat priscis facta temporibus, transitu quidem difficilis. Hanc aggere ita in altitudinem eduxerat, ut nisi vadis quibusdam transiri non posset. Inter carrorum autem munitionem & eam fossam patentes intercedebant campi. Huc Cremagnola suos ordines procedere, nec tamen fossam transire imperat. Aditus defensoribus deserti videbantur, quod arte fecisse fertur, ut intra munitiones facilius hostes traheret. Philippi autem duces posteaquam eo ventum est, substitere toto agmine, exspectantes si forte hostes è castris suas ad ineundum prælium copias educerent. Censebant enim Guido Taurellus & Angelus Pergulanus, qui & ætate & auctoritate ceteros anteibant, non esse trans fossam progrediendum; victoriam in manu esse, si prior hostis fossam transiret, pugnandique potestatem faceret. Verùm cum aliquandiu utraque acies ex adverso stetisset conspectu, & nemo transeundi initium faceret, non sustinuere amplius reliqui Philippi duces committendi prælii moram. Transgreditur ante alios Franciscus Sfortia suis cum ordinibus fossam non multo labore, quem Christophorus Labellanus & Ardicio Carrariensis subsequuntur, qui magno in hostes facto impetu excipiuntur. Confertissima dein & acerrima in apertissimo campo à duobus maximis exercitibus collatis utrimque signis pugna conseri cœpta est. Mittitur ad lævam Antonellus quidam Mediolanensis ex Philippianis equitum Præfectus, vir sane fortis præliandique peritus & manu promtus, cum valida equestri manu, ut hostes inde lacesseret. Is impigre patefactâ inter carros viâ, unde

A armata acies aberat, in castra irrumpit. Calones comperit & inutilem prælio turbam tentoria & tabernacula custodientes. Ex iis alios interimit, alios capit, multos armatis mixtos in fugam vertit. Interim Philippiana acies ita hostem presserat, ut ad secundam usque castrorum munitionem repelleret. Cremagnolæ, quo insidebat, equus irruentium vi impulsus corruit. Circa virum acriter certatum est, cum alii intercipere, alii contra ne interciperetur, inniterentur. Ob id major ejus ducis familiarium pars pervicaciter pugnando capta, sed aliorum ope atque virtute, altero submisso celeriter equo sublatus, Cremagnola se ex hostium manu eripuit. It illico in universum Philippi exercitum rumor, Cremagnolam Imperatorem interceptum. Qua voce exaudita, omnes levis armaturæ equites, qui in turmis ire postremi solent, nullo imperio nulloque ordine estiximantes jam fusos hostes prædæque omnia patere, qua Antonellus hostium castra ingressus fuerat, convolant: moxque magnam castrorum partem cursu occupant, quibus ea se primum pars obtulit, quæ Mantuani Principis erat. Jamque prope cuncta in castris misceri, ac diripi cœpta erant: cum eo a Cremagnola immissa est equestris manus, quæ facile palantes & præda occupatos nostros in fugam vertit. Antonellus nullo ab suis submisso auxilio multitudine obrutus, pedem referre cogitur, & ad suos, qua venerat, nonnullis ex hostibus secum abductis ægre se recepit. Ad quingentos autem ex Philippianis per tabernacula hostium dilapsi capti sunt. Dimicatum obstinatissimis utrimque animis vario eventu à secunda diei hora ad summam usque vesperam: tantaque in ipso solis ardore exorta est pulveris magnitudo, ut velut densa nubes præliantium corpora obrueret, & caligantibus omnium oculis, nullo præterquam vocis sono inter sese noscere possent. Franciscus sociique optimum judicant, si sine periculo fieri posset, prælium dirimere. Itaque cani receptui jubent, quo signo dato milites labore & calore fessi, equis prope omnibus laxitudine & vulneribus confectis pedetentim, Francisco moderante, qui ab initio usque ad pugnæ exitum semper & ducis & militis munus constantissime obierat, prælio excedere cœperunt. Quibus tanta fuit in castra redeundi festinatio, ut Franciscus ipse cum suis tantummodo in prælio relictus in hostium pæne potestate relinqueretur, & certe nisi esset pulveris beneficio servatus, eorum manus effugere non potuisset. Nam priusquam loco discederet, major exercitus pars in castra jam pervenerat. Cremagnola autem cum videret, æquatum esse omnibus periculum, non invitus suos & ipse in castra reduxit. Captivorum pæne par fuit numerus. Postea verò quam in castra reditum est, ferunt Cremagnolam dixisse, se, qui plures ex suis pugnando quam ex hostibus manu captos & reddito nomine recognitos indignans sæpius dimiserit, si ab hoste fuisset cognitus, intercipi abducique potuisse, idemque Francisco & Picinino & singulis fere Philippi ductoribus evenisse. Philippus his lætus, quæ in conspectu pæne suo gesta erant, fit multorum literis certior, Amideum Ducem & Johannem Jacobum Marchionem, quos supra no-

minavimus, coacta non multa equitum manu, Vercellensem agrum invasisse. Idque omnia Mediolanum usque tumulto & pavore impleſſe. Quamobrem relicto apud Cremonam exercitu, Mediolanum confestim revertitur, mittitque adversùs Sabaudianos una tantummodo equestri cohorte Ladislaum Pauli Guinisii Lucensis tyranni filium, qui facile suo adventu omnem hostium impetum repressit. Ceterum Cremagnola ubi obsidendæ Cremonæ magnis Philippi viribus præmunitæ facultatem sibi ereptam videt, ad occupandum Casale Majus convertitur, classemque eo deduci jussit. Hunc autem insecutus cum lectissimorum militum manu Franciscus, ut cognovit, neque diurno neque nocturno tempore quicquam detrimenti hostibus longe numero superioribus inferre posse, ad lævam flectit; Binamque expugnare adoritur, quam paucis ante diebus, ut ostendimus, hostis in potestatem acceperat. Hanc cum expugnasset, præsidioque firmasset, Cremonam revertitur, haud diutius patentibus campis propter copiarum paucitatem consistere ausus.

Quod cum intellexisset Cremagnola, confestim sua in Franciscum signa convertit, quem cum ad suos celeri itinere se recepisse cognovit, ad Binam profectus arcem rursus levi oppugnatione recepit, præsidiumque in Olium conjici jussit, propterea quod idem à Francisco pridie ejus diei in suos, quos ibi præsidio reliquerat, factum audierat. Inde ad obsidendum Casale reversus, oppidum terra Padoque circumdatum tormentis oppugnare aggreditur. Oppidani autem, ut viderunt quassatam ac excisam eam turrim, quæ portæ munimento erat, timore perterriti, ne vi à tanto exercitu caperentur, Antonio Pisano præsidii Præfecto inscio, sese hosti permisere. Quo recepto oppido, plures ibi dies consultandis rebus Cremagnola consumsit. Nam alii in Brixianos redeundum, alii in Parmenses, Placentinosque, alii in Insubres vel Pado vel Addua ponte juncto flumine traducendum esse exercitum suadebant. Plurium tamdem sententia pervicit, ut in Brixienses rediretur ad ea recipienda oppida, quæ adhuc aut Philippi præsidio tenerentur, aut in illius fide voluntariis animis perstarent. Itaque posteaquam totis copiis in Brixiensium fines reditum est, quo etiam Philippi duces cum copiis, ut suis auxilio forent, transierant, Pompilianum municipium Cremagnola circumsedit. Carolus Malatesta, quem suis copiis Philippum præfecisse diximus, paulo ante in exercitum venerat, vir paci quàm bello aptior, & ob id non tam apud hostes quam apud suos exiguæ auctoritatis; maleque Philippi rebus consultum tali duce videbatur. Ejus adventu castra mutantur, & inter Machalodium municipium & hostilia castra tutissimo firmantur loco, eo consilio, ut inde spem obsessis ferendi auxilii præberent. Nam inter utraque castra, quæ minus quatuor passuum millibus proxima erant, palustres fere inaccessibiles intercedebant campi. Via tamen est manu facta, quæ recta Brixiam ducit municipiis utrisque adjecta. Hanc velut palus interscindit aqua, qua sublicio ponte juncta transitur. Hunc in hostem armato milite nemini prætergredi licebat. Quod cum diu inter duces de ferenda obsessis ope in extremo periculo versantibus disputatum esset, decretum est tamdem, ut sese castris continerent, nullamque omnino hosti præliandi potestatem facerent, tum quod hostibus longe impares essent, tum quod per eos dies ad oppugnandum Oragum, quod ad hostes defecisset, Christophorum Labellanum & Albericum Zagonarium Comitem cum parte copiarum misissent. At Cremagnola Pompiliano in potestatem redacto, omnia experiri statuit, ut hostem æquum in campum alliceret. Qua in re videtur fortuna ex sententia, propter ducis imperitiam, ad quem belli summa delata erat, occasionem præbuisse. Provocaverat paucis ante diebus Nardus Torquatus Sfortianus ex pedestri ordine miles quemdam ex hoste peditem in singulare certamen. Quamobrem mittitur à Cremagnola ad Carolum, qui Nardum in prœlium invitet, paratumque jam suum ad id militem esse, maximeque ad imperatorem pertinere diceret, ut hujusmodi controversias pugna singulari confestim dirimi curet. Quibus auditis, visum est Carolo, suum quoque peditem, qui hostem jam verbis lacessiverat, certamen non detrectare debere. Dies ad quintum Idus Octobres dictus est pugnæ. Is dies ubi illuxit, Cremagnola armari exercitum imperat, aciemque velut ad futuram pugnam in hostes disponit. Duelliones magno utrimque comitatu data fide extra castrorum munitiones, palustresque difficultates, dimicaturi prodeunt. Magna ex Philippi exercitu spectandi studio inermis multitudo sine imperio eo accurrit, quo etiam perpauci ex Venetorum castris inermes venerant. Franciscus Sfortia, qui duellum eo maxime tempore improbaverat, Carolum adhortatur, admonet, obsecrat, ut armari exercitum, atque in acie consistere juberet. Non placere sibi tam propinquis hostibus quemquam ad duelli spectaculum inermem progredi præter eos, quibus id muneris demandatum esset. Idem confirmat Taurellus. Carolus obaudit, & ceteri ductores negligunt. Ipse tamen Franciscus diu multumque deos hominesque obtestatus armatus spectat, suosque in castris esse in armis jubet. Idem facit Nicolaus Picininus, cui eo die castrorum custodia obvenerat. Inter duelli spectaculum celeri agmine acieque universa ad pugnandum, ut docuimus, instructa, hostis supervenit eâ viâ, quâ Machalodium itur. Pergulanus & Picininus, dum per otium obequitant, quasi de improviso in hostes incidunt, & cognita periculi magnitudine, quo sui ad pugnam se parent, ita ut erant levi armatura, manum conserere cœperunt. Tumultuarii item milites, qui ad spectaculum venerant, eo concurrunt. Verum & pauci & inermes loca inter palustria tantam vim hostium haud diutius sustinere potuerunt. Nam magno clamore magnoque impetu equitatus hostilis viam omnem occuparat. Et peditatus ad utramque viæ ipsius partem effusus, ex palustribus campis hastis, scorpionibus, Jaculisque Philippianos milites equosque passim in latera transfodiebat. Ex quo omnes parvo momento in fugam versi, velut amentes nihil præter terga hostibus objecerunt, neque dum erat in castra perventum, cum inde fuga ab omnibus fieri cœpta est. Capitur inter pugnandum Carolus. Franciscus ex duelli spectaculo ad cla-

clamorem convolans, sese cum suorum parte in hostes intulit, pugnamque fortissime conseruit, hunc urgens, hunc vulnerans, hunc cædens. Pergulanum ex hostium trahentium manibus captum eripit. Sed cum solus hostes jam victores repellere non posset, tamdiu tamen eorum impetum sustinet, quoad ductores reliqui salutem sibi fugâ pepererе. Ipse novissimus magno cum vitæ discrimine pedem retulit. Cremagnola castris cum universis fere impedimentis potitus insequendis hostibus abstinuit, majore tamen equitatus parte inermi capta.

Hac Philippus clade accepta, continuo dat operam ad exercitum armis equisque celeriter instaurandum. Deinde ad alienam opem sibi confugiendum ratus, ad Sigismundum Romanorum Regem in Germaniam rogatum mittit auxilium. Martinum insuper Pontificem per legatos orat, ut de pace cum Venetis agere pergat. Præterea cum Amideo Sabaudiano pacem firmat, qua cautum est, ut Philippus Mariam Amidei filiam in uxorem ducat, Vercellasque Urbem eidem dono tradat. Sed Martini tamdem opera factum est, ut per Bergomi deditionem bellum inter duos potentatus anno secundo, postea quam geri cœptum est, solutum sit. Per idem tempus cum Genuenses, ut supra docuimus, & ab Alphonso Rege mari, & ab exulibus terra assidue turbarentur, mittitur eo à Philippo Franciscus Sfortia, qui in Alexandrino agro stativa habebat, ut Genuæ Urbi præsidio esset. Is jussa faciens, jam Apennini jugum instructa acie superaverat, cum inter locorum angustias, præruptasque vias ii, quos Philippus amicissimos existimabat, perfidia usi, ita undique circumfunduntur, ac de superiore loco magna scorpionum, & omni fere missilium genere Sfortianam manum adoriuntur, ut non secus atque alpina grandine omnia telis obruerentur. Durissima profecto & horrenda militibus visa est ea pugnandi facies, præsertim cum nulla pugnandi, sed ne quidem consistendi ob locorum iniquitatem facultas esset. Itaque tanta rei novitate perculsi, milites diffidere, ac dedendi sui inire consilia cœpere. Quare Franciscus mutato profectionis consilio omnes, qua venerant, continuo redire jubet. Postremi anteriores fiunt, & primi novissimi. Quod ubi animadvertit tumultuaria agrestium turba, prædæ studio audacius in milites irruit, & magnis à tergo & à latere aperto clamoribus subjectos acrius cædendo, præcipites agit. Multi ex iis occiduntur. Plures confecti vulneribus sternuntur. Gerardus Gratianus Cotignolanus vir fortis & belli usu insignis cum esset omnium fere novissimus, multitudineque pressus, equo intra cautes lapso, sese unius accolæ fidei crediderat. Sed ab eodem neglecta fide, crudelitate in supplicem uso, ubi cassidem posuisset, Scorpionis cornu in caput percussus interiit. Cum autem in planiciem quamdam haud magnam in convalle sitam ab agmine per variam hominum stragem perventum esset, Franciscus omnes in orbem adactos consistere imperat. Ob id multitudo circumfusa cædendo abstinuit, seque ad montium radices, qui undique impendebant, continuit, fremens ac noctis tenebras exspectans. Miles omni ex parte aditibus montibusque occupatis quoquam discedere neque audebat neque poterat. In tanto omnium salutis discrimine Franciscus ab Eliana Spinula, muliere quidem ingenua, & Philippo deditissima, quæ Runcum oppidum non longe possidebat, perbenigne exceptus, à tanta agrestium immanitate servatus est. Postridie verò nonnullorum opera Genuensium civium ex familia Spinula factum est, ut ea rusticorum parte submota, qua Franciscus omnibus interclusis itineribus in convalle distinebatur, cum suis, unde discesserat, reverteretur incolumis. Ceterum non multis post diebus, sedato Ligurum incolarum tumultu, Franciscus perfidiæ ad Philippum Nicolao Guerrerio, & Alberico Comite auctoribus, insimulatur, quasi brevi seu ad Venetos seu ad Florentinos transiturus. Qua quidem re à pleno suspicionis natura Principe facile credita, in Papiensem agrum, qui duos inter amnes Padum Ticinumque interjacet, in hiberna transmissus, Mortarium oppidum sibi hibernandi locum delegit. Ibi biennio fere tanta omnium rerum inopia vitam egit, cum nulla omnino stipendia penderentur: (6) ut non temere quemquam vel obsessum graviora pertulisse constet. Quod eo Philippus animo faciebat, quo milites ea penuria adducti, arma equos & quicquid pretiosi haberent, sensim consumerent. Interim & Præfectos equitum & Centuriones, quos virtute præstare noverat, tum pecunia tum muneribus aliis & pollicitationibus multis ad deserendum ducem allicere non desistebat. Sed tanta fuit omnium tolerantia, tantaque in ducem suum fides atque constantia, ut nemo præter duos ad summum tres repertus sit, qui inconstantiâ perfidiâve eo tempore usus fuerit. Ipse Franciscus recte factorum conscientia fretus sæpe Philippum adibat, innocentiam purgare contendebat: qua in re cum ceterorum amicorum, tum vel maxime unius Guidonis Taurelli operâ usus est. Verùm cum obtrectatorum causâ Principis illius iratum in se animum comperisset, decrevit omnia prius extremâ patientiâ toleranda, quàm admittere quicquam, quod sibi vitio ascribi posset. Fert de eo retinendo necandoque bis in consilio dictis sententiis disputatum: bis Guidonis causâ, qui semper ne quid in eum gravius statueretur, obstiterat, auctoritate servatum. Interim dum hæc agerentur, pacata omni Longobardia, Florentini, qui immenso semper desiderio Lucæ Urbis potiundæ exæstuaverunt, adversus Lucenses Nicolao Fortebraccio duce sumsere arma, rati eos, quibus per id temporis Paulus Guinigius Tyrannus imperabat, facile in ditionem redigere posse. Quare Paulus suis diffisus viribus, & omni alio auxilio destitutus, ad Philippum supplex confugit. Hunc etsi perdifficilem ad ferendam sibi opem inveniebat, propterea quod pacis fœderibus cavebatur, ne Macram flumen Philippus transiret, Etruscorumve fines invaderet, non destitit tamen & rogare, & obsecrare, quo pereunti sibi subveniret, do-

nec

(6) MS. ut sui fere omnes pro pane rapas & olera ederent, pro vino aquam biberent. Carnes si gustare volebant, animalibus silvestribus quæ venando capiebant, vescerentur, & vestitu horrido uterentur. Quod eo &c.

nec tamdem Senensibus deprecatoribus, qui metuebant, ne subactis Lucensibus, id postea bellum in sese transferretur, à Philippo (7) impetrat, ut aliquis ex suis ducibus per simulatam abitionem sibi auxilio mitteretur. Redierat per eos dies Franciscus omni demum perfidiæ suspicione purgata in antiquam Philippi gratiam, stipendiisque finitis Lucensibus, Senensibusque legatis petentibus ad eam rem conficiendam idoneus visus ei expeditioni destinatur. Acceptâque à Philippo & ex Apulia à paternis Urbibus pecuniâ, & militem veteranum exornat, novum conducit, conflatoque paucis diebus exercitu ex Longobardia movet, & superato Apennino, in Lunenses, inde continuato itinere in Lucensium fines pervenit.

At Fortebraccius, qui universo Lucensi agro occupato castrisque positis Urbem premebat, ubi de Francisci adventu cognovit, soluta obsidione, ad oppidum (Ripamfractam vocant) medium inter Lucam & Pisas, se cum exercitu fœdâ fugâ recepit. Paulus & Lucenses tanto periculo Francisci beneficio liberati, agrum, qui ut docuimus, ad hostes defecerat, recuperare summo studio curant. Sed Paulus mercandi quam regnandi doctior, quo se omnino perpetua solicitudine metuque solveret, clam cum Florentinis de dedenda Luca agere cœpit, pactus ingentem auri vim, utque à Florentinis civitate donaretur. Quod ubi apud Lucenses increbruit, continuo illi Franciscum in Urbem accersunt, factoque impetu, Tyrannum captivum cum filiis quinque ad Franciscum perducunt. Orant, ut & Civitatis administrationem suscipiat, & de Tyranno, à quo exitium ei paratum scirent, deque liberis supplicium sumat. At Franciscus etsi intelligebat, & quid Paulus mereretur, & quid sibi liceret, tamen ne qua infamiæ labe suam innocentiam pollueret, repudiato regno, quod ultro à civibus offerebatur, Urbem liberam dimittit. Paulum cum liberis ad Philippum perduci jubet. His peractis ad recuperandum, quod reliqui erat in hostium manu agri, rursus educit. Jamque municipia complura partim vi ceperat, & in prædam verterat, partim metu vel voluntariis municipum animis in deditionem compulerat, & ad Pisciam oppidum, magno munitum præsidio, ventum erat, cùm Florentini Boccacinum Alamannum ad eum legatum mittunt, quem gratum futurum existimarent, propterea quod antiqua cum Sfortia ejus patre, quo tempore cum Florentinis mereret, amicitia conjunctus esset. Is Francisco accommodata oratione persuadet, ne Florentinum Populum, qui Sfortiæ patri semper amicissimus fuisset, quique sibi & suis magno usui aliquando esse posset, injuria damnoque afficere pergeret. Fateri se paterni stipendii jure Florentinos magnum argenti pondus ei debere, idque si Lucensi bello excedat, redituros. Quibus auditis Franciscus, quoniam Philippo nullis stipendiis obstringeretur, & à Lucensibus propter pecuniæ inopiam nihil emolumenti ad sustentandum exercitum consequi poterat, ob eamque rem sibi necesse fore intelligebat, ad alienam opem confugere, judicavit oblatam à Florentinis conditionem non repudiandam. Itaque (8) septuaginta aureorum nummûm millibus (tot enim Sfortiæ patri debebantur) numeratis redderent. Lucensi agro excessit, in Apuliam, ut ante constituerat, profecturus. Lucensibus per hunc modum confectis rebus, Anno qui fuit à Natali Christiano Trigesimus & Quadringentesimus ad Millesimum, Franciscus in Galliam Cisalpinam ex Etruria revertitur, Mirandulæque subsedit eo consilio, ut inde in Apuliam, ut prædiximus, proficisceretur, cum Florentini maximo rursus comparato exercitu Guidone Antonio Comite Urbinate duce Lucam obsidione premere cœperunt, eamque nullo intermisso tempore & tormentis & omni conatu oppugnare contendebant, cum Philippus ea necessitate compulsus ferendum à se amicæ Urbi auxilium judicat. Itaque misso eo cum magnis copiis Nicolao Picinino, Florentini primo impetu pugna superati funduntur, atque cum ipsorum ingenti clade fugantur. Quibus ex rebus turbata pace, Veneti majore quam antea apparatu bellum Philippo inferre decernunt, nec minus Philippus ipse majoribus viribus adversùs Venetos accingitur. Quo tempore cùm Franciscus stipendio & honorificentissimis conditionibus ab utrisque invitaretur, Martini Pontificis operâ à Philippo, cui nulla soboles virilis erat, adoptatur, & in antiquam, illustremque Vicecomitum familiam cum omnibus liberis posterisque transire jubetur. Et quo majore studio majoreque beneficio obstringeretur, gener deligitur, Blancâ Mariâ unicâ filiâ adhuc puellâ desponsatâ, Vexilloque in quo erat depicta Pantera, oppidisque tribus Castellatio, Bosco, & Frecarolo, Alexandrini agri non ignobilibus, donatis. His rebus ex utriusque sententia confectis, Franciscus eo, qui insecutus est, Anno, ad prima signa veris ex Mirandula cum suis omnibus copiis proficiscens Cremonam se contulit. Conflato igitur, ut ostendimus, secundo Veneto bello, mors Martini Pontificis Quinti contendentium animos à novandis in Longobardia rebus aliquandiu suspensos tenuit. Sed posteaquam Gabriel Condulmerius patriâ Venetus, Romanus Pontifex declaratus, cui Eugenio Quarto nomen fuit, Martino suffectus est, Veneti majore animo erecti, haud amplius dissimulandum censuere, quin aperto bello arma Philippo inferrent. Erat per id tempus cum magna copiarum parte in Brixiensi Cremagnola, qui summa cura spem victoriæ quasi certam pollicendo, Venetos ad renovandum bellum traxerat. Is contracto haud procul Urceis Novis exercitu, ubi plures dies proximorum populorum ad deditionem animos tentando consumsit, in Cremonenses trajecit, spe Soncini oppidi per proditionem potiundi. Quod ubi Franciscus, qui Cremonæ, ut docuimus, agebat, per exploratores cognovit, coacta confestim valida equitum ac peditum manu obviam proficiscitur: pugnâque ad sextumdecimum Kalen. Junias non longe

(7) MS. qui iniquo animo ferebat, ut amica Urbs in æmulorum potestatem deveniret, impetrat &c.

(8) MS. Itaque conventum est, ut quod æris Florentini patri Sfortiæ debebant, quod erat ad septuaginta aureûm nummûm millia, filio redderetur, ipse autem Lucensi agro excederet, in Apuliam &c.

ge à Soncino acerrime consertâ, hostem fundit, ac in fugam vertit, captis equitibus amplius quingentis ac mille, ex peditatu autem magno numero. At Veneti ubi Cremagnolam fusum profligatumque acceperunt: (9) suis rebus metuentes, ad bellum gerendum magno studio incensis omnium animis, sic quamcelerrime omnia compararunt, ut non modò hostis vim suis finibus arcere, sed & alienos invadere sperarent posse. Pecuniâ igitur in milites abunde distributâ, instauratis, auctisque copiis, Cremagnolam rursus in Cremonenses transire imperant, classemque insuper multo majore navium numero quam superior fuerat, ac omni bellico apparatu instruunt. Nicolaum Tarvisinum ejus classis præfectum designant. Constabat Galeonibus maximis septem & triginta, triremibus ac biremibus aliisque actuariis naviculis circiter centum. Hæc adverso flumine Pado Cremonæ cum appulisset, è regione Urbis eo animo substitit, ut Cremagnola, qui tribus fere passuum millibus aberat, terrestri quoque exercitu uno atque eodem tempore & Cremonenses urgeret, & classi adjumento esset.

Contra verò Philippus exercitum classemque paraverat, sed hostili nequaquam parem, quæ Galeonibus navibusque aliis minoribus circiter quinquaginta secundo amne navigabat: cujus præfectus erat Pacinus Eustachius Papiensis. Hunc cum in se venientem Tarvisinus cognovit, & Cremagnolam cunctantem vidit, obversis navium proris, qua venerat, regrediens, tribus circiter passuum millibus à Cremona resedit, quam in partem facile terrestrem exercitum accedere posse, & classi auxilio esse perspexisset. Franciscus autem Sfortia & Nicolaus Picininus, qui Philippi copiis præerant, cum non longe à Pisleone oppido castra firmassent, delectu ex omni exercitu habito, classem, quæ navalibus sociis erat fere vacua, compleverunt, eo consilio, ut reliquus exercitus & propter paucitatem, & quod omni esset militum robore nudatus cum impedimentis trans Adduam sublicio ponte, qui erat ad Pisleonem, sese conferret. Pacinus, cui tantis viribus aucto adoriendi hostis creverat animus, cum primum adventavit in conspectum hostilis classis, confligendum sibi putavit, quippe qui ut erat naturæ fluminis peritissimus, verebatur, quod imbribus paulo excrevisset: fore, ut decresceret, ubi pugnâ diutius abstineret, & ita deteriore se futurum conditione. Quare hostilem classem magno impetu invadit. Prœlium utrimque vi magna committitur. Cadunt undique multi. Cruore omnia fœdantur. Tamdem nocturnis tenebris utrimque pugnâ cessatum est, amissis è Philippi classe Galeonibus quinque, qui à classe reliqua sejuncti & ab hostium multitudine pressi intercepti sunt. Quo fiebat, ut in Philippiana classe haud mediocriter trepidaretur. Quod cum animadvertisset Franciscus, duo sibi uno tempore providenda putavit, ut & classiariis animum ad confligendum adderet, & Cremagnolæ ad Venetam classem adventum moraretur. Itaque duos (10) gregarios equites velut transfugas ad hostes ad opem classi ferendam jam se parantem mittit. Hi cum ad Cremagnolam mane venissent, multa, ut erant edocti, de Francisco questi affirmant, Philippi exercitum castra movisse, & instructa acie ad invadendum eum procedere. Quibus auditis Cremagnola, re facile credita, continuo ad pugnam se parat, neque loco, ubi erat, excedendum judicat. At Franciscus & Nicolaus ubi primum illuxit, classem conscendunt, & hostilem, quæ navium proris contra vim fluminis ex ordine dispositis catenisque inter sese firmatis, hostium impetum exspectabat, magnis clamoribus, viribusque adoriuntur. Extemplo perturbata Veneta classis disjungitur. Pugna densior atrociorque quàm pridie omni missilium genere conseritur. Concertabatur enim uno tempore universis utrimque navibus vario eventu, quod modò Veneta, modò Philippiana classis inclinare videbatur. Novissime autem cum nonnulli ex Philippianis Galeones caperentur, & inter cæteros unus, cui præfectus erat cum delectis militibus Petrus Brunorius Parmensis ex Sfortiano equitatu vir sane fortis & rei militaris peritissimus, pertimuere naves reliquæ: jamque cedere & turmis trahendarum navium causâ in litus expositis adverso flumine fugere cœperant. At Franciscus & voce & nuntiis hac illac Myoparone discurrens, & navium rectores & navales socios, ipsum etiam Pacinum, graviter increpare, accusare, milites hortari, & monere, ut classiarios ad pugnam redire cogerent. Idem faciebat Picininus; quorum vocibus rursus prœlium magno animorum ardore renovatur. Et tamdem cum enixissime ubique pugnaretur, decrescentis fluminis beneficio quidam ex Veneta classe Galeones, qui ex sublimioribus erant, gubernatoribus naturæ fluminis imperitis in vadis hæserunt, ita ut nullo remorum impulsu, nulla vi, nulla denique arte, loco submoveri potuerint. Hos (11) Franciscus levioribus navigiis continuo adortus, capta in hoc numero navis Prætoria fuit. Tarvisinus autem præfectus desperatis rebus ex Galeone in subjectam scapham demissus fugâ salutem petiit. Prætoria igitur navi cum signis capta, tantus repente reliquis injectus est terror, tantaque rerum desperatio omnes invasit, ut uno fere momento conversis navibus secundo amne evadendi studio cursu contendere cœperint. Quorum naves Philippiani magno impetu clamoreque terribili insequentes, majore earum parte potiti sunt. Ingentem profecto ea pugna Venetis cladem intulit: novem enim ac viginti Galeones & reliquam fere classem universam amiserunt. Constat classem ipsam maximo ac incredibili prope sumtu fuisse comparatam. Nam præter quamplurimos navium alveos exquisitis ar-

(9) MS. qui dolo eorum, qui de Oppidi proditione secum egerant, circumventus fuerat, suis rebus &c.

(10) MS. duos ex equestri ordine milites, quos Calippos nominant, velut transfugas ad hostes mittit. Qui, ut prædiximus, quo mature, ubi opus esset, Venetæ classi opem ferret, ad tria passuum millia à Cremona distabat. Hi duo, cum ad Cremagnolam &c.

(11) Hos Philippiani, & in primis suo Galeone converso Franciscus, quem in medio prœlii fervore conscenderat, levioribus navigiis continuo adortus, ceperunt, quorum in numero navis Prætoria fuit.

artificum ingeniis exædificatos, eo arma, tela, commeatus, & quicquid certis incertisque casibus conducere posse putabatur, vincendi studium adeo accumulate contulerat, ut mirum videretur tantam rerum omnium copiam ipsas etiam Venetias suppeditare potuisse. Hoc autem prœlium commissum est in Pado non procul Cremona Anno à Natali Christiano Primo ac Trigesimo supra Quadringentesimum ad Millesimum, nono Kal. Julias. Ea calamitas vel inprimis causa fuit, ut apud Venetos Franciscus Cremagnola in eam venerit perfidiæ non lati Tarvisino auxilii suspicionem, qua postea insequenti Anno Venetiis est publice securi percussus. Post eam pugnam nihil est per æstatem gestum memoratu dignum: tentatum tantum ad Idus Octobres à Cremagnola capiendæ furto Cremonæ facinus. Nam per vigilum negligentiam noctu scalis muro admotis, Arcem, quam Sancti Lucæ Cremonenses nuncupant, milites, qui ad rem conficiendam à Cremagnola missi fuerant, cæsis primo ingressu custodibus occuparunt, eamque biduo fere obtinuerunt, Cremagnolam cum exercitu, qui ad tertium lapidem castra habebat, exspectantes. Sed ubi nulla auxilia mitti, & continenter à Cremonensi Populo magno omnium concursu se oppugnari viderunt, arcellam deseruere, quorum pars capta est, pars fuga in castra se recepit. Ferunt sæpe Cremagnolam dixisse, cum de ferendo iis auxilio, qui arcellam occuparant, consultaretur, vereri se, ne latentibus hostis insidiis perdendum objiceret exercitum. Atque hæc secunda fuit causa, quæ illi apud Venetos exitium peperit. Autumno jam exacto Cremagnola, quod importunis crebrisque imbribus conficeretur exercitus, & quod equi morbo permulti absumerentur, copias in hiberna deduxit. Sub idem tempus Franciscus suis omnibus copiis aliisque paucis adjunctis adversus Johannem Jacobum Montisferrati Marchionem, quod & primo & secundo Veneto bello cum hostibus senserat, missus imparati hostis fines ingressus omnia tumultu ac trepidatione involvit, populatusque multorum agros, nonnulla deinde oppida expugnat, ac in prædam vertit. Quare tantus subitò ejus regionis Populos armis insuetos pavor occupavit, ut nullo fere negotio sese Francisco dediderint. Ita paucis mensibus per hyemem Johannes Jacobus omnibus prope oppidis vicisque spoliatus eum ipsum etiam Casale sancti Evasii, quod est oppidum celebre & regionis caput, Marchionumque sedes, ad Franciscum descivisset, nullum aliqunde auxilium ad se mitti sperans, suisque omnino rebus diffisus, oppida quædam, quæ nondum defecerant, Amideo Sabaudianorum Duci, & sibi affinitate conjuncto, velut illi finitima, servanda tradit: (12) Dein Alpes transgressus, per Germaniam iter faciens ad Venetos confugit.

Dum hæc geruntur, Sigismundus Cæsar Hunnorum Rex, Philippi hortatu Italiam ingressus Mediolanum ad accipiendam Imperatorio more ferream Coronam venit, inde postea Romam petiturus. Ejus rogatu Johanni Jacobo Philippus ignovit, oppidaque universa, quæ in sua erant potestate, restituit, cum idem à Sabaudiano fieri contenderet, negatum est. Montisferrati per hunc modum rebus compositis, Franciscus à Philippo accitus Mediolanum proficiscitur, ubi intra Idus Februarias insequentis Anni publice ac magna cum celebritate Blanca Maria jam annos septem nata ei desponsata est: id quod superiore anno, ut demonstravimus, pater promiserat. Ceterum fessi bello non tam Philippus quam Veneti, ac Florentini Nicolai Marchionis Estensis interventu de pace inter sese agere cœperunt, ad quam præter ceteras belli difficultates illa maxime ipsos de summis rebus contendentes hortabatur, quod & Veneti Cremagnola iis de causis, quas supra diximus, publice interfecto, Imperatorem non habebant, & Philippus Nicolai Picinini propter id vulnus, quod ad Binam sub occiput acceperat, operâ uti non posset. Itaque cum ad Nicolaum componendæ pacis delata esset potestas, ea tamdem pax circa Kalendas Apriles renovata est, & captivi ultro citroque dimissi. Per eam pacem omnia oppida restituta sunt Florentinis, quæ in Pisano, Volaterrano, & Aretino agro Philippi copiæ cepissent. Lucensibus quoque municipia universa, quæ prius amiserant, Florentini dimisere. Ceterum Sigismundus Imperator, ut demonstratum est, exæstuante adhuc Italico bello Mediolanum venerat, nec Philippi potentia opibusque fretus magnas copias ex Germania secum adduxerat. Ibi per hyemem aliquandiu immoratus, & à Philippo honorificentissime & magno impendio exceptus, deinde Parmam Francisco Sfortia comitante profectus, hyemis reliquum consumsit, tamdem ineunte vere in Etruriam transgressus, in Urbem Lucam se contulit. At Florentini non tam Philippo quam Sigismundo infesti ea maxime victoria elati, quam paulo ante adversùs Philippi copias apud Torporium oppidum non longe à Pisis adepti fuerant, in Lucenses misêre exercitum, & apud ipsas prope Urbis portas castra posuerunt, militesque late longeque pervadentes cuncta ad ipsa usque mœnia in conspectu Imperatoris populati sunt. Post hæc in Senenses traductis copiis agrisque vastatis Florentinorum duces parum admodum in iis locis propter commeatus inopiam commorati, in Aretinorum fines concesserunt. Itaque per eorum absentiam adeundi Senas facultatem nactus Imperator, eo statim maturavit. At post aliquot menses tamdem de Pontificis voluntate, qui prius eum admittere negaverat, Romam profectus, ab eo solemniter Coronâ aureâ donatus est. Postea vero Româ abiens, per Tudertes & Perusinos Ariminum petiit. Inde per Ravennatem, Ferrariensem, & Mantuanum agrum, Italiâ excessit: & quidem tanta vel animi vel fortunæ varietate, ut infensissimus Philippo abierit, cujus hortatu, fiducia, atque opibus, ex Germania moverat: Venetorum autem quibus maxime inimicissimus in Italiam venerat, amicissimus recesserit. (13) Certe cum Mediolani esset, ne-

(12) MS. quæ postea pacatis aliquando rebus sibi restitueret. Dein &c.

(13) Nam constat, dum Mediolani fuit, neque Philippum adivisse illum umquam, sive quod, ut ajunt, suspicaretur, ne in se manus injiceret, sive quod illius præsentiam vereretur; neque ut Imperator ipse iret ad illum in Arcem, ut sæpe petierat, etiam cum paucis permisisse. Dum verò per quietem &c.

neque Philippus ad eum salutandum umquam venit, neque rogantem cum exiguo comitatu intra Arcem admittere voluit. Dum per quietem Franciscus Cremonæ desedit, rursus Philippo per obtrectatorum invidiam in perfidiæ suspicionem venit: (14) adeò ut eum interficiendum secretò statuisset, Cremonam miserit Simoninum Gillinum Alexandrinum cum his mandatis, ut si is ad se sponte veniret, illum sequeretur. Sin forte aliquâ causâ recusaret, illico retineret, retentumque necaret. Franciscus autem, qui hæc omnino ignorabat, nec quicquam admiserat, cur sibi timendum esset, acceptis Philippi mandatis, Mediolanum pergere maturat. Sed cum Laude per noctem quiescendi gratia constitisset, fit Contucii Perusini ejus apud Philippum Legati literis certior, à Philippo statutum, ut cum primum Mediolanum appulisset, obtruncaretur. Ea re cum paucis ex suis communicata, omnes eum flentes orant, obsecrant, ne ad necem manifestam ultro ac temere prodeat. Sed dum liber est, quod deambulandi gratia ad pontem qui in Addua est, jam pervenerant, in Venetorum fines sese recipiat. At ille recte factorum conscientia fretus, nolle se dixit, ubi culpâ omnino vacaret, cum abisset, perfidiæ insimulari. Itaque postridie mane Mediolanum ire contendit, non sine magna tamen suspicione, ne quid gravius per malivolorum invidiam in se statueretur. Philippus autem à Simonino de illius adventu certior factus, mutata in melius sententia, cum nihil in homine doli esse judicaret, summo recipi in Urbem honore confestim jubet. Huic facta est obviam extra Urbem ad secundum ferme lapidem Maria Dux cum ingenti prope & aulicorum & mulierum numero. Quod Franciscus præter consuetudinem fieri admiratus magis timuit. Sed in Philippi conspectum admissus omnem formidinem deposuit. Ita enim remotis arbitris Philippum locutum ferunt: *Nequaquam eam nos sententiam*, Francisce *fili*, *secuti sumus, quæ trito quodam proverbio usurpari solet: Totiens dici posse uni ab omnibus, eum carere naso, ut is quasi sibi diffidens, nasum tangeret, perinde ac dubitans, an eo careret. Nam de tua erga nos fide & constantia ac sinceritate animi tui nihil umquam profecto dubitavimus, sed ut calumniantium de te occurreremus suspicionibus, fecimus ea de te pericula, quæ pro ingenii tui vigore tibi nequaquam occulta fore existimabamus. Quod idcirco à nobis actum est, ut quæ de innocentia & bonitate tua perspecta nobis erant & cognita, ceteros etiam non laterent*. Deinde quæcunque hactenus sibi de eo delata fuerant, aperit, nec quemquam præter se habuisse amicum ducit, qui ejus innocentiam tueretur. Adventum ad se suum, quarum rerum insimulabatur, eum fecisse innocentissimum, non sibi qui nihil dubitaverat, sed aliis insimulantibus. Propterea bono esset animo, & ut fecerat, pergeret benefacere, & quid ejus esset & virtutis & dignitatis recordaretur. De se autem omnia sibi polliceretur, cujus perinde ac filii esset rationem habiturus.

(14) MS. & quidem majorem ac periculosiorem quam antea, adeo ut &c.

Explicit Liber Secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

JAm Tertius & Trigesimus à Christiano Natali supra Quadringentesimum ad Millesimum agebatur Annus, Cisalpinaque Gallia omnis quiescebat, cum allatum est Francisco Sfortiæ eam Apuliæ partem, quam, ut ostendimus, paterno jure obtinebat, Jacobum Caudolam armis invasisse, & jam Serram Capriolam in Samnitibus oppidum occupasse. Qua re cognita vehementer commotus statuit, omnibus prætermissis rebus, suorum saluti consulere & opem laborantibus ferre. Itaque abeundi veniâ à Philippo facile impetratâ per autumni tempus maturat omnibus copiis è Longobardia proficisci. Et jam paucis diebus in Flaminiam pervenerat, sed nondum Sapim flumen transierat, cum omnia in Picentibus misceri cœpta sunt, & per Italiam Francisci nomen increbrescere. Præerat ei provinciæ pro Eugenio Pontifice Johannes Vitellius patriâ Cornetanus Ricinatensis Episcopus, cujus ob duriorem administrationem, & quod Picentes mobilitate ac levitate animi novis imperii studere semper consueverunt, cupiebant mirum in modum hominis insolentis jugum aliquando excutere. Quamplures igitur hanc occasionem nacti, Francisco obviam veniunt hortantes, ut ad capessendam provinciam properaret, cum nulli aut perpauci essent futuri, qui ei portas clausuri sint; & Camertes Tyranni præ ceteris, qui inter sese diffidentes in fraternum sanguinem sævierant, ad eum de deditione miserunt. Hæc cum accepisset Franciscus, ad Philippum omnia defert; & quid ejus sit consilii, quidve sibi agendum esse censeret, ab eo certior fieri curat. At Philippus qui non ægre ferebat, si in Eugenii Pontificatu res Romanæ Ecclesiæ perturbarentur, quod cum patriâ Venetus esset, Venetas partes sequebatur, Franciscum non aperte sed secretò edocet, ut Picenum invaderet, Eugeniumque quoad posset, ubique infestaret. Quod cum intellexisset Franciscus, exercitum novo milite aucto, & Laurentio Attendulo Cotignolano gentili suo, ac longo belli usu insigni, qui apud Venetos superioribus annis meruerat, inter alios sibi juncto, compositis Apulis rebus, ex Flaminia, ubi his de causis plures dies consumserat, movet, & justis itineribus, Piceni agri fines ingreditur. Ac primo adventu Urbem Æsim, quæ ab flumine nomen capit, aggreditur. Cives avum, & si hyems jam aderat, & præsidio equestri non invalido, Josia Aquavivano præfecto, muniebantur, tamen postridie ejus diei præsidio incolumi sese atque Urbem Francisco dedidere. Hæc tam subita Æsinorum defectio tanto ceteros timore conterruit, ut ad Franciscum deinceps certatim de deditione legati mitterentur. Prætergressus inde duos Potentiam, Clentemque amnes, Oppidum, quod Ulmi Montem velut in montem positum Picentes dicunt, cum longa pace, tum agri fertilitate opulentum circumsedit. Nam oppidani bello armisque insueti, mœnibus confisi præter ceteros in fide manere videbantur. At Franciscus cui non ingrata erat ea Ulmensium pertinacia, quippe qui

A optaret aliquod sibi offerri oppidum, quod jure belli diripiendum militibus daret, ut & sese præda ditarent, & locum haberent, quo se deinceps recipere, si quid opus esset, possent, speculatus loci naturam munitionesque manu factas, postero die omni ex parte inopinantes oppidanos aggreditur, pugnâque acerrime confertâ, tamdem refracto ferreis sudibus muro, scalisque admotis, fit in oppidum irruptio, moxque irruentibus passim militibus, in prædam vertitur. Eo rumore provinciam in omnem perlato fit continuo major quàm antea ad Franciscum dedentium concursus, nullumque remittitur tempus ab iis, qui nondum ad eum de pa-

B ctione misissent. Vitellius Ricinatum tamquam ad præcipuam provinciæ arcem ob singularem in eam Civitatem fidem se receperat. Sed ubi vidit tantam animorum mutationem dimissâ provinciâ, mari in proximam Brutiorum regionem confugit, unde postea Romam se contulit. Ejus discessu Auximani, deinde Ricinatenses communi omnium consensu finitimorum exemplum secuti, ad Franciscum desciscunt. Præfecerat Vitellius non tam provinciæ ejus arcibus singulis, quam aliis etiam permultis in Umbris atque Etruscis, quæ Eugenii præsidio tenebantur, Ricinatenses cives, quos Civitatis primarios cognoverat, quosque sibi fi-

C deles fore existimabat. Ea igitur Urbe recepta, Franciscus præfectorum familias comprehendi, ipsisque arcium provinciæ præfectis enunciari mox jubet, nisi arces continuo dediderint, suos mortem passuros. Quo illi metu territi, oppidanis adhuc in Pontificis fide permanentibus arces dedidere. Nam & Firmanam arcem, quod Firmani Girifalcum appellant, quorum Urbs provinciæ primaria habetur, & Asculanam in ultimis provinciæ finibus positam, ceterasque cum ipsis etiam Urbibus consecutus est. Quod tanta celeritate factum est, ut quintodecimo ferme die postea quam in Picenum agrum ventum est, universa prope provincia in ejus devenerit

D potestatem. Ipsa etiam Ancona Urbs antiqua portuque nobilis & Picentium caput stipendiaria ultro facta. His rebus gestis jam in Umbria atque in inferiore Etruria tumultuare Urbes, quæ Eugenio Pontifici parebant, & novis rebus studere cœperunt, & nonnullæ studio partium de deditione ad Franciscum mittere, eique ut ad ea loca transirent, persuadere.

Sub idem tempus Nicolaus Fortebraccius, qui non multo ante sub eo Pontifice militaverat, alienatus, quod se ab eo insidiis petitum cognoverat, magno tumultu Tibur occupavit, oppidisque quampluribus Romæ proximis in potestatem redactis, gravissi-

E mum Romanis bellum inferebat. Huic oppositus erat Michaël Attendulus rei militaris disciplina Fortebraccio non inferior. Verùm cum ceterarum rerum ac maxime pecuniæ, quibus bella administrantur, copia non suppeteret, & jam non semel defraudati stipendio milites necessario segni militia fungerentur, ægrè hostem sustinebat: & ob eam causam nutantibus omnium ferè Populorum

ani-

inimis, & ad defectionem inclinantibus, posteaquam in Pontificis auxilio parum spei esse cernebatur, quibus Bracciana factio erat invisa, hi tutissimum sibi refugium in Francisci Sfortiæ præsidio esse censebant. Franciscus autem hoc rerum successu animo erectus statuit occasionem tantæ rei non prætermittere, sed jam parta armis firmare, & vocantium amicorum consilia sequi, viresque circa ea loca, quoad posset, extendere. Itaque per hyemem quantis potuit copiis ad eum novi opimique belli fama confluentibus, non multo argento exercitu aucto, Apenninum per Camertium fines in Umbriam trajecit: & primi Tudertes, quorum Urbs in Umbria est egregia, missis legatis, sese ei dediderunt. Procedenti deinde per eam provinciam, Sabinosque, & in interiorem Etruriam transgresso, facti sunt obviam Interamnenses, Tudertium exemplum secuti. Amerini item, Tuscanienses, & propinquiores Urbi Romæ Otriculani, Malianenses, Surianensesque, quorum arce, fama nobili, præfecto tradente, qui Ricinatensis erat patriâ, sine ullo negotio potitus est. Multa præterea oppida ignobilia partim expugnata diripuit, partim per metum voluntariamque deditionem in fidem accepit. Ingruentibus igitur undique periculis perterritus Eugenius, ac necessitate magis quàm ex dignitate agi oportere ratus, mittit ad Franciscum propere Nicolaum Campanum Episcopum, qui postea Cardinalis fuit, ut quavis ratione eum sibi reconciliaret. Nec difficile fuit volentem impellere, quod ille animo longe supra præsentem fortunam prospiciens, & ad honesta propensior, cùm satis in præsentia haberet dignitatem suam, & exercitus incolumitatem posse tueri, oblatas ab Eugenio conditiones libens accepit. Convenere autem, ut Franciscus accepto Marchionatus titulo, Picenum agrum legitimo jure possideret. Cetera oppida, quæ in Umbris atque Etruscis cepisset, tamquam Romanæ Ecclesiæ Vicarius obtineret, cujus etiam Vexillifer constitutus (primarum enim Militiæ partium ea omnino in Italia suprema dignitas est) quæ hostis occupasset, Eugenio, Ecclesiæque pergeret recuperare. His rebus ita constitutis, Franciscus ad Michaëlem duo circiter equitum millia, Laurentio Attendulo, & Leone Sfortia fratre ducibus, confestim mittit: qui ad eum profecti ita torpentem Eugenii exercitum, ac sibi diffidentem sublevarunt, ut qui modo trepidarent, nec satis tutum sibi locum castrorum munitiones arbitrarentur, hi ultro hostem ad pugnam provocarent. Montemrotundum primo oppugnare adoriuntur, sed oppidum natura loci munitissimum, cùm hostis facile tueretur, Sfortiani duces soluta obsidione ad Tibur castra firmant. Quos insecutus Fortebraccius commisso ad Homentum prælio, fusus fugatusque equites circiter ducentos amisit. Franciscus interim Montemfaliscone, quod oppidum Fortebraccii præsidio tenebatur, obsidebat. Nec dubium erat, quin Fortebraccius ipse brevi Ecclesiæ finibus pelleretur, nisi Philippus de fœdere inter Eugenium Franciscumque icto certior factus, idque molestè admodum ferens, Nicolaum Picininum cum viribus in Etruriam misisset, qui per simulationem curandæ valetudinis ad balneas Senenses venerat. Et quamquam Franciscus, ut prædiximus, Faliscонem obsidione premebat, & Michaël adversùs Tiburtinos castra habebat, nihilo tamen secius Fortebraccius non tam Etruscum Ecclesiæ patrimonium, quam Romanos Cives ex Vetralla multisque aliis Columnensium oppidis, crebris incursionibus vexabat. Et ob id sive quod Romani gravissima diuturni belli incommoda amplius perferre non possent, sive quod Picinini in Etruriam adventus multorum animos à Pontifice alienasset, Romæ in dies omnia turbulentiora erant: nec sanari ulla ratione hominum mentes poterant, donec correptis armis infima plebs sese in libertatem asseruit. Est enim naturâ mortalibus insitum, libertati studere & servitutem odisse. Portæ Urbis præsidio firmantur, exceptâ Appiâ, quam Michaël & socii cognito urbano tumultu, Tiburtina obsidione extemplo relicta, eo advolantes, præmissis levis armaturæ equitibus occuparunt: eaque præsidio munita ad Divi Pauli Basilicam consederunt. Inde Latium late populabantur. Sed nec satis Eugenius auctoritatis habere videbatur, præsertim quia Pontificatum pacatissimum à Martino susceptum confestim ipse magnis turbationibus involvisset. Jamque Concilium Basileæ cogebatur, & quidam eo Cardinales profecti erant: Eugenius interim apud sanctum Grisogonum obsidebatur, quem, ne inde abiret, omni aditu præcluso circumsepserant: atque ita aliquot dies indigna quæque perpessus: tamdem mutata veste exceptus parvo Lembo per Tiberim inter jaculantium tela ex utraque ripa multis secundo amne terraque insequentibus Romanis, Ostiam vix incolumis advehitur. Ibi triremem nactus, Pisas, inde Florentiam petiit. Mox ad Franciscum mittit, qui eum de iis, quæ acciderant, edocerent, mandarentque, ut universi Ecclesiasticæ ditionis Populi eidem velut præcipuo ejus Ecclesiæque Romanæ Vicario ac Vexillifero parêrent. Romani autem ubi Pontificem consequi nequiverunt, in Præsules reliquos ubique per Urbem impetu facto, bona, quæ adhuc illis à fuga superfuerant, in prædam vertunt. Nam multi partim amicorum beneficio in proxima Urbi municipia confugerant, partim in Hadriani Molem sese receperant. Inde ad Picininum legatos mittunt, qui eum ad accipiendam pro Philippo Duce Urbis curam accerserent, donec in Basiliensi conventu de Pontificatu, deque Ecclesiæ rebus decerneretur. Quibus cognitis, Picininus haud sibi cunctandum existimavit, quominus amicæ Urbi & Fortebraccio suæ factionis duci, à duobus exercitibus pæne intercluso, opem ferret. Itaque contractis magna festinatione copiis, in Umbriam repente irrupit. Exploratisque itineribus paucis diebus in Viterbinorum fines pervenit, Fortebraccioque, ut erat ante constitutum, vicinior factus, novum & ipse adversùs Eugenium incendium excitabat.

Nam Fortebraccius Urbis rebellione audita, factis cum Romanis confestim induciis, Picinino obviam properavit. Sfortiani item de Picinini adventu rumore perlato, haud multum morati, Appiâ portâ Romanis traditâ per pontes Transtiberinæ regionis abire permissi, aliquanto majore circuitu,

tu, quo tutius proficiscerentur, è regione inferi maris ad Franciscum contenderunt; qui paulo ante dimissa Faliscorum obsidione ad Rispampanum non longe à Tuscania, ut suis, qui Romæ erant, auxilio esset, concesserat. Et forte evenit, ut eodem die & Michaël Francisco ad Rispampanum, & Fortebraccius Picinino apud Viterbium jungerentur. Quibus coëuntibus ducibus universæ duarum in Italia maximarum in re militari factionum sibi invicem infensarum vires ad decertandum inter sese convenisse videbantur. Præerant enim hinc Franciscus & Michaël, inde Picininus & Fortebraccius, factionum principes. Videbaturque omnis fere Italia ad eventum tantæ rei suspensa. Initio autem quamquam insignes prope inter eos inimicitiæ, insignesque injuriæ intercedebant, ac factionum studia non tam ducum quam militum animos acuebant, continuerunt se tamen complures dies à belligerandi contentione, legatis Philippi Ducis id maxime conantibus, quippe qui magnopere suaderent, ne duces quos sibi Philippus vindicabat (cum alter gener, quem etiam filium appellare solebat, alter copiarum imperator esset) inter sese confligerent. At Franciscus Viterbinis, quos velut paternos hospites admodum caros habebat, opem ferre cupiens, ne eorum ager incursionibus vastaretur, motis castris è conspectu Bracciani exercitus per eos campos qui Vetrallam, Viterbiumque interjacent, profectus inter ea oppida ad divi Martiani Templum consedit. Quare & Viterbinos sua propinquitate ab hostium populationibus tutos reddidit, & ut magna ex proximis amicisque oppidis commeatuum copia in castra sine periculo comportaretur, effecit. Ceterum cum inter duos exercitus contrariæ factionis duorum ferme millium passuum spatia intercederent, ut est militantium genus procax & contumeliis intemperans, ultro citroque convicia jactabantur. Et præ cæteris Fortebraccius ipse multa de Francisco obloqui dicebatur: quodque ejus milites nitidi & ad specula comti deliciis magis quam armis studerent, & cantandi saltandique multo quam pugnandi doctiores essent. Addebat Braccianos suos vestibus obsitos brevi de tam cultis Sfortianis triumphum acturos. Quæ cum Francisco ex audientium indignatione sæpius renuntiarentur, non pati amplius potuit, quominus ad Philippi legatos querelam deferret, adjiceretque, se Fortebraccio propediem ostensurum, an Sfortiani hastis gladiisque pugnare didicissent. Itaque rei indignitate commotus, advocatis ducibus ordinumque præfectis, in hunc modum locutus est: *Nullum ego, socii, neque vidi, neque à peritis rerum audivi bestiarum genus gigni, quod non quandoque feritate deposita, mansuescat. Soli nebulones Bracciani sunt ætate nostra, quorum insolentia, superbia, atque temeritas augeatur. Id verò malum, quæ peperit, aluit etiam ignavia: quibus cum hactenus illis res fuit, dum famæ per jactantiam student quâ plura quàm armis gesserunt, magnam sæpe cladem intulerunt. Soli sumus commilitones, quibus nec Braccianorum larvæ timorem incusserunt, nec vani rumores nubem oculis obduxerunt. Potuistis me adolescente duce, sternentem omnia Braccium, à quo hi omnes habuere initia, apud Aquilam ad interni-*

A *cionem delere. Cujus præclari facinoris gloria effectum est, ut nos tota pæne Italia ad unum omnes capitali odio persequantur. Et ubi virtute armisque superare non possunt, dolis, insidiisque, quibus artibus sibi à natura insitis semper studuerunt, ad nostram perniciem utantur. Sese Coclites & Corvinos singuli jactitant. Nos verò lenones, ganeonesque, & infimos hominum dicunt. Hujusmodi probris & contumeliis insectantur. Deum testor immortalem, si vestra modò aderit sententia, si is ad decertandum vobis paratus erit animus, quo semper hactenus quosque congredi ausos obtrivimus, me insequenti die prima luce collatis signis pugnandi copiam Braccianis facturum, & sive nostrum sustinebunt*

B *impetum, sive nobis insequentibus terga dabunt, non prius cædendo desistam, quam universæ Italiæ ostendam, Braccianos fraude, fallaciis jactantiaque, & nullis aut viribus aut virtute ad id nominis pervenisse. Nam siquid adhuc laudis Nicolaus Picininus adeptus est, id non suæ, sed Philippi Ducis, ceterorum belli ducum virtuti, & militum robori tribuendum est. Memineritis autem inprimis me, qui hactenus pro gloria proque victoria toties una vobiscum conflixerim, cum hoc nunc latronum grege de vita deque fortunis omnibus in certamen descensurum.* Dici profecto nequit, quanta omnium alacritate oratio hæc excepta, & quammaximus è vestigio sublatus sit clamor. Postero autem die

C ante lucem omnes arma protinus expediant, & quisque si quid pretiosi habeat, sese ornet, Franciscus edicit. Deinde instructa acie per montis declivum in hostes ire contendit. Ex itinere Michaëlem Troilum & Zarpellionem cum electa equitum peditumque manu præcedere agmen, hostemque nulla cunctatione ad ipsa usque tentoria adoriri imperat, seque statim cum reliquis copiis subsecuturum dicit. Inde inspecturus, si quid posterius superesset, ad instruendam aciem ad postremos redit: & circunspectis diligentius ordinibus, & ad rem gerendam confirmatis pro tempore militum animis, ad eos, qui prope aderant, inquit: *O commili-*

D *tones timorem mittite, & usitata animorum alacritate atque magnitudine in hostes ignavos impetum facite.*

Quibus dictis ad antesignanos properabat, cum Urbanus Sanctoaloxius Derthonensis ex Philippi legatis primarius, qui apud Picininum noctem superiorem egerat, fit ei obvius, amisso equo, metu ob rei novitatem perculsus, & ad terram sese projiciens, Franciscum supplex orare, obtestarique vehementius cœpit, ne tantum fineret admitti facinus, neve Philippi patris res, quæ suæ essent, in manifestam perniciem mitteret: prohiberetque celeriter, ne sui in Philippi milites manus conjicerent, & in prædam

E verterent. Ad hæc Franciscus, se experiri omnino velle respondit, an ferrum & arma tractare sui milites scirent; conducere enim Philippi fortunis, ut eorum alter quamprimum contunderetur, quod eo pacto esset utrumque obsequentiorem habiturus. Sed cum pacem Urbanus deprecari non desineret: *At ego*, Franciscus ait: *si mihi mei paruerint, jam puto prælium commissum, nec facile dirimi posse: Verumtamen postea quam mihi per tuas preces, Urbane, quemadmodum institueram, persequi non licet, Tubicen citus eat, qui, si ii, qui præmissi sunt, nondum in hostium*

aciem

aciem irruperint, pugnamque inierint, jubeat, ne longius progrediantur, prœlioque abstineant. His idcirco Franciscus Tubicinem cum mandatis ad Michaëlem misit, quod certo conjecturâ existimaret, jam suos in hostes impetum fecisse, nec posse nuntium ita velociter ad Michaëlem pervenire, quin esset pugnari cœptum, & prœlium magno accensum tumultu. Erat convallis quædam transitu perdifficilis exsuperanda, priusquam hostibus propinquaretur. Dum hac transeunt, diutius quam putarat Franciscus, sui tardantur. Quare advolante mox Tubicine, ad ejus jussum substitere: ex quo factum est, ut Bracciani, qui paulo ante Sfortianos maledictis superaverant ac deleverant, ingenti pavore territi, eorum conspectum ferre nequierint. Nam & si colligendi, recipiendique sui satis erat spatii datum, eo præcipiti tamen tumultu secesserunt, ut equorum lora complures succiderint, multisque relictis sarcinis, Vetrallam celeri cursu, nullo ordine nulloque imperio sese receperint, & circa ejus oppidi munitiones castra posuerint. Ita maxima ac indubitata victoria de Braccianis precibus legatorum Francisco extorta est. Ferunt Picininum Sfortianis ordinibus conspectis omni bellico ornatu instructis dixisse: *En aspicite, quali comitatu, qualive familia Mediolanensium Ducis filius ad nos visendos properat.* Dein in Fortebraccium conversum acerbissimis eum verbis increpasse, quod suâ petulantiâ Franciscum temere lacessendo in se concitasset. Signo igitur receptui dato, posteaquam in castra reditum est, Urbanus ceterique Philippi legati duces utrosque convenire, deque concordia rursus majore adhibita opera agere cœperunt. Inter reliqua à Francisco postulabantur, ut ab inferendo deinceps Eugenio Pontifici bello sese Bracciani abstinerent, neve ulterius adversùs Urbem Romam progrederentur. Quod illi, etsi Mediolanensium legatorum testimonio & jurejurando recepissent, tamen motis intempesta nocte castris Romam contenderunt. Orta vero prima luce Franciscus, hostium cognita profectione, insequendi consilium intermisit, ratus id quod erat, tantum eos jam itineris confecisse, ut non facile consequi posset. Sed adversùs Falifconem rursus ducit, oppidumque oppugnare aggressus, spem sibi fecerat, hostes non diu ad ferendam obsessis opem moraturos, atque illud, quod maxime optabat, futurum, ut justa acie inter sese confligerent. Verum ea res nihil eos ab incœptis deterruit, Urbemque petentes cum Romanis, quemadmodum inter sese vivendum esset, transegerunt. Deinde per Milvium Pontem trans Tiberim exercitu traducto in Sabinos irruperunt. Mallianum primo adventu, quod oppidum Francisci præsidio custodiebatur, territis oppidanis ad defectionem compulerunt. Bracciani Malliano potiti, Otriculum Francisci etiam præsidio firmatum invadunt. Troilus & Zarpellio ad tuenda amicorum oppida cum cohortibus præmissi, in quibusdam Narniensium municipiis alter capitur, alter obsidetur. Quibus rebus cognitis, Franciscus quod Narnienses quoque ad defectionem inclinare audierat, relicta confestim Falisconis oppugnatione, itineribus nullo tempore intermissis ad hostem ire contendit, sumtoque ex itinere omni peditatu equitatuque non multo Michaëli imperat, ut justis itineribus cum reliquo exercitu subsequeretur. Ipse autem Narniam ingressus, Cives in fide confirmat, quos jam recepisse intra Urbem Picinini legatos, & de deditione inter sese studio partium contendere repererat. In hostem ire pergit, & per montana loca pediti quam equiti accommodatiora, hostium castris appropinquat. Exterruit non mediocriter Braccianorum animos tam repentinus Francisci adventus, cum illum, priusquam de Falifcone movisse cognovissent, in eorum conspectum advenisse cernerent. Itaque Otriculanorum & Zarpellionis obsidione dimissâ, circa ipsa Malliani mœnia cum omnibus copiis subsederunt. Franciscus cum ad eum jam Michaël pervenisset, Narniam prætergressus, sub ipso Otriculanorum oppido secundùm flumen Tiberim castra locat: & adeo prope hostium munitiones accessit, ut à Braccianis castris non amplius duobus millibus passuum abesset. Erant autem exercitus utriusque res in eam hominum opinionem redactæ, ut Sfortiani cum viribus & omni copia rerum tum militum animis longe superiores putarentur. Contra vero Braccianos & commeatus & pabuli copia deficiebat, qui cum pugnam omnino detrectarent, sese munitionibus continebant. Nec iis, si inde abire conarentur, facilis aut tuta dabatur castrorum mutatio, quod à fronte hostilis instabat exercitus, latere ab altero flumen obstabat, & ab altero, & post terga asperi illis & pæne invii montes impendebant. Quibus rebus fiebat, ut Francisco tunc facilia secundaque omnia essent, nisi ejus felicitati fortuna invidisset. Nam paucis post diebus perpetuis gravissimisque affectus febribus, optimum judicavit, omissis belli curis valitudinem omni studio curare. Et quamquam Michaëli nec rei militaris scientia nec auctoritas deerat, tamen nihil magni aggredi absente Francisco ausus satis habere videbatur, si dum ille convalesceret, incolumem rei summam servaret.

Inter hæc Philippus per legatos inter hos duces de pace agere numquam desinebat, & tanto eam ipsam rem studio efficiendam curabat, ut eodem tempore septem ejus legati eadem de causa in his castris reperti sint. Nam tum maxime Philippi copiæ, quas in Flaminiam Bononiensibus auxilio miserat, à potentissimo Venetorum Florentinorumque exercitu adjunctis ceteris, quos vel odium vel metus stimulabat, premebantur. Et ob eam rem illud in primis efficiendum studebat, ut Picininus, cui maxime fidebat, ab Etrusco bello amotus in Flaminiam reverteretur. Legatis igitur id magnopere curantibus, & Braccianis id ipsum cupientibus, quod Franciscus etiam à gerendis rebus adversa valitudine prohiberetur, in has tamdem conditiones ventum est, ut Picininus & Fortebraccius, quæ per æstatem in Ecclesiæ finibus oppida occuparant, revocatis inde præsidiis Francisco pro Pontifice Eugenio dimitterent. Dein Picininus in Flaminiam maturaret, & Fortebraccius ad ea loca, quæ ante in Etruria atque Umbria possidebat discederet. Compositis rebus Franciscus vi morbi pressus circa Kal. Sextiles Tudertum defertur, exercitusque in Tudertes hibernatum deducitur. Picininus Philippi imperata faciens,

suis

suis omnibus copiis in Flaminiam trajecit. Fortebraccius contra percussum nuperrime fœdus Romam accersitus Romanis Hadriani Molem oppugnare conantibus auxilium allaturus trans Tiberim intra Urbem non longe à Divi Petri Templo consedit. Sed à Zarpellione eo confestim cum equitatu à Francisco immisso pulsus, Tifernum & Assisium, quemadmodum erat ante constitutum, remigravit. Ceterum cum esset Florentiæ Eugenius, etsi per diuturna intestinaque bella pecuniâ exhaustus, gravique insuper ære alieno pressus, solvere Francisco promissa militiæ stipendia non poterat, tamen multa ab eo tentata sunt, quæ quietem pacemque interturbare videbantur. Nam Bononienses, quorum in Urbe tunc Cannetula factio principatum obtinebat, vi & armis cogere ad sua imperia conabatur. Ex quo turbationes ortæ sunt in Flaminia pergraves, & pæne ad bella reditum. Bononienses enim ab eo vexati, à Philippo auxilia in eam provinciam accersierunt. Eugenius ob id majore studio Venetos epistolis, legationibusque, & Florentinos coram hortari rogareque enixius non desistebat, ut & auxilia adversùs Philippum in Flaminiam mitterent, & pecunia eum juvarent, qua Francisco stipendia penderentur, cum de suo ipse pendere non posset. Sed ad dinumerandam pecuniam nequaquam adduci potuerunt, cum dicerent, se plurimum dubitare, ne Franciscus cum Philippo & Braccianis secretò sentiret. Placuit tamen eis, suas copias adversùs eas mittere, quas Philippus in Flaminiam miserat, ne is majoribus in ea provincia viribus cresceret. Itaque Catamelatam Veneti cum magno equitatu ac peditatu, & Florentini Nicolaum Tolentinatem cum omnibus eorum copiis eo proficisci jusserunt. Qui unum in locum coacti, castra apud Castellum Bononiense habebant. Et Picininus ubi in Flaminiam descendit, iis sibi copiis, quas eo, ut ostendimus, Philippus præmiserat, additis, circa Imolam consederat. Itaque ea castrorum propinquitate non multis post diebus factum est, ut commisso non longe ab Imola prœlio, Venetorum, Florentinorumque exercitus profligaretur, duxque copiarum Florentini populi Nicolaus Tolentinas, & Petrus Johannes Paulus Ursinus, & Eustorgius Faventinus captivi Mediolanum ad Philippum missi sunt: quorum primum Philippus retinuit, alios missos fecit. Insequentis autem hyemis initio Eugenius recuperandæ Urbis Romæ inire consilia cœpit. Nam Romanus Populus Pontifice summo Florentiæ agente, quantum ea res sibi conduceret, facile intelligebat, & ob eam causam plerique pœnitentia ducti, admissa adversùs Eugenium flagitia graviter detestabantur. Supererant Cives admodum pauci, quos gravioris conscientia facinoris, & veniæ desperatio stimulabat, & ob id nondum reversis ad sanitatem mentibus, armis opus erat, quibus dubii confirmarentur, & pervicaces opprimerentur. Itaque cum per vim morbi adhuc Franciscus impediretur, quominus ei negotio intendere posset, mittitur ad eum rei ipsius conficiendæ gratiâ Johannes Vitellius Patriarcha, quem Picentibus præfuisse diximus. Is à Francisco parte copiarum sumta, quibus Leonem fratrem præfecerat, Romam proficiscitur. Urbem sinè ullo negotio recipit. Franciscus Condulmerius Cardinalis Venetus, ac Vicecancellarius, Eugenii nepos, quem in ipsa Civitatis defectione Romani comprehenderant, ac in vinculis ad eum usque diem retinuerant, liberatur. Sub idem tempus Camertes, gens inter Picentes admodum nobilis, opibusque potens, eorum dominos ex Varana Familia ab Ecclesia Romana sibi olim impositos, ut erant provinciæ ejus reguli plerique, & longa annorum serie per successionem dominantes Berardi filios & Gentilem Pandulfum eorum patruum, per publicum tumultum adorti interemere. Res autem quomodo se habuit, ut dilucidius appareat, paulo altius repetam. Rodulfo Gentilis filio duæ fuere uxores: (15) ex prima Gentilispandulfus & Berardus, ex secunda Petrusgentilis & Johannes nati sunt. Gentilispandulfus & avarus & crudelis, Berardus ingenio mitiore fratris suasu mite bonumque ingenium in crudele mutavit & pessimum. Duo hi ætate jam graves, quod suis metuerent liberis, à Petro Gentile & Johanne fratribus minoribus natu, ne cum ipsi excessissent è vivis filios suos principatu spoliarent, & in seipsos converterent, hujusmodi in eos moliuntur insidias. Erat Legatus in Picentibus pro Eugenio Pontifice Johannes Vitellius, (16) de quo supra mentionem fecimus, animo ingenti & ingenio subdolo, & ad omne facinus promtissimo. Is permagnum auri pondus pactus, de interimendis fratribus Petrogentile ac Johanne cogitans, rei conficiendæ causâ Sanctum Severinum, quod oppidum distat à Camerino decem millibus passuum, se recepit. Dein quatuor fratres ad se accersit. Seniores duo ajunt, se ex pedibus laborare, & hortantur minores duos, quod & juvenes essent, & omnem laborem perferre possent, ut eo accederent. Johannes qui erat ex omnibus natu minor & acriore quodam ingenio, respondit, se nullo pacto ad Legatum iturum. At Petrusgentilis, qui ingenio erat facili & mansueto, & sibi nullius conscius culpæ, perlibenter iturum, & quid ille sibi vellet, auditurus, & fratribus renuntiaturum dicit. Ex composito ea hora Camerino discedit, ut Sanctum Severinum vesperi ingrederetur. Quo ubi perventum est, ita oppidi portæ occluduntur, ut nullus Camerinum perferri nuntius posset. Mane autem Gentilis ac Berardus re omni cognita in ipsius Gentilis cubiculum, cum vix dum illuxisset, Johannem fratrem accersi jubent. Is autem nihil mali suspicans, venit ad fratres. Tum Gentilis ut causam honestam aliquam præberet facinori, exclamare cœpit: *Tu Johannes, ea omnia machinaris adversùs Romanam Ecclesiam; quibus & te & nos perditum eas.* Tum ille, ut erat animo minime ignavo, respondit continuò: *Quæ loqueris,*

(15) MS. ex quarum prima Gentilis Pandulfus, & Berardus filii suscepti sunt; ex secunda verò uxore duo item filii contigere, Petrus Gentilis Rodulfi, qui proximis annis diem obiit, & Constantiæ pater, quæ Alexandri Sfortiæ uxor fuit, & Constantii filii mater, & Johannes nati sunt, quo Julius natus in præsentia est in vivis. Gentilis Pandulfus homo erat avarus &c.

(16) MS. quem sui, ut se nobilitent, à Vitellio Romanorum Imperatore Vitellium nominant, de quo supra &c.

A *ris, non intelligo: Somniare profectò videris mihi.* Quibus dictis convertitur inde abiturus. Sed cum ostium cubiculi egrederetur, qui satellites à Gentile ac Berardo ad teterrimum atrocissimumque facinus perpetrandum in insidiis locati fuerant, innocentissimum juvenem gladiis aggressi, pluribus confectum vulneribus interemerunt. At Vitellius Petrumgentilem Ricinatum perduci, ac publicè obtruncari jussit, ea insimulatione, quod diceret illum Pontificalem nummum depravasse, & æs pro argento atque auro arte alchymia expendendum fabricasse. His facinoribus ex sententia duorum superstitum fratrum perpetratis, principatus, qui quatuor fuerat, in B duos dividitur Gentilempandulfum ac Berardum. Berardus illico Tolentinum, quod ei in partem contigerat, se recipit, oppidum sane amœnum, & ad omnes Picentium motus maximè opportunum. Id oppidum prius Johanni in portionem obvenerat. Is quia perhumanum atque liberalem in oppidanos se præstitisset, ab omnibus mirifice amabatur. Quo factum est, ut à quibusdam oppidanis, qui Johanni carissimi exstitissent, accersito Foschino Cotignolano, quem Franciscus Sfortia Picentibus præfecerat, Berardus obviam cum universo Populo ad eum repellendum velut infestum venientem progressus, impetu facto interfectus sit. Quæ C quidem res etsi reliquo Populo atrocissima visa est, tamen ob recentem Johannis necem æquo animo tulerunt. Nec multo post Camertes quoque Gentilispandulfi ac Berardi in fratres crudelitate & impietate permoti, publico etiam tumultu insurgentes, & Berardi filios, & ipsum etiam Gentilempandulfum facinorum omnium & autorem & ducem per multa ac varia suppliciorum ludibria necaverunt. Id quod divino quodam judicio esse factitatum una atque eadem fuit omnium opinio: præsertim quod non multis post annis principatus rediit in filios eorum, qui innocentissimè perierant, Petrigentilis & Johannis. Camertes igitur Regulorum ju-D go liberi, quod per sese rempublicam tueri posse diffiderent, missa paulò post ad Franciscum legatione, ei tributarii facti, certis legibus vivere permissi sunt.

Per idem tempus Ludovicus Andegavensis, quem abdicato Alphonso Johannam Reginam adoptasse, sibique in regno successorem instituisse initio docuimus, bellum adversus Johannem Antonium Tarentinorum Principem Gotholanas partes sequentem, Jacobo Caudola duce, magnis copiis gesserat. Verùm bellicis incommodis insuetus, & caloribus maximis in Apula regione confectus in graves, perpetuasque febres incidit, & Cusentiam in ulteriores Brutios rediit, unde E prius Reginæ jussu discesserat. Ubi paucis post diebus magnitudine morbi pressus, excessit è vivis. Ejus obitus ob mansuetum miteque ingenium, quo plurimorum voluntates sibi facile conciliaverat, magno universum prope Regnum mœrore affecit, magnamque factioni Andegavensi retinendi regni curam intulit. Redierat superioribus annis fervente adhuc Gallico bello in Siciliam nova classe Alphonsus, sperans fore, ut vel à Johanna vel ab factionum altera rursus in Regnum accerseretur. Quam quidem spem non modò aluerat Philippus, verum etiam auxerat, persuaseratque Regi, ut in Italiam reditum maturaret. Quod non eo certe consilio fecerat, ut Regiæ in Italia vires invalescerent, sed ut à se evocati Regis amicitia Venetis timorem incuteret. Ac composita postea pace, tum demum patuere animi, patuere doli, & simulationum plena fuisse omnia, cognitum est. Nam statim languescente priore amicitia, aliter uterque sentire, aliter loqui, & contraria consilia agitare, & in mutuam sæpe perniciem multa moliri. Verùm mors Ludovici spem Alphonso adeundi Regni magnopere adauxit. Proinde amicos hortari, adversariorum verò alios propositis præmiis sibi conciliare, alios minis terrere, non cessabat. Ceterum initio Anni ejus, qui subsecutus est, quod non tam Philippi quam Venetorum Florentinorumque omnium animi belli magis quam pacis artibus intenti viderentur, tum maxime Veneti, Florentinique societatis fœdere juncti, apud Eugenium Pontificem instare vehementius non desinebant, ut Franciscus Sfortia bello, quod adversùs Philippum gesturi essent, dux præficeretur, præmium ob eam causam quodcumque magnum depensuri. Nec minus & ipsorum & Philippi item Legati Tuderti apud Franciscum agentes multis majoribusque quam umquam antea conditionibus delatis utrique contrariis studiis suarum partium facere innitebantur. Sed ille & præteritarum rerum memor, & quod jam compertissimum haberet, tanto Philippum studio Nicolaum Picininum prosequi, & illum tantam sibi auctoritatem sumsisse, ut perdifficile foret, se non modò primas apud Philippum partes, sed ne quidem æquas habiturum, cum minime fieri posse constaret, ut duo belli duces sibi invicem æmulantes idem sentirent, statuit in præsentia certiora potius quàm spem antea non satis firmam à se cognitam sequi. Itaque hortante Pontifice, instantibus Venetis, Florentinisque simul, & suis item omnibus id magnopere cupientibus, Captabrigæ equitum præfecto, & Scribæ Contucio Perusino, quos Florentiam ad Pontificem ea de causa legatos miserat, scribit, ut quod de ineundo fœdere eis mandaverat, scriptis tamdem firmarent. Quo fœdere cautum est, ut Pontificis Ecclesiæque Romanæ Franciscus, ut prius fuerat constitutum, foret Vexillifer, Piceni agri & à summo Pontifice & Cardinalium collegio Marchio declaratus, eam provinciam jure optimo possideret. Tudertinorum insuper, Tuscaniensium, & aliorum quorumdam in Etruscis atque Umbris oppidorum Vicarius esset perpetuo constitutus. Ceteris verò oppidis cederet, quæ Ecclesiastici juris obtineret. Præterea à Venetis, Florentinisque equitum trium millium & peditum mille stipendia in biennium acciperet, copiarumque omnium quæ apud eum bello gerendo pro Venetis ac Florentinis futuræ essent, imperii summam obtineret. Postremo rerum earum omnium, quas ubique in Italia possideret, Venetis, Florentinisque suo sumtu præcipuæ foret tuendarum curæ. His rebus constitutis, Eugenius Francisco imperat, ut Fortebraccio Romanæ Ecclesiæ omnium infestissimo bellum inferat. Complura enim & in Umbris & in Etruscis Ecclesiasticæ ditionis oppida ejus præsidio teneban-

bantur, quorum erant Assisium, Tifernum, Falisco, & Tibur, primaria: quibus ex locis cuncta per regiones crebris incursionibus pervadebat. At Franciscus & amicis ferendæ opis, & comprimendi hostis majorem in modum curæ intentus, pontem in Tiberi faciendum censuit, ut iis, qui in inferiore Etruria à Fortebraccio premerentur, auxilia submittere posset, cum neque vada ad transeundum reperirentur, neque pons integer ullus superesset. Nam qui lapideus fuerat Urbi proximus sive fluminis impetu absumptus, sive vetustate collapsus, sive humana vi demolitus, jampridem corruerat. Quarum rerum necessitate coactus, quod nulla navigiorum per loca transeundi fluminis facultas dabatur, construendi pontis rationem excogitavit, eamque inusitatam & memorabilem. Octo enim pergrandes, validosque funes pro fluminis latitudine ex Fulginatico lino (ubi ejus generis copia est immensa) faciendos curavit. Ex his sex à vestigiis pristinisque diruti pontis molibus distentos ita direxit, disposuitque, ut quatuor æqualiter substerni, conjungique possent crassioribus tabulis, & item utraque etiam latera reliquis paulo altius dispositis funibus muniebantur, & ne pons ob fluminis latitudinem fluctuaret, asseres complures instar columnarum ad firmitudinem machinis infixit in flumen. Eo ponte perfecto cum omnium admiratione ac stupore propter celeritatem, facilitatemque operis, copias traducere cœpit. Jam ver aderat, & militaria Pontificis, Venetorum, Florentinorumque signa ad Franciscum delata, magna celebritate accepta. Grande ad ornandum exercitum argenti pondus è Florentia afferebatur, cum ei renuntiatum est, Fortebraccium, ut erat ad dicacitatem alacer, jactare & palam pronuntiare cœpisse, ejus sese pecuniæ partem sibi omnino vindicaturum. Auro igitur Cortonam allato, Franciscus delecto equitatu ac peditatu, quem satis adversùs hostem esse arbitrabatur, eo per fines Perusinorùm proficiscitur. Ex itinere Fortebraccio & profectionis causam, & qua sibi eundum redeundumque esset, renuntiari jubet, ut si de pecunia illa partienda quicquam cogitasset, obviam prodiret. Sed ille nihil præter magnifica gloriosaque verba conatus, Assisii se continebat. Franciscus acceptâ non longe à Cortona pecuniâ Tudertum reversus in milites distribuit, quos summa festinatione exornandos curat. Talianum Forojulianum præterea non obscurâ tunc inter militaris disciplinæ ductores famâ cum sexcentis equitibus mercede conducit. Nam Michaël à Johanna accersitus in Apuliam concesserat, & Laurentius ingravescente jam ætate, vel ut militiæ emeritus, militibus Francisci curæ relictis, Ferrariam se contulerat, ubi rem familiarem ad sustentandam senectutem paraverat. Ut verò primum pabuli copia in campis adesse cœpit, exercitum apud Fracticellam coëgit, quod est oppidum non longe à Tuderto, ubi dies complures ea de causa consumsit. Deinde in Assisinos duxit, quorum Urbs valido Fortebraccii præsidio servabatur. Et quamquam Francisco nulla spes erat per oppugnationem ejus potiundæ Urbis situ præsertim ac muro munitissimæ, futurum tamen sperabat, Fortebraccium ipsum aut pudore aut necessitate compulsum, sibi aliquando præliandi potestatem facturum. Itaque expugnatis castellis quibusdam in eo loco castra locat, ubi sacellum est Matri Mariæ Virgini dicatum, & divi olim Francisci domicilium, ubi Angelorum habuisse visiones creditur, & ob id Fano ipsi Sanctæ Mariæ Angelorum nomen inditum est. Hinc Franciscus crebris ad ipsas usque Urbis portas incursionibus Assisinos infestabat, inclusum hostem in prœlium provocabat, tentabatque multis modis, si forte æquum in campum allicere posset. At ille viribus impar numquam eduxit, numquam urbanas munitiones egressus pugnandi copiam fecit.

Inter hæc crebri in Etruriam rumores afferebantur, jam Picininum ex Cisalpina Gallia magnas Philippi copias ducentem movisse, & in Flaminiam properare, Franciscumque filium cum parte copiarum in Etruriam missurum. Quam ob rem placuit Eugenio & Florentinis, ut Franciscus dimisso adversùs Fortebraccium bello in Flaminiam contra Picininum obviam proficisceretur. Verebantur enim, ne subactis iis regulis, qui Romanæ Ecclesiæ in Flaminia parebant, Picininus in Etruriam aut in agrum Picenum transiret. Sed ea res Franciscum magnopere angebat, quod videret suo discessu universam prope Umbriam hosti prædæ relinqui, præsertim si Franciscus Picininus Fortebraccio, ut dicebatur, jungeretur, qui prohibentibus nullis impune per regiones vagaturi essent. Quare ut tanto provinciæ periculo occurreretur, visum est, Leonem fratrem cum equitibus mille, quingentisque peditibus in regione ea dimittere, qui Tudertinos cæterosque populos ab hostium incursionibus, populationibusque tueretur. Egitque præterea cum Eugenio, ut Vitellius cum Ecclesiasticis copiis, quas adversùs Faliscos habebat Leoni adderetur, quo hostem majoribus copiis pressum maleficiis injuriisque inferendis facilius prohiberent. His rebus constitutis, Franciscus per agrum Perusinum atque Tifernatem iter faciens, ad id oppidum pervenit, cui Burgo Sancti Sepulcri nomen est, quo in loco cum exercitus constitisset, secusque Tiberim milites tendere jussisset, extemplo abortis nubibus vestiri cœlum & serenitas in caliginem verti cernitur, ingentesque continuo imbres ab ipsius usque Apennini cacumine torrenti adeo immenso præcipites ferri, ut qui exiguus admodum esset antea Tiberis alveus, in cumulum ingentem excresceret, universusque exercitus ea illuvione obrutus & ad internetionem deletus fuisset, nisi Eufrosinæ nobili loco natæ & animo ingenuo mulieris beneficio adjutus, se à tanta calamitate eripuisset. Nam illa cum ad montis radices oppidum possideret, & amnis vim naturamque longo usu probe intelligeret, cognito periculo, opportune Franciscum per nuntium edocet, ut ab imminentissimo exitio & sibi & suis prospiciat. (17) Nec tamen mulieris nuntius admissâ aquâ ad Franciscum paratis mensis lotisque manibus jamjam cœnaturum prius [illegible]

(17) MS. quæ quidem clades, si eo die accidisset, magnam profecto rerum accessionem hostibus [illegible] præstitisset. Nec &c.

prius venit, & mandata exposuit, quam jam erumpere amnis horrida rapacitate formidabilibusque vorticibus circumjectos campos inundare, ac terras alte lateque diluere, & rapere omnia, vastareque cœpisset. Quo nuntio & subito portento territis omnibus, mox totis castris concursatur, & ingens exoritur trepidatio, & mortis formido omnes invadit. Refigunt alii tentoria, alii arma capiunt, & quicquid sibi carius erat & primum offerebatur, corripientes, in proximos editioresque tumulos confugiunt. Alii in ephippiatos equos succisis loris insilientes, eodem se recipiunt. Fuere nonnulli, quos undique torrentis rapacitas aut ipso impetu corripuit, aut dum cum rebus sibi carissimis enatare, aut ad proximas arbores evadere conantur, absorbuit. Et ita non arma solum permulta, atque tentoria, & res pretiosissimæ, verum etiam equi ipsi, ac viri vi aquarum enecti perierunt. In tanta autem rerum difficultate ac formidine nox ipsa tamdem superveniens terribiliora fecit omnia, insomnis, & summa cum animorum molestia exacta. Ubi verò illuxit, tum omnes singillatim detrimentis, quæ acceperant, cognitis, majore quadam animorum ægritudine sunt affecti, cum circumquaque exquirentes arma, ac vestes, ornamentaque cætera, quæ amiserant, non modo ea nusquam invenirent, sed ne vestigium quidem illum, in quibus locis antea constitissent, recognoscerent. Et usque adeo turbulentissimus fuit impetus ille aquarum, ut omnia everterit, & cum saxis & luto tum etiam arborum truncis & trabibus cuncta oppleverit, atque fœdaverit. Fuit is sane Francisco casus cladi ab hoste acceptæ similis, ut eum plures dies per ea loca ad reficiendum tot detrimentis exercitum tardaverit. Picininus interim in Flaminiam contendere, & jam adesse nuntiabatur; quibus quidem rumoribus compulsus Franciscus magna celeritate Apenninum superat, & tridui peracto itinere Cæsenam appulsus Sigismundum Pandulfum, & Dominicum Malatestas fratres Ariminenses cum copiis sibi asciscit. Dein ad flumen Sapim adversùs Picininum transire conantem castra firmat. Utque omni transitu hostem prohiberet, qui in agro Foroliviano constiterat, & per montanos saltus iter in Etruriam facturus dicebatur, ea quoque itinera intercisis ubique arboribus, multâque aliâ adhibitâ materiâ intercludenda custodiendaque curat. Venerat enim in Flaminiam Picininus cum exercitu non modo suis sed aliis etiam multis Philippi copiis munitissimo. Franciscus verò multo minoribus illi sese Sapi intercedente amni opposuerat, exspectans affuturas propediem promissas à Venetis, Florentinisque copias, quibus auctus hosti apertis campis resisteret. Sed cum nihil inde auxilii ad eum mitteretur, Piciniuns crebrius nunc flumen repertis vadis trajicere tentabat, nunc Apenninum, accito ad ulteriores ejus montis radices Fortebraccio, ut inde viam aperiret, transire conabatur, novos in Etruriam, Umbriamque motus excitaturus. Et ob id Franciscus distinere artibus hostem diutius quam putarat, non sine ingenti suo, exercitusque periculo cogebatur. Pontem interea in eo flumine mille ab Urbe Cæsena passus ædificari curavit, quo & pabulatum trans flumen mittere, & hostem quandoque adoriri posset. Eo confecto Ponte, levia interdum prœlia committebantur, & in his Franciscus Picininus, & cum eo Sacramor Parmensis ex Philippianis ductoribus unus, dum per insidias hostilis exercitus pabulatores adoriri inniterentur, à Troilo & Zarpellione, qui illis præsidio erant, profligantur, & in fugam conjiciuntur, majorque eorum pars cum ipso Sacramore capitur, quorum supra equites centum numerus fuisse affirmatur. At ubi Fortebraccius omnibus præclusis aditibus nihil per eos saltus proficere posse videt, Tifernum regreditur. Interim fit à Corrado Trincio Fulginati Tyranno multis nuntiis certior, Leonem Sfortiam, quem cum equitatus peditatusque parte præsidio in Umbris à Francisco relictum diximus, parvo negotio opprimi, capique posse cum universis copiis; nulla enim munitione castra haberi, vigilibus nullis custodiri, excubias nullas fieri, speculatores nullos circummitti, omnia per summam negligentiam atque inertiam administrari. Quibus cognitis rebus Fortebraccius sumto expedito equitatu de prima vigilia movet, & quammaximis potest nocturnis diurnisque itineribus adversùs Leonem contendit. Et non multo temporis spatio sexaginta circiter passuum millia emensus sub ipsum prope meridiem sentientibus nullis in Leonis castra pervenit, eumque nihil hostile timentem, quod hostem longius abesse putaret, incautum, inermemque opprimit, nec minus milites omnes inermes dormientesque occupat resistentibus nullis. Leo ipse cum magna militum parte capitur. Pauci admodum, qui initio fugæ se mandarant, in proximum Montemfalcum evasere, quorum in numero fuit Francutius Sanctoseverinas ex præfectis equitum vir fortis & manu promtus. Fortebraccius castris potitus Fulginatium etiam auxilio fretus ad Montemfalcum obsidendum (quod est Umbrorum oppidum non longe à Fulgineo positum) ducit. Oppidani implorato à Vitellio auxilio obsidionem aliquamdiu ægre sustinent. Ubi verò nihil opis ferri, & omnia fere ad salutem necessaria deficere vident, impetrata præsidii incolumitate, fecere hosti deditionem. Sed Francutius, qui se tutum ob fidem ab hoste datam fore existimabat, submissis à Fortebraccio percussoribus, non procul à castris per insidias summamque perfidiam interficitur. Ea victoria elatus insolentiorque factus Fortebraccius, in Picentes animum convertens traducere eo copias constituit. Itaque Camertem invadit agrum, ubi nonnulla primo impetu municipia dedentibus sese municipibus occupat, agrosque longe lateque populatus ipsam demum caput gentis Urbem omni vacuam præsidio incursionibus vexare cœpit, ut ea subacta liberior inde sibi in agrum Picenum pateret aditus.

Hac nuntiata clade gravissimo animi vulnere Franciscus percutitur. Nam præter fratris quorumdamque aliorum captivitatem ac cædem, dissipatosque milites, plurimum verebatur: ne victor hostis, Camertibus suam in sententiam actis, in agrum Picenum descenderet, & provinciam defensoribus vacuam mobilitati sua natura obnoxiam facile perturbaret, ac omnia tumultu terroreque per-

permiscens ad defectionem Populos impelleret. Itaque Pontifice magno studio instante à Venetis impetrat, ut promissæ tamdem ad se copiæ mitterentur, quæ non multo post magna celeritate Catamelata & Thaddæo Estensi ducibus ei sese junxerunt. Florentini quoque paulo ante ad custodiendos Apennini aditus, ne hostis ut demonstratum est, in Etruriam penetraret, Christophorum Tolentinatem Nicolai filium cum duobus Johanne & Baldoino fratribus miserant. Franciscus ut & Camertibus amicis graviter laborantibus quamcelerrime auxilium ferret, & imminenti Picentium periculo occurreret, Talianum Forojulianum & Mannum Barilem (18) ex veteranis equitum præfectis, de quo superioribus Commentariis mentionem fecimus, cum suis copiis ei profectioni destinaverat, quibus nonnullas etiam de exercitus numero turmas addiderat. Hos auxiliaribus Venetorum copiis firmato exercitu in Picenum mox maturare jubet, & quid ab eis fieri velit, ostendit. Hi postea quam eo pervenerunt, Alexandro Sfortiæ Francisci germano fratri, qui ei provinciæ præerat, & supra ducentos jam equites ex multis delectos conduxerat, sese jungunt, ac delectu ex omni provincia habito spe benegerendæ rei alacres in hostem ire contendunt. Fortebraccius autem Caput montis, quod vocant Camertium, municipium haud procul ab Urbe situm summo studio oppugnabat, nec cognito hostium adventu, & castris loci situ munitissimis & viribus animoque confidens deterretur. At Sfortiani duces ingenti animorum alacritate, superata locorum iniquitate, eum adoriuntur. Fortebraccius qui se munitionibus continere constituerat, hostiumque impetum sustinere posse putarat, tamen superatis à Sfortianis munitionibus, pugnâ decertare compellitur; nec diu hostes sustinuere, sed circumquaque fusi fœdam in fugam vertuntur, quos Sfortiani acrius insecuti, magnum eorum numerum ceperunt. Ipse autem Fortebraccius ubi suos inclinare remque omnino perditam videt, in fuga salutem ponit: Sed qua ire sibi obvenit, calle fugientium multitudine occupato, partem in alteram flectit, prosilientisque equi lapsu ex angusta admodum via in subjectum præcipitium proruit. Festinatio enim plerumque improvida est & cœca. Nec minus is, qui eum insequebatur, Christophorus Forolivianus Alexandri eques sublimi vectus equo, eodem profusus est, humi prostratus, citius se in pedes attollit, hostemque continuo opprimit. Fortebraccius tamen non vincitur animo, & altero humi genu fixo, ita ut erat oneratus armis, sese in pedes erigere innitebatur: Sed cum manu jam à Christophoro deprehensus admoneretur, ut se Alexandro dederet, magna animi ferocia respondit, non esse adhuc deditionis tempus, sperans, suorum aut fugientium aut pugnantium beneficio posse ab hostis manu se eripere. Et ut erat animo ferox, ensis cuspide in hostis faciem ictus geminat: quare à Christophoro ira vehementi concito, in oculum lethali accepto vulnere rursus humi devolvitur. Deinde ad Alexandrum semianimis in clypeo perlatus, intra municipium quod obsederat, curandus mittitur: nec multo post, dum Camerinum defertur, vitam deseruit. Hunc tamdem Fortebraccius humani divinique juris contemtor, & Romanæ præsertim Ecclesiæ, acerrimus per omnem fere ætatem persecutor finem habuit. Alexander, Forojulianusque castris hostium cum impedimentis omnibus potiti, quicquid ante Fortebraccius in Camertibus ceperat, confestim recuperant. Inde copias in Assisinos ducunt, quorum in arce Leo Sfortia asservabatur, quare cives omni spe auxilii destituti, haud multum morati, impetrata Fortebraccii uxoris cum suis bonis incolumitate, sese atque Urbem dedidere Eugenio Pontifici. Ita Leo in libertatem restitutus est. De his rebus, ut gestæ erant, nuntio in Flaminiam perlato, & Franciscus maxima afficitur lætitia, & Picininus non mediocriter animo consternatur: factumque deinde est, ut brevi temporis spatio, Nicolao Marchione Estensi sequestro, rursus inter Eugenium Venetos ac Florentinos & Philippum pax renovata sit, qua quidem pace cavebatur, ut Imola, & quidquid Picininus in ea regione occupasset, Romano Pontifici restitueretur: Picininus & reliquæ Philippi copiæ, quæ in Flaminia essent, in Galliam revocarentur. Quas ob res Franciscus provinciâ hoste nudatâ, cum Sapim transisset, reconciliato Pontifici Antonio Ordelaffo Forolivianis imperante, in Bononiensium fines exercitum duxit. Quod ubi cognovit Baptista Cannetulus Cannetulæ factionis princeps, & Eugenio infensus, metu territus, ex Urbe statim profugit. At Antonius Bentivolus alterius factionis princeps, cujus præcipua opera Urbs recepta fuerat, ardentioribus studiis, immensaque lætitia à multitudine in patriam susceptus, non multis post diebus Baldassaris Offidani ejus Urbis pro Eugenio præfecti jussu, indictâ causâ, & nulli obnoxius culpæ securi percussus est. Quod facinus tam atrox atque indignum plurimorum animos in ea Civitate à Pontificis benivolentia atque fide prorsus avertit. Franciscus Picinini discessu omni pacata Flaminia, Bononiâ receptâ (19) reductis ad Cotoniolam, paternum Flaminiæ oppidum copiis, cum delecto suorum comitatu, Florentiam ad visendum salutandumque Eugenium profectus, honorificentissime à Pontifice ac Florentinis excipitur. Et quamquam rebus seriis intendebat, tamen ut satisfaceret Populo, quem mutuò semper amasset coluissetque, hasticos ludos & præclara spectacula edidit: & ita sibi majore quadam benivolentia animis hominum devinctis, peractisque iis rebus, de quibus cum Pontifice Florentiam acturus venerat, ad exercitum rediit. Quodque hyems imminebat, in Picentes hibernatum concessit.

Dum hæc in Umbria, Flaminiaque geruntur, Johanna Secunda ætate jam confecta, Renato Ludovici fratre, quem supra è vita excessisse diximus, sibi herede & in Regno successore instituto, naturæ concessit. Ejus mors majores prioribus in eo Regno motus seditionesque excitavit. Nam & Pontifex Neapolitanos velut ceterorum regni

(18) MS. nobilem Neapolitanum ex veteranis equitum præfectis Sfortianæ legionis virum, longo belli usu egregium, de quo &c.

(19) MS. optimum esse judicavit, ut Florentiam ad visendum, venerandumque Pontificem Maximum accederet, ubi etiam inter se se de communibus rebus facilius coram agere possent. Itaque reductis &c.

gni Populorum primores admonuit, Siculorum Regnum cis Messanense fretum Romanæ Ecclesiæ juris esse, nec ulli subjiciendum Regi, nisi quem ipse ex vetusto more constituisset; Ecclesiæque Romanæ tributarium declarasset, & ob id se propediem Johannem Vitellium Patriarcham Alexandrinum Legatum eo cum copiis missurum. Sed Regni Proceres, Civitatesque omnes discordiis seditionibusque studentes, diversi diversa agitare consilia, seque contrarias in partes scindere cœperunt. Alii Renatum Andegaviensem, alii Alphonsum Regem expetere, aliis, qui à Romano Pontifice fuisset Rex declaratus, placere. Neapolitani verò Eugenii Legatis responderunt, nequaquam Vitellium Legatum admissuros, sed Renatum unicum sibi Regem deposcere. At Johannes Antonius Tarentinus, qui superiore Anno bello pressus ex Sicilia ab Alphonso auxilia acceperat, & Capuam præfecto Arcem tradente, occuparat, & alter Johannes Antonius Martianus Sinuessanorum Dux, Christophorus Cajetanus Fundanorum, & Franciscus Pando Lauretanorum Comites, ad Alphonsum miserunt, futurum polliciti, ut Regno brevì potiretur, si eo celeriter advenisset. Alphonsus invadendi Regni occasionem nactus, classem, quam paratam habebat, conscendit, & in Prochitam, Enariamque, Neapoli adjacentes insulas trajecit. Inde in Sinuessanum litus adnavigavit. Ubi primum exposito in continentem Hispano, Siculoque milite, à Sinuessano Duce exceptus est, & quammaximum potuit, novo mercede conducto milite exercitum cogere curavit. Ad quem primi Ursinus & Dulcius Anguillarianus ex gente Ursina, Vitellio, sub quo militaverant, relicto, cum equitatu accesserunt. Interim Jacobus Caudola, & Michaël Attendulus Neapolitanorum jussu Capuam Tarentinumque ipsum, qui ei Urbi, ut demonstratum est, auxilio ierat, obsidebant. Cæterum Cajetani quorum in ultimis Campaniæ finibus maritima Civitas est, præter Neapolim, Regni totius fere nobilior, diffisi viribus adversùs potentissimum Regem ingruentem ad Philippum & Genuenses mittunt, qui petant auxilium, quo à vi & injuria tuti, legitimo Regi Urbem servent. Philippo jubente missus est eo confestim Franciscus Spinula cum trecentorum militum præsidio, data ei navi oneraria una admodum magna, unaque triremi: & cum eo quoque unà profectus est Octolinus Zoppus Alexandrinus Philippi Legatus eo consilio, ut Procerum animos omni arte ab Taraconensium studiis averteret, Philippoque conciliaret: quorum adventus trepidam Civitatem in magnam spem erexit. Quod cum molestissime ferret Alphonsus, non multo post contracto terrestri exercitu terra marique Cajetæ instabat, sperans Urbem invalido munitam præsidio, & rei frumentariæ penuria jam laborantem neque longa obsidione neque multa etiam oppugnatione in potestatem redigere posse, quam ob portum magno sibi usui ad obtinendum Regnum futuram intelligebat. Hanc undique adeo angustius cinxit, ut ne mittendis quidem nuntiis relicta sit Cajetanis facultas. Dein tormentis muros quatiens, assiduis quoque prœliis nullam obsessis quietem dabat. Hæc ubi Genuæ cognita sunt, etsi rem periculosam & suis viribus longe imparem suscipere Genuenses videbantur, tamen placuit, adhortante maxime Philippo, laborantibus auxilium mitti. Movebat Genuenses pudor, ne intentatis armis Regi cessisse, & amicum Populum, qui ad eorum opem confugisset, deseruisse viderentur. Movebat præsidii paulo ante cum Francisco missi salus, quibus nisi celeriter opem tulissent, prodidisse eos iratis hostibus accusarentur. Movebant præterea magnæ civium opes, quas ex universo prope Regno Cajetam velut in tutissimum portum mercatores contulerant. Itaque classis navium onerariarum duodecim decernitur. Ejusque Blasius Axaretus plebejo ortus genere, sed spectatæ virtutis vir dux deligitur. At ubi Alphonso ab exploratoribus renuntiatum est, jam Genuæ instructam esse classem, & parum à cursu abesse, quatuor & decem onerarias ex duabus & viginti delectas armato milite complet. Erat Regi magna virorum copia, quos præmiorum spes ex multis regionibus ad eum traxerat. Nam magnus ulterioris Hispaniæ Principum numerus, quos adversa factio domo expulerat, ad ipsum confugerat, sperantes fore aliquando, ut ab eo in patriam reducerentur. Ex citeriore verò, ac ex Balearibus Insulis omnis fere nobilitas, omnisque juventus jam pridem classe Regem Siciliam petentem secuta erat. Regno autem Neapolitano intestinis, ut demonstratum est, discordiis laborante, non ii modò, quos vel malefactorum pœnæ metus, vel adversariorum odia patriâ ejecerant, sed plurimi etiam, qui eum sibi dominum ac regem futurum sperarent, ejus sibi gratiam beneficio consequi conabantur. Ex Sicilia quoque incontinentem trajecturus juventutem ejus Insulæ se sequi jusserat. Erat præter has, quas commemoravimus, copias, magna equestrium pedestriumque virorum mercede conductorum manus, terra tamen quàm mari aptior. Ex his tantis tamque florentibus copiis Rex fortissimum quemque ad eum numerum delegit, ut adjunctis navalibus sociis sex millia virorum efficerent. Et ne futuræ pugnæ timor quemquam deterreret, se omnium primum & navigationis & prœlii ducem futurum pronunciat. Fit ad naves omnium concursus. Aurum, argentum, vestis, pretiosaque suppellex tanto in naves studio congeritur, ut ad certam victoriam properari videretur. Conscendente Rege conscenderunt una Johannes Rex Navarræ, Henricus, ac Petrus Infans Regis fratres, & regnorum omnium Proceres, quibus turpe videbatur, non esse suo Regi in omni fortuna socios.

Hæc dum à Rege aguntur, classis Genuâ solvens, Alphonsum cum suis quatuordecim onerariis navibus, undecimque triremibus, omni instructis ornatu haud procul insula Pontia obvium habuit. Coivere classes Nonis Sextilibus levi admodum vento & tranquillo mari. Genuenses primo congressu novem tantum navibus totius Hispanæ classis impetum excepere. Tres velut subsidiarias post principia reliquerant, quæ pro callentissimi ducis jussu dum cursu diverso ventos captare nituntur, longius paulo evectæ, à Taraconensibus fugere creditæ sunt. Quare cum jam sese victores Taraconenses arbi-

trarentur, enixius Genuenses premebant: quorum naves, quod singulæ à duabus acrius oppugnarentur, ægre hostium vim sustinebant. Sed postea quam tres illæ subsidiariæ vento crebrescente passis velis in hostilem classem invectæ sunt, omnem spem vincendi hostibus ademere. Nec multo post captæ omnes Hispanæ sunt naves præter unam, quæ inter pugnandum è ceterarum conspectu vento ablata est. Petrus autem Junior, Alphonsi frater, exceptus triremibus in Siciliam profugit. Capti sunt in eo prœlio præter duos Reges Alphonsum, & Johannem, Henricus regum frater, & Militiæ, quæ divo Jacobo dicata est, princeps, Johannes Antonius Tarentinus, Johannes item Antonius Sinuessanus, Josias Aquavivanus, Antonius Rogerii Fundani filius, & supra centum Proceres, ducenti Aurati Equites, & alii quamplurimi insignes nobilitate atque opibus viri. Prædæ verò tantum, quantum non temere ex ullo navali prœlio. Hac tam memorabili parta victoria, Blasius cum utraque classe Cajetam petens, portum tenuit. Inde oblatum est ingens insolitumque hominum oculis spectaculum: cum quinque & viginti vastæ magnitudinis naves angusto loco coactæ, qui vix eas capere posset, cernerentur. Jam nuntii adversæ pugnæ in regia castra pervenerant. Jam ad obsessos tantæ rei perlato rumore patefactis continuo portis præsidium omne simulque Cajetanus Populus eruptione facta castra adoriuntur, & resistentibus nullis cuncta mox in prædam vertunt. Ferunt inventum esse in iis castris Barchinonensem quemdam Legatum, qui cum paucis ante diebus levi quadam febricula afficeretur, audita suorum clade mox ingenti animi dolore perculsus intra paucas horas animam efflavit. Ejus victoriæ ubi Venetias allatus est nuntius, majore dolore Venetos omnes, quam Philippum Genuensesque gaudio affecit: gravisque omnium animos timor occupavit, cum dicerent, nullam jam in opibus nullamque in humanis consiliis spem superesse reliquam, quin Philippus Dux rerum in Italia potiretur, si partâ à Genuensibus victoriâ uti sciret. Paucis deinde interjectis diebus, captivi Reges, eorumque fratres, cum tota nobilitate Philippi jussu Mediolanum à Blasio perducuntur. (10) Eam rem Genuenses quam gravissime tulerunt, merito triumpho se indigne spoliatos vociferantes. Alphonsus perhumane à Philippo exceptus, non multis post diebus impetrata alloquendi facultate, & in Arcem Portæ Jovis admissus, illius virtutes magnitudinem animi ac mansuetudinem summis laudibus extulit. Postremo se suorumque fortunas ei commendavit; eaque oratione adeo Philippi animum flexit, ut si quid vel odiorum vel æmulationis gloriæ inter eos hactenus intercessisset, deleverit. Fama est, Alphonsum Philippo mutuis colloquiis familiarem factum, unicâ injecti timoris causâ, illius mentem in suam sententiam traxisse, cum se de communibus utriusque rebus cogitantem dixisset, animadvertere Renatum Ludovici fratrem Neapolitano Regno nullo fere negotio propediem potiturum, nec quieturum, donec ad occupandum Cisalpinæ Galliæ imperium aut Karolum Regem aut alios Galliarum Principes, quorum potentiam Johannes Galeatius ejus pater semper exhorruisset, sollicitatos adduceret, atque ita non sibi Philippum sed Gallis vicisse, & Genuensium victoriam, quæ Alphonsum perdidisset, Philippo quoque perniciem parituram. Id ne accideret, in manu ejus esse: posse eum, si velit, Regnum Gallis eripere; posse rursus id ipsum pro voluntate illis reddere. His colloquiis Philippum magnopere commotum jam tum animum induxisse, ut in Regnum Alphonsus reduceretur. Nam ut erat singulari & inaudita quadam prudentia, secum animo versabat insolentiam, arrogantiamque Gallorum, qui nullis terminis libidinem imperandi metirentur, sed Italos maxime omnium haberent odio. Ad postremum, ut omnem injuriarum memoriam recentium beneficiorum magnitudine aboleret. Sex permagnas onerarias naves Genuæ parari mandavit, Regem in Campaniam remissurus, Cajetanorum Legatis, qui Genuam ad agendas de beneficiis acceptis gratias venissent, ad se ire jussit, multisque argumentis suasit, ut sese atque Urbem Alphonso dederent. Nec multo post Societatis fœdere icto, eum cum suis omnibus in Ligures magno comitatu remisit. Mansit Alphonsus plures dies in Lunensi portu, quem, ut diximus, Veneris vocant, Petrum fratrem cum triremibus exspectans. Nam priusquam Mediolano discessisset, & Johannes Rex & Henricus fratres à Philippo dimissi in Hispaniam redierant, Tarentinus autem, Sinuessanus Josias, & plerique alii proceres in Campaniam vecti majores in Regno motus renovarunt. Et Petrus certior factus à Tarentino, triremi ex Campania Panormum delato, Alphonsum fratrem à Philippo liberatum, quod antea multorum tantum rumore cognoverat, cum quinque rostratis navibus in Ligures ejus transportandi causâ trajicere quamprimum statuit, onerariâ unâ frumento onustâ, quod in Lunensem portum, qui præsidio tunc regio tenebatur, importaret, addita: prosperumque paulo post ventum nactus è Sicilia solvit: Et jam Enariam præterierat, cum subita coorta tempestas onerariam à rostratis dispulit. Oneraria vehementiore vento impulsa ante diem tertium in Lunensem, quo destinata erat, cum frumento pervenit.

Dum verò Petrus in Cajetanum Sinum non procul ab Urbe cum longis navibus se recepisset, Cajetani nonnulli ab adversariis factionis Andegaviensis pulsi, clam ad eum venerunt, spemque dederunt, Cajetam nullo negotio, si eo propius accederet, per noctem capi posse, quod in ea Urbe complures essent, qui multis ab inimicis affecti injuriis præsentem rerum statum odio haberent, & secum de tradenda Urbe sentirent, &

(10) MS. quam quidem rem Genuenses quamgravissime tulerunt, quippe qui captorum Regum, ac ceterorum triumphum spectare magno omnes desiderio tenerentur. Et ubi non Genuam sed Savonam, & inde Mediolanum, eos duci cognoverunt, tum demum magno in Philippum odio exardescere cœperunt. Alphonsus Mediolanum deductus, & perhumane à Philippo exceptus, non multis post diebus impetravit, ut tamdem sibi alloquendi Philippi copia fieret. Et quum uterque in Arcem Portæ Jovis esset, ferunt, Alphonsum ad Philippum orationem habuisse, qua illius virtutes &c.

& quod ab adversariis, qui nihil hostile timerent, urbana mœnia negligentius custodirentur. Petrus his cognitis, remque tanti momenti atque fortunæ præter spem omniumque opinionem oblatam minime negligendam ratus, Urbi admovit. Ut polliciti erant Cajetani exules Hispanas cohortes in Urbem per noctis silentium introducunt, & capta continuo murorum parte, patefactisque portis Cajetanis reliquis facinoris consciis adjutoribus Urbem invadunt. Petrus mox cum reliqua multitudine eodem accitus, ejecto præsidio Urbe nullo labore potitur. Ita Urbs & situ & vetustate egregia, ac bello & paci in eo Regno peropportuna, in Taraconensium, Alphonsique Regis potestatem devenit, qui non longe ab ea paucis ante mensibus tam insignem calamitatem acceperat. Dederat ejus conficiendæ rei occasionem non mediocrem paulò ante Isabellæ Renati Regis conjugis in eam Urbem adventus. Nam mortua Johanna miserant in Provinciam Neapolitani legatos, qui Renatum in Italiam adducerent. Sed is Britannico bello in eo prœlio, quo omnis prope transalpina Gallia ingenti clade obruta est, captus penes Philippum Burgundionum Principem retinebatur. Legati ea spe derelicti, ut Isabella interim, dum ipse dimitteretur, Neapolim proficisceretur, petierunt. Ea igitur cum duobus adolescentulis filiis navem ingressa Cajetam primum pervenit: cui adhuc Octolinus præerat. Et jam Philippi fides Cajetanis suspecta esse cœperat, & ob id Isabella hortatu eorum, qui Renati viri studia sequebantur, inde recedens, Octolinum cum præsidii parte ea simulatione, quod ejus consilio in rebus gerendis uti vellet, secum Neapolim traduxit. Quibus rebus feliciter gestis, Petrus quod intelligebat pro Regis commodo non esse sibi in præsentia ex Urbe discedendum, jussit Petrum Perilionem cum rostratis in Liguriam ad Alphonsum navigare, qui secundis ventis brevi Lunensem portum tenuit. Unde Alphonsus postea solvens triremibus iisdem Cajetam delatus est. His atque aliis rebus irritatis in Philippum Genuensium animis, inita sunt de conjuratione consilia, orto à primoribus Civitatis initio, qui se ultro pro liberanda patria auctores polliciti, Vigesimo Kalendas Januarias sumtis armis Francisco Spinula conjurationis principe cæso, Urbis Præfecto Opicino Alzate, præsidioque ejecto libertatem pepererunt. Sub idem tempus Fabrianenses, quorum oppidum in Picentibus est mercatorum & incolarum industria non ignobile, imitati finitimorum Camertium exemplum, Clavellorum familiam durius sibi & avarius dominantem funditus deleverunt. Erat enim natu grandior ætateque jam confectus Thomas Clavellus, qui oppido dominabatur, cujus filius ætate major Baptista patris indulgentia munera ferè omnia pro arbitrio obibat. Is supra facultates elatus animo cùm opes non suppeterent, plurima per tyrannidem exercebat, neque rapinæ, neque libidini cuiquam parcebat. Omnia divina humanaque permiscebat. Quæ mala ubi diutius oppidani ferre non possent, irritatis animorum incendiis, clam & per insidias se invicem alii alios cohortati, duodecim ex primoribus oppidi ad conjurandum in tyrannos induxerunt. Ii posteaquam ex convento signo dato quid faciendum esset, ad facinus perpetrandum constituissent, die quodam solemni, ubi reguli omnes cum universa ferè familia convenissent in Templum, cantantibus sacerdotibus eum symboli locum, quo verba hæc continentur: *& Incarnatus est de Spiritu Sancto*, repente strictis gladiis undique conjurati omnes prosiliunt, regulosque ipsos impetu facto ante sacratissima Templi altaria eo etiam sacerdote facinoris conscio spectante, qui Christianam Hostiam consecraturus erat, & signum ad ineundum patrandumque scelus dederat, cum universa eorum familia, quæ ibi tunc erat, permultis confossos vulneribus miserabiliter trucidant. Deinde ad ædes (21) convolantes, reliquam familiam sine discrimine sexus & ætatis miserabilius interficiunt. Nec defuit, ut ferunt, qui regiæ virginis cadaveri per nefandissimam veneris voluptatem admiscuerit. Nemo omnino ex tanta tamque florenti Familia superstes fuit, præter unum Guidonem, qui militiam secutus domo tum aberat. Hac horribili inauditaque cæde per conjuratos perpetrata, & accito ad libertatem Populo, posteaquam nefarii scelerum auctores ubique odium atrocissimi facti in sese apud omnes increbruisse didicissent, diffisi sibi ipsis opibusque suis, quoniam multis clarisque Italiæ familiis Clavelli affinitatibus juncti erant, à quibus ultionem formidarent, quamprimum ad Franciscum mittunt, qui ei sese & oppidum dedant. Nec eos Franciscus, etsi tam scelesti immanisque facinoris exemplum abhorreret, in fidem accipere recusavit, ea potissimum causa motus, quod sciebat Fabrianenses alia atque alia effugia petere, eorumque principatum à multis ambiri, & ob id oppidum ipsum suo præsidio muniendum curavit.

(21) MS. deinde ad ædes extemplo convolantes, reliquam familiam miserabilius interficiunt. Qui nec pueris nec mulieribus item ipsis ac virginibus pepercerunt. Ad unum omnes alto provolutos cruore quamfœdissime, crudelissimeque interemerunt. Nec etiam defuit, ut ferunt, quin ipsi etiam unius virginis cadaveri se se perditissimi nonnulli per nefandissimam veneris voluptatem admiscuerint. Quæ ingens facinoris magnitudo tam atrox tamque immanis omnibus visa est, ut jure sempiternâ exsecrabilis turpitudinis notâ inurendam viri boni atque sapientes omnes judicaverint; quumne accidere quidem posse videretur tam tetrum abhorrendumque scelus in ipso quasi Italiæ umbilico, & in hac tempestate, qua mitiora quædam vigerent ingenia. Nam nec divinorum officiorum religio ac majestas, nec solemnis ulla diei reverentia, nec ullus Dei metus, nec quidquid barbarum etiam genus omnino continuisset, perditam illorum grassatorum immanitatem à tanto scelere prohibuit. Nemo omnino &c.

Explicit Liber Tertius.

IN-

INCIPIT LIBER QUARTUS.

AT (22) Camertes recentium fœderum obliti novare res in Franciscum & belli inire consilia cœperunt. Accesserat Camerinum Taliani Forojuliani Scriba quidam. Hunc ex primoribus Urbis nonnulli in intimum colloquium vocant, & ubi longo sermonis ambitu satis Forojuliano fidelem cognoverunt, hæc illi affirmare conantur, grave in Francisci Sfortiæ animo adversùs Talianum conflatum jam esse odium, multasque addunt, & affingunt causas, cur ille rem crederet. Suadent ut Forojulianum quamprimum edoceat, sibi magnopere à Francisco cavendum, quod nisi faciat, in maximo & fortunarum suarum omnium & vitæ periculo versari. Posse, si velit, ad eos suis omnibus copiis se recipere, qui & Urbe & opibus ei numquam essent defuturi. Hæc ubi Forojulianus accepit, nondum enim fidem mutaverat, statim Francisco renunciat. Qui rei indignitate permotus, quod homines, de quibus esset multis de causis benemeritus, tantum auderent in sese facinus tentare, ad eos mittit, qui publica concione ea exponant, quæ à Forojuliano audierat, petantque, ut vel ipsi in Cives suos sontes animadverterent, vel eos ad se mitterent. Et cum utrumque facere negassent, eos bello lacessendos persequendosque statuit. Itaque eductis ex hibernis celeriter copiis aspera admodum hyeme, utpote Januario mense, Camertium fines invadit, ac primo impetu Mutiam oppidum Camerino proximum occupat, pagosque late longeque populatus, omnia circumquaque magno tumultu ac terrore permiscet. Municipia alia sponte sese dedentia recipit; repugnantia prædæ militibus exponit. Seravallis oppidum cum oppugnare adortus esset, quod omnium redderetur situ & opere munitissimum, plus sibi quam putarat, negotii attulit. Sed amotis confestim machinis, quassatisque muris, oppidani, quod nulla sibi auxilii spes relicta esset, sese Francisco permisere. His fracti malis Camertes ad Franciscum oratores miserunt, qui omnem defectionis culpam in paucos conjicerent, Camertium ceterorum innocentiam purgarent, pacem dein peterent, atque orarent, & eas acciperent conditiones, quas victor hostis dare voluisset. At Franciscus etsi intelligebat, quid Camertes mererentur, nec ulla omnino dignos venia esse, in supplices tamen clementia usus perhumaniter benigneque excepit. Nihil de prioribus legibus ab eo immutatum est, nisi quod Seravallem & municipia quædam alia perpauca suis præsidiis teneri voluit, ut si fallere rursus fidem Camertes tentassent, prærepta illis esset rei conficiendæ facultas. His rebus confectis, copiisque in hiberna remissis, Franciscus cum paucis Fabrianum se contulit, quo posteaquam Fabrianenses in ejus venissent potestatem, nondum accesserat. Ejus oppidi non tam pulchritudine & amœnitate quàm ædificiorum decore & publicarum ædium amplitudine & operum celebritate mirum in modum delectatus est: sed nec minus Populi frequentiam admiratus, quod adeo & opificum & mercatorum numuro refertum comperiebat, ut multis Italiæ Urbibus eisque nobilibus non modò conferri, sed præferri etiam posse videretur. Inde Gualdum in Umbris oppidum Nuceriæ propinquum, superato Apennini jugo sibi adeundum quoque duxit, confirmatisque oppidanorum animis, Auximum revertit: & quæ bello gerendo per subeuntem æstatem usui fore putabat, summa cura comparare cœpit. Jam enim multis Eugenii nuntiis redeundum sibi in Flaminiam cum exercitu cognoverat. Itaque omnibus ad profectionem comparatis rebus nondum exacto verno tempore cum domesticis cohortibus peditatuque universo Senam galliæ (23) proficiscitur, eoque ceteras convenire copias imperat. Sedenti apud Senamgalliæ Francisco, mittuntur ab Antonio Ordelasso, qui dicerent, plurimum vereri, ne adversùs sese Pontificis jussu, quem multis indiciis sibi infensum intelligebat, bellum moturus esset. Proin orare & obsecrare eum per veterem amicitiam, perque sacrum compaternitatis jus, ut si qua causa bellum sibi illaturus esset, prius eum edoceret, ne imparatus incautusque opprimeretur. Ad hæc Franciscus sanctè testando respondit, se nihil de Pontificis in eum animo scire, nihilque sibi adhuc de gerendo bello indictum, nisi ut cum primum per pabuli copiam liceret, exercitum in Flaminiam traduceret. Quod si Antonius intelligat, Pontificem sibi esse iratum, saluti suæ consuleret: eo enim pacto ipsum prudenter acturum. Illud autem se omnino effecturum recepit, si forte bellum in Antonium Pontifex decerneret, non prius se illi vim allaturum quàm bellum indixisset. Nec multo post cum jam copiæ omnes in castra convenissent, in Flaminiam ducit, & non longe ab Urbe Forolivio castra ponit. Post hæc dies plures pax esse videbatur, milites tuto in Urbem commeare atque inde necessaria quæque comportare, Cives item in castris impune versari, in campis agriculturæ quisque intendere, omnis enim belli suspicio abesse. Cum repente Pontificis Legati, qui apud Franciscum in castris erant, edicunt, ut quamprimum nulla Ordelasso facta denunciatione Forolivianorum agros hostiliter invaderet. Quæ res cum non mediocriter Francisci animum permovisset, legatis respondit: quandoquidem ita Pontifici sedeat, ut bellum Ordelasso inferatur, se ejus dicto obtemperaturum. Ceterum illud in primis petere, quod jus belli sibi vindicat: priusquam vis ulla Forolivianis inferatur, bellum sibi liceat Ordelasso indicere, ne contra fidem illi à se da-

(22) MS. At Anno, qui mox insequutus est, Sexto ac Trigesimo ab Ortu Christi Domini supra Quadringentesimum ad Millesimum, Camertes &c.

(23) MS. quæ non longe ab Æsi flumine in Cisalpina Gallia sita est, proficiscitur; etsi hac nostra tempestate Gallia Cisalpina tendit usque ad Rubiconem dumtaxat. Et ita Sena, quæ quondam erat in Gallia, clauditur intra fines Piceni. Ad Senam, inquam, proficiscitur, eoque ceteras &c.

datam per injuriam quicquam fiat. Legati nihilo secius instare non desistebant, ut sine mora oppido castra admoverentur, incursionesque late ubique fierent. Ita enim fieri oportere adversùs Pontificis Ecclesiæque contumaces, contra quos nullum perfidiæ genus omittendum censerent. At Franciscus, qui nihil esse homini turpius quam fidem fallere putabat, in sententia persistebat, cum diceret, se nullo umquam pacto fidem amico præsertim datam, quæ vitâ ipsâ sibi carior esset, violari passurum. Itaque Antonio per caduceatorem enuntiari jubet, bellum in diem tertium fore. Interim nihil hostile timendum. Satis constabat moleste Sfortianos pæne omnes tulisse, quod adversùs Forolivianos hospites bellum sibi gerendum esset. Nam usque ad maximam ejus noctis partem quæ præscriptum belli diem præcesserat, liber & in Urbem militibus & in castra Civibus fuit accessus. Nec ulla insuper Sfortianis futuri belli lætitia, nec alacritas ulla, qualem solet militibus spes prædæ afferre, fuit. Exacto triduo, Franciscus ad oppugnandum Foropompilium profectus, non multo tempore nec multo labore admotis muro tormentis eo oppido potitur, Arcemque dein expugnat. Mox ad Pontem, qui nunc Runcus dicitur, progreditur. Is locus non amplius mille & quingentis ab Urbe Forolivio passibus abest. Inde firmatis castris totus ferè Forolivianus ager crebris excursionibus exagitatur, & nullo metu vagantibus circumquaque militibus vexatur. Advenere per eos dies in castra Sigismundus Malatesta ex Arimino, & Dominicus ejus frater ex Cæsena, & suis omnibus copiis sese Francisco junxerunt. Iis immixti venere complures viri agrestes, cum prædæ studio tum odio gravi in Forolivianos, quod inter Forolivianum & Cæsenatem Populum veteres inimicitiæ atque ingentes iræ de finibus intercesserant. Hi potissimum omnibus belli cladibus finitimorum agros vastare cœperunt, grassantesque magis magisque in dies, à nullo ædificiorum incendio nulloque maleficio temperabant. Hæc insolita belli ratio, & à militari usu aliena Sfortianis non placebat, qui omnibus bellis, quæ sibi vindicare non possent, ipsis etiam hostibus conservare consuessent. Proin rusticos maledictis insequebantur, quod in agros innoxios vires experiri, odiaque evomere velle viderentur. Inermibus etiam cessuri, cùm nullum esset manifestius muliebris animi signum, quàm vim inferre, ubi nemo contra innitatur.

Deferebantur hæ militum voces ad Pontificis Legatos, qui in castris erant: ob eamque rem palàm ab iis de Francisco deque exercitu obloqui cœptum, quod non satis recte, neque fideliter pro Pontifice bellum gereretur. Hanc tam immeritam Franciscus infamiæ labem ægre ferens, conari aliquid statuit, quo purgare suam innocentiam posset. Eduxerant Foroliviani munitiones crebris excitatis castellis aliquanto ab ea porta longius, quæ castra prospiciebat, atque inde velut ex propinquo Urbi loco, cùm vellent, erumpebant, obsidentesque multis sæpe incommodis afficiebant: quippe qui facto impetu, ubi majoribus premerentur viribus, in munitiones refugiebant. Quod cùm animadvertisset Franciscus, cohortes quasdam ex equestri pedestrique numero delectas armis & clypeis egregiè ornatas se sequi jubet, munitionesque ex improviso aggressus primo impetu expugnat. Forolivianos in fugam vertit, ac permultos ex iis capit. Nam Cives, qui portæ præsidio erant, veriti ne hostes suis immixti simul irrumperent, objectis continuò portis extremos exclusere. Hoc accepto detrimento Foroliviani haud temere urbanas munitiones egrediebantur. Sed quid per eos dies Francisco acciderit, operæ pretium est, ob rei novitatem, haud silentio præterire. Erant in agris ad oppidum usque sata non solùm jam grandiuscula, sed usque adeo matura, ut ad messem oppidanos hortarentur, qui ut tutius id operis exigerent, armatorum militum cohortes præsidio habebant. Franciscus verò cùm ceteris turmarum præfectis nullum periculum veritus consueverat per ea loca inermis animi recreandi gratiâ obequitare, matura frumenta lustrans, quæ adeo excreverant, ut & densitate & altitudine sua facile insidiantibus latebras præberent. Cum igitur obequitans viam quamdam angustiorem frumentoque circumseptam esset ingressus, hostes qui intra frumenta delituerant, & à fronte, & à tergo ita ut erant dispositi, eum circumsistunt. Cumque oculis omnia perlustrantes, Malatestarum, quos adesse putabant, vidissent neminem, continuo humi abjectis armis, ad Franciscum certatim occurrunt, dextramque ejus perinde ac venerantes deosculabantur, facti veniam petentes. Dein, *nequaquam, Princeps clarissime*, inquiunt, *hic delituimus, ut te offenderemus, quippe qui tuam salutem ac felicitatem nobis communem tecum esse ducimus. Nec enim nos fugit, quam invito animo hoc adversùs nos bellum susceperis: sed ut hostes nostros & jamdiu inimicissimos Malatestas, ut meriti sunt, digna afficeremus pœna. Nos autem tibi, quem Numinis instar colimus, non modò nullas pararemus insidias, sed pro tua salute atque dignitate corpora etiam ipsa nostra ingruentibus telis omnibus objiceremus*. His dictis tum à Francisco perhumaniter excepti mox ad suos rediere. Ceterum Ordelaffus, ubi se arctius obsidione premi, & quæ ad tuendam Urbem continendumque in fide Populum usui essent, deficere ac omni demum auxilio destitutum videt, de Urbe dedenda cogitare cœpit. Itaque adhortante etiam Francisco, ut cedendo potius præsenti fortunæ sibi suisque consuleret, quam frustra conando vitæ alimenta consumeret, suam suorumque incolumitatem pactus, Urbem Pontifici tradidit: quem quidem abeuntem Franciscus cum universa familia ac supellectili quamdiligentissime conservavit. Recepto Forolivio Franciscus à Pontifice accitus, in Bononienses cum exercitu proficiscitur. Profectionis hæc fuisse causa circumferebatur, quod cùm Nicolaus Picininus soluta Albingaunensi obsidione, ex Liguribus in Æmiliam rediens, circa Parmam magnis copiis desedisset, & ingentem illius propinquitas Eugenio timorem inferret, ne rursus in Bononienses Flaminiamque descendens, novos in ea provincia motus concitaret, eum illius viribus opponere Pontifex constituisset. Sed longe aliter, ut postea cognitum est, res habebat. Constat enim eo tempore undique in Francisci caput dolos paratos esse,

se, & insidias simul in ejus exercitus perniciem. Eugenius enim post recuperatam Romam, Fortebraccium ad internecionem deletum, & receptam demum Bononiam elatus, quod nihil ad pristinam Romanæ Ecclesiæ ditionem, felicitatemque deesse videretur, præterquam Picenus ager, & id etiam agri, quod in Umbris Etruscisque Franciscus possideret, ad eas quoque res Ecclesiæ imperio vindicandas mentem verterat. Accedebat ad hæc, quod nonnulli cum à Francisco Pontificis animum avertissent, ad id eum magnopere adhortabantur, quorum princeps erat Baldassar Offidanus, vir sane ingenio pravo ac perdito, & ad omne facinus paratissimo, qui tum apud Pontificem gratiâ plurimum & auctoritate valebat. Is ad rem conficiendam delectus æstatis initio sumptis Ecclesiasticis copiis, & Petro Johanne Paulo ex Gallia Cisalpina accersito, quem paulò ante Eugenius ea de causa stipendio conduxerat, Comitibus Cunei, qui Lugum & alia perpauca in Flaminia Castella obtinebant, bellum inferre cœpit: & à Francisco, ubi is in Bononienses pervenit, partem copiarum petiit, non quia earum adversùs inermem præsertim hostem egeret auxilio, sed ut diminuto copiis ejus exercitu, ad salutem pro iis, quæ in illius exitium parabantur, redderetur infirmior. Franciscus autem earum rerum ignarus, quamquam moleste ferebat, quod contra dignitatem suam, se Romanæ Ecclesiæ Vexillifero exercitum habente, ab alio duce in ejus prope conspectu bellum administraretur, tamen omnia æquo animo ferenda statuit, & ut Pontifici morem gereret, Baldassari eum omnem equitum ac peditum numerum, quem petierat, concessit. Sed cùm eas postea cohortes, quas ad Baldassarem misisset, ad se Franciscus confecto eo bello remittendas magnopere contenderet, id facere Offidanus recusabat, alias atque alias moræ causas innectens, quinetiam Nicolaum Picininum crebris & literis & nuntiis sollicitabat rogabatque, ut Franciscum ipsum quem segniter, & sine ulla cujusque rei suspicione tempus terere diceret, cum universis copiis improvisus adoriretur, quem ipse quoque ab altera parte circumventurus esset: & ita perfacile fore, ut nusquam illi aut consistendi aut resipiscendi facultas ulla superesset. Dum hæc aguntur, (24) & Bononiæ Pontifex agit, quidam primarii Sacerdotes in castra ad Franciscum venerunt, utrum ad exploranda ejus consilia, an animi causâ, incertum. Hi cùm multa essent inter loquendum, ut fit, perurbane commentati, ostenderunt pergratum sibi fore, si instru-

A ctus, sicuti fit, ad conferendam pugnam exercitus in aciem educeretur. Quam quidem rem Franciscus nihil mali suspicans cùm perlibenter se facturum respondisset, postridie ejus diei omnium primum lautissimum parari convivium jussit, eosque cum universis comitibus, plures item alios, qui visendi studio venerant, sub arborum virentium umbra mira arte constructa comiter excepit. Convivio autem variis pretiosisque dapibus peracto, equestres pedestresque copias multo argento sericoque præter arma & equos instructas, & velut ad dimicandum paratas prodire in campum edixit. Et quamquam subdubitare videbatur, an ii amico, B an potius inimico, ad eum venissent animo, tamen ea prudentia, eaque modestia egit omnia, ut nihil suspicari videretur, & hilares à se illos ac voluptatis plenos dimitteret. Sub idem quoque tempus duo ex pedestri ordine Bracciani milites, improbo quidem & perdito ingenio viri, incognito habitu Franciscum adiere. Ii avaritia ducti, quæ inter cætera mala fidem violat, crudelitatem parit, & ad scelera quæque animum impellit, ei audacius pollicerentur, sese Nicolaum Picininum Francisco ipsi infestissimum, qui per id temporis, ut ostendimus, in Parmensibus sedebat, necaturos, si præmium adesset ipso facinore dignum, idque C cùm nullæ per noctem circa illius prætorium vigiliæ fierent, sed negligentius velut in summa quiete ac pace securiore animo viveretur, perfacile factu fore affirmant. Quod ubi Franciscus audivit, admiratus peditum audaciam, perfidiam, & diritatem, ita illis respondit, non se insidiis neque dolo, sed armis ac virtute vincere hostem didicisse. (25)

Quod ubi Picininus intellexit, quamquam aperte pro factionum studiis oderat, numquam tamen nisi de eo honestissime loqui sustinuit. Ac sæpenumero obtrectatoribus, qui apud Philippum ejus dignitatem labefactare verbis conabantur, se opposuit affir- D mans, Comitem Franciscum (ita enim appellabat) pium, misericordem, ab omni crudelitate abhorrentem, & meliora semper consilia sequentem ad exitium duci non posse. Sed ut eo, unde digressi sumus, redeamus, Baldassar qui nihil majore studio moliebatur, quam ut Franciscum pro immani quadam animi diritate è medio tolleret, diem ex die ducens, & fraudes fraudibus annectens, assidue Picininum, ut docuimus, ad facinus incitabat. Quem ubi animadvertit sive Philippi jussu, sive periculi magnitudine deterritum, minus alacrem id negotii susci-

(24) MS. sive consulto ad explorandum, nocendumque, sive alia causa factum esset, Prælati quidam viri ex Pontificis Eugenii Curia primarii Sacerdotes, qui quidem Pontifex non multis ante diebus è Florentia Bononiam se contulerat, in castra &c.

(25) MS. proin caverent, ne eum de tam atroci, inauditoque scelere amplius tentarent. Quod quum rescivisset tamdem Picininus, ferunt ex eo tempore de Francisco Sfortia, quamvis adversi adversas partes sequentes gravi inter sese bello continenter decertarent, modestissime tamen loquutum; quin potius laudasse eum in omni re quàm carpsisse. Et si quis in ejus conspectu illum mordebat, graviter objurgasse. Ferunt etiam, quum Mediolani esset apud Philippum, & multi ad eum non tam Cives quam purpurati è Philippi curia viri conflue- E rent, sermonibusque variis tempus tererent, in Franciscum denique ipsum ventum esse; & multos verbis multis sive odio, quod Philippo adversaretur, sive quod existimarent, rem Picinino non ingratam facere, eum carpere cœpisse, quum alii illum brevì perditum, alii ad Philippum aliquando captivum perductum iri, alii ad inopiam exiguamque militiam, & ad dedecus ludibriumque, alii ad extremam tamdem rerum omnium calamitatem deventurum esse judicarent, Nicolaum ita respondisse: Non posse Comitem Franciscum (ita nominabant) prudentem ac pium in perniciem ire, quippe quem semper cognovisset sanioribus usum consiliis, ab omni prorsus immanitate atque crudelitate abhorruisse. Sed ut eo &c.

scipere, tempusque è manibus effluere, alio consilia sua machinationesque convertit. Eo enim Franciscus erat ingenio morumque bonitate, ut cùm ipse nihil per dolos acturus esset, ita nec alios opinaretur usqueadeo ab humana natura Deoque abhorrere, ut cujusquam vitæ insidias pararent, extremamque perniciem molirentur, præsertim cùm hostes longius abessent. Itaque securus liberiore animo cum suis, de quibus nil dubitabat, vitam agebat, nihil à Baldassare sceleris suspicans (26): ob eamque rem ita se omnibus facilem præbebat, ut nemini ferè ad eum aditus non pateret. Ducebatur enim eo laudis studio, ut omnes omni tempore ubicumque esset, & adire sese & alloqui pro voluntate possent. Nam in hujusmodi gloriæ celebritate ejus animus plurimum conquiescebat. Quæ quidem viri humanitas ac facilitas eo majorem spem patrandi facinoris Baldassari afferebat, quod arbitrabatur facilius Franciscum ipsum nihil mali opinantem per proditionem perfidiamque incautum opprimi posse. Quin etiam locus ipse, ubi tunc erat, videbatur ad instruendas insidias aptissimus. Erant Sfortiana castra ad Reni fluminis ripas locata, quorum etiam partem is interfluebat amnis, qui cum haud facile infra Bononiam vadis transiri possit, sublicio ponte, quem Polletranum vocant, jungitur. Qui quidem pons è regione finitimæ Flaminiæ, ex qua impetus fieri posse videbatur, turri quadam clauditur, nec inde admodum longe Molendinum abest, casaque laterícia, cujus parietes Francisci tabernacula attingebant, quo in loco nocturnæ excubiæ procubitoresque semper aderant, ignesque fiebant assidue. Franciscus ut plerumque consueverat, nondum satis vestibus indutus, cumprimum è cubiculo prodibat, eo veniebat, salutantesque milites comiter excipiebat. Quod cum Offidanus didicisset, ratus sibi illius interimendi opportunitatem oblatam, duodecim ex pedestri numero milites sagittandi peritos delegit, eosque ubi, quid fieri vellet, edocuisset, intra turrim per noctem jubet occultari. Cumque ad perpetrandum facinus constitutum esset tempus, fit nocte superiore quæ diem neci dictum antecedebat, per occultos nuntios Franciscus è Bononia certior, nisi celerrime sibi caveret, castraque mutaret, proculdubio per insidias acerba morte periturum. Neque enim is qui nuntios miserat, quem Nicolaum Cardinalem Campanum Francisci amicissimum fuisse accepimus, de sagittariis quicquam dixerat, neque quo pacto illi mors instrueretur, cognoverat. Quibus auditis Franciscus cum primum illuxit, repentinæ profectionis causam dissimulans castra movet, & ad id oppidum ducit, cui Gelso nomen est. Qua quidem in re facile intelligi potuit, quanta esset fortissimi viri mansuetudo cum mirabili conjuncta prudentia: qui & sibi & suis ab Offidani insidiis mature cavit: Et cum Pontificis Eugenii copias prætergrederetur, potuisset inimicorum vires sine ullo fere labore ulloque periculo penitus delere; quod certe idcirco noluit, ut omnibus constaret, nullam à se novandarum rerum causam, sed à Pontifice per hominem improbum Baldassarem natam. Ceterum Offidanus ubi vidit suam se de transfigendo occidendoque Francisco spem fefellisse, eumque tuto in loco constitisse, rursus ad Picininum literas misit, quibus illum non modò hortabatur monebatque, verumetiam increpabat, quod sua tarditate suaque negligentia pateretur, Franciscum Sfortiam & sibi & Pontifici Eugenio infestum è manibus labi. Qui facile, si modo ipse affuisset, non superari solùm sed capi ac è medio tolli potuisset. Hisce literis missis Offidanus ad vicum, quem Ricardinam Bononienses nominant, suis omnibus copiis concesserat. Cumque literæ essent ab exploratoribus interceptæ, & ad Franciscum perlatæ, ea certe occasione non mediocriter lætatus est, quod proditis tamdem Eugenii insidiis jure posset meritoque de uno Baldassare doli malorumque omnium inventore ultionem sumere. Nam vix quicquam magis quam nominis notam verebatur. Itaque non amplius cunctandum ad ulciscendum ratus, de secunda vigilia citato agmine movet, copiisque longius ab hostium excubiis circumductis, ne ab Offidani castris sentirentur, in ipso prope diluculo præmissis levis armaturæ equitibus, in hostilia castra irrumpit. Et tanto omnium silentio tantaque celeritate iter perfecerat, ut uno atque eodem tempore & præcursores castra invaderent, speculatores adesse Sfortianas copias sublatis clamoribus nuntiarent. Irrumpentibus autem Petro Brunorio & Zarpellione, qui post Calippos subsequebantur, Tubicen Francisci jussu Baldassarianis militibus magna voce pronunciabat, si esse omnino incolumes vellent, abstinerent armis, & proditorem sceleratissimum Baldassarem vinctum ad Franciscum illico perducerent. Quo edicto ab omnibus audito Sigismundi Malatestæ & Dominici fratris milites metu territi, qui se continuo captivos fore arbitrabantur, revocatis ad salutem animis in partem secessere, spectatoresque quietem agebant. At Petrus Johannes Paulus, qui universis Eugenii copiis præerat, ceteris in aciem pro tempore coactis militibus, & Baldassarem ipsum, qui legationis munere pro Pontifice fungebatur, & se primo congressu enixius tueri, sed paulo deinde post ægrius pugnare, cœpit. Nam ubi se vidit propter paucitatem multo inferiorem, in fuga salutem ponit, futurum arbitratus, ut si copias servasset, brevi à Pontifice Eugenio viribus auctus pari Marte rediret in pugnam. Ceterum Sfortianis vehementius effuso cursu insequentibus, dux ipse inter fugiendum capitur cum universo prope equitatu, castraque mox direpta. Malatestæ autem intacti servantur. Baldassar verò dum pugna tumultuosius conferitur, non tam animo quam equi celeritate fretus ex ipso hostium globo dilapsus ad oppidum Budrium se recepit. Quem ad locum cum Sfortiani eum essent insecuti, ferociusque direptionem, & omne contumeliæ dedecorisque genus interminantes, edicunt, ni oppidani quamprimum Baldassarem ipsum vinctum tradiderint, fore, ut omnem illam vim sævitiamque in sese convertant, qui hominem perfidum proditoremque suo oppido recepissent,

(26) MS. quod non ignorabat, quam suis omnibus carus esset, quibus ejus salus, quàm propria, majori erat curæ. Ob eamque rem &c.

sent, tegereque dein conarentur. Quibus auditis oppidani prædam veriti, Baldassarem diligentius conquisitum, è latebris tandem, muliebri indutum veste frumentarioque respersum pulvere, ne agnosceretur, vitam deprecantem, multaque pollicentem eruunt, & ad Franciscum raptim agunt, quem postridie ejus diei in Firmam Arcem perducendum custodiendumque mandavit. Ubi postea, ut ferunt, deambulando à ruenti ex alto tegula in caput percussus, vitam pro ejus scelere infeliciter finivit.

At ubi de his rebus Bononiæ renuntiatum est, continuo vehementer trepidatum, ab iis præsertim, qui Ecclesiasticam factionem sequebantur, cùm viderent jam dolos insidiasque omnes in lucem prodidisse, ac justam Franciscum ulciscendi sui occasionem esse nactum. Quare non poterant plurimum non formidare, ne ille ad Urbem infestis signis exercitum ageret. Ac eo majore Curialium omnium animi terrore quatiebantur, quod sciebant non omnes Bononienses idem sentire, sed alios alias sequi factiones. Et ob id haud temere sibi timebant. Nam his rebus cognitis ea, quæ insecuta est, nocte & factio Bentivola, quæ Eugenio ob obtruncatum immerito Antonium, ut prædiximus, & Thomam Jambeccarium, plurimum erat infensa, & non minus Cannetula, quod illius dominationem ægrè ferret, miserunt clam ad Franciscum nuntios hortatum, ut cum exercitu Urbi appropinquaret, futurum polliciti se aut sumtis armis eum in Urbem introducturos, Pontificemque confestim capturos, & universam ejus Curiam prædæ militibus concessuros, aut si forte ei Urbem ingredi non videretur, idem adversùs Pontificem suosque omnes facturos, illosque deinde in ejus potestatem cum universis eorum bonis tradituros. Ad hæc Franciscus, quod etsi justa sibi erat in Eugenium Pontificem ulciscendæ injuriæ causa pro iis, quæ in suam perniciem per hominem impurissimum parasset, tamen cum suo ingenio mansuetudine quàm ultione uti didicisset, nec se Urbi castra admoturum dixit, nec etiam permissurum, ut Bononienses sua ope aut consilio, ac ne ipso quidem nutu, in Pontificem manus injicerent, aut suis molesti quicquam inferrent: quod & nefas esset, & à religione Christiana longe alienum. Habere penes se Baldassarem ipsum malorum omnium auctorem atque ministrum; eum meritas scelerum pœnas daturum. Quas ob res renuntiarent iis, qui eos misissent, ut à novandis in Pontificem rebus abstinerent, & quemadmodum adhuc fecerant, illi fidam servarent, ejusque parerent jussibus. Inter hæc Eugenius ad Franciscum sui purgandi gratiâ Legatos mittit, qui exponerent, quæ Baldassar tentasset, ea omnia non modò suo injussu, verumetiam se inscio invitoque, ab eo, ut erat homo audax & temerarius, esse tentata. Non enim se eo esse animo, ut qui Christi vices gerat in terris, hujusmodi quicquam per nefandum facinus machinaretur; neque

A etiam Romanum Pontificem ea esse immanitate naturæ, ut quod in quovis hominum detestabile exsecrabileque duceret, ipse per suos aggredi auderet. Quod res ita se habeat, facile Franciscum posse ex Baldassare ipso, quem captivum haberet, vel cognoscere vel extorquere: neque supplicium illius ullum deprecaturum, quo minus veritas depromeretur. Et si quid forte in Pontificem culpæ injiceret, id existimandum, sui purgandi causâ & metu pœnæ dicturum. Itaque eum non solùm monere, hortarique, sed etiam, si fas esset, rogare, ne quid acerbius & præter mansuetudinem suam ob unius temeritatem adversùs Romanam Ecclesiam B committeret. Quibus sinè ulla animi perturbatione auditis, Franciscus ita respondit. Se nequaquam suspicari eo esse Pontificem Maximum in se animo, ut umquam vel per hominem sceleratum Baldassarem, vel per alium quempiam Baldassaris ipsius hortatu atque opera tantum in se sceleris admittere cogitaret. Quare satis sibi esse factum, quod ad se venissent, & innocentiam Pontificis exposuissent. Irent sacrosancteque affirmarent, eadem se esse perpetuoque fore fide ac pietate in Pontificem, qua semper antea extitisset: nec cujusquam injuria vel contumelia ab eo animi instituto umquam discessu- C rum. Proinde non modò à se hostile quicquam non timeret, verumetiam juberet, quidquid se facturum vellet, quando omnibus in rebus ejus voluntati esset obtemperaturus. Hac (27) oratione omni Eugenio formidine liberato, non multos ibi dies commoratus, Cotoniolam cum universo exercitu concessit. Dum hæc in Bononiensibus geruntur, Florentinus Populus exulum metu non mediocriter timere cœpit, præsertim cum Picininus illorum suasu in magnam spem gerendarum rerum pellectus, jam Philippi jussu magnis copiis in Etruriam trajecisset. Franciscus autem, quem Florentini ex omnibus unum arbitrabantur, tantum hostium impetum non sustinere solum, sed etiam supera- D re prosternereque posse, & ipse in Etruriam accersitus ingruentibus hostium copiis opponitur. (28) Ceterum ut tantam belli molem à Florentinorum finibus averteret, præsertim quod ferebatur Picinino esse in animo Flumen Arnum transire ad Sanctam Gondam, quod est oppidum inter Florentiam Pisasque positum, in iis locis stativa habuit, totumque Octobrem consumsit, cum (29) hostis nondum Lucensem agrum præterisset. Inde in Pisanos propter instantem hyemis acerbitatem hibernatum deduxit.

In proximum verò Annum Picininus hortantibus maxime rogantibusque Lucensibus Bargam oppidum admotis per hyemem co- E piis expugnare aggreditur. Fuerat autem Barga jampridem antiquo jure sub Lucensium ditione, sed non multo ante à Florentinis occupatum firmissimo tenebatur præsidio. Nec parva quidem spe Picininus ejus quamcelerrime potiundi oppidi ducebatur, quod animadverterat, perdifficile fore à Florentinis

(27) MS. Hac Francisci perhumana & miti oratione, ut erat ab omni odio, ulciscendique libidine abhorrens, posteaquam omni Eugenium formidine liberasset, non multos &c.

(28) MS. quo tempore perpulcrum videre licuit; duos ex universa Italia præstantissimos belli duces obviam inter se se prodituros. Ceterum Franciscus, ut tantum &c.

(29) MS. quum ab hoste, qui nondum Lucensem agrum præterierat, nulla fieret pugnandi copia. Inde diu frustratus hostem, exercitum in Pisanos &c.

nis per saltuosos confragososque montes obsessis ferri auxilium posse. Contra vero sibi ex propinquo Lucensium agro & rem frumentariam & commeatus omnes sinè ullo vel periculo vel labore abunde suppeditari. At Florentini cum in tanto discrimine Bargensium res versaretur, non poterant non vehementer animo solicitari, cum viderent, si minus Bargensibus subvenissent, magnum rebus suis imminere periculum. Facile enim municipium animi ex finitimorum discrimine commutari consueverunt. Itaque ut omnes intelligerent, nihil esse apud Populum Florentinum antiquius quam sociorum suorumque salutem atque dignitatem tueri, Francisco imperant, ut nulli rei magis quàm Bargensium incolumitati studeat. Quorum imperio cum ille omni studio obtemperare instituisset, præmittit ad Bargam nullo intermisso tempore tres ex suis equitum Præfectos rei militaris peritissimos, Nicolaum Pisanum, Petrum Brunorium, & Zarpellionem cum expedita militum quingentorum ac duorum millium manu, & eorum quidem propter locorum iniquitatem majore ex parte peditum, quos ad ejusmodi belli usum maxime accommodatos existimavit. At Picininus de hostium adventu certior factus suisque viribus fretus expectare illorum impetum, nihilque de obsidione mutare constituit. Sfortiani cum ad id municipium venissent, quod Bargæ proximum est, acie instructa, montem qui Bargæ supereminet, longo circuitu subire contendunt, & superatis collibus pulsisque inde hostibus, diluculo ad oppidum perveniunt. Nec Bracciani, qui sese jam ad pugnam cohortante Picinino paraverant, segnius pro oppidi portis ad excipiendum hostilem impetum perstabant. Ceterum Sfortiani oppidanorum numero aucti, reseratis continuo portis magno animorum ardore erumpentium undique sublatis clamoribus, tanta vi tantoque impetu ex superiore loco feruntur in hostes, ut nullis Picinini conatibus nullisque viribus retardari potuerint. Hostes fusi in fugam circumquaque vertuntur suo cum maximo non dedecore solùm, sed etiam detrimento, amissis tum equis quamplurimis tum etiam machinis & impedimentis fere omnibus. In ea pugna captus est inter ceteros fortissime dimicans juvenis tum genere tum virtute insignis Ludovicus Gonzaga Johannis Francisci Mantuani Principis filius, qui postea ei in principatu successit. Is bellandi cupidus & à Philippo duce clanculum solicitatus, à patre discesserat, & pro Philippo ipso apud Picininum merebat. Qui (*) ad Franciscum perductus, benigneque exceptus egregieque donatus facta abeundi potestate remanere & sub Francisco militare maluit. Reliquos Braccianos, qui in ea fuga intercepti sunt, ademtis equis armisque Franciscus libere ad ducem suum remisit. Hoc accepto detrimento, Nicolaus, ut erat impiger, & animo acri, spe potiundæ Bargæ amissa, quo ejusmodi ignominiæ notam aliqua ex parte deleret, per summam hyemis asperitatem rursus eas omnes copias contrahit, quas Bargensi prælio evasisse incolumes cognoverat. Et usitata celeritate municipium Pisani agri, cui Sanctæ Mariæ ad Castellum nomen est, oppugnare adortus, nullo vel parvo labore seu fraude seu negligentia eorum, qui in præsidio erant, assecutus est: præsidioque imposito liberius excursionibus crebris latrocinantium more Pisanum agrum infestabat, ac viris pecoribusque abductis ad ipsam usque Urbem Pisas cuncta ab ea parte, quæ ad Lucenses pertinet, populationibus involvebat. Quo belli genere longe aptiores Bracciani erant, quàm signis collatis manum cum hoste conserere. His igitur populationibus ac rapinis cum late longeque omnia terrore Picininus complesset, & tamen acie cum Francisco apertis campis congredi minime auderet, in agrum Lunensem retrocessit, (30) ac Serazanam oppidum regionis celebre, & alia Florentinorum pleraque Castella circa Macram flumen sita non multo negotio sibi vindicavit. Nam regionis ejus Populi seu metu, seu rebus novis studentes, quod Florentinorum jugum excutere cuperent, ultro sese dediderunt. Quod cum animadvertisset Franciscus, veritus, ne ceteri municipes atque oppidani ea permoti causa, vicinorum sequerentur exemplum, maturandum sibi putavit, ne hostis opportunitate usus in dies majoribus augeretur viribus. Quare cum vix satis pabuli copia in campis esset, exercitum ad Sanctam Mariam admovit, municipiumque ipsum ita acriter oppugnare aggressus est, ut paucis post diebus, muris plerisque in locis frequentibus bombardarum ictibus quassatis ac dirutis, & municipes, & qui in præsidio erant relicti milites impetrata salute Francisco cesserint. Quid autem in ea oppugnatione acciderit, non absurdum est memoriæ litterarum mandare. Cum turris quædam ceteris eminentior, quam pro Arce ejus municipii hostes custodiebant, assiduo tormentorum ictu quateretur, tamdem inopinantibus custodibus magno fragore extra municipium corruit. Inter corruendum autem eorum unus, qui in præsidio locati fuerant, Genitrici Mariæ sese quam devotissime commendavit. Et quod miraculosissimum est: ex ceteris omnibus ejus præsidii tam præcipiti ruina obrutis atque obtritis solus ipse, qui campanæ pulsatui in turris summitate præerat, signumque dabat, ut reliqui sibi caverent, quotiens sublatis pluteis bombardæ saxeas moles essent emissuræ, ipse inquam speculator incolumis intactusque evasit cum incredibili quadam omnium admiratione ac stupore.

His (31) confectis rebus, Franciscus propere inde movet, & per Lucenses in Lunensem agrum copias ducit. Ejus adventu Castella, Oppidaque omnia, quæ per superiorem

(*) MS. humaniter benigneque exceptus, non modò nullo affectus est incommodo, sed honoratus, egregieque donatus à Philippianis partibus; quod honeste facere licuit eo adverso casu, & præsertim ejus patre pro Venetis bella gerente, ad Sfortianas partes se se transtulit, Francisci dein militiam secutus. Reliquos vero Braccianos &c.

(30) MS. ubi nullo hostili metu premeretur. Eo quum primum pervenisset, Serezanam &c.

(31) MS. Et Vincentius Amidanus Cremonensis, Francisci Scriba, vir quidem eximiæ probitatis, verique inprimis cultor, qui inter ceteros vidit, testimonium perhibuit. His confectis &c.

rem hyemem hostis occupaverat, confestim in antiquam Florentinorum fidem rediere. Nam Picininus paulo ante revocatus à Philippo in Galliam fuerat. Causa verò revocandi fuit, quod Veneti post captum suspicione perfidiæ obtruncatumque publice Franciscum Cremagnolam, continuò præfecerunt universis eorum copiis Johannem Franciscum Mantuanum Principem. Is, cum rursus in bella reditum esset, pro iis, quæ contra pacis fœdera Picininus, ut demonstratum est, adversùs Florentinos in Etruscis egerat, collectis Venetorum jussu undique copiis, per Bergomenses ad Adduæ ripam pervenit, quo flumine, ingenti quadam celeritate ponte piscatoriis naviculis juncto in Mediolanenses exercitus partem trajecit. Sed repulsis continuò iis qui transissent, à Philippianis ducibus, coactus est Mantuanus ipse non parvo quidem detrimento retrocedere, pontemque rescindere, ductisque dein tamen in transadduanam oram copiis circumquaque magno terrore omnia compleverat. At ubi Picininus huic factus est obviam cum Philippianis viribus, non difficulter omnem ejus impetum repressit, & ita repressit, ut amissa majore impedimentorum parte, in Brixienses redire coëgerit. Quibus quidem rebus gestis Picininus relicta Philippi exercitus parte adversùs Venetorum copias rursus ex Gallia in Liguriam, Pontremulumque versùs celeri agmine rediens sese Florentinorum viribus opposuit, satis sibi superque ducens, si perinde ac Istmos inter Jonium Ægeumque pelagus & Venetis videretur & Florentinis minime contemnendus. Erat autem Nicolaus ipse in aggrediendis rebus & celeritate, & animi fiducia quadam incomparabili, adeo ut audacior quam prudentior judicaretur. At Franciscus Sfortia longe secus & habebatur, & erat: Nam ut animi magnitudine nemini cedebat, ita nihil aggrediebatur, nihilque agebat, quod casui potius & fortunæ, quàm rationi & consilio dandum esset. Quibus artibus factum videmus, ut Nicolaus etsi præclara, maximaque facinora non solum iniit, sed etiam obiit, quandoque tamen seipso existimatus sit longe inferior, quem & sæpe superatum & magnas accepisse clades vidimus. Franciscus contra quemadmodum numquam victus est, ita maximas ac memorabiles victorias consecutus est. Picininus in agro Pontremulensi se continens satis habuit, si Florentinorum vires Galliæ aditu prohiberet. Franciscus, ut Florentinis rem gratam faceret, eisque obsequeretur, ad Lucense bellum se contulit. Erant enim Florentini in Lucenses, & ob mutuas veteresque injurias, & quod Nicolaum Picininum superiore Anno in eorum fines cum exercitu recepissent, & commeatu & omni re juvissent, implacabilibus accensi odiis. Et quoniam Picininus, cùm esset in Galliam accersitus, Urbem Lucam reliquerat firmissimo munitam præsidio, cui præerat Moretus Sanazarius, Jacobusque Lonates Papienses, & Sacramor Parmensis, viri fortes, & longo belli usu scientissimi, non dubitabat, ea Urbe servata, quæcumque amisisset, parvo labore recuperaturum. Idcirco Franciscus ea primum municipia oppugnare aggreditur, quæ erant in campestri planicie sita, & ea prope universa non multo negotio ad deditionem compulit. In iis capta sunt Casamajor, Nucianum, & id oppidum, cui Monticarolo nomen est, arce munitum pæne inexpugnabili. Deinde ad montana Castella conversus ea quoque metu perculsa in deditionem accepit. Quæ omnia Franciscus ut fidem servaret, continuo Florentinis tradenda mandavit. Ceterum ne illud quidem hoc loco retinendum censemus admirabile & inauditum pæne singularis continentiæ exemplum. Municipio vi capto, quod Casanova appellatur, prædæque militibus concesso, rapiebantur omnia, ut fieri solet, nullo humano divinoque jure servato, omniaque militum libidini parebant. Cùmque & mulieres & virgines non militiæ solùm primoribus sed ipsis quoque infimæ conditionis famulis permitterentur, Puella quædam facie liberali ac venusta militum manibus ad explendam libidinem trahebatur. Hæc inter lachrymas crebra voce clamabat: *Ego me ipsi Francisco Comiti* (32) *dico*. Quod audientes milites, ne ducis iram adversùs se concitarent, abstinuerunt omni in puellam contumelia atque maleficio, eamque perduxerunt ad Franciscum tunc & juventutis ardore, & corporis temperamento ad libidinem, venereasque illecebras proclivem & militari consuetudine nihil se turpe ob id admissurum existimantem. Is puellam intuitus ejusque forma ac pulcritudine non mediocriter illectus, ne quid tamen admitteret, quod accusari posset, quæsivit ex ea, num ita esset animata, ut sibi morem gereret, potius quàm iis prostitueretur, à quibus esset deducta: Illa *parata sum*, inquit, *omnibus in rebus tuæ obsequi voluntati, modò me ab horum manibus eripias*. Quibus auditis Franciscus jussit eam duci intra prætorium, atque diligenter servari. Cùmque ad multam jam noctem concessisset in cubiculum, ubi puella continebatur, eam omnium primum rogavit rursus, an eodem esset animo, quo antea in se fore annuisset. Cùmque illa in priore sententia persistens, se omnibus in rebus ei libentissime parituram respondisset, jubet, ut exuta vestibus ad tunicam usque se transferret in lectum, idemque ipse continuò facit. Cùmque jam in virginem incaluisset, illa verecunda & magna cum reverentia facie confestim oculisque conversis ad proximam Virginis Mariæ imaginem, quæ de more in cubiculo servabatur, ait: *O domine mi, per intemeratam illam Virginem Mariam Salvatoris nostri Genitricem, te etiam atque etiam oro, & obtestor, ne me violes, ne me incontinenter attrectes, neque virginitatem meam, quæ mihi animâ ipsâ carior est, polluas, sed intactam potius & nulla turpitudinis labe inquinatam Sponso meo, quem habes captivum atque vinctum, per tuam clementiam, & per divinam misericordiam restituas*. Quæ quidem verba Francisci animum tantopere permoverunt, ut omnem vim libidinis illico suppresserint, flammasque restinxerint. Puellam tamen interroganti, quare antea non modò non petenti, verùm ne cogitanti quidem, ad suam se voluptatem tradidisset, fertur, non inepte quidem illam respondisse, se vulgo jam pridem audisse,

(32) MS. *Ego me ipsi Francisco Comiti, exercitus imperatori dedendam volo. Quæro ne me vos contrectetis; ne me violetis*. Quod audientes &c.

disse, nihil esse apud eum justitia ac pietate antiquius, quarum se virtutum spe fretam ea pro tempore locutam, quæ sibi tamdem suæque honestati usui forent. Quibus verbis Franciscus majore in Virginem pietate commiserationeque commotus jussit eam bono esse animo, quæ nullam esset injuriam passura, sed suum etiam sponsum, qui apud gregarios milites quosdam captivus erat in vinculis, confestim assecutura. Id quod etiam Franciscus effecit. Nam suâ pecuniâ sponsum redemit, qui cùm esset coram adductus, & tristi lachrimabilique vultu sponsam intueretur, quod putaret eam esse compressam, leniter illa verecundeque subridens: *Noli*, inquit, *sponse mi quicquam de mea pudicitia subvereri. Nam hujus clementissimi Principis bonitate & gratia eadem ipsa nunc sum, qualis eram ante captivitatem*. Tum etiam Franciscus re cognita sanctè constantissimeque juravit, nullam à se puellam, nec ab alio quopiam passam esse injuriam. Quibus Sponsus auditis, sublatis ad cœlum manibus, atque genu flexo, quammaxime potuit, Francisco gratias agens: *Tu*, inquit, *mi Domine*, *non fallis eam, quæ de te est fama apud omnes pulcherrima. Nemo enim te uno inter homines neque humanior est neque clementior. Referat tibi Deus omnipotens, quæ ipsi non possumus, digna meritis tuis præmia*. Jusserat interim Franciscus multam in medium supellectilem comportari, quam ex ea municipii direptione fuerat per suos milites domesticos consecutus. Hanc cùm puellæ adderet in dotem, eam illa nequaquam accepit, sed gratias agens, inquit: *Maxima sunt in nos tua beneficia, Princeps clarissime. Verùm hanc ego supellectilem si acciperem, judicarent omnes vicini, eam esse prostratæ castitatis mercedem. At ipsa eo sum animo, ut mori malim quàm infamiâ hujusmodi laborare*. Tum Franciscus liberali utrosque exceptos convivio eosdemque laudatos dimisit.

Ceterum Franciscus magna jam parte Lucensis agri potitus, ad ipsam Urbem ductis copiis, castrisque circum mœnia positis ad negotia ejus obsidendæ oppugnandæque Urbis se convertit. Erat Luca non modò altissimis muris, altissimaque fossa & vallo munita, verùm etiam, ut demonstratum est, multo validoque præsidio etiam ad erumpendum nedum ad propugnandum parata. Et Franciscus inclusum hostem frequentibus levibusque prœliis in pugnam eliciebat. Erat enim ea Urbs non tam civibus atque incolis quàm peregrino milite longe frequens, ex quo fiebat, ut lacessiti iis prœliis Lucenses ac milites egressi Urbem, persæpe manus cum hoste consererent, cedentibus consulto Sfortianis, quo ejusmodi arte obsessi audacius prodirent in pugnam; id quod etiam Francisco ex sententia contigit. Nam Lucenses externique milites animo elati, quod non resistentibus hostibus superiores se esse putarent, effusis viribus erumpunt, & magno animorum ardore feruntur in hostes. Franciscus qui jam insidias per segetes paraverat, jubet suos tamdiu cedere, quoad hostes in insidias traxissent. Tum Sfortiani tanta vi vertuntur in hostes insidiarum ignaros, ut cum sustinere impetum non possent, effuso cursu pedibus salutem quærerent. Alii interimuntur, alii capiuntur, alii hac illac fugientes in Urbem ægre se recipiunt. Parumque abfuit, quin in ea profligatione & victores simul & victi Urbem ingrederentur. Fuit ex eo die Lucensibus cautior pugnandi cura, quod non amplius ita temere egrediebantur, satis sibi superque putantes, si mœnia tutarentur. Inter hæc cum Veneti à Philippo ita acriter bello premerentur, ut rebus suis haud mediocriter metuerent, præsertim quod Johannem Franciscum Mantuanum non bono in se esse animo intelligerent, quippe qui Mantuæ se contineret, & potius cum hoste quàm secum sentire videretur, finito stipendii tempore, quo sibi antea obstringebatur, hoc unum suæ saluti remedium arbitrantur, si Franciscus Sfortia relicto Lucensi bello sibi auxilio proficisceretur. Quare & eum rogabant, & Florentinos pro communi salute adhortabantur, ut quamprimum is transiret in Galliam adversùs Philippum. At Florentini quorum animi, ut docuimus, semper ardentissimo fuere in Lucenses odio inflammati, non facile adduci poterant, ut Venetorum postulatis assentirentur. Quæ quidem res nec Francisco ipsi placebat, qui etsi aliquando à Picinino turbatus Lucensem obsidionem solvisset, tamen eo in montanam regionem saltuososque montes repulso, rursus ad oppugnandam Urbem regrediebatur: quam, si ejus oppugnandæ facultas daretur, non dubitabat se ad deditionem redacturum. Sed ubi in dies acrius adversùs Venetos bellum ingruesceret, & ipsi vehementiore quodam studio Francisci in Galliam adventum efflagitarent, victus denique statuit, annuentibus Florentinis, dimissa Lucensi obsidione Venetis opem ferre. Itaque priusquam ab eo bello, Etruriaque discederet, magnis viribus impetum facit adversùs ea municipia, quæ circa Auserem amnem sunt, & Urbi Lucæ propinquiora: & adhuc in Lucensium fide perstabant. Quibus captis, Florentinisque traditis, eoque præsidio imposito, ut nullus ne minimus quidem commeatus in Urbem importari posset, ipse celeri agmine cum universis copiis ex Etruria movet, & superato Apennino, ad mensem Octobrem paucis diebus ad Regium Lepidi usque proficiscitur: quod progredi longius Padumque transire ex fœdere, quod sibi erat cum Venetis, ac Florentinis cogi non poterat. Nam honestatis eam semper Franciscus habuit rationem, ut adversùs Philippum socerum copias numquam nisi graviter lacessitus, duceret, nec illi sua præsentia detrimenti quicquam afferret. Picininus autem contra se confestim Parmam contulit, copiasque circa eam Urbem locis tutis disposuit. Franciscum cum esset Regii, non mediocri Philippo terrori esse cœpit, cum undique se ab hostibus brevì pressum iri intelligeret. Itaque nuntios propere ad Nicolaum Estensem mittit, qui eum cum per veterem amicitiam rogent, tum etiam fidei jure, qua ob acceptum jam à se Regium erat obstrictus, admoneant, ne Venetis veteribus suis hostibus, quàm sibi viro amicissimo & fraterna quadam conjuncto necessitudine, adesse malit. Quibus Nicolaus auditis, quod sua sponte, ut suis etiam rebus prospiceret, facturus erat, non dissimulanter Philippi annuit postulatis. Quare continuò ad Franciscum Legatos mittit, qui eum docerent, nullo pacto se passurum, ut

A ut ex sua Urbe Regio, suisque finibus bello Philippus lacesseretur, quod turpissimum sibi fore judicaret, ut qui à Philippo Regium dono acceperit, ab ea postea Urbe bellum adversùs eumdem inferri pateretur. Hoc si fieret, futurum, ut perfidiæ accusaretur ab omnibus. Quod Franciscus non invitus audivit, qui non libenter esset in Philippum bellum moturus. Qua re cognita Veneti per legatum suum Andream Maurocenum magna in sua Civitate & prudentia & auctoritate virum multa à Nicolao adhortatione petierunt, ut suam mallet quàm Philippi amicitiam sequi. Non enim eum ignarum esse oportere, Philippum non diu superfuturum, qui unus esset sine liberis maribus & mortalis. At Venetorum Senatum sempiternum. Quare si saperet, prudentius secum ageret. Ceterum Nicolaus neque adhortationibus ullis, neque etiam occultioribus minis sententia amoveri potuit, neque item pollicitationibus multis, maximisque adduci, ut ab honestate officioque discederet. Legatus à Nicolao re infecta, cujus causâ venerat, ad Franciscum celeriter profectus, multis ab eo precibus, multis propositis præmiis contendit, ut Padum saltem trajiceret, seque aliis Venetorum viribus jungeret. Quem cum frustra rogasset, denuntiavit tamdem illi, si secus faceret, fore, ut nullum deinde à Venetis stipendium acciperet: velut qui nulli iis usui fuisset. Ad hæc Franciscus non invitus respondit, se quoque omni fœderis jure, quocumque Venetis obstringebatur, liberum esse, posteaquam ab illis factum esset ejus solvendi fœderis initium. Dein paucis post diebus in Etruriam reversus in agrum Pisanum rursus hibernatum concessit. Per eosdem dies à Florentinis discessum est à Societate, quæ sibi antea cum Venetis fuerat, tum ob negatum Francisco stipendium, tum etiam quod satis aperte intelligerent, non placere Venetis, ut ipsi, quorum ope & Brixiam & Bergomum adepti fuissent, Lucâ potirentur: quod in hodiernum usque diem à multis jactatur.

Quibus constitutis rebus Philippus ad Franciscum mittit, qui eum hortarentur, ut pro ea, quæ sibi erat cum Florentinis, benivolentia, & summa in primis cum Cosmo Medice familiaritate, operam daret de solvendo bello, quod Florentini adversus Lucenses non sinè gravi utrorumque impendio atque detrimento tamdiu gessissent. Quod eo facilius ac libentius Franciscus Florentinis persuasit, quod Philippus se cum Florentinis ipsis pacem facturum dixisset, & spem non dubiam Francisco ipsi dedisset de tradenda propediem Blanca uxore, quam antea, ut demonstratum est, eidem se daturum promisisset. Missis igitur Pisas ad Franciscum à Philippo de pace legatis non difficiles sese Florentini ad res Lucenses componendas præstiterunt, quod tam diuturni belli detrimenta cum intolerabili prope ærarii sui, civiumque sumtu permoleste ferrent. Nam Legatis ea de re diligentius agentibus, interventu maxime Francisci, pax tamdem Lucensibus, rei frumentariæ inopia & omni pæne commeatu durius laborantibus, concessa. Restituta municipia & oppida fere omnia, quæ antea amisissent, perpaucis tamen quibusdam retentis conservandæ pacis & societatis gratia. Nam societatis quoque fœdus inter eos initum & inter Philippum item ac Florentinos Francisco eodem autore pax renovata. Ceterum Philippus, quo magis in dies singularem Francisci prudentiam & animi magnitudinem secum mente versabat, eo magis ad eum diligendum incendebatur. Videbat enim quantum momenti, quantumve accessionis rebus suis futurum esset, si eum arctissimo nodo sibi adjungere posset. Itaque blandiendo, paterna quadam auctoritate atque caritate monendo, pollicendo, donandoque nihil omnino prætermittebat. Et ut planius intelligeret, non vanam esse, non simulatam eam matrimonii gratiam, quam in desponsione Blancæ filiæ fecerat, Derthonam, & Astam dotali nomine ei tradidit; hac adjecta conditione, ut socero se excepto ipsi liceret, adversùs quos vellet, arma inferre, & abstinere quibus collibuisset: quod perspiciebat ea esse Franciscum ingenii bonitate, ut nihil contra decorum, nihil contra officium, facturus videretur. His rebus compositis cum omnia in Etruria pacata essent, Franciscus omnem suam cogitationem studiumque converterat ad transferendum in Apuliam bellum, quod sibi necessarium fore arbitrabatur, tum ut revisere, confirmaretque eorum oppidorum atque Urbium Populos, quos in eo regno ex paterna hereditate, ut docuimus, fuerat consecutus, tum ut Renato Regi auxilio esset: cujus partes & ipse & sui omnes jamdiu adversus Alphonsum, quem sciebat infenso in se esse animo, defendissent. (33) Nec id quidem Philippus improbabat: nam & si miti erat ingenio & animo longe elato, non poterat tamen in Alphonsum non commoveri, qui non tam accepti oblitus beneficii, quam odio & livore quodam vehementer ardere videretur, cum intelligeret Philippum sua captivitate gloriam adeptum sempiternam, suum verò nomen, quod amplissimum per omnem Italiam fuerat, obscurius redditum. Ita Franciscus soceri hortatu, ineunte verò in Apuliam adversùs Alphonsum signa vertere constituit. Dum hæc in Etruria geruntur, Eugenius Pontifex Ferrariam se contulerat, ad excipiendum Johannem Palæologum Græcorum Imperatorem, qui Venetias adventare dicebatur. Causa ejus in Italiam adventus hæc fuit. Quod in Basiliensi Concilio, de quo supra mentionem fecimus, excitatus fuerat ad uniendam orthodoxam Fidem. Dein ab Eugenio negotium ejus conficiendæ rei susceptum, quo illius Concilii existimationem minueret. Itaque Imperator prius auctoritate ejus Concilii permotus, cum eo loci se venturum dixisset, ubi Papa & Concilium foret, indicto Ferrariæ alio conventu, cum illuc Pontifex accessisset, persacile eo quoque Græcos traxit. Hic cum aliquamdiu de unionis negotio agitatum esset, superveniente pestilentia, Græci cum Pontifice Flo-

(33) MS. Nec id quidem consilii Philippus improbabat, quod animadverterat, Alphonsum Regem non parvæ in se se ingratitudinis obnoxium factum, qui illum & fratres & ceteros suos omnes non modò è captivitate liberasset, sed maximis etiam fuisset honoribus ac beneficiis prosequutus. Quæ tanta tamque immortalia beneficia Alphonsus non pluris facere videbatur, quam si ipse non accepisset, sed potius contulisset. Quamobrem Philippus etsi miti erat ingenio &c.

Florentiam se transtulerunt. Ubi post aliquot menses, unitatem ac concordiam iniere, sublatis circa Fidem quibusdam erroribus. Fuit Græcorum numerus, qui Florentiam ierunt, supra quingentos. In his præter Imperatorem Demetrius ejus germanus frater, & Patriarcha Constantinopolitanus, cum plerisque Archiepiscopis, ac insignibus Sacerdotibus. Multi præterea cum Imperatore Proceres ac literarum non sacrarum modò sed gentilium etiam peritissimi. Miserat sub idem tempus Nicolaus Picininus in Pelignos, quos nunc uno nomine Brutios appellant, Franciscum filium cum militum manu, qui Alphonso suppetias ferret. Is ubi in eam regionem pervenit, Asculanis, qui in Picentium finibus siti Brutiis finitimi sunt, exulum hortatu bellum intulit, eorumque agros populabundus ad ipsas usque Urbis portas incursionibus prope quotidianis gravius premebat: parumque abfuit, quin per proditionem exulibus ipsis auctoribus eam Urbem occupaverit. Sed misso propere à Francisco cum equitatu Johanne Sfortia fratre, ita hostis impetus repressus est, ut adversis præliis quibusdam repulsus in Umbriam, qua venerat, redierit. Unde postea transmisso per agrum Perusinum Apennino, Fabrianenses exulum quoque suasu spe potiundi oppidi turbare cœpit, municipiis nonnullis per deditionem captis. Adversùs hunc rursum Franciscus Johannem fratrem & Nicolaum Pisanum cum viribus celeriter proficisci jubet, qui cum numero illi impares essent, neque eum Fabrianensium finibus pellere, neque amissa recuperare municipia possent, eodem à Francisco Talianus Forojulianus suis cum ordinibus supplemento mittitur. Cujus adventu Picininus territus in Umbros revertit, & quæ occupaverat, municipia rediere in Fabrianensium fidem. Talianus post hostium fugam, in Camertes, ut erat à Francisco jussus, copias ducit: qui paulo ante Picinini confidentia freti, à Francisci amicitia atque fœdere turpiter discesserant. Sed ubi Talianum eorum fines intrasse cognoverunt, eum rursus per nuntios clanculum tentare cœperunt, ut relicto Francisco ad se transiret. Idem pollicitationibus multis Picininus facit. Nec fuit difficile homini avaro & venali persuadere quod magnopere appetierat. Nam cum honestissimæ illi militiæ conditiones, summa insuper præmia, proponerentur, quæ esset à Philippo duce consecuturus, hostis imperatori suo factus, relicta Cesæ Columbæ municipii obsidione, arma in ea municipia repentino ac magno tumultu vertit, quæ in Camertibus Sfortiano præsidio tenebantur. Dein se Picinino jungit, & adjutoribus Camertibus, quidquid agri in ea regione, quam inter Umbros Picentesque positam diximus, Franciscus obtinebat, partim metu voluntariaque deditione, partim vi & longa obsidione in priorem Camertium ditionem redegerunt.

Per eosdem ferme dies Spoletani adversus Pyrrhum Abbatem Casinensem, quem Eugenius Pontifex eorum Urbi præfecerat, ob diuturnam durioremque illius administrationem rebellione concitata, arma sumserant, Arcemque, quo se receperat Pyrrhus, ita undique circumsepserant, ut nihil eo commeatus importari posset. Quare præfectus ad extremam rei frumentariæ inopiam deductus, ad Picininum Talianumque, qui proximi erant, quamvis Romanæ Ecclesiæ Civitatibus infesti, mittit, qui peterent auxilium, prædamque illis opulentam pollicerentur. At duces ea spe facile adducti, confestim omnibus copiis eo proficiscuntur, ac fugatis iis primum, qui Arcem obsidebant, immissisque qui fores refringerent, Urbem continuo toto exercitu ingrediuntur, obsistentibusque nullis occupant, & à nullo maleficio nullaque injuria temperantes vicatim diripiunt. Non multis post diebus gravi onusti præda reliquere Urbem omnibus bonis spoliatam. Picininus in Perusinos suos, Forojulianus à Philippo accitus in Galliam proficiscitur. At Franciscus Sfortia ornato atque instructo rerum omnium copia exercitu ad prima signa æstatis ex Pisano movet, & justis itineribus non prius restitit, quam Cortonensem agrum ingressus, haud longe à Thrasimeno Lacu, castra posuit. Ejus adventus rumore in Umbros, regionesque finitimas perlato, Assisini territi, quorum in agrum jam exulum suasu Johannes Sfortia pervenerat cum iis copiis, quas in Picentibus habuerat, eo consilio, ut fratri in Neapolitanum Regnum proficiscenti se adjungeret, ad Franciscum legatos mittunt, qui se se ei atque Urbem dederent. Quos Franciscus ut res diesque ferebat, minime aspernatus, præsertim ut à Bracciana factione, quam sectabantur, averteret, postulatis omnibus haud difficulter impetratis, lætos Assisium remisit. Contra arces verò quæ Urbi impendent, & tunc in Cosmi Medicis Florentini erant potestate, ab Eugenio acceptæ pecuniæ causa traditæ nihil tentatum. Sub idem tempus Nursini adversùs Ceretanos bellum gerebant, (34) finitimos suos antiquis odiis atque discordiis infestos, jamque Ceretani eo redacti erant, ut cibariorum penuria assiduisque oppugnationibus vim belli diutius sustinere non possent. Itaque ubi acceperunt, Franciscum in propinquo jam esse, illico ejus signa sustulerunt, simulque missis ad eum nuntiis, ut sibi in tanto rerum discrimine auxilium ferret, facile, quod supplices petierant, exorarunt. Nec tamen segnius Nursini in bello persequi perseverabant. Nam delectu undique ex proximis municipiis habito, ut est agrestium multitudo non parva, longe majore vi, majoreque conatu oppidum oppugnabant, sperantes prius quam à Francisco auxilia mitterentur, eo se oppido potituros. At Franciscus legatis ad Nursinos missis, perhumaniter eos monet, ut omni oppugnatione atque injuria Ceretanorum abstineant: suos enim jam factos esse. Quæ ubi Nursini audierunt, stulte respondent, mirari sese non mediocriter, quid sibi Franciscus velit, cum nullo jure auxilium ferre possit Ceretanis, quos ipsi eorum culpa in numero hostium habeant, & jam oppu-

(34) MS. quorum oppidum eis finitimum est, & quod sæpe inter finitimas Urbes, Populosque accidere solet, antiquis &c,

pugnationibus fameque coactos, (35) in proximum eversuri sint. Hoc responso legatis in castra reversis Franciscus Nicolaum Pisanum & Petrum Brunorium cum valida peditum manu parvoque equitatu pro locorum natura jubet confestim Ceretanis in extremo constitutis periculo subsidium ferre. Hi imperata die noctuque facientes tanta celeritate eo maturarunt, ut prius Nursinorum castra (36) capta, quàm de eorum adventu quicquam cognitum sit. Ac ab erumpentibus Ceretanis Nursini partim capti, partim per iram cæsi, supra quadraginta cum se proximo Nari flumini præcipites commisissent, fluminis rapiditate omnes absumti. Ceretanis per hunc modum obsidione liberatis Johannes fratris jussu, Pisano & Brunorio cum peditatu sibi additis, Nursinorum agrum invadit: Franciscus verò cum reliquo exercitu Fulgineo admovet. Dominabatur adhuc ei Urbi Conradus Trincius, qui Braccianas partes secutus, Braccianos omnes non tam Francisco, quàm Romanis Pontificibus infestos, & juverat semper, & aluerat. Quibus de causis & si eum principatu omnino Franciscus spoliare instituerat, quod non difficile erat, Regulum omni militari & domestico & peregrino auxilio destitutum domo pellere, tamen quod pacem suppliciter orabat, quodque Pontifici, Ecclesiæque Romanæ fidem, & ipsi Francisco amicitiam pollicebatur, præsertim ne id cœpto in Pelignos itineri moræ esset, in eum bello duxit abstinendum. Itaque Conrado reconciliato atque in amicitiam ascito quam solidiore etiam vinculo confirmandam duxit, ejus filiâ Leoni fratri in matrimonium datâ, mox exercitum in Nursinos agit. Ejus præsentia tantus illico omnium animos pavor occupavit, ut proximis oppidis, municipiisque omnibus paucis diebus, aliis ultro deditis, aliis vi captis, nihil reliqui esset, nisi ad ipsam Urbem Nursiam obsidendam exercitus verteretur, nec mille passibus amplius Franciscus aberat, eo consilio, ut postridie castrorum corona Urbem cingeret. Cum Nursini & recenti clade & tot deinde acceptis detrimentis perterriti, in castra legatos ad Franciscum mittunt, pacem, misericordiamque petentes. Ejus legationis principes erant Benedictus Reguardatus Philosophus ac Medicus illustris, & Jacobus Silvestrinus uterque antiqua familiaritate Francisco benevolentiaque conjuncti. Hi posteaquam exponendæ legationis copia facta est, miti oratione Franciscum rogant, ut Nursinis ignoscat: in miseros supplicesque clementia utatur. Nam quod actum erat præter ipsius voluntatem, id omne prodisse non prudentium virorum consilio, sed vulgi temeritate atque impetu: debere apud eum jampridem increbruisse, quod proverbii loco de Nursinis dici solet.

A Cum enim de rebus publicis consultandis in concionem coguntur, alta voce proclamabat præco: *Exeant omnes Literati & Sapientes*. Quod Franciscus audiens se à risu continere non potuit, subdiditque continuò: *ignoscatur igitur stultis & indoctis, patiamurque Literatos & Sapientes exorare: quod à nobis petunt viri amicissimi atque optimi*. Et ita imposito (37) levi tributo, quod propediem penderent, paceque data, quicquid agri ceperat, quamliberalissime eis restituit. His confectis rebus in Pelignos procedit, ac infesto exercitu Josiæ Aquavivani omnium primum fines ingressus, cuncta circumquaque tumultu ingenti complet: cuncta excursionibus longe
B lateque vagantibus per loca militibus populatur. Quod ut faceret, Josias ipse fuerat in causa. Is enim Tarraconensium partium factus, numquam destiterat Asculanos sibi finitimos, qui, ut ostendimus, Francisci ditionis erant, armis lacessere, Franciscum Picininum exulesque suis finibus, suisque oppidis receperat, copiis auxerat, commeatu & opibus juverat, quo bellum Asculanis inferrent, conatusque erat illorum Urbem per insidias sibi vindicare. Quod effecisset, nisi Fulginatus, quem Braccium Perusinum in Aquilana pugna ad necem vulnerasse diximus, obstitisset. Nam cum is forte eo ad revisendam familiam profectus esset, coacta repente ami-
C corum manu Urbem ab illius proditorumque insidiis servavit. Ut autem in eam regionem Franciscus venit, Josias timore concussus, Interamnam se recepit. At Franciscus celeri agmine eodem se contulit. Josias verò de hostis adventu certior factus, confirmatis ad resistendum Civium animis, cum diceret, se brevi cum viribus regiis rediturum, saluti suæ consulens, inde paulo ante abierat, auxilium ab Alphonso petiturus. Interamnenses igitur præsentis periculi magnitudine territi, oppugnationemque ferre posse diffisi, Francisco sese dediderunt. Qua recepta Urbe ita ceteri Populi animis prosternati sunt, ut nullo ferme negotio Fabianenses & alia ple-
D raque Josiæ oppida Interamnensium exemplum secuti sint. Nec multis post diebus quicquid Urbium ac Oppidorum est ab Truento ad Aternum usque flumen, in Francisci devenit potestatem. Fuere oppida nonnulla, quæ cum temere in fide permanere niterentur, nullo labore expugnata sunt, ac militibus prædæ concessa. (38)

Per idem tempus Renatus captivitate tamdem solutus, Neapolim classe advectus, cum invenisset rem Neapolitanam prope obrutam & in magno positam discrimine, quod Alphonsus majorem regni partem conciliatis Procerum ac Populorum animis in se tradu-
E xerat, confestim coactis iis copiis, quas pro tempore cogere potuit, accitoque Jacobo Caudola adversùs ea oppida, quæ hostis præsidio

(35) MS. ut domiti omnino, victique sint; neque Franciscum ullo aut jure aut æquo quicquam eam in rem neque agere neque tentare oportere; debereque meminisse, etsi potens ipse erat, sibique fortuna blandiebatur, Deum immortalem, ut erat justior, ita etiam quamlongissime esse potentiorem. Hoc responso &c.

(36) ut prius Nursinorum castra invaserint, quam de eorum adventu quicquam cognitum sit; quæ primo congressu expugnant; ac ab erumpentibus simul Ceretanis Nursinos undique fusos, fugatosque tanta alacritate, tantoque impetu insequuntur, ut partim capti &c.

(37) MS. honesto quodam tributo, quod prope diem penderent, omnem vim belli in Nursinos prohibuit; paceque deinceps data, quidquid agri ceperat, quamliberalissime eis restituit. His confectis rebus in Pelignos, seu Aprutinos, quos vulgo nominant (nam ut supra demonstratum est, hi quoque Brutii dicti sunt) procedit &c.

(38) MS. Ea namque est militum natura, ut longe alacres in bellum eant atque prœlientur, quum aliqua inde emolumenta se consequuturos sperent. Per idem tempus &c.

A fidio non longe à Neapoli tenebantur, eduxit. Alphonsus autem quo Jacobum à Renati auxiliis averteret, ex Campania in Pelignos movit. Caudolanorum agros oppidaque omni belli clade vastare cœpit. Quare Jacobus graviter permotus, relicto Rege, ad ferendam suis opem celeriter contendit, impetumque Alphonsi primo adventu repressit. Nec multo post eodem quoque Renatum cum reliquis copiis pertraxit. Alphonsus vero & quod à Renato & Jacobo urgebatur, & quod etiam de Francisci Sfortiæ in Brutios adventu certior fiebat (increbrescebatque quotidie rumor, B illum ad Renatum propediem venturum) è conspectu hostis in loca montuosa ac tuta se recepit. Dein in Campaniam rediit, veritus ne si Franciscus Renato jungeretur, solus tantis viribus resistere non posset. Erant enim ob Francisci in Brutios adventum omnia apud Alphonsum mutata & formidinis plena. Jamque diffidere rebus suis cœperat, qui se victorem fore paulo ante arbitrabatur; & nisi ad Philippi opem confugisset, ubi facile suæ salutis remedia invenit, actum procul dubio de Regno erat. Jam Franciscus Aternum secundis procedens rumoribus C ad interiora Regni trensire paraverat, quo se Renato jungeret; cum multa prope uno tempore inopinanti occurrunt, quæ non mediocriter ejus animum perturbarunt, consilia mutarunt, & cœptum adversus Tarraconenses bellum non retardarunt modò, sed omnino aliò verterunt. Philippus enim ubi vidit Alphonsum ad se supplicem confugisse imploratum auxilium, haud moratus, omissis iis, quæ non multo ante, ut ostendimus, Francisco promiserat, eum crebris & literis & nuntiis rogat, obsecrat, & denique monet, ne in Alphonsum Regem, D qui esset sibi summa necessitudine artissimoque fœdere conjunctus, pro Renato Rege, quem inimicissimum omnium haberet, quicquam moliatur: ne suis bellum inferat, neve longius adversus eum progrediatur, sed in Picentes retrocedat. Præterea Florentinos per nuntios hortatur admonetque, ut Franciscum, quem sua pecunia alerent, ab omni Alphonsi injuria amoverent: qui si non audierit, stipendia illi pendere abstineant, nullaque re amplius juvent. Quod nisi fecerint, se confestim bellum in Etruriam moturum E dicit. Descenderat Nicolaus Picininus ex Æmilia cum exercitu in Flaminiam per simulationem in Umbriam transeundi, ut inde postea in Pelignos proficiscens, Alphonso auxilio esset. Quo tempore Franciscus ex Etruria moverat, eodem accessurus. Is cum regionem eam omni militari externoque præsidio vacuam invenisset, facile in suam potestatem redegit, & Forolivianos primum deditione ultro facta sibi ascivit, & Hostasium Polentanum paulo post à Venetis cum ipsa Urbe Ravenna, cui imperabat, desciscentem, suæ partis fecit. Inde postea rediens Imolam dedentibus sese civibus in fidem accepit. Post hæc conspirantibus nonnullis Bononiensibus Civibus Bononiam flectit, quam facile à Pontifice Eugenio per factionem Bentivolam aversis omnium fere animis occupavit. Hæc tam repens tot Urbium defectio, tantarum rerum mutatio, & tanta Philippi fortunis accessio, Florentinorum animos quammaxime terruit, cum ne iis quidem terminis quieturum eum existimarent. Quare Franciscum hortantur, rogantque, ut suæ amicorumque salutis vellet habere rationem: quod erat, ut à cœpto in Alphonsum itinere, susceptoque bello desisteret. Erat enim tunc Philippo in ea re obsequendum. Quod si secus fieret, necesse Florentinis fore, ut stipendia in reliquum tempus ei negarent, priusquam ipsi bellum Philippi in sese concitarent. Quibus ex rebus Franciscus facile cognovit, non bono in se Philippum esse animo; jam consilia mutasse, nec quicquam eorum, quæ sibi promisisset, servaturum: præsertim quod & Blancam filiam jam suis legatis, ad eam traducendam Mediolanum missis, tradere negasset, & promissas pecunias pendere recusasset. Hæc etsi gravia erant, & minime ferenda videbantur, cum in ipso potissimum victoriarum cursu ab inito adversùs Alphonsum bello, quo nihil jamdiu sibi optatius evenire poterat, & cujus se victorem fore non dubitabat, abstinere cogeretur. Tamen ne Florentinis deesset, quorum amicitiam non servare solùm, sed augere instituerat, visum est ei soceri voluntati assentiendum. Itaque factis cum Alphonso induciis ea lege, ut si forte alteri bellum alter inferre vellet, id prius per bimestre indiceret, in agrum Picenum versis signis ad Saxoferratum copias egit, quod est oppidum haudquaquam ignobile, non longe à Fabriano situm, Populo frequens & agri fertilitate opulentum. Quo eo libentius accessit, ut acceptas per superiora tempora à Regulo ejus oppidi injurias ulcisceretur. Eo ubi pervenit, continuò oppidum expugnare adortus, non multo labore vi captum in prædam vertit: ubi totum fere Septembrem reficiendi exercitus causâ consumsit. Inde postea in Tolentinates duxit, qui superiore Anno à finitimis Camertibus solicitati defecerant; admotisque dein oppido castris, vineis, machinisque cæteris muro adactis, oppidani ita territi sunt, ut paucis post diebus sese Francisci fidei permiserint. Camertes interim omni externo auxilio destituti, rursus de pace ad Franciscum legatos miserunt: quos, quia hyems suberat, non repudiandos censuit. Itaque reconciliatis per hunc modum Camertibus, stipendiariisque tertiò factis, rebusque aliis pluribus eadem æstate secunde gestis, Franciscus copias per Picenum agrum dispartitus in biberna concessit.

Explicit Liber Quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

INter hæc Philippus renovandi adversus Venetos belli tempus idoneum nactus majoribus quam umquam antea viribus eo animum mentemque verterat. Multa enim eodem fere tempore per Italiam successerant, quæ illum ad id & hortabantur, & incitabant. Florentini superioribus bellis ei semper infesti, relicta, ut prædiximus, Venetorum societate quiescebant. Alphonsum recentissimo beneficio artiore quodam fœderis jure sibi obstrinxerat. Franciscum Sfortiam à Venetis aversum amicum potius quam adversarium futurum sperabat. Fuerat præterea in Basiliensi Concilio ipsius maxime Philippi operâ Amadeus Sabaudianus Princeps Romanus Pontifex declaratus, cui Felicis nomen fuit, eo consilio, ut Eugenius, qui Venetis favebat, in suo Pontificatu turbaretur. Johannem Franciscum Mantuanum insuper, qui hactenus Venetas partes semper secutus fuerat, sibi asciverat. Postremo Flaminia prope universa in ditionem redacta illi parebat. Quibus rebus apparebat, Philippum suis opibus facile Venetos superaturum, ac pro voluntate illis præscripturum. Itaque Nicolaum Picininum pacatâ Flaminiâ in Æmiliam revocat. Is, quid ab eo fieri vellet, edoctus mox in Cremonenses trajecit; & contracto undique exercitu Casale Majus, quod suo præsidio Veneti firmaverant, obsedit. Oppidani, ubi aliquamdiu oppugnationem sustinuissent, & nihil auxilii mitteretur, dedidere se hosti. Catamelata interim, quem Veneti post Mantuani discessum suis copiis præfecerant, circa Olii ripam cum exercitu hostis transitu prohibendi causâ substiterat. At Picininus, cui nihil erat magis curæ, recepto Casali, quam in hostium fines transire, pontem in Olio, qua hostis aberat, Johanne Francisco adjutore faciendum curat. Quo perfecto exercitum in Brixienses, repugnantibus nullis traducit. Catamelata, quod longe esset hostium viribus impar, optimum judicat in primis exercitus incolumitati consulere. Proin copiis ad Balneolum vicum Brixiæ proximum ductis fossa & aggere castra munire contendit. Picininus in summa hostium trepidatione ac tumultu Brixiensium fines ingressus ad dexteram flectit, quæ ad orientem spectat solem, Mantuanumque cum militibus ad quatuor millia sibi adjungit. Fit ex ea re quamprimum tantus municipum ad eum de deditione concursus, ut omnia ad ipsum usque Benacum in Philippi venerint potestatem. Dein ad lævam, occidentemque signa vertens ad Balneolum, unde paulo ante Catamelata abiens intra Urbis claustra se contulerat, castra locat. Mantuanus cum suis Mincium transgressus in Veronenses irrumpit, & quicquid citra Athesim & circa Benacum Veneti possidebant, in ditionem redegit, Valegio cum ipsa Arce & lateritio ponte, quem unum omnino Veneti in Mincio obtinebant, potitus. Picininus quod agri in plano relinquebatur, paucis diebus in fidem accepit, non nullis captis equestribus præsidiis. Dein ad montanam regionem conversus Roadum oppugnare aggreditur. Catamelata contra eductis copiis per saltus, montanosque colles, tueri oppidum conabatur. Picininus obsidione soluta in eum proficiscitur, & non longe à Roado collatis signis prœlium haud leve committitur. Cum oppugnatum esset utrimque aliquamdiu fortissime, discessum est pari ferme eventu. Catamelata Brixiam, unde pridie discesserat, Picininus ad oppugnandum rursus Roadum revertitur, eoque recepto, Iseo, quod est oppidum in Sebino lacu, unde Olius manat amnis, situm, expugnato, ac in prædam verso, regionem reliquam non multo negotio ad deditionem compulit. Catamelata interim relicto Brixiæ præsidio, Veronam ceteras copias traducere statuit, veritus ne si diutius ibi desidêret, ab imminenti hoste, interclusis undique itineribus, aut fame tamdem cum ipsis civibus perire, aut in hostium manus venire cogeretur. Supererat in tanta rerum difficultate unum tantummodo ad salutem iter, quod erat per montanos saltus, & id quidem perdifficile & non satis tutum. Nam quo minus per planiciem iter faceret, interclusis omnibus à Mantuano aditibus, Mincius prohibebat. Catamelatæ tamen tentare placuit, si flumen vadis velut in medio æstatis fervore transire posset. Sed cum de prima vigilia movisset, & occupatas à Mantuano è regione fluminis ripas invenisset, Brixiam irrito conatu rediit. Unde haud diutius immoratus per Alpinos confragososque montes maturat proficisci: & die quinto non sine magna difficultate ingentique omnium periculo Veronam pervenit, amissis tamen octingentis circiter equitibus. Ceterum Picininus Brixiensi agro perdomito, hostibusque fugatis, Brixiæ admovit eo quidem animo, ut ad eam obsidendam oppugnandamque Urbem vires undique intenderet. At Veneti tanta belli magnitudine pressi nullum remittebant tempus ad ea excogitanda, quibus & potentissimi hostis vim in præsentia sustinerent, & imminentissimo Urbium suarum Brixiæ ac Bergomi periculo consulerent. Quare non solùm novo militum supplemento augeri suum exercitum, sed alium etiam belli ducem, rerumque suarum defensorem parari oportere rati, rursus ad Franciscum Sfortiam animum mentemque verterunt. (39) Itaque ad eum legatos propere mittunt rogatum, ut dimisso Philippo sibi auxilio esset: quod ut faceret, magna vi auri magnisque conditionibus propositis contendebant, multa de mutabili Philippi ingenio commemorantes, qui non diu sciret in eadem manere sententia, & ob id non posse spem certam in eo haberi ullam; Venetos contra quicquid se facturos recepissent, inviolate præstare. Florentinos

(39) MS. Quem si sibi jungere, & trans Padum cum viribus furenti prope ac sternenti omnia Picinino opponere possent, satis præsenti fortunarum suarum discrimini consultum fore intelligebant. Itaque &c.

tinos præterea de renovanda societate hortantur, idque ad communem salutem plurimum pertinere demonstrant. Ii cum viderent, Philippum antiquum hostem jam bello superiorem factum, in diesque majoribus augeri viribus, quem consumtis Venetorum opibus nequaquam à se temperaturum existimabant, facile ad sustinendam rem Venetam animum induxere. Itaque repercusso fœdere, Francisco suadent, utriusque Reipublicæ causam adversùs Philippum armis tuendam suscipiat, & in Galliam, cum primum liceret per tempus, trans Padum ad ferendam Venetis opem proficiscatur. Franciscus varia animo agitare consilia cœpit: Philippum in primis invitus deserebat, unde uxorem jamdiu exoptatam habere exspectabat, cujus causa aliquando Mediolanensem Principatum, Philippo liberis maribus carente, consequi sperabat. Accedebant contra multæ indignationum irarumque causæ, quæ ab illius Principis amicitia longe ejus animum alienabant: memoria scilicet præteritorum temporum, negata adhuc uxor, quam sibi tradere recentiore fœdere promiserat, & ob eam causam nuptias Firmi parari, amicos invitari, legationes ad celebritatem à suis mitti jusserat: promissa item pecunia non soluta, non servata de bello in Alphonsum gerendo data fides. Postremo facile intelligebatur, neque tantis Philippum affluere opibus, ut uno eodemque tempore duobus summis imperatoribus suppeditare pecuniam posset, neque, si illi earum rerum copia esset, utrosque de belli gloria inter sese decertantes posse diu apud eumdem militare; quod necessarium esset, ut altero depresso alterum sublevaret atque præferret; ejusque rei jam factum esse periculum. Quod etsi Philippus per legatos Franciscum in amicitia continere studebat, & multa pro illius dignitate atque commodo se facturum dicebat, tamen non obscure perspiciebatur, illum aliud moliri, cum Picininum non tam rebus bellicis præfecisset, quam omnem ad eum administrandæ reipublicæ auctoritatem detulisset, quod genero posthabito fecisse deprehendebatur; quamvis illi enunciasse Picininum feratur, si Franciscum Sfortiam ad sua stipendia traduceret, si filiam ei in matrimonium traderet, se illico ab eo discessurum. Hæc Franciscus diu multumque metitus, Venetorum tamdem partes sequi instituit: cum præsertim pecuniæ inopiâ maxime premeretur, nec amplius eo dumtaxat stipendio, quod à Florentinis percipiebat, milites alere, & in fide continere posset. Itaque fœdus in quinquennium his conditionibus firmatur, ut viginti ac ducenta aureûm nummûm millia quotannis Francisco Veneti, Florentinique simul pendant. Quicquid Urbium Oppidorumve in Italia possideat, suo sumtu adversùs quoscumque tueantur. Ipse Franciscus Venetæ, Florentinæque militiæ summus ubique per Italiam Imperator sit. Trans Padum pro Venetis ad biennium usque contra Philippum bellum gerat. Tria equitum millia pedites mille pro stipendio ducat. Eugenius Pontifex & Genuenses Philippo plurimum infesti ad societatem adducuntur.

Horum omnium bellica signa ad Franciscum tamquam communem omnium ducem

A

B

C

D

E

deferuntur, qui acceptam affatim pecuniam eo Anno, qui fuit à Natali Christiano Nonus ac Trigesimus supra Quadringentesimum ad Millesimum in milites distribuit, moxque ineunte æstate instantibus Venetis, cum octo millibus delectissimorum equitum ex agro Picenp movet: ac per Flaminiam factis in Forolivianum, Ravennatemque agrum excursionibus in Æmiliam traducit: & non longe à Ferraria cum ad Padum castra posuisset, noctu repentinis maximisque imbribus amne exaucto vix defuit, quin superatis aggeribus subjectæ valles vorticibus undique obruerentur, exercitusque omnis perderetur. Quo quidem tempore, quod prodigii simillimum fuit, non sine terrore ingenti inaudita quædam serpentum vis & Francisci & aliorum permultorum tentoria circumsedit. Ceterum ex tam subito formidabilique discrimine summa celeritate per Ferrariam ad fossas Claudianas copiis omnibus incolumis se recepit: quem ad locum jam Veneti permulta navigia convexerant. Quibus constratis crassioribus tabulis universum exercitum die noctuque in continentem trajecit, continuatoque itinere circa Idus Junias in agrum Patavinum pervenit. Ejus adventu tanta subito rerum mutatio facta est, ut Veneti, qui antea victi videbantur, & prope in desperationem fortunarum suarum adducti, resipiscere ac dein bene sperare cœperint. Nam Picininus post diu enixeque oppugnatam Brixiam obsidionem solverat, & relictis circa eam per Castella ac municipia validis militum præsidiis, ut dediticii in fide continerentur, & in Urbem nihil frumenti importaretur, in Veronenses transierat. Athesimque transgressus, Venetam aciem rursus fugaverat, & Veronæ, ac Vicentiæ imminebat, nihilque obstare videbatur, quin Patavium usque cuncta pervaderet, in potestatemque redigeret. Catamelata autem & ductores ceteri territi ne conspectum quidem hostium sustinebant, & jam impositis Veronæ ac Vicentiæ præsidiis, intra Patavina claustra sese reduxerant. Ubi etsi tuti erant, plurimum tamen trepidabant. Hos cum sibi Franciscus adjunxisset, omnium primum adhortandos duxit. Itaque advocata concione, eam habuit orationem, quam ad sanandas infirmorum mentes oportere existimavit. Quæ enim hactenus accidissent non ducum imprudentia, non militum ignavia, sed magnis hostium viribus accidisse demonstrat. Adesse nunc se cum florentissimo exercitu, quem videant, non animis minus ad pugnandum repellendumque vagantem hostem, quam militaribus ornamentis paratissimum. Proinde bono essent animo; suum quisque munus obiret: sese deinceps omnem belli molem suscepturum, curaturumque, ut res Veneta ad pristinam fortunam restituatur. Hæc novi Imperatoris oratio ita à militibus, præfectisque excepta est, ut omnium animos non mediocriter sublevaverit, adeo ut è concione dimissi jamjam in manibus habere victoriam viderentur; cum talem se nactos esse ducem dicerent, qualem nulla umquam fere ætas tulisset. Amiserant eo bello Veneti oppida quamplurima. Nam quicquid agri est à Bergomo Vicentiam usque, præter ipsarum Urbium murorum ambitus, nihil omnino in Vene-

torum poteſtate relinquebatur. Conceſſerat autem ex fœdere Johanni Franciſco Philippus, qui cum, ut demonſtratum eſt, communibus conſiliis id bellum adversùs Venetos moverat, ut ſi Verona, & Vicentia caperentur, illius juris eſſent: ex quo quicquid ex Veronenſi, Vicentinoque agro partum fuerat, Mantuani præſidio muniebatur. Inter reliqua vero capta oppida Leonicum Vicentini agri Mantuano milite tenebatur. Hoc primum Franciſcus oppugnandum ratus ex Patavino eo copias ducit, caſtriſque circa oppidum poſitis tormenta muro celeriter admoveri jubet. Ejus curandæ rei Petro Brunorio viro impigro negotium datur. Is operi intentus, pilulâ plumbeâ ex oppido emiſsâ humerum trajicitur dexterum, vulnere pæne lethali. Ob id aliquantulum ab opere ceſſatum eſt. Sequitur hunc Petri caſum aliud majus incommodum. Erant oppido proxima ædificia permulta fœni, ſtramentorumque plena. In his non exiguus militum numerus ſtationes habebat. Quod cum animadvertiſſet obſeſſus hoſtis, ex propinquo muro in ſtramenta faces jaculatus magnam ædificiorum partem incendit. Nam cum aridam materiam facile ignis corripuiſſet, brevi momento cuncta uno fere incendio flantibus ventis comburuntur. Ferebatur enim longe lateque per caſtra irreparabilis flamma, quare omnia ubique tumultuarie agebantur. Et quamvis diurno tempore caſus accidiſſet, & alteri alter ſubſidio eſſet, tamen tanta celeritate ædificia tabernaculaque ignis invaſerat, ut equos permultos, ac bona partim omnino abſumſerit, partim ſemiuſta vix miles ſervaverit. Quo tempore, ſi hoſtis qui non longe aberat, exercitum ita tumultuantem invaſiſſet, non dubium eſt, quin inſignem eo die Veneti calamitatem accepturi fuerint. Sed ea res nihil omnino Leonicenſibus profuit. Nam paulo poſt omni ſpe derelicti, cum Picininus, in cujus prope conſpectu oppugnabantur, ferre auxilium numquam ſit auſus, præſidii, rerumque ſuarum incolumitatem grandi pecunia pacti dedidere ſe Venetis. Ante Franciſci adventum Picininus caſtra Veronæ adegerat, urbanaque mœnia ad Epiſcopi portam nullo intermiſſo tempore quatiebat. Sed poſteaquam appropinquare Franciſcum increbruit, obſidionem confeſtim deſeruit. Suapeque reverſus, quod eſt oppidum ad montis radices inter Veronam, Vicentiamque pari fere intervallo poſitum, natura & opere permunitum, ex eo oppido ad paludes, Atheſimque flumen uſque foſſam inſtituit. Hanc magno foſſorum coacto numero aggere & vallo paucis diebus ingentem eduxit, pontemque in eo flumine conſtruxit, quo ex Mantuano agro ſine periculo in caſtra commeatus comportabantur. Quod ſatis in præſentia habebat, ſi hoſtem Veronam proficiſci conantem tranſitu prohiberet, cum uno eodemque tempore, quas poſt terga reliquiſſet, Urbes obſiderentur, eaſque tamdem rei frumentariæ inopia preſſas deditionem facturas ſperaret. His cum ſe munitionibus contineret, delitеſcere quodammodo videbatur, faciebatque inſuper miſerabilis Leonicenorum conditio, ut reliquis qui proximi erant, quantum in Picinino Mantuanoque auxilii ſperandum eſſet, exemplum facile præberetur. Quare cetera Vicentini agri municipia, quæ à Mantuano obtinebantur expulſis certatim præſidiis rediere mox in Venetorum fidem. Ceterum cum eſſent omnino Venetis per planiciem præcluſa itinera, nec hoſtis ad pugnam invitus elici poſſet, & Veronenſibus ſubvenire ſpemque laborantibus ceteris dari oporteret, magnis Franciſcus curis premebatur. Itaque cum montanum tantummodo iter ſupereſſet longum ſane & difficile, nec id quidem liberum, ſed impeditum & periculoſum, comparatis ex pane toſto dierum octo cibariis, è Vicentino movet, & continuato per ſaltus confragoſoſque montes itinere ad Templum divi Johannis, quod ad Roniam vocant, ima in valle ſitum, die tertio pervenit. Huic collis impendebat editus quidem atque arduus, qui perpetuo jugo ad Suape pertinet; cui oppido Picinini caſtra, ut prædiximus, proxima erant. Is collis Franciſco, ſi pergere in itinere vellet, exſuperandus erat. Hunc hoſtis duobus caſtellis firmoque præſidio munierat, prohibereque Venetos tranſitu innitebatur. At Franciſcus nihilo ſegnius biduo poſteaquam eo veniſſet, quod totum militibus quieti datum eſt, relictis ad ſiniſtram Caſtellis, copias quadrato agmine ſubire collem jubet: quem à ſuperiore loco præmiſſa magna peditatus parte, quo plurimum Venetus exercitus abundabat, per noctem occuparat. Picininus contra, cum ad Caſtella uſque totis item copiis per collem diſpoſitis veniſſet, tranſeuntes Venetos laceſſere cœpit, peditatumque pauliſper loco deturbat. Franciſcus id conſpicatus, Troilum & Nicolaum Piſanum cum turmis ex Sfortiano militum robore delectis in hoſtes immittit. Pugnatur utrimque acerrime & confertiſſimo prælio. Convallis quædam locus erat pugnæ, quam duo adverſi colles efficiebant: quorum in altero ad ſiniſtram, ubi Caſtella erant, Picininus magno militum globo eminebat, in altero Franciſcus contra magnis ſtipatus viribus conſtiterat. Sed cum aliquamdiu pugnatum eſſet pari fere pugnæ eventu, Picininus ubi vidit nihil in hoſtem proficere, ſuos paulatim prælio revocat. Idem Franciſcus facit, cum animadvertiſſet, hoſtem oppoſitis Caſtellis inſequi non poſſe. Picininus in caſtra rediit. Franciſcus cum in planum deſcendiſſet, hoſtibus à tergo relictis, caſtra ponit: unde Venetis Veronam eundi facultas reddita eſt.

Poſt hæc ut hoſtes trans Ateſim repellerentur, Veronam toto exercitu petit, eamque trajecto flumine prætergreſſus ad tertium lapidem conſedit, impetum in Mantuanos ſe facturum multis argumentis ſimulans. Quo perculſus metu Mantuanus Picininum adit, hortatur, rogatque, ut aut omnes ultra Ateſim adversùs hoſtem pergerent, aut ſibi redire in Mantuanos liceret, quo ſuis auxilio eſſet. Quibus Picininus vocibus permotus præſidio Suapi impoſito, ultra Ateſim exercitum reduxit. Quod ubi Franciſcus cognovit, lætus, cum res ex ſententia ſucceſſiſſet, ne quid à tergo hoſtile relinqueret, ad Suape oppugnandum continuo regreditur. Eoque poſt longam oppugnationem per deditionem recepto, rurſus per Veronenſem traductis copiis, Benacum petit. Quod ea ratione factum eſt, ut Brixienſi Populo jam prope

prope fame pereunti subveniretur. Quod unum maxime eo tempore Venetis erat curæ. Nam jampridem, uti demonstratum est, interclusis à Brixia itineribus, nihil eo frumenti importabatur. Itaque ut per Benacum iter aperirent, classem triremium in eum lacum non sinè magna difficultate deduxerant. Sed Philippus majorem parari jusserat, paratamque opposuerat, qua Brixia ita duriter premebatur, ut dubium non esset, quin brevì in Philippi potestatem redire cogeretur, nisi eo se frumento sustentassent, quod à Philippianis ipsis avaritia, lucrique magnitudine ductis & submittebatur à paucis, & supportabatur à multis. Eo igitur consilio Franciscus ad Benacum profectus est, ut ipse terrestri exercitu & classis Lacu oppida, quæ in citeriore Veronensique ripa sunt, ad deditionem cogerent. Quare non dubitabat fore, ut ceteri quoque Populi, qui circa Lacum incolunt, ad defectionem compellerentur, quæ certe via erat ad Brixiensium salutem peropportuna. Itaque eo ubi pervenit, Bardolinum Mantuano tunc præsidio munitum ex continenti editoque loco castris positis obsedit: utque à parte altera quæ Lacu abluitur, classe obsideretur, fumo interdiu, noctu verò frequenti igne classiariis eo suum adventum significat. Sed illi, qui in adversa longioreque Lacus ripa stationem habebant, seu adversantibus ventis, seu metù hostilis classis, sedem mutare non ausi, loco minime discesserunt; quod primo certe adventu facere, Bardolinumque tuto adnavigare potuissent, cum hostilis classis nondum è Pischeriæ portu prodisset. At Picininus hostium cognitis consiliis: ad suam classem toto exercitu advolat, eamque delecto milite complet, quæ & numero navium, & magnitudine longe Venetam superabat. Itaque eductis continuo è portu navibus medium Lacum occupat, Bardolinumque majore præsidio firmat, & Venetæ classi ad Franciscum trajiciendi omnino facultatem adimit. Per hunc modum Franciscus plures dies ad Bardolinum classem operiens nequicquam consumsit. Quo tempore gravi morbo universus prope exercitus affectus est, cum perpauci fuerint ex gregario præsertim milite, qui non vehementissimis perpetuisque febribus laboraverint, adeo ut à pestilenti morbo parum abesse judicaretur. Quæ quidem res seu propter aëris intemperiem immensosque calores, velut Augusto mense, seu propter cibariorum inopiam, cum nisi pane tosto, eoque longa die situque corrupto, & immaturis fructibus vescerentur, accidere putabatur. Ex quo fiebat, ut permulti quotidie perirent, & magna pars exercitus languens jaceret. Proinde Franciscus mutare castra, multumque saluti consulere statuit. Itaque Zevium Veronensem Vicum, Mantuanisque propinquum finibus, profectus resedit. Is vicus in solo fertilissimo positus, & loci natura salaberrimus, ædificiisque ita frequens, ut non modò viris sed jumentis etiam tectum præberet, brevì refectis propter pabuli copiam jumentis incolumem & confirmatum reddidit exercitum. Inter hæc Picininus Vigasium Veronensis agri municipium retrocedit, castrisque circa Arcem positis atque aggere, vallo, & fossa, qua maxime paludes deerant, ingenti circumseptis, ipse cum delecto milite

A tum robore ad Lacum revertitur. Militem confestim classem conscendere, hostilemque adoriri jubet. Hi magno impetu in Venetas naves facto, eas non multo labore expugnant: quibus fere omnibus captis, quicquid circa Lacum Venetis reliqui erat, hostibus deditur, præter Arcem, quam Penede vocant, cui parvus subjicitur Vicus. Ea certe sola in toto Lacu tunc Venetis fidem servavit. Hæc ubi Venetis clades nuntiata est, ingentem sanè omnium animis mœrorem intulit, quod retinendæ Brixiæ spes omnino sublata videbatur, ob eamque causam egere cum Francisco Veneti legati, qui in castris erant, hortante maxime instanteque Senatu, ut nihil omitteret intentatum,

B quo alicunde occurrendi tanto imminenti Brixiensium discrimini viam posset aperire. Itaque etsi ad eam rem conficiendam magnæ undique imminebant difficultates, & hostibus ad prohibendum ob recentem victoriam occupatis locis omnibus, unde aditus ad obsessos futurus sperabatur, facilia omnia erant: tamen ne quid inexpertum relinqueret, ut & perituræ Urbi vel opem ferret, vel saltem ferendæ spem afferret, & Venetorum voluntati, tantæque exspectationi satisfaceret, iter sibi per montes tentandum putavit. Sed priusquam ex Zevio discessisset, Venetum Senatum iterum atque iterum edocuit,

C monuitque, ut Veronensem Urbiculam, quæ ad Mantuam spectat, diligentius custodiendam curarent; quod confectus esset senio præfectus, & propter longum murorum ambitum majore indigeret præsidio. Tum impedimentis Veronæ dimissis, cum expeditissimo quoque inde movet, & per Acrensem Vallem pergens ad Lacum, quem divi Andreæ nuncupant, multo ac difficili emenso itinere pervenit: superatoque deinde altissimo colle Penedam appulit, & in subjectam vallem descendit, quam fluvius Sarca in Benacum defluens intersecat. Ibi satis latam planiciem nactus castra locat. Erat ad dexteram Acrum oppidum, ad sinistra verò ripa

D Tridentina, quæ Arcem & portum habet. Hæc omnia ferme hostium præsidio tenebantur. Tenna item Castellum sublimi admodum colle situm, qua iter potissimum ad Brixiam faciundum erat. Hoc igitur Castellum Franciscus expugnare adortus tormenta, machinasque admoveri jubet. Et ne è Lacu ab hoste auxilia mitterentur, propugnacula & castella quædam collibus, qua transeundum erat, ad Tennam magna celeritate excitat, præsidioque firmat. Hostes Francisci ad ea loca eventu cognito confestim Pischeriam petunt, copiisque magno navium coacto numero per summam opportunitatem ad ripam

E Tridentinam transportatis, Picininus eo se postremo confert. Mantuanus ad subministranda quæ bello gerendo usui essent, Pischeriæ immoratur. Picininus in primis Franciscum operibus prohibere, & ab oppidi oppugnatione deterrere contendit. Pugnatur nunc pedestri, nunc equestri certamine. Nulla militibus quies datur. Philippiani Oppido pro munimento utebantur. Unde pro voluntate egressi audacius prælium inibant. Repulsi eodem redibant. In his præliis præter gregarios milites capti sunt ex primoribus multi. Tamdem eo res adducta est, ut universis copiis magno utrique impetu in pu-

pugnam descensum sit. Et cum aliquandiu vario eventu pugnatum esset, inclinare Philippiana acies cœpit, Venetos juvabat, quod Brixienses, qui paulo ante à Brixia acciti per Rhætios montes eo pervenerant, de superiore loco lapidibus hostes cædebant, quo illi detrimento affecti pavoreque conterriti, & à Sfortianis acrius impulsi terga vertere, fœdâque fugâ alii ad naves, alii in oppidum sese receperunt, alii per invios saltus notasque semitas sibi salutem quæsiere. Magna eorum pars capta, quorum in numero fuere Carolus Gonzaga Johannis Francisci Mantuani Principis filius, Cæsar Martinengus, Sacramor Vicecomes adolescens, aliique permulti clari nominis viri; ipse etiam Picininus interceptus creditur, sed statim dimissus, qui ut erat corpore imbecilli, ubi effugium omne sibi præreptum videt, Tennam confugit, quæ, ut docuimus, à Francisco oppugnari initio cœpta erat; sed eo die tumultuantibus cunctis & fugientibus maxime hostibus, nullæ circa Oppidum custodiæ fiebant: quem nemo fugientem nisi Theutonus quidam ejus satelles secutus est conditione humili, ceterum corporis viribus eximius. Ibi cum per diem dux delituisset, insequenti intempestaque nocte seu sacco, ut fertur, seu aliis obsitus pannis, velut miles vulneribus affectus ab eodem humeris, qui erat vasto in primis corpore, per media hostium castra confragososque saltus, nonnullis etiam, ut ferunt, ex Veneto exercitu scientibus, ripam ad suos exportatus est.

Hac victoria parta magna ferendi Brixiæ auxilii opportunitas oblata videbatur. Sed non diu Venetis ejus victoriæ gaudio uti licuit, quod non multo post major calamitas insecuta est. Nam dum hæc ad Penedam, Tennamque geruntur, Mantuanus qui, ut prædiximus, Pischeriæ substiterat, Veronæ per insidias capiendæ rationem speculatus, quod Urbicula negligentius à vigilibus custodiebatur, rem ad Picininum defert. Qui mirum in modum lætus rem utcumque foret, multis de causis suscipiendam judicat, præsertim quod iis in locis diutius manere non posset, atque ea tam opportuno tempore occasione oblata, discessisse inde & non fugisse videretur; & si forte negotium perficeretur, magnam acceptæ ignominiæ partem deletam existimabat. Itaque clausis oppidi portis quæ ad hostilia castra spectabant, & præsidio ripæ, Tennæque relicto, Pischeriam mox cum copiis classe revehitur, Mantuanoque initi facinoris auctore sibi addito, Veronam per noctis silentia contendit: scalisque continuo ad Urbiculæ parietes positis, murorum partem sentientibus nullis, cæsisque vigilibus occupat. Foribus dein patefactis, Urbiculam tota acie ingreditur. Nam Veneti neque præfectum mutaverant, uti Franciscus monuerat, neque præsidium auxerant. Jamque laxatis in Urbem pontibus illuxerat, cum id Veronenses extemplo sentientes, ac tanto perterriti exanimatique periculo, hac illac concursare cœperunt. Mittuntur propere ob eam rem nonnulli ex primoribus ad Picininum Cives, qui orarent, ut immeritæ ac innocentissimæ Urbi parceret, milites ab excidio prohiberet. Hi etsi humi provoluti supplices, quod jussi erant, fecissent, ac sese ei, insuper civesque reliquos, & fortunas suas omnes dedidissent, tamen à victore insolenti nihil certi impetrare potuerunt. Is enim nihilo secius statim toto agmine irrumpit, & primo impetu Vicus, qui se primus obtulerat, misere diripitur. Sed tamen postea cum totam pervasisset Urbem, Mantuani rogatu, qui incolumem quàm dissipatam Urbem malebat, jussit milites capitali imposita pœna omni civium maleficio atque injuria abstinere. Impedimenta vero Veneti exercitus, quæ ibi, ut prædiximus, Francisci jussu relicta erant, prædæ ubique concessit; & ita præter Arces & Braidam portam nihil (40) Venetis reliqui fuit. Præses, Prætorque ubi cognoverunt Urbiculam ab hostibus teneri, continuo Urbem quæ omni erat præsidio vacua, deseruere, & veterem in Arcem se receperunt. Ceterum dum Philippiani opulentissimæ intendunt prædæ, nemo erat, præter Mantuanum Principem, qui cogitaret, quo consilio, quibusve artibus captam Urbem ab imminenti hoste tuerentur. Totum illud triduum nihil magis iis curæ fuit, quam scrutari omnia, rimarique civium ædes, & abdita, quæque summo studio inquirere. Arcem tantummodo Sancti Felicis, quæ in monte sita est, unde auxilia ab obsessis exspectabantur, & Braidam portam levi quadam oppugnatione obtinere tentaverunt. Scripsit Picininus eâ victoriâ gloriabundus ad Cosmum Medicem Florentinum velut ad eum, qui esset habitus in sua Civitate Princeps, & Francisci Sfortiæ amicissimus, se Veronam cepisse. Sed Francisco Comiti accidisse id, quod olim Johanni Buccicaldo acciderat, qui cum esset Genuæ prô Carolo Francorum Rege præfectus, Mediolanum venerat eo consilio, ut ejus Urbis imperio per civium traditionem potiretur, quod propter juvenilem & duram Johannis Mariæ Vicecomitis, qui tunc Mediolanensibus dominabatur, administrationem, vacillare jam cœperat. Sed magna inde suorum strage pulsus, dum Genuam redire properat, Genuenses concitata mox rebellione, regioque ejecto præsidio, sese in libertatem vindicaverunt, & ita Bucicaldus dum Mediolanensem adipisci principatum studet, Genuensem amisit. Quod idem Francisco evenerat, qui dum Brixiæ succurrere conatur, Veronam amiserat. At inclinante jam die eam Urbem esse captam ad Franciscum nuntius coram detulit. Quæ quidem res primo auditu neque credita est ab eo, neque aliis enuntiata. Is enim nuntius cum à nonnullis ex familiaribus suis, qui Veronæ cum impedimentis remanserant, è vestigio missus esset, litteras non attulerat; ob eamque rem cùm magni esset, quod renuntiabatur, momenti, non videbatur hominis unius humillimæ quidem sortis & pavore exanimati verbo credendum. Et ob id exspectandum censuit, donec à Magistratibus Urbis de ea re fieret certior. Et jam nox adventarat, cum multorum literis nuntiisque ea re confirmata abeundum inde, & omni celeritate conficiendum statuit, ne hostes diutius in ea Urbe consenescerent, eaque victoria gloriarentur, quam dolo magis quàm virtute essent consecuti. Multa enim

(40) MS. in ea Urbe, quæ amplissima est & Populo frequens, Venetis.

enim eum uno tempore ad rem celeriter conficiendam & movebant & impellebant: magnitudo rei in primis, & tantæ Urbis quasi ante oculos amissio, cujus causa satis aperte intelligebatur; quicquid adhuc Veneti ultra Mincium retinerent, propediem in hostium manus deventurum. Pudor, si cunctaretur, iis, qui Arcibus se tenerent, perditæ Urbis recipiendæ gratia auxilium ferre. Illud etiam periculum subibat, quod familiæ sibi carissimæ, quæ ipsis in arcibus obsidebatur, imminere videbat. Præterea sua exercitusque salus, quippe qui in montibus essent sine ullo commeatu, ubi omnia per summam hyemis asperitatem pene hostilia haberent, & si qui essent ea in regione incolæ, qui adhuc Venetis parerent, cognita Urbis captivitate, non dubium, quin omnes sibi hostes futuri essent, & itinera undique interclusuri. Itaque cum Catamelata & Jacobo Antonio Marcello Veneto legato primum communicato consilio, dein accersitis quibusdam aliis de exercitu ducibus, animo infracto, quid sui sit consilii, ostendit. Et quamquam omnes ingenti dolore affecti metuque perterriti ad recuperandam amissam Urbem, de qua actum omnino judicarent, profectionem damnabant, & ad Vicentiam tuendam ducendum esse celeriter exercitum censerent, ipse tamen in recipiendæ Veronæ sententia persistens, eo maturandum judicavit; adhortatusque omnes, & Marcellum præcipuè, qui præter ceteros amissæ Urbis casum deflebat, ut bono essent animo, si qua ex Arcibus in fide perstaret, quæ sibi aditum præberet, se & Urbem recepturum, & victoriam de hostibus reportaturum non dubitabat. Missi sunt ab eo omnium primum ex equitatu delecti, qui celeriter ad pontem, quem in Atesi navibus ædificari antea curaverat, & ad Clusii usque angustias sexdecim circiter passuum millia à Verona distantes advolarent, aditusque præoccupatos diligentius custodirent. Verebatur enim, ne hostes cepissent eos aditus, aut mox capturi essent, qui ad victoriam maxime peropportuni essent. Ipse verò de secunda vigilia magno omnium silentio cum paucis discedens, exercitum se subsequi, Catamelatamque in postremis esse jubet, qui impedimentis machinisque cum parte copiarum præsidio esset. Hoc modo progrediente exercitu, tanta per eam noctem vis frigoris humana pressit, abstrinxitque corpora, ut cum torpere omnes cœpissent, articuli, qui extremi sunt, sensum quasi penitus amiserint. Nam multorum adusti sunt pedes, adustæ manus, sed plurimorum, pedum, manuumque digiti; & pueros equitum nonnullos nimius insolitusque gelu rigor exanimavit. Multorum etiam oculos labefactavit. Neque prius ullum aliud remedium salutare inventum est, nisi postquam illuxit, Solque illustrare terram cœpit, tum demum membris vigor rediit.

Ceterum Franciscus ex itinere à præmissis cognoscit, aditum utrumque hoste vacuum reperisse, & in eorum esse potestate. Quare magna levatus solicitudine eo maturius ire contendit. Transgressus dein Atesim & Clusinas fauces ad Vicum, quem Sancti Ambrosii appellant, descendit. Ibi castra ponit, unde duæ erant ad Veronam viæ; altera per planiciem brevior quidem ac facilior, altera per colles montesque longior, ac iniquior. Hanc sibi faciendam delegit, quod existimabat hostes, si quid ad arcendum prohibendumque ad Veronam iter conati essent, faciliorem illam potius viam quàm alteram, sive arboribus intercisis, sive aggeribus, sive alia materia interclusisse. Ducto igitur insequenti die per montes exercitu, cùm ad sinistram ambire Urbem, & alio progredi videretur, desperata re Vicentiam versùs ire credebatur, ob eamque causam Philippiani duces, quod sibi paulò ante timuerant, se liberos esse rati, neque extra urbana mœnia prodire, neque intus tueri Urbem parant. Omnia ab iis spe stulta negligentius aguntur. Sed ubi Venetam in se flecti aciem, & Urbi appropinquare vident, tum demum concursare omnes per vicos ac trepidare cœperunt. Jam Sol occiderat, cum Franciscus haud procul Urbis mœnibus subsistere agmen jubet. Dein domestico peditatu equitatuque sumto, quorum virtuti plurimum confideret, Felicianam Arcem ingreditur, ac refecto celeriter ponte, quem hostes pridie exusserant, in inferiorem Urbis partem, quam à reliqua, quæ multo amplior est, flumen dividit, primus omnium descendit, & magno undique sublato clamore in Franciscum Nicolai Picinini filium, qui se valida militum phalange advenientibus obtulerat, impetum facit, quem pugna aliquantisper acrius conserta fundit, fugatque. Multi ex hostibus terga dantes capiuntur. Ipse Picininus cuneo facto, celeri cursu per pontem medium ad superiorem Urbis partem se recipere contendit. Sed pars illa pontis ejus, quæ tolli, laxarique solet, & lateritiam utramque partem jungit, fugientium multitudine pressa, ingenti fragore in amnem corruit, unà eos qui desuper erant, equites circiter novem præcipites trahens, quos gurges continuò absorbuit. Exinde qui citra flumen remanserunt, mox omnes capti. Ceteri verò & qui transierant & qui trans flumen prius erant, pontis casu servati sunt. Quod cum alii duo pontes sublatis iis partibus, quæ tutelæ Urbis causa tolluntur, Mantuano præsidio tenerentur, eos insequendi Sfortianis facultatem flumen ademit. Post hæc factis jam tenebris & præsidiis ad prohibendas nocturnas eruptiones circa pontes positis, Franciscus Catamelatam cum reliquo exercitu descendere de monte in eam vallem imperat, quæ ad Atesim pertinet; ibique milites per eam noctem stationes facere eo consilio, ut cum illuxisset, per veterem Arcem, quæ lateritium in eo flumine pontem habet, iis tunc castris proximum toto exercitu in reliquam urbis partem, quæ ab hostibus tenebatur, irrumperet. Non enim visum est, ut tantus exercitus in Urbem introduceretur, quod verebatur, ne à multitudine incondita ac famelica per noctem, quæ latrocinantibus audaciam præbet, verteretur in prædam. Mittuntur præterea Troilus ac Zirpellio cum paucis in Arcem, ut quid hostes agerent, inde cognoscerent. Fit ab iis non multo post Franciscus certior, hostes deserta Urbe in Urbiculam se recepisse. Qua re cognita sumta statim ea militum manu, quam secum paulo ante habuerat, rursus ad pontes advolat. Quibus nulla cunctatione receptis

ptis copiisque traductis fiunt totam per Urbem discursiones. Cives autem occlusis ostiis ædibus sese continebant, & quisque pro se aut funalibus incensis aut ope alia lumen è fenestris transeuntibus dabant. Canistris quoque cibum petentibus efferebant omnes uno ore divi Marci nomen invocantes velut gratulabundi, quod in Venetorum fidem rediissent. Magnus virorum numerus ex Mantuano delectu captus est, quem Johannes Franciscus per eos dies ad se evocarat, & partim portarum arcibus, partim prætorio partimque locis aliis per Urbem custodiendis distribuerat. Piccininus ac Mantuanus, qui ut diximus, in Urbiculam se reduxerant, diffisi viribus Urbiculâ etiam desertâ per planiciem illam Veronensem patentissimam effuso cursu totam noctem ierunt; nec restiterunt, donec alii Mantuam, alii ad proxima municipia pervenerunt. Ipsi autem duces cum paucis Valegium se receperunt. Sfortiani tamen eos insecuti multos in ipsa fuga ceperunt, qui aut sero Verona exierant, aut quos sarcinæ impedimentaque alia itineri tardiores reddiderant. Sic Verona die tertio, postquam capta est, per hunc modum recepta, profligatis fugatisque hostibus, ac multis ex iis cum majore impedimentorum parte captis, Franciscus postero die exercitum omnem fame frigoreque prope confectum, ut se à tantis laboribus incommodisque reficeret, per Urbem proximaque rura distribuit. Cives territos oratione consolatus, quibus nullam esset ab exercitu injuriam, nullumve maleficium inferri passurus, dein quicquid de suo ex hostium præda recognoscerent, quod illi fugientes ex Urbe abstulissent, restitui mandavit. Quæ quidem res Civitatem prope exanimatam velut eam, quæ imminentem metueret cladem, mirum in modum sublevavit. Itaque Veronenses tanta ejus ducis clementia ac mansuetudine permoti, ne accepti beneficii immemores viderentur, decem aureûm nummûm millia ei dono elargienda, quæ distribueret in milites, constituerunt. Ceterum Veneti, quos Brixiæ cura solicitabat, dum Veronæ per quietem exercitus agit, non destitere Franciscum per legatos orare, ut rursus eadem loca peteret, unde paulo ante discesserat, ut patefacto itinere Brixiensi Populo jam fame pereunti subveniretur. Franciscus autem quamquam aperte intelligebat, si iterum per summam hyemis iniquitatem Januario mense in regionem montanam per se infœcundam atque incultam, & bello insuper exinanitam, copiæ ducerentur, ubi nulla neque equorum pabuli, neque hominum cibariorum copia esset, parum seu nihil se profecturum, exercitumque nonnisi gravia detrimenta accepturum, tamen ne contradiceret Venetorum voluntati, has tantas difficultates despiciens, se obtemperaturum dixit. Itaque cum expeditissimo exercitu Verona egressus, ad eadem ipsa castra revertitur, quæ ad Tennam ante habuerat, eoque fossoribus ex omni Venetorum propinqua regione accersitis, Fossam ab iis castris ad montis usque radices, in quo Tenna sita est, deduxit, quæ ripam Tridentinam ad lævam excludebat. Adjecit præterea ei munitioni Castella quædam editis in collibus constructa, quæ viam à Peneda ad superiora loca, qua Brixiam itur, tutam efficiebant. Interim Veneti rostratas naves, quas per eos montes ædificarant, instaurandæ classis causâ, quam per superiorem æstatem, ut docuimus, amiserant, in Lacum deducendas curaverunt. Quod sane præter sumtus magnitudinem, incredibile omnibus fieri posse videbatur: tanta erat rerum omnium ad eam reficiendam classem difficultas. Sed ingens retinendæ Brixiæ studium omnia affatim suppeditabat, omnia facilia factu reddebat. At Piccininus his rebus cognitis nulla socordia aut ignavia usus, collectis magna celeritate iis copiis, quas ex Veronensi fuga colligere potuit, navibusque impositis, ad Ripam & ipse quoque Tridentinam rursus classe defertur. Inde ut ante solebat, in Veneta castra, quæ non amplius passibus mille à ripa distabant, crebro & magno quidem impetu erumpebat. Quare fiebat, ut cum non justa sed tumultuaria acie dimicaretur, majora nonnumquam Veneti detrimenta acciperent. In his prœliis captus est præter ceteros obscuræ famæ milites Dominicus Malatesta Sigismundi frater Cæsenæque Regulus, qui tunc sub Francisco merebat. Is enim dum cupidius hostes insequitur, quod aut juveniliter, aut studio, ut quidam postea affirmarunt, fecerat, circumventus in hostis devenit potestatem: qui tamen facta non multis post diebus cum Carolo Gonzaga commutatione in libertatem restitutus ad Franciscum rediit. Catamelata præterea repentino correptus morbo, quem apoplesim vocant, & vocem & membrorum omnino motum amisit, ita ut necesse fuerit lecticâ Patavium deferri, ubi postea ea vi morbi pressus diem obiit. Accedebat insuper ad hæc incommoda, quod propter anni tempus magnitudine nivium terra obsita in montana præsertim regione exercitus magis atque magis in dies absumebatur, quem omnia simul ad vivendi usum necessaria defecerant. Quas ob res cum difficile esset, nisi magno omnium detrimento diutius in his locis sub dio præsertim exercitum posse contineri, Franciscus missa ad Brixienses ea frumenti copia, quam pro tempore potuit, dimissoque Penedæ Petro Brunorio cum majore peditatus parte, qui & classi & munitionibus præsidio esset, inde movet. Et superato Penedæ jugo, ne similis fugæ profectio videretur, præmissa in hiberna copiarum parte, ipse cum reliqua ad Vicum quemdam, cui Baldus mons altissimus impendet, resedit; ubi dies aliquot immoratus, nivibus etiam die noctuque crescentibus, Veronam hibernatum concessit.

His tot rebus à Francisco præclare gestis hunc Annus finem habuit. At Philippus eo qui insecutus est Anno, certam cladem cernens, si Franciscus in bello pro Venetis perseveraret, agitare animo cœpit, quemadmodum ille ut è Cisalpina Gallia excederet, cogi posset. Itaque Piccininum cum exercitus parte in medio fervore Gallici belli in Flaminiam proficisci jubet, eo imperio, ut inde Faventinis fratribus Guidone Antonio & Eustorgio sibi ascitis, in Etruriam adversùs Florentinos trajiceret. Existimans Florentinos eo bello pressos, Franciscum in Etruriam revocaturos, idque illum eorum causa, quibus esset non minus quam Vene-

tis stipendii jure obstrictus, ipsis etiam Venetis invitis non recusaturum. Picininus imperata faciens coactis in Flaminia copiis circa ver primum superato Apennini jugo, in agrum Mugellanum descendit. Et cum aliquot dies circa Policianum desedisset, recepto tamdem eo oppido, in Casentinates transivit. Quæ res Florentinorum animos majore metu sublevavit. Timebant enim, ne per Marinam fluvium ductis copiis inter Pratum & Florentiam consisteret, ubi & commeatum habere abunde potuisset, & impedire iter, quo frumentum à Pisis importabatur. Nam ad ceteras quoque difficultates rei frumentariæ inopia accesserat. Picininus sive quod non intellexerit, sive quod timuerit, ac opportunitate relicta, in Casentinates deflexit, loca montana & saltuosa & ab Urbe remotiora. Qua in re, ut multi putant, secutus est Francisci Comitis Puppii consilium, secretò illum vocantis. Nam ubi eo pervenit, Bibiena, multisque aliis captis Oppidis, Franciscus ipse cum Puppio ceterisque Castellis suis ad eum defecit, commeatuque juvit, quo maxime ejus exercitus laborabat. Inde ad Castellum Sancti Nicolai Florentinorum oppidum situ ac milite permunitum castra ponit. Quod cum diu oppugnasset, exacto tamdem mense Aprili, duo de triginta, quàm circumsepserat, die fame magis quàm armis per pactionem obtinuit. Hoc tam repentino atque insperato Picinini in Etruriam adventu, Florentiæ, ut fieri solet, à timenti populo haud mediocriter domi forisque trepidari cœptum. (41) Hostes turmatim latrocinantium more usque ad Urbis mœnia vagabantur. Fœda trepidatione ac fuga circum Urbis muros omnia complebantur. Intus verò non sine magnis suspicionibus vivebatur, tum quod infima plebs rei frumentariæ, ut prædiximus, caritate premebatur, tum quod præsentem Reipublicæ statum, non omnes æquo animo cives ferebant. Erat tota Urbs agricolarum cum uxoribus & liberis plena. Bovesque ac pecora vias omnes compleverant. Ubique agrorum vastationes fieri, & querelantium voces exaudiri. Omnia pavore ac tumultu misceri. Nec ulla ope, nec ullo humano consilio vim hostium tunc Respublica arcere poterat. Civitatem velut inopinantem omni fere militari præsidio imparatam potentissimus hostis offenderat. Terrebat autem magis quam premebat inter ceteras repentini belli difficultates civium animos, & eorum præsertim, qui publicæ rei summæ præerant, exulum insolentia, qui hostilia castra minabundi sequebantur. Terrebat præterea uno atque eodem tempore subita atque insperata Sigismundi Pandulfi & Dominici Malatestæ fratrum Ariminensium ad hostem defectio, & Petri Johannis Pauli Ursini, qui erat unicus tunc Florentinæ militiæ ductor, & Baldoini Tolentinatis apud ipsos Malatestas retentio. Nam metuentibus fratribus ipsis, audito Picinini in Flaminiam motu, opemque ob id ab amicis implorantibus, & Dominicus à Francisco, quem ca-

A ptivum ab hoste factum, ut ostendimus, postea cum Carolo Gonzaga commutaverat, cum sexcentis circiter equitibus domum redire permissus est; & item Baldoinus è Piceno ab eodem, & Ursinus à Florentinis ad eos auxilio missi. Accessit ad id etiam Borsii Estensis Nicolai Marchionis filii ad Philippum abitus, quem superiore Anno Veneti, ac Florentini communi stipendio conduxerant. Is enim cum Angelus Acciajolus Florentinorum legatus (42) instaret, ut ad ferendam laboranti patriæ opem maturaret, ex paternis Mutinensium finibus movens paululumque itineris progressus, non in Etruriam ut Legatus exspectabat, sed ad
B dexteram, ut Philippo auxilio esset, iter sibi fore dixit, à quo meliora firmioraque stipendia consecuturus esset, liberis Populis pro sui natura ægre pecunias pendentibus. (43) Interim Florentini, ut sunt in rebus adversis difficultatibusque viri & prudentes & fortes, & ad comparandas vires impigri atque profusi, magna celeritate magno peditum coacto numero oppida, quæ in hostium frontibus erant, præsidio firmant, & Franciscum Sfortiam in primis, in quo omnis spes eorum Reipublicæ tuendæ adversùs Philippi potentiam, Picininique impetum sita videbatur, ut ad se maturaret, magno studio à Venetis contendunt. Ceterum cum id
C molestissime Veneti ferrent, Brixiâ nondum fame ac obsidione liberatâ, placuit ut in bello Franciscus adversùs Philippi copias in Gallia pergeret, sed partem sui equitatus in Etruriam mitteret. Qua re missi ab eo sunt incredibili celeritate ex Patavino agro Florentium Bosius Sfortia frater, Troilus Rossianensis, & Nicolaus Pisanus cum veteranis cohortibus sex, & Michaël Attendulus ex Piceno cum valido equitatu eodem accedere jussus. Præterea ab Eugenio Pontifice, qui per id temporis Florentiæ agebat, Ludovicus Patriarcha Aquilejensis cum universo Ecclesiastico exercitu in agrum Aretinum accitus. Hunc enim paucis ante diebus com-
D prehenso Romæ, ac è vita sublato Johanne Vitellio Patriarcha Eugenius suis copiis præfecerat. Nam Vittellius posteaquam ad Florentini Cardinalatus, Alexandrinique Patriarchatus dignitatem evectus esset, tantam sibi arrogantiam & in re militari auctoritatem sumserat, ut ferendus non videretur. Ecclesiasticis enim cum præesset copiis, spreto Pastoris imperio, omnia suo arbitratu nutuque administrabat. Jamque cum Picinino Romanæ Ecclesiæ infesto ita Pontifice inscio egerat, ut non tam adversùs Florentinos quam adversùs eas Urbes & Oppida, quæ in Umbris atque Etruscis, & in Piceno agro Franciscus possidebat, eo cum Ecclesiæ viri-
E bus adjutore, bellum inferret. Ursinus etiam dimissus tamdem à Malatestis, Florentini coacto undique haud multo tempore magno exercitu magno metu ac periculo liberantur: quod facile sese suosque fines tuerentur, hostemque populationibus prohiberent. Quare Picininus ubi cognovit in Florentinos nihil proficere posse, spemque urbanæ rei per

exu-

(41) MS. Et circumquaque per agros omnia tumultuario agi. Ingens certe terror non minus domi, quàm foris, Florentinorum mentes occuparat. Hostes &c.

(42) MS. ad quindecim aureûm nummûm millia exsolvisset, instarectque.

(43) MS. Profuit autem mirum in modum Florentinis rebus longa Castelli ejus obsidio. Cum interim &c.

exules adversus Cosmianam factionem novandæ incassum cecidisse, in agrum Perusinum progreditur eo consilio, ut per factionis suæ fautores Urbis principatum obtineret. Ex itinere autem Burgum Sancti Sepulcri, Romanæ Ecclesiæ oppidum in Umbris nobile, dedentibus sese ultro oppidanis, in potestatem accepit. Inter hæc nullum à Francisco remittitur tempus. Dum milites distributâ primo vere pecuniâ ornantur, mittitur in montanam regionem cum peditatu Petrus Brunorius, qui profligata in Benaco Lacu Philippiana classe, ac majore navium parte capta, Stephano Contareno Venetæ classis præfecto, Ripensium oppidum expugnat. Quo capto oppido ceteri earum partium Populi ubi superiore hyeme, uti demonstratum est, Franciscus cum exercitu fuerat, in Venetorum ditionem rediguntur. Circa Nonas verò Junias coactis in Veronensi agro copiis omnibus, quæ parcius quam oportuerat, propter pecuniæ inopiam se instruxerant, Franciscus per hostium fines ad liberandum jam fame pereuntem Populum longo itinere transiturus, commeatu & pane tosto dierum octo comparato, ubi illuxit, movet, & magno itinere confecto ad Mincii amnis ripam pervenit. Ibi castris positis pontem navibus iis, quas vehiculis ex flumine Atesi secum adduxerat, ingenti celeritate jungendum curat, veritus ne ab hoste ex ulteriore ripa prohiberetur. Itaque per insequentem noctem vel ignorantibus vel timentibus hostibus, eo ex sententia perfecto opere, postero die non longe ab eo ponte exercitum traducit. Quod non videbatur eo die ob copiarum, impedimentorum, carrorumque multitudinem singillatim transeuntium longius esse progrediendum, cum omnia circumquaque hostilia essent, oppidis municipiisque universis per regionem à Mantuano Principe occupatis. Inde trinis castris non longe à Brixia consedit. Ex itinere universa, quæ Benaco adjacent, Brixiensis agri municipia in fidem recepit. Salodium, quod est regionis emporium, Brunorio cum peditatu & Scariocto Faventino cum equestri turma, quos eo Franciscus miserat, à terra, & Contareno classe, quod Lacu ab orientali abluitur parte, expugnatur, ac in prædam vertitur. Accessit in castra ad Franciscum magno Civium comitatu Franciscus Barbarus Brixiæ præfectus: Gratulatur ejus adventu; gratias ingentes agit, quod triennio ferè per omnes difficultates obsessam liberaverit Urbem.

Ceterum ex Philippianis copiis, quas Piccininus in Brixiensi Johanni Francisco Mantuano obtemperaturas reliquerat, nullæ adhuc in conspectum prodierant. Mantuanus sese Mantuæ, suas autem copias oppidis continebat. Talianus, & Ludovicus Vermius cum reliquo Philippi exercitu, cognito hostium adventu, diffisi Brixiensi cessere agro, & trans Olium apud Soncinum constitere, ut inde Urceanis auxilio essent, quorum oppidum post terga relictum valido equitum præsidio munierant. Procedente deinde exercitu tantus ad Franciscum factus est municipum concursus, ut intra triduum non tam superior Brixiensis ager, qui ad alpes pertinet, quam inferior, qui in plano est, præter Urceanos, qui hostium, ut prædiximus, præsidio tenebantur, in Venetorum fidem redierit. Franciscus in Urceanos exercitum ducit. Inter Philippiana castra & Urceos Olius amnis interfluebat. Pons erat in eo sublicius, qua ad Soncinenses pertinet, Castello & ponte altero, qui & tollebatur & relaxabatur manibus, permunitus. Talianus adventantibus hostibus equites peditesque haud multo numero flumen traduxerat, ut castra ponentes lacesseret, spemque auxilii Urceanis afferret. Via est, qua ab eo ponte ad Urceanos itur, non admodum lata, & à parte utraque palustribus campis, sentibus, fossisque impedita. Hanc hostes conferta acie occupant. Hos præcursores à Francisco edocti, ut hostes quoad possent, longius à fluminis munitionibus traherent, adoriuntur, commissoque prœlio, Sfortiani tum propter paucitatem, tum quod ita sibi erat imperatum, terga vertunt, hostibus laxis habenis insequentibus. Quod cum ex sententia Francisco contigisset, statim eo immittit (44) prætorianos equites duce Zarpellione. Additi pedites veterani. Hos turmas duas, quas stationarias vocant, ex omni exercitu delectas subsequi jubet. Hi tanto in hostes feruntur impetu, ut illi ne quidem aspectum ferre potuerint. Terga dant, & ultra flumen reverti contendunt, quos Sfortiani premendo nusquam consistere patiuntur. Cum ad pontem cursu ventum esset, intermixti hostibus transeunt, ut facultas tollendi pontis iis, qui præsidio erant, erepta sit. Transitur flumen à Sfortianis confertissima acie: quo ponte occupato, Franciscus qui suos adhortando atque impellendo prœlio semper aderat, Castellum continuò expugnat, præsidioque imposito, tum demum ordines transire jubet, & in hostes, qui non longe à Soncino in acie constiterant, impetum facere. Jamque in hostilibus castris tumultus ac trepidatio & sarcinæ ubique colligi, & Cremam versus præmitti cœptæ. Conseritur pugna primo congressu acerrima, sed cum ægre vim Sfortianorum adversarii sustinerent, funduntur, & in fugam circumquaque vertuntur. Soncinenses portas claudunt; neminem oppido recipiunt, spemque eo evadendi omnibus adimunt. Ex muro prœliantes fugientesque suos intuentur. Mox castra diripiuntur. Magna equitatus pars cum impedimentis ferè omnibus in ipsa fuga capitur. Præda passim patet. Venerat eo mane in Philippiana castra Borsius Estensis cum suis miro instructis ornatu, auro quoque & argento præter militarem usum refertis: qui sicuti novissimè in castra venerant, ita novissimi in prœlio fuerant. Ob id omnes ferè in hostium devenere potestatem. Forojulianus ubi videt se hostibus circumveniri, nec itinere aperto evadere posse, equo desilit, abjectisque armis, in virgulta ac dumos se abdit, & per limosas paludes diu delituit. Nocte Cremam ægre sese recepit. Hac tam insigni & insperata ex hostibus parta victoria, quod objectus amnis, quo pro castrorum munitione ipsi utebantur, intransmeabilis eo maximè tempore undique reddebatur, eosque tueri

(44) MS. equestrem ex familiarium ordine cohortem, viribus audentem, quam Zarpellio ducebat, veterano immixtam peditatu. Hos alias turmas duas &c.

tueri & servare omnino debuerat, Franciscus milites opima onustos præda cis flumen revocat, ubi magnam exercitus partem cum impedimentis in acie reliquerat, Oppidumque castrorum corona cingit. Ceterum hostes, qui oppido præsidio erant, dum ad Soncinum pugnatur, erumpentes conseruere certamen. Postridie ejus diei & Urceani & Soncinenses omni spe auxilii destituti, missis de deditione in castra legatis, sese atque Oppida præsidio incolumi Francisco permisere. Quibus confectis rebus, Olium trajecit, ac factis undique in Cremonenses excursionibus, binis castris in transadduanos profectus, totum Bergomensem agrum biduo recepit. Nec minus deinde universos, qui in ea regione sunt Populos ad ipsam usque fluminis Adduæ ripam incolentes, præter Caravaginos in deditionem accepit. Philippus accepta Soncinensi clade, duabus tam præclaris Urbibus Brixia & Bergomo diuturna obsidione liberatis, quæ erant ad deditionem prope redactæ, totque regionibus oppidis magis quàm vicis frequentibus uno fere tempore amissis, tum demum cognovit, non sano consilio Picininum fuisse in Etruriam transmissum. Quibus ex causis ad remedia, quæ impræsentia ad suarum rerum salutem expedire putabantur, conversus, Oppidum Cremam velut transadduanæ oræ caput omnino servandum judicat. Adduam ne superent hostes, summo studio viribusque innitendum. Cremonam præsidio firmandam. Picininum ab Etrusco bello revocandum, & nudatas insuper copias summa celeritate reficiendas, exercitumque instaurandum. Ad quas res conficiendas ita providit. Ludovicus Sanctoseverinas, qui Soncinensi pugna abfuerat, cum suis ad tuendam Cremam mittitur. Borsius Cremonam, qui ei Urbi præsidio sit. Reliquæ copiæ, quæ prœlio superfuerant, in Laudensium, Mediolanensiumque fines traducuntur, ubi jam Populi passim magnitudine ac propinquitate hostilis exercitus perterriti tumultuare, ac pecora bonaque sibi cariora in Urbes, tutaque loca conferre cœperant. Forojuliano & Vermio, ut Adduæ ripam, quæ ad Laudenses Mediolanensesque pertinet, die noctuque perlustrent, atque explorent, negotium datur, hostesque, si transire conentur, transitu prohibeant. Picininum litteris, nuntiisque de iis, quæ acciderant, certiorem facit. Jubet Etruscis rebus posthabitis in Longobardiam cum exercitu quamcelerrime redeat. Ipse interim copias omnibus bellicis rebus Soncinensi prœlio exutas equis armisque renovare contendit. At in Venetorum castris sæpe advocato consilio disputatum est de ponte in Addua construendo, quo exercitus in Mediolanenses traduceretur. Nam posteaquam ad oppidum, quod Ripaltám-Siccam vocant, secus Adduam situm, millia passuum viginti ab Urbe Mediolano recedens, ventum est, comparatâ ad faciendum pontem materiâ, Veneti legati id majorem in modum conabantur. Quod cum à Francisco sæpe tentatum esset, difficile factu comperiebat, duabus rebus maxime obstantibus, & quod ita per eos dies imbribus, nivibusque flumen excreverat, ut omnia circumquaque illuvione replerentur, & quod hostes, ut demonstratum est, ex adversa ripa, ne quid in flumine operis iniretur, facile prohibebant. Quod cum ita esset, Franciscus ne tempus frustra consumeret, Caravagio admovit. Nam ceteris transadduanis subactis, soli Caravagini, & Cremenses in Philippi fide manebant. Ceterum dum Oppidum machinis oppugnatur, Leo Sfortia Francisci frater, cui tormentorum cura demandata fuerat, bombardula ex oppido advenienti in adversum dextrum fœmur ita vulneratur, ut semianimis in terram proruerit. Quem Franciscus acerbissimum fratris casum sane, ac debuit, gravissime ægerrimeque ferens, mox obsessis enunciari jubet, se inde nunquam discessurum, quin de fratre ultionem sumat. Quare Caravagini ingenti metu territi, veniam pro iis petentibus Trivillianis, in fidem accepti sunt.

Dum hæc in transadduanis geruntur, Picininus, quem spes Perusiæ potiundæ longe fefellerat, quamvis Urbe eum Cives honorificentissime excepissent, his rebus cognitis, in Cortonenses movit, Urbemque per proditionem capere nixus, inde profectus inter Tifernum, & Burgum cum exercitu constitit. Interea Pontificis, Florentinorumque exercitus duces cum aliquandiu circa Aretium stetissent, & postea ad oppidum Anglare accessissent, cognito Picinini adventu, hostium præsentiam veriti, castra, quæ prius erant longius, ad ipsa Anglaris mœnia deduxere. Quo etiam tempore intercepta sunt literæ & ad Picininum perlatæ, quas Florentini idcirco ad Nerium Capponem & Bernardum Medicem in castris legatos dederant, ut prœlio abstinerent, etiam si hostis eos ad pugnam provocaret, incolumitatique tantummodo exercitus studerent: cum scirent hostem, quem Philippus in Galliam magna festinatione accersebat, non diu in his locis futurum. Hæc tanta timoris significatio audaciam Picinino adauxit. Itaque re cum Faventinis fratribus, aliisque perpaucis communicata, priusquam in Flaminiam descenderet, tentare prœlii fortunam constituit non dubitans, collectitiam & inconditam male inter sese consentientium ducum multitudinem profligaturum, & de superatis Pontifice, ac Florentinis ultionem sumturum, & Italiam postea pro libidine moderaturum. Ea re constituta, castris clam noctu cum paucis egressus, & quo in loco consedissent hostes, speculatus tertio Kalendas Julias, quo die annua divorum Petri & Pauli Apostolorum festivitas celebratur, ad meridiem sub ipso solis ardore vasa colligere, & velut esset in Flaminiam transiturus, Burgum omnes petere jubet. Cumque eo appulisset, sarcinas & impedimenta deponi, & cui ordinem primum ducere eo die obvenerat, ad sinistram in hostes flectere imperat. Ipse cum ceteros ordinum præfectos, quod fieri vellet, edocuisset, oppidanis humaniter appellatis, & uti se ad inspiciendam de hoste victoriam sequerentur, invitatis, in priorem contendit ordinem. Præviderat autem conjecturâ, quid apud hostes tunc fieret, quod postea per exploratores planius cognovit. Nam cum in ea hostis propinquitate militem ante meridiem frumentatum pabulatumve emitterent, structam paratamque in quamcumque dimicationem repentinumque hostis impetum pro castris aciem habere con-

consuevissent, eo die in vesperam declinante, negligentius omnia agebantur, ac emissis temere frumentatoribus, qui in armis usque ad meridiem steterant, reliqui per tentoria calorem lenibant, adeo ut nisi veteranus Michaël Attendulus de summo acclivo, ut armatus obequitabat, tenui primo post densiore prospecto pulvere ad arma exclamasset, facile eos potuisset, quod crediderat Picininus incautos inermesque opprimere. Anglare namque oppidum, sub imis Apennini radicibus in castigato leniter colle situm, ad eam partem in orientem versam, quæ spectat ad Burgum, acclivum habet ascensu haudquaquam difficilem. Qua verò in parte desinit, planicies passuum circiter millia quinque inchoat, ad Burgum usque perpetua. Hanc ab acclivo non magnus intersecat torrens, sed dextera lævaque ripis munitus, & viam, quæ Burgum versus ad lineam est direpta eo intercisam torrente lapideus pons jungit. In eum igitur pontem advolans Michaël, suos undique accurrentes consistere jubet. Hunc subsecutus est Simonetus ex Castropetro ductorum in Pontificis exercitu primarius. (45) Mox advolat Ursinus. Tunc duces ad torrentem velut præcipuam castrorum munitionem de summa gerendæ rei pro tempore consultantes, præmissis ab hoste ad teli jactum appropinquantibus constitere, ut tripartito acies ad sustinendum hostis impetum instrueretur. Michaël cum Sfortiano equitatu frontem obtineret. Dexteræ alæ Ursinus. Sinistræ Simonetus, & Petrus Mevaniensis cum parte Ecclesiastici equitatus præessent, utque Sfortianis omnibus mediis dextrum cornu Florentinus mercenarius miles, sinistrum Ecclesiastica cohors reliqua tenerent. In subsidiis apud Patriarcham, Apostolicum Legatum, signa consisterent, & quicquid erat equitatus reliquum, peditatus autem in summis torrentis marginibus locaretur. Ita cum locus esset hostibus periniquus, Florentinis verò ad tuenda castra peropportunus, fit primo congressu in eos, qui pontem obtinebant, impetus, quos Michaël cum facile repulisset, tum Eustorgius, & Franciscus Nicolai Picinini filius, magno equitatu irruentes, illum ponte deturbant, & in acclivum usque pugnando insequuntur. Rarior enim adhuc erat in omni Florentina acie armatus eques, cum pabulatores ex campis celerrime acciti nondum arma induere potuissent, & ob id multi inermes in prœlium occurrissent. Michaëli autem laboranti cum opem attulisset Simonetus, hostibus ad pontem usque repulsis, pugnatur acriter circa pontem, torrentisque vada toto utrimque fere peditatu. Sed ubi Michaëlem videt locum tenere Simonetus in sinistrum cornu, ut erat ante constitutum, revertitur. Quod cum secundo ac tertio esset factitatum, alios recentiores Picininus ordines immittit, quibus Eustorgio filioque additis, rursus in Michaëlem magnus fit impetus, totaque in eum undique pugna refertur. Qui tamdiu Sfortiano stipatus milite impetum sustinet, ut Nicolao Pisano ad sinistrum pontis vadum capto, ipse etiam parum abfuerit, quin ab hostibus circumventus caperetur. Tunc confertissima acie Ursinus, & Simonetus magno animorum ardore ex superiore loco in prœlium descendunt, & Pisano recepto hostem referre pedem compellunt. Hos item Bracciani redintegratis viribus numeroque pugnantium aucto tanto pontem, vadaque præsidio firmaverunt, ut nullum amplius existimarent futurum hostium impetum, quo inde pelli possent. Ex quo fiebat, ut in ea, quæ inter pontem & acclivum quinquaginta passus planicie interjacet, densissime, fortissimeque prœlia consererentur. Nam cum hinc acclivum Florentini, inde torrentis ripas, vadaque Bracciani pro munitionibus haberent, in libero, qui intercedebat campo, nullus erat, nisi quem virtus fecisset superiorem. Tantâque pugnabatur utrimque pertinaciâ, ut multi fractis hastis deficientibusque gladiis, aut disjectis aut manu delapsis, prœliantes inter sese cunctis percuterent. Per hunc modum cum quatuor circiter horas dubiâ victoriâ pugnatum esset, Bracciani tamdem vinci cœperunt. Quod duabus maxime de causis accidebat, tum quod ex superiore loco, uti demonstratum est, cæderentur, tum quod cum adversarii, qui tunc primum arma sumsissent, Apulis, Calabrisque recentioribus ipsi contra Germanis minoribus longoque labore per maximos calores strigosioribus atque defessis uterentur equis, facile & prosternerentur & conficerentur. Demum uno atque eodem tempore omni fere ex parte ponte vadisque depulsi, in reliquam in via stantem aciem magno omnium clamore aguntur. Ex quo inter sese prementes ita in angustum conflictabantur. Via enim à parte utraque fossa muniebatur, ut nullo inter ordines relicto spatio, nec se explicare, nec tueri possent. Itaque inclinata acie terga vertunt, & qua venerant, in turpissimam conjiciuntur fugam. Picininus desperatâ victoriâ, vix & anxie ad Burgum se cum paucis recepit. Peditatus est omnis mox dissipatus. Signa omnia capta, & Florentiam continuo relata. Tentoria simul cum impedimentis in prædam versa. Ex equitatu pauci admodum evasere. Eustorgius in Pisani potestatem devenit. Capti sunt ex Burgensibus supra mille ducentos, qui Picinini fiduciam secuti, quem victorem fore haud dubie credebant, populariter in hostes exierant. Denique hæc fuit victoria, finem bello impositura, si duces eam sequi voluissent. Sed nec dux unus erat, cui omnes parerent, nec ductoribus cunctis idem animus. Ob id diffidentes, spatium illi abeundi dederunt. Tertio demum post pugnam die, cum ille jam transmisso Apennino in Urbinates abiisset, in Burgenses duxere, quorum oppidum & quicquid per eam regionem Picininus occuparat, in deditionem acceperunt.

Post hæc Bibienam, & cetera prius amissa Florentini feliciter recuperarunt. Oppida verò quæ Francisci Puppii Comitis fuerant per Casentinates obsessa, in potestatem redegerunt. Totum denique Casentinum agrum, qui numquam Florentini Populi paruerat imperio, sibi subjecerunt. Picininus posteaquam copias omnibus exutas armis collegit, in

(45) MS. Qui, quo in loco, quove præsidio frumentatores tuti essent, inspecto, in castra rediens, omnia tumultu misceri compererat. Et illuc item velociter se contulit; Mox advolat &c.

in Flaminiam reversus, Civitates præsidio firmat. Deinde in Galliam ad Philippum redit, omni devicta transadduana, præter Cremam, ut supra ostendimus, regione, paceque pro ea per inducias cum Ludovico Sanctoseverinate composita, Leoneque fratre Caravagii relicto, ubi paucis post diebus magnitudine doloris ex vulnere confectus è vita migravit, omissoque omnino transeundi fluminis negotio, Franciscus in Cremonenses duxit. Nec per ea loca diutius immoratus, agro undique per voluntariam deditionem in fidem recepto, & quod si ad obtinendam Cremonam vires convertere voluisset, sine classe eam obsidere non posset, in Mantuanos trajecit, Marchariamque adortus, quod est Oppidum in ipsa Olii fluminis ripa situm, & pontem habet, qui ad Cremonenses pertinet, & arcem muro vetustissimo munitam, dedentibus sese oppidanis, præsidio firmavit, arcemque deinde magna tormentorum vi oppugnare aggressus tamdem expugnavit. Interim Asulani & quicquid erat inter Olium Minciumque amnes Brixiensis Mantuanique agri præter municipia perpauca ad ipsum usque Mantuanum Claustrum, in Venetorum Franciscique venere potestatem. Nam ita erat inter ipsos cautum, quod si Mantuam eo bello cepissent, Francisci esset; si Cremonam, Mantuâ relictâ, Cremonam retineret; si tamdem Mediolanum, Cremonâ item dimissâ, Mediolanum obtineret. Mantua eadem difficultate, quam de Cremona diximus obsideri ea tempestate nullo pacto poterat: ubi Johannes Franciscus Marchio unà cum Ludovico Sanctoseverinate, quem ad eum Philippus post Francisci è transadduanis discessum auxilio miserat, magnis viribus sese continebat. Quamobrem Veneti, quæ adhuc Oppida & in Brixiensi, & in Veronensi agro in hostium erant manu, per æstatem obtineri magno studio contendebant. Pischeria est in extremis Veronensium finibus Oppidum, & in ipso Benaci Lacus ostio positum, unde Mincius amnis initium capit. Arcem habet duplicem cum altitudine & latitudine murorum, tum altissima etiam fossa munitissimam, pontesque item geminos, quorum alter sublicius ex Oppido, alter lateritius ex Arce ad Veronenses spectant. Quod, cum Mantuani firmo tenerentur præsidio, Brixienses à Veronensibus transitu intercludebat, magnasque Venetis gerendo bello difficultates afferebat. Ob eam rem cum potiundi ejus magno tenerentur desiderio, eo Franciscus ductis copiis, Oppidum à terra binis castris facto in eo flumine confestim navibus ponte & classe à lacu circumsedit. Oppidum non multis post diebus expugnat, ac in prædam vertit. Deinde ad oppugnandam majorem Arcem majore conatu conversus, nam septem ingentis magnitudinis bombardas eo devehi jusserat, muros nullo intermisso tempore quatiendos curat. Sed duæ potissimum difficultates ibi eum diutius, quam putarat, moratæ sunt: altera quod modò sulfur, modò saxeæ pilæ deficiebant, sine quibus nihil agere in ædificium poterat. (46) Altera quod Arx utraque adeò vetusto ac denso lateritio muro, & altissima latissimaque fossa aquæ plena ex Benaco derivatæ muniebatur, ut nulla machinatione, nullaque vi, nisi assidua oppugnatione, dirui, vincique posset. Itaque post trigesimum, quam oppugnari cœpta est, diem, & Arcella quatriduo post per deditionem tamdem in Venetorum ditionem redacta est. Interim Philippo duabus tam insignibus acceptis cladibus nulla erat, ut prædiximus, cura major, quàm ut Franciscus Sfortia aut ejus voluntate à Venetorum auxiliis amoveretur, aut suspectus illis redderetur. Et quod adhuc viribus assequi non potuerat, id arte conandum putavit. Ad eam rem conficiendam Nicolaum Marchionem Estensem sibi adjutorem parat, quem sciebat apud Franciscum veteris hospitii causa & auctoritate & gratia plurimum posse. Hunc igitur Mediolanum ad se accersitum, & quid fieri vellet edoctum, Ferrariam redire, & Blancam Mariam adolescentem, quæ ut demonstratum est, Francisco fuerat desponsata, secum ducere jubet. Is cum suam calamitatem ex Philippi & Johannis Francisci Mantuani calamitate pendere haud dubie intelligeret, omnia, quæ Philippo usui fore existimaret, libentissimo quidem animo & suscipiebat & peragebat. Itaque Mediolano proficiscens, Blancam cum non parvo Mediolanensium Civium comitatu secundo Pado devectam Ferrariam ire jubet. Ipse Mantuam deflectens, Franciscum literis nuntiisque rogat, ut in amœnissimam Mantuani villam, quam Marmirolum vocant, data fide publica, ad colloquium venire non gravaretur, ubi de pace deque conjugio agere possint. At Franciscus, qui non ignorabat, quorsum hæc tenderent, ita Nicolao respondit. Non esse sibi injussu Veneti Senatus ad hostis loca eundum, nec à Senatu ipso, si sapiat, permittendum. Quo responso Nicolaus accepta fide Caprianam primùm, deinde Pischeriam in castra profectus, perbenignè à Francisco excipitur. Qui cùm multa de pace disseruisset, Francisci plurimum interesse dixit, ut Philippi fortunæ, quibus ipse aliquando potiturus esset, non modò non consumerentur, sed servarentur, augerenturque. Satis superque ejus honori & dignitati factum esse, cum Venetis non solùm Brixiam ac Bergomum extremo prope periculo liberaverit, sed tot etiam amissas regiones oppidis municipiisque frequentes restituerit. Rem Venetam in tuto jam esse, & florenti rerum statu positam. Licere ei absque honoris sui offensione trans Padum cum suis copiis reverti. Se autem compertissimum habere, Philippum æquis conditionibus pacem cum Venetis Florentinisque facturum, & Blancam quoque filiam, quam hactenus obstinate toties ei tradere negasset, vel in castra vel quocumque voluerit, transmissurum. Ad hæc Franciscus, se scire Venetum Senatum pacis esse cupidissimum, nec eam in præsentia recusaturum, & ob eam rem ad illum esse eundum; pace composita, de Blanca, quid agendum sit, se amicos, quorum ipse esset primus, consulturum. Hæc omnia Franciscus cum Paschale Maripetro legato communicabat, & Venetis per literas significabat, quod maximo certe fuit de illius

(46) MS. Nec quidem mirum, quum pulvis, qui è Venetiis ægrius eo importabatur, tot bombardis quotidie suppetere non posset. Altera &c.

lius fidei constantia testimonio. Nam ea Nicolai ad Franciscum profectio adeò Venetis omnibus & suspecta fuit & formidolosa, ut incredibilem pæne Venetorum animis timorem intulerit. Fama autem per id ipsum tempus constans fuit, Nicolaum cum maximo teneretur desiderio, ut Blanca Leonello filio, quem sibi successorem in principatu instituerat, nuptui traderetur, sæpe à Philippo, ut id efficeretur, contendisse: sed illum semper recusasse. Attamen non ægre tulisse, rumorem hunc ad Franciscum perferri, quod eo consilio filiam Ferrariam miserat, ut & sponsæ & spei magnæ fortunæ amittendæ metu adductus, Venetos desereret. Et cùm non mediocriter Philippus dubitaret, ne dum filia Ferrariæ esset, aliquid in eam Estenses molirentur, iis mandat, quorum curæ commendarat, ut omni adhibita diligentia ita agerent, ut rem puellæ salvam redderent. His rebus peractis Franciscus Lunatensi etiam Arce duodecim à Brixia passuum millia posita, situ & opere munitissima, post longam oppugnationem per deditionem tamdem recepta exercitum in Veronenses traducit, Valegioque potitus, lateritium pontem, qui in Mincio suberat admirabili prope structura à Johanne Galeatio Vicecomite Mediolanensium Principe constructum, vi tormentorum coacto præsidio in potestatem redegit. Dein quicquid Mantuanus in Veronensi obtinebat agro, Leniaco propter aquarum magnitudinem quibus undique muniebatur, dumtaxat excepto, per autumnum Venetorum restituit imperio.

Ceterum cum importuna magnis continuisque ferme imbribus hyems ingrueret, exercitum, ne in campis frustra labefactaretur, in hiberna remittendum duxit. Itaque Venetas copias, ut quotannis facere consueverant, trans Atesim hibernatum redire imperat, suas in Brixienses partiendas mittit. Ipse autem Veronæ propter Urbis amoenitatem sibi hyemandum constituit. Interea Ludovicus Cardinalis Legatus & Florentini exercitus duces trigesimo die, postquam Picininum profligaverant, in Flaminiam descenderunt. Eorum adventum Sigismundus & Malatesta fratres veriti ad Pontificis fidem Florentinique Populi amicitiam rediere. Sed non multo post Malatesta rursus ad hostes transivit. Sigismundus tamen Pontifici Florentinisque parebat. Nam ita inter sese pro communi salute constituerant, ut alter Philippianas partes, contrarias alter deinceps sequerentur, quo victor postea victum apud victores servaret. Castra circa Forolivium duces posuere, ubi cum aliquandiu nequicquam stetissent, ad Balneacavallum duxere. Oppidani ubi nihil auxilii à Faventinis fratribus & à Francisco Picinino, quem Nicolaus pater Bononiæ præsidio reliquerat, ad se mitti vident, post octavum obsidionis diem sese Legato dedidere. Idem fecere postea Massa Longobardorum, & ignobilia quæque Imolensis agri municipia. Dominabatur per idem tempus Ravennæ Hostasius Polenta, qui cum esset Braccianarum partium, & non satis regnandi peritus, (47) Reguli fere omnes proximi ad occupandam eam Urbem vertisse mentem videbantur. Quibus rebus Cives propinquis maxime hostibus veriti, ne duriorem inviti tyrannidem subirent, Hostasium deponunt, & ad Venetos quamprimum mittunt petitum auxilium, quorum mox præsidium intra Urbem recipiunt. Hostasius per hunc modum Urbis dominatione spoliatus ad Venetos sibi confugiendum putavit, quo inde aliquid ad ducendam in reliquum tempus vitam consequeretur. Sed longe illi aliter quàm putarat, evenit. Missus enim in Insulam Cretam intra paucos dies cum unico filio extinctus est. Ita Urbs nobilis ex eo tempore Venetis accessit. His rebus in Flaminia confectis autumnoque jam fere exacto exercitus eadem difficultate, qua Franciscum in Gallia coactum diximus, dividitur. Eugenii & Florentinorum copiæ in Etruriam, atque Umbros, & Michaël cum Sfortiana manu in Picentes hyematum rediere. Sub idem tempus Eugenius pecuniâ delinitus, & Florentinis Burgum in Umbris, & Balneacavallum & Lugum in Flaminia, oppida quidem ex Romanæ Ecclesiæ patrimonio non ignobilia, accepto magno auri pondere, Nicolao Estensi possidenda concessit. At Philippus tot bellis, totque acceptis incommodis ærario exhausto, vectigalibus etiam in biennium fere creditoribus obligatis, posteaquam ad eum Picininus rediit, omnes ejus cogitationes ad comparandam ex subditis pecuniam converterat. Sed (48) ne sibi ipse odia suorum conflaret, id Picinino negotii dat. Is igitur nulla cujusquam habita ratione Palatinis quantas potuerunt pecunias conferre compulsis, vectigalia auxit, tributaque Civitatibus imposuit. Qua ex re universa prope Longobardiâ, velut in prædam Picinino concessâ, non multo temporis spatio tantam pecuniæ vim coëgit, ut tribus centenis aureûm nummûm millibus amplior censeretur. Qua in milites affatim distributa, Picininus nullum per subeuntem hyemem tempus remisit, donec non tam suas quam reliquas Philippi copias, quas apud Soncinum Franciscus profligaverat, armis equisque resarciverit, ac ornatiores, quam prius erant, reddiderit. At Franciscus quod majorem, quàm umquam antea, ab hoste motum impetumque fieri exspectabat, Venetias ad consultandum de rebus bellicis proficiscitur, ubi dum consiliis agendis tempus teritur, crebri ad eum rumores afferebantur, copias hostium instrui, & circa Padum Adduamque cogi. Quibus cognitis & Venetos Cives, quos in Republica magnam habere auctoritatem cognoverat, hortari, & ipsum apud Senatum vehementius instare non cessabat, quo & pecuniæ & quæque bello gerendo usui fore putabat, maturius compararentur, ne cunctando ac parcendo celeritate ab hoste prævenirentur. Sed ut sunt natura liberi populi ad deliberandum tardiores & ad dependendam præsertim pecuniam difficiliores, ex die in diem res ducebatur, cum existimarent hostem nequaquam per hyemem educturum. Sed Picininus qui imparatum incautumque hostem opprimere conabatur, in-

(47) MS. (nam civili quadam indulgentia vel ignavia ac socordia potius rem publicam administrabat) Reguli &c.

(48) MS. Sed nulla aptior inveniebatur via, nisi ea, quæ subditorum esset, & ea quidem omnibus molesta atque dura. Placuit tamen Philippo, ne sibi &c.

ingenti celeritate, & contra omnium opinionem uno atque eodem tempore universis Philippi copiis Padum, Adduamque traductis, atque unum in locum convenire jussis, inscientibus hostibus, qui in frontibus erant, in Brixienses trajecit. Municipes repentino hostium adventu perterriti ad Picininum de deditione mittunt. Sfortiana manus, cui Johannem Sfortiam fratrem Franciscus præfecerat, ut erat per hiberna multas in partes divisa, cognito periculo, diffisa munitionibus, diversa in loca, quæ sibi proxima tutaque essent, quamcelerrime sese conferre constituit. Itaque Johannes cum eo, qui sibi propinquior erat, equitatu, Brixiam proficiscitur. Reliqui ordinum Præfecti partim Urceos, partim Asulam petierunt. Major numerus, interclusis itineribus, ne Brixiam peterent, in oppidum Claras, quod sibi propius offerebatur, sese receperunt. Hos Picininus toto agmine insecutus, oppidum continuo expugnare aggreditur. Præfecti autem, quorum Squarcia Monopolitanus, Kabothus natione Theotonus, & Hector Ricardus Ortonensis primi erant, territi ac in acie stantes, quid sibi consilii caperent, nesciebant. Nam aliis ut in extremo periculo fieri solet, eruptione facta ea porta, quæ ad Brixiam aditum habet, si iter sibi ferro parare, & Brixiam ad salutem contendere possint, experiri placebat. Alii ut sese oppido tuerentur censebant. His disputationibus nemo erat interea, qui equo descenderet, & sese telis è muro defenderet. Perpauci ex oppidanis cum mœnia ambulatoriis, propugnaculisque carerent, ægre se tueri cœperunt. Quod ubi animadvertit Picininus, majore conatu undique oppidum invadit. Muros defensoribus vacuos armati milites facile impetunt; scalas agunt, & murum ferreis sudibus succidere annituntur. Nec diutius oppidani pugnam sustinuerant, cum sua suorumque impetrata salute recipere hostes per muros in oppidum cœperunt. Quare captis refractisque continuo portis, fit omni ex parte à multitudine magno impetu intra oppidum irruptio, & ita mox equitatus omnis, qui ad duo equitum millia constabat, captus est, bonisque omnibus exutus, & Præfectorum Principes in vincula conjecti. Hac hostium victoria regionis ejus municipia, quæ adhuc in Venetorum fide perstiterant, magno omnium concursu ad hostes desciscunt. Nam tantus omnes pavor invasit, ut biduo fere universus Brixiensis ager, qui in plano est, Urceanis, Asulanisque, & aliis perpaucis exceptis, qui aut præsidii aut arcium timore in officio continebantur, ad hostem defecerit: & quicquid insuper Franciscus per æstatem in Transadduanis, Bergomensibus, Cremonensibusque, & in Mantuanis receperat, concitata partim metu partim voluntariis animis incolentium rebellione, in Philippi, & Johannis Francisci Mantuani fidem redierit.

Sub idem tempus Zarpellio, qui ex humili admodum loco per Franciscum ad magnam rei militaris laudem famamque pervenerat, avaritia ac studio non tam militiæ quàm rei familiaris augendæ ductus, ad Philippum Picinini opera transfugit. A quo perbenigne exceptus & militia ac stipendio magnopere auctus, municipio etiam in Papiensibus non humili donatus est. De his rebus Franciscus multorum literis nuntiisque certior factus, maturat è Venetiis proficisci, & magnis itineribus Brixiam contendit. Ex itinere copias omnes, quæ trans Atesim hibernabant, subsequi jubet. Picininus sive quod hostis præsentiam vereretur, sive quod per hyemem Februario mense diutius apertis campis castrorum metationibus prohiberetur, ultra Olium remigravit, Taliano in Brixiensibus præsidio dedititiis relicto. Soncinum ex itinere obsedit, quo paulo ante Michaël Griptus patria Venetus cum sexcentis circiter equitibus à Francisco præsidio missus venerat. Et cum aliquamdiu oppugnasset, dedentibus sese incolis, oppido simul & præsidio potitus, Michaëlem Mediolanum ad Philippum perduci jussit. Inde exercitum omnem in hiberna dimisit. Idem Franciscus facit. Nam & ipse Veronam rediit, & copias quæ nondum Atesim transierant, in stativa remisit. Nulla majore cura Franciscus in præsentia urgebatur, quàm ut sine mora exercitus & instrueretur & augeretur, ceterique belli apparatus compararentur, ut cumprimum pabuli copia in campis suppeteret, eductis copiis hosti tempus præriperet. Itaque & nudatas nuper Claris cohortes instaurare, & reliquas reficere nullo intermisso tempore curat. Equitatum omnem, quem anno superiore Florentinis auxilio miserat, ex Picentibus, ubi hyemabat, in Galliam revocat. De Michaële Attendulo ita cum Venetis egit, ut eum stipendio conducerent, & Catamelatæ suffectum, copiarum suarum ducem designarent. Omnis autem Veneti, Florentinique exercitus imperii summa, ut prædiximus, ad Franciscum fuerat ex fœdere delata. (49) Sed apud Venetos lente omnia peragebantur, indignante Francisco, atque ita ægre stipendia militibus exolvebantur, ut prius Juniæ Kalendæ advenirent, & Picininus magnis copiis rursus in Brixienses transierit, quàm Venetorum exercitus unum in locum cogeretur. Tandem contractis non longe à Pischeria copiis, & post Idus Junias Mincium traductis, justis itineribus in Brixienses Franciscus properat. Picininus interim apud Cinianum municipium haud longius quam duodecim à Brixia passuum millibus castra ponit, & ita aquæductibus fossisque munit, ut nemo fere nisi vadis quibusdam eo ingredi posset. Franciscus ubi in Brixiensium fines pervenit, minus quinque passuum millibus hostium castris appropinquat, exploratisque itineribus ac perspecta locorum munitionumque natura, concilium advocat. *Dein sæpe ego*, inquit, *audivi, socii, nihil magis belli duci expedire, posteaquam ex hibernis eduxerit, quàm hostem, si aderit, nulla cunctatione & viribus universis & animo ingenti invadere. Ex hoc enim id capi commodi, quod illi apud Populos minuitur auctoritas & militibus animus, huic verò augetur, & suis additur virtus. Idcirco mihi est in animo, postero die prima luce hostes invadere, quos non longe à nobis abesse videtis. Scitis, quid absentibus nobis per hyemem partim Populorum mobi-*

(49) MS. Nec adeo apud Venetos ad has res conficiendas opportunus, importunusque esse potuit, quin æstas affuerit, priusquam ob pecuniæ difficultatem educi ex hibernis potuerit. Nam ita ægre &c.

mobilitate, partim nostrorum ignavia atque socordia egerint, & quantum postea æstatis initio non nostra culpa sed aliorum inertia Brixiensibus detrimenti intulerint. Nunc verò munitionibus inclusi distinere nos & in nostris finibus bellum ducere conari videntur. Hos igitur adoriamur & nostris finibus arceamus: quibus & numero militum præstamus & robore, si non superiores, attamen impares non sumus. Nec illa res nos deterrere debet, quod sese munitionibus circumsepserint, quin prœlii fortunam experiamur. Quod si pugnandi potestatem fecerint, consequemur quod quærimus, nec dubitandum, quin inde victoriam referamus. Sin vero se castris continuerint, hoc certe nobis non deerit, fore omnibus apertissimum, per nos non stetisse, quo minus confligeretur. Dein poterimus ad eorum castra propius accedere, qua ex re id necessario futurum arbitror, aut eos nobis prœliandi copiam facturos, aut Brixiensi agro cessuros. Quibus dictis sententias singillatim exquirit. Omnes eodem animo ejus consilium majorem in modum laudant. Ubi illuxit, ordines quemadmodum pugnaturi essent instruit. Cohortes duas, quas subsidiarias appellant, ut ad omnem casum paratæ in subsidiis essent, instituit. Singulæ ex delectis toto exercitu equitibus centum constabant. Impedimenta ad dexteram diverso parique cum ordinibus itinere procedere jubet. His magnum stratorum numerum, qui viam pararent, adhibet. Quibus constitutis rebus instructa acie in hostes contendit; & jam Ciniano appropinquaverat, & nondum postremi è castris egressi dicebantur, cum orta inter ordines vox ad eum advolat, hostes magno numero novissimos invasisse, & ob id ad arma conclamari. Qua re continuò Franciscus Troilo & Petro Brunorio, qui ejus lateri aderant, imperat, ut procedenti agmine ipsi paululum è regione hostilia castra prætergressi ad dexteram, qua munitiones desinerent, latiorque in castra aditus pateret, prœlium parvo tamen levis armaturæ equitatu inirent, hostesque quoad possent, æquum in campum, donec ipse eo advenisset, allicere conarentur. Idemque à Michaële servari mandat. Ipse citato gradu, ubi ad postremos venit, nihilque hostile comperit, ad principia revertitur. Interim hostes ubi in sese Franciscum venientem cognoverunt, armato exercitu, munitionibus sese continere constituerunt, & levi prœlio pro castris contendere ob eamque causam equites peditesque perpauci emissi Troilo & Petro Brunorio obviam facti, in eos sese inferunt, prœlioque commisso Philippiani continuò repulsi terga vertunt, & intra munitiones cursu aditibus notis se recipiunt. Moxque dein duabus uno tempore portis haud longo inter se spatio distantibus Picininus non multo tamen milite eruptiones facere & à latere aperto Venetam aciem lacessere cœpit; eamque ne progrederetur, loco limoso hostibus iniquo & sibi peropportuno moratur, veritus ne si longius procederet, liberum in castra inveniret aditum. In his Zarpellio transfuga versabatur, qui non ut dux milesque, quemadmodum ante solebat, rem gerebat, sed ut dux tantummodo à tergo alios hortari moderarique videbatur. Quo ubi Franciscus venit, conspicatus rem iniquo loco geri, Troilum graviter increpat, qui temere ab hoste tractus eo pugnam deduxisset, ubi sui iniquiore loco prœliari cogerentur. Cumque responsum esset, nullum faciliorem repertum esse aditum, nisi qua hostes prodirent, statuit, qua parte erat pugnari cœptum, eos urgere, ex qua sæpe non tam equestri quàm pedestri manu hostem intra munitiones actum aditibus repagulisque deturbare acriter contenderat. At illi contra obstinatissimis animis, quod nisi à duabus partibus oppugnarentur, ne pedem quidem referebant. Quin potius cum sese facile munimentis tuerentur, Venetos omni missilium genere cædebant, & à munitionibus procul arcebant. Nam ex occulto ut ex aggeribus, ædificiisque frequentibus eos vulnerabant, maximeque multis equos vulneribus confodiebant. Per hunc modum cum à mane ad meridiem usque per ardentissimos calores utrimque fortissime pugnatum esset, placuit tamdem Francisco, non amplius tam iniquo loco adversùs potentissimum Philippi exercitum certare, neque maiore incommodo milites ad solis ardorem afficere, Itaque receptui cani jussit, & non longius tribus passuum millibus à Picinini castris ad vicum, quod Cadignanum vocant, consedit. In eo prœlio ex Venetorum exercitu capti sunt equites circiter viginti, & ii omnes ex prætorianis Francisci, qui eo die omnem fere prœlii summam sustinuerunt. Vulnerati autem quamplures, in his Troilus & Flascus Girasius: sed graviore affectus vulnere Flascus alterius oculi lumen amisit, & blese deinceps locutus est. Ex hostibus capti fere totidem. Vulnerati multo plures, in quibus Zarpellio numerabatur. Desiderati perpauci. Ceterum equorum strages utrimque ingens fuit. Non multo post repertus est per exploratores liber in Picinini castra aditus paulo inferius ab eo loco, ubi pugnatum est, idque Troili errore accidisse cognitum. Quod ubi Franciscus rescivit, multo quidem quam antea molestius tulit, cum exploratam ex hoste victoriam unius culpa amisisse diceret. Et ob id rursus ad oppugnanda hostilia castra postero die redire decernit.

At Picininus id ipsum veritus per ejus, quæ insecuta est, noctis silentium, Pontevico exercitum omnem in Cremonenses traducit. Fluminisque ripam passim custodibus tueri imperat, & Venetos transitu prohibere parat. Franciscus his cognitis, biduo post inde movet, & ad lævam iter faciens, non procul à flumine Olio castra firmat. Municipes interim Brixiensis agri hostium metu liberati, in fidem redeunt. Franciscus, cum nihil adversariis in Brixiensi reliqui esset, de transeundo flumine inire consilia cœpit. Quod etsi multis locis sæpe tentasset, tamen prohibentibus hostibus, minime consequi potuit, ob eamque rem fallere hostem opus esse, idque longius ab utrisque castris sibi conandum ratus hac usus est arte. Vicus est ad Olii ripam cum turri à superiore fluminis parte situs, quod Pontolium appellatur. Inde sublicius ad Cremonenses pons pertinet, qui non longe à Bergomensium finibus abest, hostium tunc præsidio firmatus. Hunc Franciscus re prius explorata repentina ac improvisa profectione occupare constituit. Itaque stratorum præfectis imperat, ut ad lævam juxta inferiorem amnis partem iter exer-

exer-

exercitui sternendum curent. Pronuntiari deinde tubicinum præconio jubet, postridie ejus diei mane se castra moturum secundo amne profecturum simulans, quo id fama ad hostem perferretur. Nocte de secunda vigilia motis magno silentio castris ad dexteram quatuor passuum millibus amplius à flumine Olio ire contendit. Ex itinere Christophorum Tolentinatem, & Tibertum Brandolinum cum expedito equitatu præmittit, qui ingenti celeritate, ut erant edocti, ubi ad locum appulerunt, præsidium inopinans incautumque opprimunt, ponteque & turri sine ullo negotio potiuntur. Franciscus interim non prius ab itinere restitit, quam eodem supra triginta passuum millia emensus occidente jam sole toto exercitu pervenit. At Picininus qui hostem secundo amne iturum existimabat, posteaquam per speculatores multo jam die de illius discessu occidentem versus intellexit, continuo & ipse adverso flumine relictis impedimentis pergere maturat. Sed ubi Pontolium ab hoste occupatum cognovit, magno dolore affectus constitit, animadvertitque se unius Francisci Sfortiæ calliditate ea in re superatum. Potitus per hunc modum eo ponte Franciscus bidui quiete militibus data, exercitum traducit. Picininus contra inter Romanum municipium & flumen Serium castra ponit, qui inde non minus transadduanam oram, quam eam Bergomensis agri partem, quæ in sua erat potestate, ab hostium maleficio atque injuria tutam redderet, & oppida præcipue, quæ in frontibus obtinebat, valido militum præsidio firmat. Ceterum Franciscus exploratis circumquaque locis omnibus, ut Bergomensibus opem ferret, qui omni fere commeatu interclusi rei frumentariæ inopia plurimum laborabant, & ne quid post terga hostile relinqueret, optimum judicat, si ad oppugnandum Martinengum oppidum copiæ ducerentur. Itaque biduo post è conspectu Philippi exercitus, qui trans flumen in armis erat, iter faciens, Martinengum circumsedit, quo pridie ejus diei Picininus Jacobum Gaivanensem virum fortem & rei militaris non imperitum, ac Petrum Fregosum ingenti animo & virtute juvenem tum apud Philippum rei militari operam navantem cum equitibus supra mille ducentos præsidio miserat. Castris ad oppidum in coronam positis, Franciscus priusquam oppugnationem inciperet, fossis aggeribusque munire sua castra statuit, qua maxime ad hostilia castra patebant, cum utraque non amplius duobus passuum millibus inter sese distarent. Itaque coacto magno fossorum numero dat operam, ut nullo intermisso tempore quod de muniendis castris instituerat, celeriter perficeretur. Sed tanta fuit operis magnitudo propter ejus lateris castrorum longitudinem, ut triginta ferme dies in eo opere faciendo consumti sint, quo perfecto oppidum magna bombardarum mole oppugnari cœptum est, castellisque è regione excitatis muri tormentorum vi funditus excisi. At obsessi materiâ jam intus paratâ tantum noctu aggeribus sufficiebant, quantum interdiu ruina patebat. Picininus ubi multis undique accitis copiis exercitum adauxit, laborantibus suis opem ferre summo studio contendebat. Et jam munitionibus aliis atque aliis è regione hostilium munitionum eductis sensim minus passibus mille Venetorum castris appropinquarat, atque eo quod intercedebat, spatio crebra interdiu prælia committebantur, & adeo crebra, ut neque diurno neque nocturno tempore ulla Sfortiano militi, qui in frontibus stationes haberet, quies daretur. Philippiani quibus una tantummodo erat cura lacessendi hostis, & ferendi obsessis auxilii, dies noctesque Veneta castra infestare, pabulatores commeatuumque vectores, & præsidia simul magnis sæpe viribus adoriri. In eorum castris propter locorum naturam nullus timor nullus fere labor. Omnibus omnia tuta erant. Omnia pro voluntate Picinino imperatori subministrabantur. Recentioribus & non parvo quidem numero, ut ostendimus, copiis Philippi exercitus creverat. Commeatus ex Insubribus, ex Cisadduanis, Cremonensibusque abunde sine ullo militari præsidio in castra tuto comportari. Pabulationes per feracissimos regionis agros late & non longe post terga patere, & sine ullo metu fieri. Contra omnia Francisco & duriora erant & difficiliora. Plura enim uno tempore providenda, agendaque occurrebant: oppidi oppugnatio, & in hostis præsertim conspectu, qui esset equitatu superior & peditatu non inferior; exercitus conservatio; quotidiana pæne parandorum præsidiorum cura: quod & adversùs assiduas prope obsessorum eruptiones & repentinos hostium in munitiones impetus quamplures armatas ex instituta lege cohortes habere necesse esset. Præterea ne itinera, quibus in castra commeatus importabantur, impedirentur, neve pabulatores turbarentur, præsidia haud parvi equitatus quotidie procul castris emittere oporteret. Quibus de causis fiebat, ut exercitus quotidianis prœliis fatigatus magis atque magis in dies conficeretur. Neque ullæ supplemento supererant copiæ: potiundi oppidi nulla spes, cum nullo pacto Franciscus tam propinquis hostibus committendum censeret, ut per vim obtinendi ejus fortuna tentaretur, (50) per obsidionem nequicquam proficere posse sperabat, cum nihil quod ad perferendam obsidionem pertineret, obsessis deesse intelligeret. Nam oppidani paulo ante quicquid jam maturi in agris frumenti fuerat, in oppidum convexerant, pecusque item omne, cujus non parvus illis erat numerus, & pabulum eodem contulerant. Præterea Jacobus, quod prope diem obsidione cingi exspectaret, inutilem multitudinem & quorum suspectam fidem habebat, oppido ejecerat. Accedebat ad has difficultates gravior pabuli inopia; id quod erat ad alendum exercitum maxime necessarium. Fecerat enim & magnitudo exercitus & diuturna eo in loco mora, ut pabula, quæ propinqua castris erant, ita essent consumta, ut nihil amplius ad alendos equos & jumenta exercitus reperiretur, nisi longius ultra decimum lapidem pabularetur, adeo ut qui mane castris ea de causa egrederentur, pæne vespera reverterentur, & quo longius ibatur, eo majore præsidio erat

(50) MS. Veritus, ne si irrumperetur in oppidum, milites prædæ intenti, minus essent ejus imperiis audientes; & per obsidionem &c.

erat pabulatoribus opus. His incommodis exercitus durius laborare & queri admodum cœpit, & ob id Franciscus gravibus anxius curis sæpe de solvenda obsidione agitarat. Sed illud huic rei in primis repugnabat, quod non sinè magno exercitus periculo tam proximis hostibus inde discedere posse intelligebat. Quod cum didicissent hostes audentius Veneta castra interdum adoriri, interdum pabulatores turbare, præsidia interdum lacessere & premere undique nullo intermisso tempore conabantur, & ob id sæpe interdiu, sæpius noctu ad arma in Sfortianis castris conclamari; tumultus & plerumque inanes oriri, concursationesque fieri, & denique incertis rumoribus sæpe totis castris tumultuari. Quare Franciscus majore in dies labore majoreque cura angebatur. Nulla enim erat illi neque corpori neque animo quies. Hinc creber insolentis hostis impetus eum vexabat; hinc pudor irriti de potiundo oppido conatus, & imminens exercitus periculum premebat. Quod nec ibi diutius manere nec sinè ingenti omnium discrimine propter hostium propinquitatem, ut demonstratum est, mutare castra poterat. Sed duæ maxime res in his difficultatibus eum juvabant, scientia rei militaris, & usus ducum atque militum; quod omnes nisi institutæ à Francisco de tuendis castris leges inviolatæ servarentur, certum exitium prævidebant, & si quid præter leges agendum eveniebat, omnes tot quotidianis præliis exercitati erant, ut quid fieri oporteret, non minus ipsi sibimet imperare quam ab alio edoceri poterant.

His tot conflictatus curis Franciscus statuit tamdem solvendam obsidionem, ac exercitus saluti consulendum. Itaque convocatis in concilium ducibus, Venetisque legatis & commemoratis difficultatibus ac periculis, quid eo rerum statu sibi pro communi omnium incolumitate agendum esset, quid unusquisque sentiret, exquirit. Placuit omnibus, inde omnino discedendum, exercitumque Bergomum versus, qua ampla occurrebat planicies, ducendum. Quod Francisco placuisset, decernitur, ut biduo aut ad summum triduo post relicta obsidione castra mutarentur. Franciscus ut re incolumi quod de mutandis castris decretum erat, efficere posset, ita providendum duxit, ut quo die inde discedendum esset, prima luce universus exercitus in armis atque constitutis locis in acie consisteret. Dein collectis silentio sarcinis impedimenta quæque & omnis prœlio inutilis turba mox præcederet, iisque præsidium adhiberetur ejusmodi, quod si quid hostes magnis etiam viribus in impedimenta ipsa conarentur, arcere vim posset; & ubi longius ab oppidi & munitionum cœterarum angustiis processissent, tum demum ordines singillatim ac molli gradu justisque intervallis ad lævam subsequerentur. Peditatus autem omnis in postremis collocaretur, & si hostibus quemadmodum sæpe jactaverant, sive à tergo sive à latere aperto procedentibus turmis, Venetam invadere aciem staret animus, levi prœlio tamdiu contenderetur, quoad in apertos campos toto exercitu perventum esset, ubi expeditius totis copiis confligi posset; & ita Imperator rebus præsentibus exercitusque saluti satis fore consultum putabat. Sed attulit in re tam ancipiti salutem ex insperato fortuna. Philippus enim insolitis quibusdam Nicolai Picinini in primis & aliorum suorum ducum postulatis permotus ad iramque concitatus clam nuntium in Veneta castra ad Franciscum mittit Antonium Guidobonum Dertonensem sibi fidelissimum, & Francisco non ingratum. Qui ubi ad eum per noctis silentia in tentorium perductus est, ita exponit: *Philippus, à quo missus sum, satis scit, te qui & acri ingenio & prudentia calles, non obscure animadvertere, quanto in periculo & tuæ & Venetorum, Florentinorumque res pendeant: cum neque diutius propter rei frumentariæ, pabulique inopiam possis Martinengum circumsedere, neque propter sui exercitus propinquitatem sine manifesta pernicie hinc abire, & ob id se de certa ac propinqua victoria minime dubitare. Sed nihil eum indignius ducere, quam qui dominus sit, indignis suorum postulatis perinde atque captivum assentiri. Eo enim res suas adductas esse, ut in medio belli fervore à Nicolao Picinino, quem ad tantam dignitatem extulit, Placentia efflagitetur, à Ludovico Sanctoseverinate Novaria, à Ludovico Vermio Dertona, à Taliano Forojuliano Boscum & Frecarolum in Alexandrino agro, à ductoribus ceteris alia atque alia minus æqua. Quare non videt, quid durius sibi hostes ipsi imperare possint, si victoria potirentur, quam quod sui secundis in rebus non soluti stipendii causa, ut ipsi ajunt, à se extorquere nituntur. Itaque eam in sententiam venit, ut & honori tuo atque commodo, & Venetorum, ac Florentinorum saluti quamoptime consulatur instituit (modò ipse velis sicuti certe velle debes) ex hoc tempore finem jam tamdem bello imponere, teque de pacis conditionibus arbitrum facere, & quodcumque agri in Bergomensibus Nicolaus hoc bello cepit, tuæ dedere potestati, & à Martinengo quod obsides, initium facturum. Præterea Blancam filiam sponsam tuam tibi tradit, & dotis nomine Cremonam & universum Cremonensem agrum cis Padum, duobus dumtaxat exceptis oppidis, Pisleone, qua in Laudenses transitus est, cujus tamen loco Pontremulum in Lunensibus dabit, rem certe non ingratam Florentinis futuram, & Castelloleone quod à Taliano possidetur. Et id etiam ipsum celebrata pace daturus est. Quæ quidem omnia si facere decreveris, mittet ad te clam legatum virum tibi, ut nosti, amicissimum Eusebium Caymum, qui pro eo legitime tecum transiget. In te igitur, prudentissime fortissimeque dux, est omnis & belli & pacis conditio, quam si admiseris, fideique publicæ literas dederis, ut tuto ad te Eusebius accedere valeat, hic quamprimum cum mandatis eum videbis.* Hæc cùm intellexisset Franciscus, quæ non minus essent è re Veneta, ac Florentina, quàm sua, haud rejicienda duxit, tam necessario præsertim tempore, quo omnium salus in extremo prope discrimine versaretur. Moxque læta fronte sibi placere respondit, quæ Philippus pater offerret. His igitur rebus constitutis, cùm redisset ad Philippum Antonius, mittitur confestim clam ad Franciscum Eusebius cum iisdem mandatis, quibus cùm antea ad eum Antonius ierat. Qui cùm propositas jam conditiones coram affirmasset, & publica insuper attulisset documenta, quibus Franciscum ipsum de pacis conditionibus Philippus arbitrum delegerat, sperans Venetos, bellique socios, qui tunc dete-

deterioris essent conditionis, idem facturos, Franciscus ea omnia Venetorum legatis, qui in castris erant, nec de his rebus quicquam antea audierant, diligenter enuntiavit; causasque cur id fecisset, edocuit. Quarum illa præcipua fuit, ut consuleret communi omnium saluti, cùm neque manere ibi diutius possent, ut ipsi noverant, neque inde sine manifesto exercitus periculo abire; ob eamque rem non exspectandum putavit, quid Veneto Senatui placeret, veritus, ne interim mutaretur Philippi animus, & secunda, quæ offerebatur fortuna, redderetur adversa. Quæ quidem legati audientes non modò probaverunt, verùm etiam singularem Francisci prudentiam divinis quibusdam laudibus extulerunt. Miserat Philippus eodem ferè tempore ad Nicolaum Picininum Urbanum Jacoppum Papiensem legatum suum, qui ei renuntiaret omnia, quæ fuerant cum Francisco firmata, jusseratque, ut cùm primum in hostium castris bellum per inducias solveretur, idem ipse in suis castris faciendum curaret. Quibus intellectis, Picininus plurimum indoluit, questusque est de Philippo mediocriter, quod neque sui ipsius neque exercitus ullam haberet honoris existimationisque rationem; quippe qui certam victoriam perinde atque superatus è manibus labi pateretur. Et ob id cùm nullo pacto adduci posse videretur, ut dicto audiens esset, tum Urbanus addidit; ni quamprimum pareret Philippi jussis, se mox reliquum exercitum adversùs eum conversurum, additurumque, si opus esset, Venetam etiam aciem. Quæ verba ita Picinini terruere animum, ut perhumaniter responderit, quod domino suo placuisset, sibi placeat necesse fore.

Itaque sublatis per hunc modum omnibus bellorum flammis eo consilio, ut composita deinde pace quies tamdem populis tot bellis diu multumque fatigatis daretur, mox in eo spatio, quod inter utraque castra jacebat, frequentes militum congressus ex utroque exercitu & ducum ipsorum congratulationes mutuique complexus fieri cœpti sunt. Post biduum verò & Franciscus cum universis copiis inde movens haud procul Bergomo castra posuit, & Picininus in oram transadduanam retrocessit, continuoque & Martinengum & cetera municipia atque oppida non tam Bergomensis quam Cremonensis agri per Philippi legatos Francisco, ut erat ante constitum, tradita sunt. His rebus peractis Franciscus in Cremonenses ducit, castrisque non longe à Soncino positis, Venetias cum paucis proficiscitur. Causa proficiscendi fuit, quod se apud Venetum Senatum perfidiæ insimulari audierat, & ob id profectionem eam Philippus literis nuntiisque improbare non destitit; quod verebatur, ne id genero accideret, quod Carmagnolæ accidisse memoria teneret. Sed Franciscus recte factorum conscientia fretus, in sententia perstitit, coramque Senatui de iis, quæ apud Martinengum gesta erant, satisfecit, cum aperte ostenderet, & exercitum servatum suo consilio, & rem Venetam ac sociorum, quæ maximo in discrimine versabatur, non modò servatam, sed etiam auctam esse, & tamen utrum pacem Veneti an bellum velint, in manu eorum esse. Purgatio hæc apud Venetos miro omnium assensu accepta

A fuit, gratiæque actæ, & arbiter insuper componendæ rei non minus à Venetis ipsis ac Florentinis quam à Philippo constitutus. Post hæc ad exercitum cum legatis de pace rediens, Caprianæ aliquot dies immoratus est: ibique de pacis conditionibus agi cœptum. Sed quoniam multæ ac variæ hinc atque inde inter legatos controversiæ discutiendis rebus oriebantur, visum est arbitro his disceptationibus supersedendum, donec Cremonam in potestatem accepisset, ubi commodius faciliusque rem tanti momenti conficere posset. Itaque legatis Caprianæ relictis, inde in Cremonenses se transtulit; ubi B propter autumni tempus copiæ per municipia ac vicos jam distributæ erant. Inter hæc Philippus, qui non minore studio conficiendis rebus quam Franciscus ipse animum intenderat, Blancam filiam, ut erat ante constitutum, magno nobilium ac purpuratorum comitatu Cremonam miserat, eo consilio ut & ipsa Francisco in matrimonium, & Urbs in dotis jus uno atque eodem tempore nulla adjecta cunctatione traderentur. Non multo post dictus est celebrandis nuptiis dies, qui fuit ad Nonum Kalendas Novembres. Is ubi dies venit, Blanca magno procerum ac nobilium ex Philippi curia Cremonensiumque civium numero comitante Urbem egreditur, C & ad Divi Sigismundi Ædem paulùlum à mœnibus distantem processit. Eodem Franciscus è Castelleto municipio paulo ante meridiem venit, magnum & ipse agens comitatum. Et quod spectaculum pulcherrimum fuit, decem equitum turmas ex omni exercitu delectas equis, armis, argento, & auro affatim ornatas, in quibus aderant duces ceteri ductoresque exercitus omnes. Præmiserat Franciscus Cremonam Petrum Brunorium cum peditatu qui arces portasque Urbis præsidio firmaret. Quod cum diligentissime fecisset, idque ex sententia factum Franciscus cognovisset, Blancam bis antea desponsatam tertium in eo Templo desponsavit, cæremoniisque dein ceteris connubii D ejus rite solutis, una cum sponsa Cremonam & sponsus & princeps ingressus, summo honore summaque omnium lætitia excipitur, consalutaturque, & majorem demum in Arcem, quam sanctæ Crucis vocant profectus, ubi omnia quamsplendidissime parata erant, desedit. Ita Franciscus & divino consilio & sua virtute uxorem illustrem sextumdecimum agentem annum, forma insuper & moribus præstantissimam, & Urbem præclaram atque opulentam uno eodemque tempore consecutus, etiam potiundi aliquando principatus in spem minime vanam venisse videbatur. Hinc postremo ad ingentem ejus viri glo- E riam summa videbatur affluxisse felicitas, cum nihil aut jucundius aut gratius eo tempore illius animus vel excogitare, vel desiderare posset. Sub eosdem quoque dies Pontremulum eidem traditum est. Omnia demum Philippus quemadmodum se facturum receperat, sancte persolvit, nihilque ad rem perficiendam prætermisit. Quod fuit profectò præter multorum opinionem, cum nihil eum seu parum de iis, quæ pollicitus esset, præstiturum existimarent. Quas ob res lætissimi dies quamplures celebrati sunt. Tabernæ ubique per Urbem occlusæ. Justitium indictum. Magnifica ac lauta convivia pe-

racta. Ubique joci, ubique plausus erant. Sonos, cantusque omnia resonabant. Innumeri & admirabiles agebantur ludi. Jucunda quoque Militum fortissimorum certamina quotidie in omnium conspectu edebantur. Erat præterea Civitatis totius facies lætitiæ plena, adeo ut ipsi quoque parietes gestire & lætitiam præseferre viderentur, cum omnes ex tam turbulentissimo rerum statu ac ex summa prope calamitate se ereptos, & ad summam quietem ac felicitatem ope divina potius quàm humana perductos esse prædicarent. (51) Erat hujus tantæ lætitiæ Orolandus Palavicinus maximi vir animi non modò particeps sed & minister, nascentis olim Francisci gloriæ fautor, ac apud Philippum gravissimus semper assertor, tunc præ cæteris veluti omnium consiliorum moderator, ob eamque causam Picinino primum suspectus, mox infestissimus redditus est. Metuebat enim Nicolaus, ne præ gravi generi apud socerum auctoritate, favente Orolando brevì ipse evilesceret. Sed cum Franciscum ipsum in tanto rerum successu criminari ac aperte adoriri non auderet, Orolandum ipsum insimulari, ac variis calumniis deferre non destitit, quoad non tam consentiente quam denegare ei Philippo quicquam non audente cum parte copiarum Padum transgressus, securo ac recte factorum conscientia nihil hostile metuenti bellum intulit, vel potius incautum oppressit, omnibus paternis ac avitis oppidis spolia-

A tum. Quæ quidem non præscripto neque sententia Philippi gesta fuisse satis hoc argumento apparet, quod Picinino mox mortuo omnia ei sine fraude summa fide restituit. At Franciscus ad pacis studia conversus legatos advocat Franciscum Barbadicum, & Paulum Thronum Venetos, Franchinum Castilioneum, Nicolaum Arcimboldum Jureconsultos, Urbanum Jacoppum, & Simoninum Ghilinum Mediolanenses, Angelum Acciajolum, & Nerium Capponem Florentinos, & Baptistam Cicadam Genuensem, eumdemque Jureconsultum, viros sane primarios, & rerum non ignaros. Postulatisque omnium cognitis ac diligentius pensatis, Franciscus tamdem arbiter propositis

B jam conditionibus ipsis annuentibus legatis, sententiam dixit. Ut certis deinceps legibus in pace viveretur, captivi utrimque dimitterentur; quod suæ ditionis esset, Veneti retinerent. Idem Philippus, Florentini, Genuensesque facerent. Fines etiam præscripsit. Paruere ejus dicto Potentatus omnes, qui hactenus de imperio diu inter sese decertarant. Solus Mantuanus Princeps graviter questus est, quod Asulam, quod Longtum, quod Pischeriam oppida quidem non ignobilia, quæ eo bello amiserat: Venetis adjudicasset, quodque Leniacum, quod in Veronensibus oppidum adhuc obtinebat,

C Venetis ipsis restituendum censuisset, quem tamen Philippus admonuit esse omnino arbitri judicio parendum.

(51) MS. Hæc Cremonæ agebantur. Trans Padum verò in Placentino ac Parmensi omnia tumultuarie miscebantur. Picininus enim cum in hiberna exercitum dimisisset, bellum adversùs Orolandum Palavicinum, quod cum hostibus sensisset insimulatum, ex improviso movit; eumque universis municipiis atque oppidis, quæ in transpadanis plura opere quidem permunita possidebat, paucis diebus nullo fere negotio spoliavit. Quibus peractis rebus, Franciscus ad pacis studia &c.

Explicit Liber Quintus.

IN-

INCIPIT LIBER SEXTUS.

Cum hæc superiore triennio in Cisalpina Gallia, Etruriaque geruntur, Alphonsus per eam occasionem tantos sibi spiritus per universum prope Neapolitanum Regnum sumserat, ut parum abesset à certissima Regni totius possessione. Nam & in Calabris recepta per proditionem Cusentina Arce Civitas quoque dedita est, & Cusentini omnes cum reliqua provincia parebant. In Apulis Johanne Antonio Principe Tarentino adjutore cuncta fere perdomuerat. Urbs tantummodo Manfredonia & alia quædam oppida, quæ Francisci Sfortiæ præsidio tenebantur, superfuerant, quæ illius imperio adversarentur. In Pelignis & reliqua Brutiorum provincia, soli dumtaxat Aquilani Renato deditissimi in fide perstiterunt, & id etiam agri, quod in ea provincia Picentibus finitimum Franciscus obtinebat. Quod mortuo Jacobo Caudola Antonius filius ei & in militia & in principatu successor, qui post varios rerum motus variasque defectiones cum ad Alphonsum tamdem descivisset, multa secum traxerat. In Campania verò nihil fere Renato supererat præter ipsam Urbem Neapolim; & ea undique circumsessa gravius jam fame laborare cœperat. Renatus & rei frumentariæ & pecuniæ inopia pressus, vires sensim amiserat. Nulli erant exercitus, nullæ copiæ præter eas, quæ Neapoli præsidio erant, qua tamdem Urbe inclusus se continebat. Neque ulla aliunde auxilia domestica peregrinaque exspectabat. Hosti pro voluntate vagari per regiones impune licebat. Miserat sæpe Renatus ad Franciscum legatos imploratum auxilium, velut ad eum in quo spem omnem reliquam posuisset. Sed ille Gallico bello impeditus, neque alienis neque suis rebus adversùs potentissimum Regem satis auxiliari poterat; cum Alphonsus violatis per summam injuriam induciarum fœderibus majorem oppidorum partem, quæ in Apulis & in Samnitibus obtinebat, partim dolo, partim armis occupasset. Nam cum per inducias in pace cum eo Rege Franciscus viveret, neque eum aliquis adversùm sese moliturum suspicaretur, nulla eo præsidia miserat. Urbium atque oppidorum omnium, quæ in eo Regno jure paterno possidebat, fores omnibus patebant. Commeatu & Taraconenses & Andegavini nullo discrimine à suis juvabantur. Sed Alphonsus, qui nihil sibi ad consequendam de Regno victoriam nisi unum Franciscum Sfortiam obstare posse animadverteret, de occupanda illius ditione consilia inivit, & ad Beneventum præcipue animum vertit. Itaque missa ad Montem-Fusculum, hibernandi causa, militum manu, Garcia Cabanello Hispano præfecto, tentataque statim proditione Petri cujusdam cognomento Squaquari consilio atque opera, Alphonsus per hunc modum Beneventana Arce potitus est. Erat ejus Arcis præfectus Petri, quem diximus, vitricus, isque quod hunc sibi fidelem matris gratia existimabat, omnem Arcis

A curam ei commiserat. Cum hoc Hispanus clam de Arce Regi tradenda multis magnisque propositis præmiis agit. Re homini avaro atque perdito facile persuasa, dieque prodendæ Arcis constituto, opportune ad locum affuere, qui à regio præfecto mittebantur, & per noctis silentium à Petro intra Arcem admissi, oppressis mox vitrico & custodibus ceteris, & Foschino Attendulo, Arcem occupavere. Eoque statim Garcias cum præsidio profectus sub Arcem constitit, se in urbem confestim irrupturum Beneventanis pronuncians, nisi deditionem facerent. Quo casu territi Cives, deditione facta præsidium
B introduxere. Quo nuntio accepto Alphonsus benegerendæ rei spe haud mediocriter aucta cum reliquis copiis eo contendit, finitimisque Castellis atque Oppidis compluribus partim vi captis, partim voluntaria deditione in potestatem acceptis, reliquam hyemem in iis locis consumsit. Ea namque Urbs, Samnitum quondam caput, peropportuna visa est, quam belli sedem sibi deligeret, quod triginta modò passuum millia à Neapoli distans agro Campano imminet, & in colle sita circumquaque despectum habet. Quare Neapolitanos omni commeatu, qui ex Apulia & Samnio ad eos importabatur,
C interclusit. Deinde aperto bello Francisci fines ingressus terrore finitimis late injecto, Apicium & Ursariam, quæ oppida in Samnio & Apulia sunt, ad deditionem compulit: Vicarum expugnavit, ac in prædam vertit. Præterea Raymundum Caudolam Antonii patruum, quem non multo ante Alphonsus sibi asciverat, Iosiam Aquavivanum, & Ricium ex Monteclaro, cum valida militum manu adversùs ea loca, quæ Franciscus in Brutiis tenebat, jussit proficisci. Qui nullo intermisso tempore cum regionem invasissent, cuncta terrore ac tumultu involverunt. At Franciscus his cogni-
D tis etsi Gallicis rebus occupatus, vix tantis ingruentibus uno tempore bellis vires suppeditare poterat; tamen ita laborantibus suis subvenit. Pecuniâ à Venetis jure fœderis ea de causa acceptâ, Cæsarem Martinengum, quem Tridentino prœlio captum ac libertati postea restitutum propter ejus virtutem egregiamque in se fidem, stipendio conduxerat in Apuliam cum exercitu mittit. Is terrestribus præclusis itineribus è Venetiis Manfredoniam navi delatus exposito in terram milite reliquas sibi copias adjungit: quas in ea provincia Franciscus per Victorem Rangonem rerum summæ præfectum scribi antea
E jusserat. Inde Trojam se confert tuendæ provinciæ causa. Et quibus potest artibus unà cum Victore universos Apuliæ Populos non minus qui Renati quàm qui Francisci adhuc parebant imperio, in officio continere studet. Contra verò Raymundum ac socios Alexandrum fratrem, quem Picentibus præposuerat, cum viribus opposuit. Itaque duobus locis uno eodemque tempore armis decertabatur, sed vario tamen rerum eventu. (52) Alexander enim in hostes progressus, eos-

(52) Ms. quum alterum in Brutiis victorem, alterum in Apulis victum fuisse constet. Alexander &c.

eosque sub Urbem Theate incautos adortus, levi prœlio fudit, ac fugavit, capto Raymundo atque aliis compluribus equitibus. Josias, ac Ricius inter tumultum elapsi fuga sibi salutem quæsiere. Cæsar verò & Rango cum Alphonso Trojæ appropinquanti obviam ivissent, commisso non longe à mœnibus oppidi prœlio, hostium multitudine superati, fusi, profligatique sunt, multis ex Sfortiano equitatu captis. At Franciscus tam insigni ab Alphonso injuria affectus pacatis Longobardiæ rebus omnia in eum Regem belli gerendi consilia vertit; quod videbatur jam venisse tempus, quo & acceptas ulcisceretur injurias: & Neapolitanum tamdem Regnum ea barbara natione liberaret. Quas ob res cùm per eos dies Cremonam ad eum venisset Nicolaus Maceus Guarna cum mandatis de ineundo fœdere à Renato Rege legatus, cum eo pepigit, ut ineunte vere in Regnum omnibus copiis ad ferendum illi auxilium proficisceretur, qui, ut prædiximus, Neapoli se continebat, & Neapolitani inopia rei frumentariæ durius habebantur. Itaque circa Idus Januarias, qui fuit Annus ab Ortu Christiano Secundus & Quadragesimus ad Quadringentesimum supra Millesimum, cum uxore è Cremona movet: & in Brixiensem Veronensemque agrum traductis copiis, Sanguinetum haud procul Verona municipium sibi delegit, ubi reliquam hyemem consumeret. Dein dimissa ibi conjuge Venetias ad res consultandas pecuniasque comparandas proficiscitur, & non multis post diebus eo reversus dat nullo intermisso tempore ornando militi operam, ordinesque paulatim transmisso per Ferrarienses Pado in Picentes maturare imperat.

Ceterum cùm per Bononienses Nicolaus Pisanus suo equitatu iter faceret, Bononiamque cum paucis ipse flecteret, ab Eustorgio Faventino circumventus interficitur. Quod quidem facinus ulciscendæ injuriæ causa admisisse Eustorgius fertur, quandoquidem Nicolaus eum, qui Anglarensi pugna captus in illius venisset potestatem, Florentinis per avaritiam tradidisset. Ejus certe viri casum multis de causis Franciscus molestissimè tulit. Sed visum est ultionis tempus in præsentia intermittendum. Ceterum euntibus per hunc modum in Picenum copiis, Antonium Caudolam, qui post Raymundi captivitatem Alphonso suspectus esse cœperat, ob eamque rem deferri ad eum Regem totius Regni summam ægre ferebat, Franciscus sibi ascivit, cujus per fines & in Apuliam & in Campaniam iter ei patentissimum intelligebat. Præterea & Sigismundum Malatestam, cui Polysenam filiam superiore Anno in matrimonium dederat, & Zarpellionem post factam pacem reconciliatum, quo exercitum & milite augeret, & ducibus rei militaris usu præstantibus muniret, stipendio conducit. Johanni Sfortiæ insuper fratri imperat, ut ea parte copiarum sumta, quæ priores in Picenum pervenissent, in Brutios procederet, Antoniumque sibi adderet, spemque Renato Regi Neapolitanis Apulisque Populis futuri auxilii afferret, quos & ipse literis nuntiisque ut bono essent animo, hortari non cessabat, propediem cum exercitu affuturus. His constitutis rebus, ac vere jam exacto ipse novissimus omnium cum uxore & domestica familia ex Veronensi discedit, & rursus Venetias profectus majore quàm umquam antea honore à Venetis excipitur, pretiosisque Blanca muneribus donatur. Inde continuato itinere Ariminum primò, Fabrianum postea ineunte æstate propter oppidi amœnitatem petiit. Causa verò per ea loca morandi fuit, quod audierat Nicolaum Picininum paulò post ejus è Longobardia discessum, impetratâ abeundi, ut dicebatur, à Philippo veniâ, multis copiis in Bononienses descendisse, nec satis intelligi poterat, in Picenum an in Etruriam iturus esset. Varii enim de illius in Flaminiam adventu rumores afferebantur, cum alii ad occupandum Perusiæ principatum, alii ad ferendam Alphonso Regi opem profecturum dicerent. Sed cùm ab eo Franciscus vellet fieri certior, si in pace sibi cum eo vivendum esset; an rursus in bella redeundum, incertior fuit quàm prius; cùm ille simulata oratione respondisset, se Perusiam versùs profecturum, neque ullis gentibus bellum illaturum. Et ob id Franciscus exspectandum sibi censuit, quo se Picininus verteret, quidve conaturus esset, priusquam provinciâ excederet. Zarpellionem in Etruriam tamen misit, qui Tuscanensibus, Tudertinisque præsidio esset. Ceterum tanta posthac rerum mutatio facta est, ut non mediocrem & iis qui viderunt, & qui audiverunt, admirationem attulerit. Nam non tam bello Gallico quod pro Venetis adversùs Philippum Franciscus triennio gessit, fortuna sibi secunda fuit quàm adversa, eo quod & in Brutiis & in Piceno per quinquennium fere gestum est, quod certe divino potius quàm humano consilio factum videtur, ut & Romana Ecclesia quod suæ ditionis esset consequeretur, & Alphonsus Neapolitano Regno, & Franciscus item Mediolanensi tamdem imperio potirentur. Causa verò unde tam subitum tamque insperatum in Piceno ortum sit bellum, hæc fuit: quod Alphonsus ubi res Gallicas pacatas esse intellexit, timere admodum cœpit, ne id bellum Francisco Sfortia duce in sese transferretur, & ob eam rem ad Philippum rursus rogatum misit, ut rebus suis, quas ad optatam totius prope Regni victoriam summis laboribus summisque periculis tot annis perduxisset, consilio atque ope adesset. Quod erat ei haud difficile factu, cum illud in præsentia solùm ab eo peteret, ut Franciscum Sfortiam ita distineri, & tantum illi alicunde negotii dari curaret, ut omnino rei alienæ perturbandæ facultas adimeretur. Idcirco Philippus etsi ad tuendas amicissimi Regis partes pro se satis propensior erat, tamen cum illius rogatu, quem unice diligeret, & Renatum contra graviatque implacabili odio insequeretur, tum etiam quod Franciscum multis conditionibus propositis à Venetorum Florentinorumque amicitia avertere nequierat, magis atque magis permotus ita egit, ut nihil quod esset è re regia, prætermiserit. Eugenium enim Pontificem tunc quiescentem sed Francisco infensum ad capessendum bellum per legatos non modo adhortatus est, sed incitavit, cum diceret, nunc esse tempus, ut in veterem ejus, Ecclesiæque Romanæ hostem vires intenderet, injurias ulcisceretur, amissa recuperaret, & ad eas res conficiendas Nicolaum

Pici-

Picininum ei se permissurum, quem nisi receptis Ecclesiæ rebus numquam esset indè revocaturus. Ad hæc Alphonsus liberiore etiam animo, quippe qui pacato Regno numquam se pacem facturum pollicitus esset, nisi prius quicquid Franciscus Sfortia de Romanæ Ecclesiæ juribus occupasset, suis copiis suoque etiam sumtu ab illius manibus eriperetur. His igitur rebus Eugenio non annuente modò sed adhortante constitutis, Nicolaus instructis copiis, ut prædiximus, in Bononienses proficiscitur. Ibi majorè militum numero exercitu aucto in Etruriam transgressus cum per Perusinorum fines in Umbriam pervenisset, primo impetu castris non longe à Tuderto positis eam Urbem conflata jam per factionem proditione, quæ antea ejus dedendæ Francisco causa fuerat, nullo negotio recepit. Advolaverat eo, Picinini adventu cognito cum copiis Zarpellio, sed cum ad alteram ipse Urbis portam appulisset, altera Cives uno fere tempore hostem admisere; & ita irrito conatu & non sinè ingenti suo suorumque discrimine Tuscaniam, unde discesserat, redire coactus est. At Picininus cœptis insistens, Assisinos impetit, tentatisque de dedenda Urbe nequicquam Civium animis exercitum majoribus copiis augere contendit. Quo tempore præter alios ductores fama egregios, quos aut Veneti aut Florentini composita pace militia abdicatos suis finibus excedere jusserant, aut Romana Ecclesia alebat, Petrum Johannem Paulum & Christophorum Tolentinatem conduxit. Factumque est, ut paucis diebus magnum coëgerit exercitum, quod priusquam hostes invaderet, majore quo potuerat militum numero suum exercitum munire statuerat; ejusque rei facultas ex sententia sibi oblata est. Confluxerat enim per eos dies ad eum magna virorum non tam pedestris quam equestris ordinis multitudo, quos vel novi opulentique belli fama eo pertraxerat, vel quotidianus labor domo expulerat.

Post hæc transmisso Apennini jugo in Picenum descendit. Et primo adventu oppidum, quod Belloforte Picentes dicunt, ad montis radices situm magnis viribus oppugnare contendit. At Franciscus etsi magna insperati belli mole pressus longe hostium viribus impar reddebatur, quod, ut ostendimus, Johannes Sfortia in Regni fines præmissus jam cum majore copiarum parte Aternum transierat eo consilio, ut Antonio Caudola sibi adjuncto ad ferendum Renato auxilium maturaret, tamen iis pro tempore contractis celeriter copiis, quæ nondum Piceno excesserant, in hostem progreditur. Et sese locis tutis continens, obsessis spem mittendi subsidii afferre, oppida, quæ in frontibus erant, præsidio firmare, oppidanos, quos aut hostium adventu trepidare, aut novis rebus studere audiebat, adire, & in officio confirmare non cessabat: donec majoribus auctus copiis, hostem apertis campis aggredi posset. Inter hæc Neapolitani ab Alphonso binis castris circa Urbem positis artius duriusque (53) non re frumentaria solùm sed aqua etiam reciso aquæductu destituti, desperatis Eugenii Pontificis & aliorum Regni Procerum auxiliis, non Renati Regis ærario solum, sed privatorum etiam Civium opibus diuturno bello exhaustis, una tantummodo spe recreabantur, quam in Francisco Sfortia & Antonio Caudola locaverant. Sed alterius cunctationem videbant, alteri non satis credebant. Omnia tamen dura fortiter ferre ac experiri constituerunt, prius quam hosti deditionem facerent. Renatus ad Genuenses, ad Franciscum, & Antonium quotidie nuntios dimittebat, qui docerent, quo res Neapolitanæ redactæ essent, & quanto in periculo versarentur, & ob id celeri auxilio opus esse, si servari eam Urbem vellent. Cum hic esset rerum status, nec speraret Alphonsus Neapolim ullis artibus quàm fame aut proditione capi posse, invenit fortuna inopinatam viam. Nam cum à Fabro quodam cæmentario, quem fames paulo ante patriâ expulerat, Neapolim parvo negotio capi posse didicisset, isque ad eam rem operam studiumque pollicitus esset, ducentos ex omni exercitu, quos & animi & corporis virtute præstantes cognoverat, delegit, qui Fabro duce per noctem aquæductum, qui in Urbem penetrat, ingrederentur. Hi à Rege edocti, quid eos facere vellet, intempesta nocte per aquæductum accensis funalibus profecti post multas ingentesque difficultates, facto jam die emerserunt intra urbanum ædificium quoddam. Unde ad proximos Urbis muros, ubi nullæ tunc erant custodiæ, advolant, scalisque quas secum adduxerant, parieti adactis, Turrim quamdam capiunt, signoque, ut erat ante constitutum, iis, qui foris exspectabant, dato, Alphonsus armato exercitu celeriter eo accurrit, admoverique muro scalas jubet. At Renatus eo tumultu excitatus, qui nihil eo die insidiarum suspicabatur, continuo ad locum se confert, in hostesque impetum facit. Sed Neapolitani eam muri partem, quæ erat turri propinqua, facile tuebantur. Dum verò pugnatur, obequitans Alphonsus animadvertit paulo suprà eam partem, quæ oppugnabatur, locum esse quemdam derelictum, quod ejus custodes desertis stationibus ad proximum tumultum concurrerant. Itaque admotis scalis eum locum occupari imperat, sperans aut Urbem inde capi posse, aut saltem hostes ab oppugnatione eorum, qui turrim ceperant, averti. Jamque ex iis, qui in Turri erant, cum omni telorum genere impeterentur, partim graviter vulnerati fuerant, partim pavore territi, ne in hostium manus devenirent, sese è muro præcipites dederant. Eratque ob id Renatus eam Turrim recepturus, nisi à tergo subito atque improviso cum ingenti clamore hostes, qui & per aquæductum & per eum, quem diximus, locum superatis mœnibus Urbem intraverant, invecti terrorem intulissent. Quorum in numero Miles erat quidam equo in-

(53) MS. quam umquam antea premebantur, quos nec res frumentaria solùm sed aqua etiam reciso aquæductu deficiebat. Quamobrem ingens eos mœror invaserat. Angebantur enim, res adeo mutatas esse, ut qui prius Eugenii Pontificis, & aliorum Regni Procerum auxiliis muniti, sibi pares Alphonsi opibus videbantur, nunc iis privati, illum firmatis ante portas castris viderent; quem navali superatum prœlio captumque, numquam id Regnum petiturum existimassent. Urgebantur præterea, ut prædiximus, & frumenti & pecuniæ inopia, non Renati Regis ærario solum &c.

insidens, quem forte excusso sessore intra Urbem invenerat. Quæ res magnam captæ refractæque portæ proximæ opinionem præbuit. Renatus nihilo tamen segnius suos cohortatus, atque in hostes acriter illatus, eorum impetum paulum repressit. Sed ubi crescente Tarraconensium numero suos conterritos vidit, nec posse amplius vim hostium sustineri, referre pedem cœpit. Alphonsus interim ad divi Januarii portam, quæ erat ab eo loco aliquanto remotior, Civibus quibusdam adjutoribus, qui se atque Urbem diuturna obsidione calamitateque liberari optabant, suorum partem maturare, scalisque muro appulsis eam portam effringere jubet. Quare perpauci primum superatis mœnibus Urbem ingressi, plerisque aliis, ut intrarent, exemplum animumque dedere. Quod ubi Renato renuntiatum est, cui potissimum loco succurreret, incertus, omni spe tamdem defendendæ retinendæque Urbis derelictus cessit hosti. Moxque in Arcem Regiam, quam Novam dicunt, se recepit. Tum demum multis locis omnibus passim stationes deserentibus irruptio facta est, ad prædamque per Urbem discursum. Sed à cæde tamen temperatum. Dein ingresso mox Rege prædâ quoque abstineri jussum. Per hunc modum Alphonsus Neapoli Urbe nobilissima, Regnique sede Uno & Vigesimo Anno, postquam bellare in eo Regno cœperat, potitus est. Relinquebatur expugnandarum Arcium labor. Tres erant, cum situ tum valido præsidio munitæ, Capuana, Montana, & Regia, in quam, ut prædiximus, amissa Urbe Renatus se receperat. Ceterum rei frumentariæ inopia laborabant Capuana præsertim & Montana. Itaque eas duas primum Alphonsus obsidere statuit, obsidionisque initium à Capuana fecit, velut infirmiore, urbanisque ædificiis juncta. Eam post diem quartum, quàm obsideri cœpta est, in potestatem accepit. Causa deditionis fuit, quod Johannes Coxa ejus Arcis Præfectus, qui cum Renato in Regiam confugerat, cum in ea uxorem ac liberos haberet, nec ignoraret Arcem ipsam frumenti penuriâ obsidionem sustinere non posse, à Renato petiit, ut sibi de Arce Alphonsò tradenda agere liceret. Huic Renatus cum jam Arci subvenire non posset, ut suorum saluti consuleret, permisit: utque dierum quorumdam inducias peteret, jussit. Is postulatis ab Alphonso facile impetratis Arcem continuò tradidit. Montana dein quoque tradita est. Nec multo post Renatus amissa Neapoli desperatisque ac perditis omnino rebus abeundi consilium cepit; potissimum cum nec sciret, an postea navium facultatem, quibus se tuto mari committeret, habiturus esset. Venerant namque supra Neapolitanum portum postridie ejus diei, quo Urbs capta est, duæ ingentes Genuensium naves frumento onustæ, ignaræ earum rerum, quæ gestæ erant. Sed iis mox cognitis, sub Arcem quamproxime potuerunt, jactis anchoris frumentum exposuerunt, ibique Renato rogante manserunt. Is igitur cum omnino abire statuisset, præsidio Novæ Arci relicto navim conscendit, & cum eo Octinus Carazolus, Johannes Coxa & alii quidam Neapolitani Cives, qui Renatum secuti, deserere patriam constituerunt. Ii secundam nacti tempestatem, ad Pisanum Portum delati. Inde terrestri itinere Florentiam petunt. Alphonsus ad persequendas belli reliquias intentus primum in prata, quæ circa Capuam sunt, eduxit, quod intellexerat Antonium Caudolam copias in Pelignis contraxisse, cui Johannes Sfortia, ut ostendimus, cum Sfortiana manu se junxerat. Dein cum adversus hos proficisci statuisset, contractis iis copiis, quas ad debellandos hostes satis esse existimavit, ad Populi Fontem movit; postea Eserniam, quæ adhuc in Antonii erat potestate, duxit. Ejus adventu conterriti oppidani permisere se Regi. Inde Carpenonum belli sedem petit. Ibi castra ponit. Quod ubi Antonius accepit, omnibus copiis priusquam Johannes in Picenum ad Franciscum rediret, eo confestim proficisci & confligere cum hoste statuit. Itaque seu majore quàm oportebat fiducia ductus, seu dolo, ut magis creditur, quod cum hoste jam sentiret, instructa acie Regem invadit, qui jam pugnandi potestatem fecerat. Prœlio igitur non longe à Carpenono voluntariis utrimque animis commisso, dimicatum est aliquandiu vario certamine nec incruento, cum neutri cederent. Sfortiana autem manus in ea pugna princeps semper fuit. Sæpe hostem magno impetu facto repulit. Sed redintegratis Regiis viribus, & Caudolana acie, quæ in postremis erat, subsidium laborantibus non ferente, sustinere tamdem vim hostium non potuit, ob idque referre pedem cœpit. Quare ingruentibus à tergo hostibus & Sfortiani & Caudolani simul funduntur, ac in fugam vertuntur; quos insecuti Tarraconenses majorem eorum partem, & in iis Antonium ceperunt, castrisque dein & impedimentis omnibus potiti sunt. Johannes cum paucis Ortonam se recepit.

His rebus gestis Alphonsus perducto ad se Antonio non modò ignovit, sed Oppida etiam, quæ à patre hereditario jure possidebat, concessit, & supellectilem omnem amissam, quæ ingens & pretiosissima erat, intactam reliquit: quod fuit certe non mediocre Antonii ipsius perfidiæ argumentum. Dum hæc in Campania Brutiisque geruntur, Picininus, qui ut diximus, Belloforte obsederat, ita in artum oppidanos redegerat, ut omni demum aquationis facultate adempta, & ea etiam, quam intus habuerant, aqua consumtâ, post vigesimum obsidionis diem suam præsidiique salutem pacti deditionem fecerint. Quo recepto oppido, Picininus circa Apennini radices procedens, quod verebatur, ne si in planum descenderet, commeatu intercluderetur, Sernanensibus ultro deditis, Montifortino admovit. Franciscus, qui propter copiarum paucitatem congredi non audebat, se locis tutis, ut ostendimus, continebat; studebatque, donec majoribus augeretur viribus, hostes populationibus prohibere. Scripserat autem ad Johannem fratrem cognita Neapolis captivitate, & Alphonsi in Antonium adventu, ut nullo pacto educeret in pugnam, quin potius omnibus prætermissis rebus ad se quamprimum universis copiis rediret. Sed ille literis seu nuntii negligentiâ, seu aliorum culpâ in tempore non redditis, & ab Antonio ejus discessum timenti non modò ad confligendum persuasus, sed quodammodo impulsus, prœlium commisit, victusque, ut docuimus co-

copias amisit. (54) Franciscus etsi uno eodemque die & Johannem cum magna & firmissima sui exercitus parte profligatum, & Belloforte, quo hostis distinebatur, in illius potestatem redactum acceperat, tamen non fractus animo, non suis diffisus viribus hostibus se opponebat, eorumque vim à suis arcebat. Faciebat enim illius solertia animique magnitudo, quominus per regionem impune vagarentur. At posteaquam revocato ex Etruria Zarpellione, quo cum una venerat Dulcius Anguillarianus ex gente Ursina, de quo supra mentionem fecimus, à Francisco paulo ante mercede conductus, vir sane strenuus & belli peritus, se satis milite instructum vidit, in hostem animo ingenti progreditur, castraque apud Amandulam ponit, quod est oppidum non longe à Montefortino situm. Picininus autem cum per rei frumentariæ & aquæ penuriam oppidanos ad deditionem compulisset, castra mutarat paulo posterius quam venerat; quibus quidem castris pro loci natura arduus à fronte collis imminebat, ad Sernanum usque perpetuus, quem à superiore parte peditatu teneri jusserat, ne hostes aut capere aut iter ad Sernanum turbare possent. Erat ab inferiore parte ejus collis tumulus quidam editior. Ceterum in summo vertice justus ac æque castigatus ad duplicem teli jactum remotior ab eo loco, quem Bracciani factis stationibus custodiebant. Hunc Franciscus per noctis silentium Petro Brunorio cum majore peditatus parte præmisso occupari jubet. Is sentientibus nullis eo profectus magna statim, ut erat à Francisco edoctus, arborum cæsa materie se vallo per summam celeritatem ab ea parte, quæ vergebat ad hostes, munire contendit, firmato pro tempore ea munitione tumulo. Sfortiani hostes, qui jam ad arma conclamantes tumultuare cœperant, alacriter invadunt, & in ipsa usque tentoria irrumpunt; nec lapides nec jacula de superiore loco conjicere magna vi desinebant. At illi contra magno undique facto impetu, repulsis intra munitiones Sfortianis, inde eos deturbare conabantur. Pugnabatur eminus cominusque acerrime, multis utrimque interemtis vulneratisque militibus. Sed Brunorius tamdem ita fortissime pugnando opusque obeundo ac muniendo loco se continuit, ut hostes inde magno eorum detrimento amoverit. Verùm ubi illuxit, Franciscus expeditissimo quoque milite sumto, relictis ad Amandulam castris eo maturat, moxque rursus facta eruptione prœlium majore undique conatu committit, hostesque, qui in colle erant, pellere tentat. At illi loco editiore natura & opere permunito facile sese tuebantur. Dimicatum est multo jam die pari ferme pugnæ eventu in eo collis spatio, quod inter utrasque munitiones intercedebat. Quo tempore Zarpellio acerrime pugnans vulnere in femur accepto prœlio excessit. Eo colle occupato fiebat, ut hostes & commeatu, qui à Sernano importabatur, intercluderentur, & pabulatione item prohiberentur; nec inde sine manifesta exercitus pernicie abire possent, quòd & à tergo mons altissimus, quem Sibyllæ appellant, impendebat, qua Nursiam usque difficiliores sunt aditus, & à fronte Franciscus obstabat, neque à lateribus reliquis ullæ aliæ supererant viæ. His igitur difficultatibus Picininus angustiisque circumventus rogat per nuntium Bernardum Medicem legatum Florentinum apud Franciscum agentem, ut ad se eat de rebus summis acturum. Quare non multo temporis spatio cum ultro citroque Bernardus sæpe accessisset, pacis fœdus percutitur iis quidem legibus Legatis Eugenii Pontificis, qui in castris erant, annuentibus, ut Nicolaus Picininus incolumi exercitu agro Piceno excederet, belloque deinceps adversùs Franciscum abstineret. Quibus constitutis rebus, mox ducibus ipsis in eum locum, ubi paulo ante acies certarant, coëuntibus, ac sese mutuo deosculantibus, ab utroque exercitu congressus congratulationesque fieri cœptæ sunt. Postridie & Picininus Sernanum retrocessit, & Franciscus cum jam in bello adversùs Alphonsum persequi instituisset, ad Truentum amnem copias proficisci jussit. Ipse autem Firmum ad visendam Blancam conjugem concessit, eo consilio, ut inde postea exercitum subsequeretur. Sed nondum Firmo discesserat, cum sibi renuntiatum est, Nicolaum Picininum Tolentinum occupasse Christophoro Tolentinate auctore, cujus hortatu oppidani arma sumserant, eumque primum introduxerant, quo postea ad oppugnandam Arcem Picininus propius accesserat. Hoc Franciscus audito nuncio vehementer admiratus, iraque commotus, quod contra fas jusque icti recentissime fœderis Nicolaus Tolentinates, qui suæ essent ditionis, in potestatem accepisset, copias mox ex itinere revocat, eoque celeriter ire contendit. Cùmque ad Ranciam pervenisset, quod est oppidum Tolentino propinquum, ibi augendarum virium causa consedit eo animo, ut instructo exercitu hostem invaderet, Arcique succurreret. Sed Picininus qui sibi à Francisco timebat, eodem usus deprecatore Bernardo Medice rursus de pace agere cœpit. Factumque brevì est, ut pax iisdem conditionibus renovata sit, quibus paulò ante apud Amandulam firmata fuerat. Picininus in Umbriam rediit. Franciscus, cui in Alphonsum experiri arma in animò erat, rursus copias Truentum versùs qui hac tempestate nostra à Brutiis Picentes dividit, ire jussit. Ceterum ex itinere Transoniates, qui inter Firmum, Asculumque incolunt, quod ad hostes defecissent, diripiendos mandavit. Quare ubi militum ordines ad Ripam Transoniam (hoc enim nomine Picentes id Oppidum vocant) convenerunt, continuo non multa vi in oppidum irrumpentes, universa oppidanorum bona, fœminarum decore Francisci jussu servato, verterunt in prædam. Hinc Eugenii Legati qui in castris erant, occasionem nacti Picinino jam in Umbriam transgresso persuadent, ut Gualdum Nucerinum, quod in Umbris est, & Francisci tunc tenebatur præsidio, obsideret, Ecclesiæque Romanæ restitueret imperio; idque ei facere idcirco licere, quod Transoniates, qui in Ecclesiæ fidem redierant, Franciscus per injuriam prædæ militibus ob-

je-

(54) MS. quæ erant magna pars roboris totius Francisci exercitûs. Et ob eam rem omnem in iis sua suorumque salutis ac victoriæ spem posuerat. Qui etsi uno &c.

jeciffet. Picininus fuscipiendi rursus in Franciscum belli negotium non recusat. Is enim etsi rei militaris scientissimus habebatur, tamen cum ceterarum rerum, quæ ad recte vivendi usum pertinent, ignarus esset, qui apud eum auctoritate poterant, facile quod volebant, illi persuadebant. Itaque & legatorum Pontificis, ut diximus, & aliorum quorumdam auctoritate permotus nulla neque dignitatis suæ, neque percussi bis fœderis, neque demum jurisjurandi ratione habita, oppidum hostiliter adortus circumsedit, paucisque diebus in potestatem redegit. Deinde Assisio admovit. Franciscus his cognitis tertio jam cœpto in Alphonsum itinere desistit, copiasque revocat. Sed quoniam hyems jam adventarat, non visum est in Umbriam sibi transeundum, ubi omnia hostilia essent. Fabrianum tamen, quod ad Apennini montis radices situm non longe ab hoste aberat, præsidio firmat. Quo insuper mittit Sigismundum Malatestam, Troilum, & Petrum Brunorium cum parte copiarum, qui prohiberent, ne ab ea parte hostes montem transgressi provinciæ fines popularentur. Dum ibi milite per vicos distributo desident, Troilus qui ab reliquis aliquanto remotior erat, ab hostili manu Roberto Bodiensi duce ex Picinini equitum præfectis primario, per noctem ita incautus opprimitur, ut primo impetu majore suorum parte capta vix ipse fuga evaserit. Qua re ex tumultu fugientiumque clamoribus audita, Sigismundus Petrusque eo mox advolant, hostesque præda graves inter redeundum consecuti, fere omnes capiunt, & quos ipsi hostes ceperant, cum præda in libertatem restituunt. Robertus cognito periculo fuga sibi salutem petiit.

Mittitur post hæc cum pedestri præsidio Assisium Alexander Sfortia, ubi jam hostis qua mons abest castra firmarat. Huic ad tuendam Urbem nulla major supererat cura, quàm ut mœnia stationibus factis à nocturnis hostium insidiis custodirentur. Nam de Civium animis partium studio nil dubii erat, quin obsidionem per omnes difficultates perferrent, priusquam hosti se dederent. Accedebat ad id quod situ muroque ac valido militum præsidio usque adeo Urbs ea reddebatur omni ex parte munita, ut nihil ab hoste timendum videretur; quem etiam facile omnes intelligebant spe per proditionem potiundi oppidi dejectum, non diu hiberno præsertim tempore ibi mansurum. Sed quod nulla vis hostium, nulla Civium discordia, nulla obsidionis difficultas, nullus denique oppugnationis timor dies complures efficere potuit, effecit hominis unius pravitas, ut insignem immerita Civitas parvo momento calamitatem acceperit. Accidit enim Assisinis, quod, ut demonstravimus, per superiorem æstatem Neapolitanis acciderat. Est enim aquæductus Assisii vetustissimus, ab urbanis mœnibus paulo longius initium capiens. Hanc capiundæ Urbis viam per hominem quemdam perditum, beati Francisci religionem habitu simulantem, fortunæ iniquitas hosti aperuit. Siquidem à Picinino per noctis silentium levis armaturæ milites in aquæductum immissi in Campum quemdam ab ædificiis aliquanto remotiorem, ubi solitudo erat, evaserunt. Qui ubi se mille

A circiter numero auctos vident, continuo ad proximos Urbis muros concurrunt, eorumque partem capiunt, ac posticum quoddam ad erumpendum jam ab Alexandro factum reserant. Quibus agnitis excitatoque tumultu in muro, qui erant, timore territi desertis stationibus diffugiunt. Hostes autem qui in armis erant, & muro appropinquarant, repugnantibus nullis pluribus locis ingressi Urbem invadunt, passimque miserabiliter diripiunt. Ibi à nullo maleficio, nullo flagitio, nulloque cladis genere præterquam à cæde temperatum est. Omnia humana divinaque rapiebantur, distrahebanturque, nec ipsum quoque sacrum divi Francisci Templum religio nec pietas ulla à fœdissimis

B perditissimorum hominum manibus servavit. Alexander desperata Urbis salute in Arcem se recepit, unde postea noctu Guidone Assisino duce egressus per hostes, perque confragosos & nivibus obsitos saltus cum paucis pedestri itinere ad Franciscum re infeliciter gesta rediit. Ea Urbe capta Arcibusque non multo post tempore deditis quidquid agri Franciscus in Umbris obtinebat, præter oppidum Vixum, in hostium devenit potestatem. Cum verò Nicolaus non ab ipso solum Francisco verumetiam ab omnibus, qui recte saperent, graviter & argueretur, & damnaretur, quod jam semel

C atque iterum constitutæ pacis fœdera violasset, quam Amandulæ prius & postea etiam Tolentini percusserat, jurejurandoque firmaverat, ita respondebat, nihil se egisse, quod non jure actum esset. Nam quod ad Tolentinates attinebat, se non fuisse in causa, ut à Francisco desciscerent, sed Christophorum Marutium, qui à Tolentinatibus accersitus non difficulter illis persuasisset, ut ad Ecclesiæ Romanæ ditionem reverterentur. Quod autem Gualdum cepisset, ejus rei causam Franciscum exstitisse, qui Transoniates in prædam egisset, cum ii sese ultro Ecclesiæ permisissent. Addebat ad hæc, quod & Legatorum Summi Pontificis, & Ludovici Pa-

D triarchæ Aquilejensis jussu ea omnia factitasset, præsertim cum dicerent, pax quæcumque antea facta esset, quæ è re Romanæ Ecclesiæ non foret, eam non esse jure servandam, & ita perjurio omni se liberatum esse. Ea Nicolai dicta Franciscus ita refellebat. Non esse existimandum Christophorum Tolentinatem hujusmodi facinus Nicolao inscio aggredi ausum, quod facile ex ejus ad Tolentinates tuendos profectione intelligi poterat. Quod si præter ejus voluntatem rem tanti momenti contra jus fœderis Christophorus fuisset aggressus, debuerat Nicolaus, sub quo ille merebat, in Tribunum suum animadvertere. Quod de Transoniatibus Nicolaus

E in medium afferebat, vim rationis nullam præseferre, cum jure sibi licuisset, eos in prædam vertere, quo rebellibus ceteris forent documento. Nec id satis præterea roboris habere, quod diceret, se à Pontifice præstito jurejurando absolutum, cum stultissimum absurdissimumque esset, quem non pœniteret, absolutum judicari. Sciebat antea Nicolaus se obstrictum esse Eugenio Pontifici. Si ergo pejeravit, quis neget, eum omnia hæc per fraudem egisse, & perjurii arguendum? Erubescat igitur Nicolaus versutiis amplius vel potius ineptiis suis perfidiam tueri, qui

qui fidem toties osculo & jurejurando firmatam fefelliffet. Earum rerum indignitate Franciscus animo graviter commotus addebat in divina justitia spem habere repositam; sibi eam aliquando dari occasionem, ut de Nicolao homine perfido, ab omnique humano & divino jure abhorrente meritam sumeret ultionem. Dum hæc in Piceno, Umbriaque geruntur, Alphonsus devicto captoque Antonio, per Pelignos, Marsosque exercitum circumducens totam eam regionem suo imperio brevì subegit. Quo tempore ultro citroque missi sunt & ad Alphonsum Troilus, & ad Franciscum Inicus Givara Hispanus de pace legati, magna sane utrique apud suos Principes auctoritate viri. Sed Alphonsus tot victoriis elatus distinere ambagibus Franciscum conabatur. Quod cum ille animadvertiffet, & Troilum confestim revocavit, & Inicum infectis rebus ad Regem remisit. Ceterum ex eo tempore, ut postea cognitum est, Troilus effrenata quadam habendi cupiditate inductus, secretò cum Rege multis promissis præmiis conspiravit, fidemque illi dedit de sua ad eum defectione. Alphonsus pacatis Brutiis in Apuliam se convertit. Restabant enim in ea provincia Oppida quamplura, quæ adhuc Francisci Sfortiæ præsidio tenebantur, quorum fines ingressus agrosque late populatus, Manfredoniæ admotis primum castris, eam Urbem præter Arcem per civium quorumdam proditionem non multo postquam eo venisset, in deditionem accepit. Qua recepta Cæsar & Victor, qui cum parte copiarum sese Trojæ continebant, victoris arma secuti ad Regem cum ipso oppido defecerunt. Quorum exemplum mox secuti Arianenses, & qui Garganum montem incolunt, nec minus dein ceteri, qui per regionem Francisci adhuc parebant imperio, omni demum desperata spe auxilii una cum præsidiis in Regiam devenere potestatem. Renatus interea, quem profectum Florentiam diximus, cum Arcem Regiam, quæ sola, ut docuimus, Neapoli in sua erat potestate, se diutius multis de causis tueri posse diffideret, desperatis undique auxiliis, ejus dedendæ facultatem Johanni Coxæ permisit. Ipse autem mari in Transalpinam Galliam rediit. Sed Johannes cum his mandatis ad Alphonsum profectus postulavit in deditionis conditionibus, ut Octino Carazolo, & sibi ipsi, & quibusdam aliis Neapolitanis Civibus, qui Renatum secuti fuerant, ignosceretur. Qua re facile impetrata, Alphonso Arcem tradidit. Hoc rerum statu Franciscus, quod se majore ab hostibus conatu insequenti Anno pressum iri intelligebat, deductis per Picentes in hiberna copiis, Zarpellioneque in Etruriam tuendæ Tuscaniæ causa remisso, apud Venetos Florentinosque cum literis tum nuntiis frequentibus agere cœpit, ut & pecuniæ quæ sibi stipendii jure debebantur, maturius dependerentur, & copiis insuper, ut erant ex fœdere obstricti, auxilio forent, quo non tam Eugenii Pontificis quam Alphonsi Regis viribus, quem pacato Regno adversum sese venturum audiebat, resistere posset. Quod nec tam fœderis amicitiæque jure facere debebant, quam ut communes hostes suis terminis continerentur, qui nihil magis conari videbantur, quam se Picena provincia pulso, in Etruriam, Flaminiamque iter sibi aperire, quo inde suæ vires cum Philippi viribus jungerentur. Quod quantum interesset & Venetæ & Florentinæ Reipublicæ, ipsi facile metiri animo poterant.

Dum ejusmodi curis prospiciendisque rebus Franciscus intendit, Eugenius, cui ob res secundas animus creverat, omnia ejus consilia ad pellendum Piceno agro Franciscum converterat, hortante maxime Ludovico Patriarchâ, ad quem omnem rerum summam detulerat. Primum igitur omnium de reconciliando sibi Alphonso Rege agendum putavit, quem post ejectum Regno Renatum neque in hostium neque in amicorum numero aperte habuerat, sed magno tamen adversùs Franciscum alteri alter adjumento fuerat, & ob id haud difficilem ad eam rem futurum arbitrabatur. Itaque cum ad eum Tarracinam misisset Ludovicum de pace legatum, brevì factum est, ut inter sese sublatis quæ hactenus intercesserant, dissensionibus, pacis fœdera inierint. In qua præter alias conditiones, has principes publicisque literarum monumentis firmatas fuisse constat; ut Eugenius Alphonsum Neapolitani Regni Regem declaret, & appellet, Regnumque ipsum pleno jure sibi posterisque suis perpetuò possidendum tradat. Ferdinando unico Regis filio, quem non ex uxore susceptum sibi in Regno successorem destinaverat, succedendi facultatem faciat. Alphonsus contra Pontifici Ecclesiæque Romanæ se subjiciat, auxilieturque ad Picenum agrum recuperandum, quem Franciscus Sfortia armis occupaverat. His peractis rebus Nicolaus Picininus à Rege accersitus Tarracinam venit, triremibus Regiis advectus, ubi honorificentissime exceptus est. Post hæc Alphonsus cum de re militari sermo haberetur, magnis eum laudibus extollebat, quod Braccii Perusini artibus & præceptis militaribus institutus novissime Braccium ipsum rerum gestarum magnitudine superasset, neminemque affirmabat ea tempestate reperiri ex omnibus copiarum ducibus, qui cum eo certare posset, nisi unum Franciscum Sfortiam virum longe bello & armis excellentem; sed dubium, uter præferendus esset. Nam cum rei militaris disciplina & auctoritate pæne pares putarentur, diversa tamen utriusque consilia in bello erant. Nicolaum ad dimicandum alacriorem prælium ex occasione protinus committere, hostem celeritate prævenire, excursione fatigare, levis armaturæ equite magis quàm pedite uti, strenuos modò atque robustos milites amare, hostium numero non terreri. Franciscum verò arte & solertia incomparabili rarò nisi ex composito confligere, cunctando ac obsidendo hostem fatigare, atque frangere, peditatum magnifacere; argento, auro, serico cultos milites & fortes habere, superiorem etiam se numero; hostem non negligere, non temere aggredi. Denique Nicolaum in milites indulgentiorem, Franciscum severiorem haberi. Triduo de belli adversùs Franciscum gerendi ratione quantisve copiis opus foret, consultatum est. Ea re constituta, Nicolaus inde digressus in castra rediit, quæ non procul Tuscania fecerat, ad arcendam Zarpellionis vim qui universam prope eam regionem Romam usque crebris excursionibus infestius turbaverat &

& ſæpe hoſtes fuderat. Quorum in numero Fredericus Feretranus Urbinas fuit, qui cum ſub Picinino militaret, Viterbium cum equitatu miſſus, ut inde hoſtis impetum reprimeret, confligendi poteſtate facta, fuſus ab eo fugatuſque eſt, magna ſuorum parte capta. Ceterum Piccininus ubi nihil obſidendo proficere videt, ſoluta obſidione in Umbriam regreditur, ubi Regis adventum exſpectare ſtatuerat. Dum hæc aguntur, Franciſcus factâ in campis pabuli copiâ ex hibernis eduxit. Dein primum Sanctam Natoliam in Camertibus oppidum circumſedit, quod inde finitimi à Bracciano milite ibi ſtativa habente gravius vexarentur, admotiſque muro machinis, ita aſſidue oppugnandum curavit, ut paucis diebus vi captum diriperetur. In præſidium verò idcirco ſævitum eſt, quod dum oppidum acrius oppugnaretur, (55) Bracciani maledictis & conviciis univerſum prope exercitum in ſeſe concitarant. Et ob id à Sigiſmundo & Petro Brunorio, Pazalia in primis ipſius præſidii Præfectus, & quot ex reliquo milite in eorum manu devenerant, per varios cruciatus morte affecti ſunt. Poſt hæc Franciſcus in Tolentinates duxit, quibus haud difficulter ad deditionem compulſis, quicquid Picininus ſuperiore æſtate in Picentibus ceperat, in poteſtatem redegit. Circa verò Anni ejus initium Mannus Bariles nobilis Neapolitanus ex veteranis equitum Præfectis, nulla juſta causâ à Franciſco deſciſcens, ad Alphonſum ex hibernis transfugit, à quo perbenigne ſuſceptus, & pecuniâ inſuper donatus, & militia non mediocriter auctus eſt. Nam Alphonſus Sfortianam diſciplinam admirans, omnes Sfortianos libenter excipiebat: & per ſtipendia ad ampliorem militiam efferebat. Hæc Manni repentina ad hoſtem defectio ſane & Franciſco & amicis omnibus admirationem non parvam attulit, quod vir jam ſexageſimum ætatis agens annum, & qui ab adoleſcentia uſque ſub Sfortia merens militiæ tyrocinia exercuiſſet, & deinde per omnem ætatem Franciſcum filium ſecutus Sfortianum nomen ſancte obſervaſſet, ad ſenectutem tamdem cum perveniſſet, transfuga factus tantam ignominiæ notam ſubiſſet, tantumque propriæ nobilitati ac militiæ dedecoris intuliſſet. (56) Eadem æſtate Annibal Bentivolus patriam à Braccianorum tyrannide liberavit. Sed ea res paulo mihi altius repetenda eſt. Franciſcus Picininus pro patre Bononiæ Præfectus, cum in ea Civitate maximam habere auctoritatem Annibalem cerneret, veritus ne ab eo pelleretur, cum aperte in eum animadvertere non auderet, per ſimulationem venationis eductum unà cum multis ejus Urbis primoribus in Arcem Sancti Johannis ducit. Ibi convivium paratum erat. Sed poſt epulas cæteri dimiſſi Bononiam redierunt; Annibali & duobus Malviciis Gaſpari patri & Achilli filio vincula injecta, & violato hoſpitii jure in Longobardiam cuſtodiendi maximo præſidio mittuntur. Placuit Annibalem in Arce Varanenſi aſſervari. Ea res maximam invidiam Picinino conflaverat, animis hominum maxime indignantibus Tyrannum in Bentivolos, quorum opera & ſtudio rerum potitus eſſet, tam nefarie ſævientem. Itaque legati & ad Nicolaum & ad Philippum nequicquam miſſi. Sed cum nullum remedium inveniri poſſet, Galeacius Mareſcoptus cum Virgilio Malvicio, & paucis prætèrea re comunicata, aſſumtis quatuor dumtaxat ad facinus peragendum ſociis, inter quos duo ejus fratres erant, duce uſus quodam Geniſio Rocha Fabro ferrario, qui ſitum Arcis & naturam diligentiſſime exploraverat, admotis ſcalis clam in Arcem penetrans, uno demum ex vigilibus interfecto, ceteris cum Præfecto Arcis in poteſtatem redactis, Annibalem liberavit. Sed Annibal propere Bononiam reverſus convocatis amicis & tota plebe concitata, progreſſus in Forum primo Picininum obſedit, mox expugnato palatio, direptiſque, qui in præſidio militibus erant, eum in poteſtatem redegit, ac domi in vinculis habuit. Liberatâ patriâ legatos ad Venetos & Florentinos mittit imploratum auxilium. Nam Arx valida, quæ Urbi impendebat, Nicolai Picinini præſidio tenebatur. Eam pro communi ſalute & obſidendam ſibi & oppugnandam cenſebat, ob eamque rem Petrum Navarinatem cum equitibus quadringentis conduxerat, alios item peregrinos milites ſcripſerat. Eâ Philippus cognitâ, miſit in agrum Bononienſem Ludovicum Vermium cum equitibus ad quatuor millia, ut quanto poſſet ſtudio, niteretur obſeſſæ Arci auxilium ferre. Venerat per eos dies Bononiam Simonetus ex Caſtro Petro (ita cognominabatur) cum

(55) MS. per mille convicia, ut erant Bracciani fere omnes naturâ maledictis proclives & intemperantes, univerſum prope &c.

(56) MS. Per idem quoque tempus omnia Bononiæ Annibalis Bentivoli in patriam reditus mutaverat in hunc modum. Is enim, & Gaſpar Malvicius una cum Achille filio, quum eſſent Anno ſuperiore à Franciſco Picinino ejus Urbis Præfecto ad convivium quoddam invitati, quo eos familiariter excepturus videbatur, eoque ipſi nihil mali ſuſpicantes conveniſſent, retenti ſunt, confeſtimque in Longobardiam cuſtodiendi in carcerem miſſi. Quorum Annibal in Varanenſi Arce, alii verò aliis Arcibus aſſervabantur. Quam quidem rem Bononienſes ægre ferentes, ſæpe & ad Nicolaum Picininum, & ad Philippum de ſuis liberandis Civibus legatos miſerunt. Sed quum nihil inde conſequi potuiſſent, amicorumque calamitatem multo ægrius ferrent, oblatus eſt ex omnibus unus Galeatius Mareſcoptus, vir quidem in primis acer & ſolers ad rem gerendam, qui clam calliditate quadam Annibalem ex captivitate eximendum curaret. Is igitur perſpecto Arcis ſitu, locorumque natura, & quam negligenter ignaveque Annibal cuſtodiretur, ſumtis ſecum ſociis quinque, eo proficiſcitur, tempuſque idoneum ad rem conficiendam nactus, poſitis per noctis ſilentium muro ſcalis, Arcem ingreditur; captoque una cum famulis Arcis Præfecto, Annibalem inde educit; quem, dimiſſis poſtea in itinere captivis, Bononiam incolumem clam perduxit. Quumque magno dein ſilentio Annibal univerſam factionem ſuam ſolicitatam ad arma concitaſſet, mox ingenti tumultu Plateam divi Petronii invaſit. Factoque dein in Prætorium, publicaſque Urbis ædes impetu, quæ à Franciſco obtinebantur, iis haud multo labore potitus eſt, peregrino quoque milite per tumultum in prædam verſo. Ipſe autem Franciſcus captus & ad Annibalem perductus, in carcerem conjectus eſt. Eo die Annibal magnam de ſe laudem peperit, quod rem omnem & prudentia ſingulari & animo ingenti ediciſſet. Quibus rebus geſtis Bononienſes, & præſertim qui factioni Bentivolæ ſtudebant, ſe ſe in libertatem vindicarunt. Dein confeſtim ad Venetos & ad Florentinos ſuſtinendæ Reipublicæ causâ miſere rogatum auxilium. Nam Arx valida &c.

cum equitibus quadringentis à Florentinis missus; & à Venetis item missus eodem fuerat Tibertus Brandolinus cum equitibus quingentis. Annibal re diligentius explorata, ac in consilio disputata decrevit in hostes educere ac prœlii tentare fortunam. Itaque ad decimum nonum Kalendas Septembres instructis copiis Urbe egressus cum civibus supra quinque millia, ex itinere cognoscit hostem jam movisse, & citato agmine ad Sanctum Georgium municipium contendere. Cùmque festinationis causam ex timore natam intellexisset, magna benegerendæ rei spe aucta, majore in hostes animo progredi cœpit. Accidit forte fortuna inter eundum, ut exercitus utrique invicem obviam facti sint, inter duo Castella sanctorum Petri & Georgii eo loci, ubi vulgo in Casali dicitur. Qui simul ac sese mutuo conspexerunt, acerrimum prœlium commiserunt. Pugnatum est ab ipso diluculo ad secundam usque ac vigesimam diei horam. Tamdem Philippiani per variam ac multam equorum hominumque stragem terga dedere. Ludovicus desperatis omnino rebus fuga sibi salutem peperit, amissa majore suorum parte impedimentisque universis. Ex hac victoria majorem priore laudem Annibal consecutus de redimendis ex captivitate Gaspare Malvicio ac Civibus ceteris, quos Nicolaus in vinculis habebat, agere cœpit, quo magis civium voluntates sibi conciliaret. Nam Arx profligatis fugatisque hostibus non multo post per deditionem recepta est. Pro iis igitur Francisco Picinino in commutationem dato, non modò Gaspar ipse & Achilles filius liberati sunt, sed etiam Baptista Cannetulus, Galeotusque ejus frater. Nec enim dubitabat Annibal Cannetulos omnes sibi amicissimos fore, cùm sua essent causa in libertatem restituti. Ceterum Alphonsus ex Tarracina Neapolim reversus in prata Campana universas convenire copias jussit, ut inde in Picenam expeditionem, quemadmodum fuerat Tarracinæ constitutum, proficisceretur, & quamvis legibus ipse bello interesset, minime obstringebatur. Tamen Troili, ut prædiximus, & Petri Brunorii ad eum defectionis certa spes fecit, ut non per Vicarium, sed per se ipse bellum gerere statuerit, ob eamque causam quammaximas potuit copias ex omnibus regnis suis eo celeriter contrahendas imperavit, quo majoribus quàm fieri posset, viribus instructus, Regni finibus excederet. (57)

Itaque æstate jam prope exacta ex Campano movet, & per Pelignos Marsosque non longè ab Aquila visendæ ejus Urbis causa castra ponit. Erat ea Civitas armis virisque pollens, in qua Camponisca factio, quæ Andegavinas partes in bello secuta fuerat, auctoritate & opibus plurimum poterat; cujus eo tempore Antonucius Camponiscus princeps erat, vir rei bellicæ sed jam senior, peritissimus, atque ob id illius fides Regi suspecta, monitusque est à nonnullis adversæ factionis, ne Urbem intraret, quod ab Antonucio coacta multorum manu incautus opprimeretur. Sed Rex nihilo tamen secius Urbem ingressus, magnoque ab omnibus honore exceptus, reperit, quæ de Antonucio dicta fuerant, falsa fuisse. Postridie Urbe quinque passuum millia post terga relicta castrisque positis, alia Regi suspicio injecta est, Eugenii & Philippi conspiratione sibi in Piceno insidias parari, quam Picinini in Umbros adventus, qua in Picenum iter est, magnopere adauxerat. Ob eamque rem & Johannes Antonius Tarentinus princeps, & alii multi Regni Proceres, quos secum ducebat, ne ulterius progrederetur, suadebant, adeoque ancipitem & suspensum reddidere, ut parum abfuerit, quin incertus rerum ab itinere desisteret. Sed tamdem cùm turpem sibi reditum fore existimaret, satis purgata pro tempore suspicionis causa, progrediendi consilium cepit. Ut verò Regem in Umbriam adventare rumor increbuit, Picininus Visso admovit, quod erat oppidum, ut demonstravimus, ex omni Francisci ditione in Umbris reliquum, Regique obviam misit, qui eum hortarentur, ut pro sacrosancta Romanæ Ecclesiæ commodo profectionem maturaret; quo conjunctis utriusque viribus oppido, quod obsidebat, potirentur, prius quàm hostis, ut audierat, oppidanis auxilium ferret. Verebatur enim Picininus, ne Franciscus, qui tum erat viribus potentior, totis copiis eo proficisceretur. Quod si fieret, obsidionem solvere pro exercitus incolumitate cogeretur. Quibus Alphonsus nuntiis permotus, Johannem Liriam Hispanum cum majore peditatus parte præmisit, qui Picinino junctus magno momento fuit. Rex continuato itinere Nursiam versus profectus est, eo consilio, ut Vissum petens, Picininum sibi jungeret. Inter hæc Franciscus qui ad Potentiam flumen non longe à Sanctoseverino castra habebat, cognito Vissanorum periculo, eo Sigismundum & Petrum Brunorium cum peditatu parvoque equitatu ad ferendam obsessis opem mittit. Quorum de adventu Picininus certior factus, obsidione deserta castra aliquanto ab oppido longius deduxit. Ibi Regem cupidè exspectabat, qui cum septem millibus passuum à Nursia castra posuisset, ad eum cum paucis Picininus ire contendit. Fuit certe illius adventus Alphonso pergratus, quod ita libere ad eum cum paucis accessisset. Quæ res omni suspicione posita Regis animum plurimum confirmavit. Postero die motis inde castris, Rex unà cum Nicolao Vissum ire perrexit. Oppidani ejus adventu conterriti mox suam præsidiique incolumitatem pacti dedidere se Regi. Quos ipse postea ad Pontificis legatos, qui in castris erant, remittendos duxit, ut eos tamquam in Romanæ Ecclesiæ fidem redeuntes acciperent. De his rebus cum fieret ab exploratoribus quotidie Franciscus certior, maxima imminentium hostium curâ afficiebatur. Nam cum diu multumque animo volutasset, quid sibi consilii ineundum esset, nullum neque ad servandum exercitum neque ad tuendam provinciam reperiebat, adeò angusta & dura undique omnia uno tempore occurrebant. Auxilia à Venetis & à Florentinis, ut sæpe petierat, nulla consequi poterat. Et quamvis propediem se missuros dicerent, nulla tamen tam necessario tempore tamque propinquis hostibus sperare poterat.

(57) MS Curavit namque ingenti quodam studio plures menses non tam totius Neapolitani Regni juventutis flore, quàm Siculis, Gottolanis, Hispanisque quamplurimis fortibus viris suum exercitum augere. Itaque &c.

rat. Bononiensium enim rerum novitas fecerat, quominus ad eum mitterentur. Congrediendum sibi cum hostibus ob copiarum paucitatem non putabat, quod junctæ cum Ecclesiasticis, Braccianisque Regiæ copiæ supra quatuor & viginti armatorum hominum millia compleverant, & eas quas secum copias habebat, minus octo millibus esse sciebat, nec in provinciæ finibus apertis campis exspectandum videbatur, cum nullus esset tutus locus, qui eum caperet, nec provincia excedendum omnino judicabat, & ne dimicare cogeretur, sibi maxime cavendum ducebat. Itaque difficultatibus in hunc modum præsenti rerum necessitati consulendum putavit, ut quam celerius fieri posset, priusquam hostes superato Apennino in Picenum descendissent, Urbes atque Oppida provinciæ totius, quæ situ, muro, atque arcibus munitiora essent, validis fidisque præsidiis firmarentur. Ipse cum reliquis copiis Fanum Fortunæ se reciperet, quæ Urbs cum esset Sigismundi Malatestæ generi in ipsius provinciæ finibus sità, satis peropportuna visa est, ubi se continere & hostibus resistere posset, quoad promissa ab amicis auxilia mitterentur. Nam & longo ambitu Fanum continetur, & mari ab una parte abluitur, & à reliquis muro & fossa duplici munitur. Ad quam quidem rem conficiendam illa potissimum ratio hortabatur, quod videbat æstate jam prope consumta autumnum tantummodo superesse, quo tempore hostes continere ad res gerendas sub dio exercitum vix possent. Redeundum enim erat Regi in Regnum suum. Reducendus in hiberna exercitus, priusquam hyems adventasset, ob longa ac difficilia quæ sibi itinera conficienda erant. Præterea nulla neque Regi ipsi neque Picinino neque Pontificis legatis bellica instrumenta esse, quibus oppugnare oppida possent, & per obsidionem nulla seu perpauca ex iis quæ præsidiis defenderentur, vinci posse. Ex quo futurum judicari poterat, ut abeuntibus inde hostibus in fide quemadmodum sperabat, iis Urbibus atque Oppidis permanentibus, quæ præsidiis firmasset, facile reliqua, quæ ad hostes per autumnum defecissent, per hyemem ipse recuperaret. Primum igitur omnium Urbem Firmum regionis caput milite firmandam duxit, eoque Alexandrum fratrem cum non parvo equitum ac peditum numero mittendum, qui ei Urbi præsidio esset; Asculum peditatu muniendum, cui Johannem fratrem præposuit: Civitati verò Raynaldum Folianum ex matre fratrem. Fabrianum verò Petrum Brunorium misit cum octingentis circiter peditibus equitibusque ducentis, Cingulum Floravantem Perusinum cum tribus equestribus ordinibus, Johannem verò Tolentinatem generum cum quingentis equitibus Auximum proficisci jussit. Præterea Troilum Rosianensem cognatum suum cum valido equitatu Æsio destinavit, cui ob fidem præcipuam, quod esset sibi à pueritia carissimus, ex matre sororem in matrimonium dederat. Postremo Rocam Contractam, quod vocant Oppidum, Robertum Sanctoseverinatem sororis filium cum equitatu ac peditatu non exiguo mittendum statuit. Ipse cum reliquo exercitu Fanum perrexit. In itinere haud procul ab Æsio substitit eo consilio, ut alium Troilo sufficeret, qui & præsidio & Urbi præesset. Fuerat enim sæpe Franciscus à Philippo certior factus, Troilum jampridem cum Alphonso Rege conspirasse, nihilque superesse ad patrandum seu fugæ seu proditionis facinus quam Regis ipsius in Picentes adventum, quem cupide exspectabat, quo sibi liberior ad eum transeundi potestas foret. Didicerat enim eam rem Philippus, novissimeque etiam Petri Brunorii perfidiam ex legatorum suorum literis, quos apud Alphonsum habebat, quibus cum Rex ille omnia ejus consilia communicabat. Et quoniam Philippus eo semper fuerat in generum animo, ut neque eum vincere, neque vinci pati posset, hæc à se cognosci curabat, quo ille à suorum perfidia insidiisque caveret. Sed Franciscus, qui sciebat Philippum Troilum semper odisse, illi non crediderat. Verùm ubi ea res increbruit, ac multis ex locis sibi indicata est, in suspicionem tamdem venit, ne Troilus pollicitationibus præmiorumque magnitudine corruptus cum Rege sentiret, & ob id statuerat inde eum amovere, secumque ducere. At Troilus veritus id, quod erat, Francisco obviam exit. Dicit se animadvertere illi suspectum factum esse; quod quam verisimile foret, oportere eum recte judicare. Nam quo pacto usqueadeo esset ingenio ab omni hominum natura alieno, ut quicquam adversùs eum sentire auderet, à quo perbenigne à teneris usque exceptus esset, & per omnem deinde ætatem ita carus exstitisset, ut ad postremum ejus sororem sibi uxorem dederit? Rogat, ne aures præberet invidentium maledictis, qui nihil magis conarentur, quam ut sibi noceret; (58) esse nonnullos, qui omnia sui perdendi gratia confingerent. Sed se male centies mortem subire, quàm vel admittere vel cogitare quicquam, quod ei foret detrimentosum, & se improbum, proditoremque ostendere. Addidit ad hæc etiam lachrimulas quasdam vi excussas atque simulatas. Franciscus ut erat ingenio miti facile adductus est, ut quem ex ea Urbe omnino amovere instituisset, posita suspicione, illi rursus eum præficeret, & quod iter Fanum versùs cœperat, id facere perseveravit. Dum verò Fani se continet, quod hostes propediem per loca Urbi proxima futuros exspectabat, nullum neque diurnum neque nocturnum remittebat tempus negotio vacuum. Primum omnium frumentum commeatumque omnem ad hominum jumentorumque usum undique ex agris in Urbem conferri studere, mari ex Arimino comportari, quo facilius inclusionem miles civisque pati posset. Nec minus vallo & aggere Urbem communiri, propugnacula pro portis ædificari, vias qua hostes venturos existimabat, si forte Urbi admoverent, frequenti repagulo communitas reddi. Præterea quamvis antea ut docuimus, auxilia à Venetis, Florentinisque exposcere non destiterat, tamen ad eos rursus mittit, qui doceant hostem quammaximis adesse copiis, ac quantis ipse difficultatibus premeretur, quantove in discrimine res

(58) MS. Oportere eum sapientiâ uti, nec debere ignarum esse, quanta esset hominum versutia & improbitas. Sciebat enim, esse nonnullos &c.

res sua omnis cum innata quadam Picentum mutabilitate conjuncta versaretur. Quibus de causis si subveniendum censerent, si salvum, si beneficiorum memorem vellent, accelerarent.

Post hæc quod intelligebat Philippum ægre ferre, Alphonsum tantis viribus auctum à sui Regni finibus longius progredi, cum eo de reconcilianda amicitia consilium cepit. Ex quo paucis diebus factum est, ut Veneti ac Florentini perspecto non tam Francisci, quam utriusque Reipublicæ periculo, missis propere Mediolanum de renovanda, firmandaque cum Philippo amicitia legatis, facile ac brevì cum eo pro communi omnium salute fœdus inierint. Quo percusso & Veneti ac socii liberius ad transmittenda quamcelerrime Francisco auxilia sese comparant, & Philippus Johannem Baldizonum nuntium primùm, dein non multo post legatos ad Regem mittit Petrum Cottam & Johannem Balbum, qui ei enunciarent, ut ab armis discederet, in suosque Regni fines rediret. Non placere Philippo Franciscum Sfortiam, qui & gener esset & filius, tam inexsaturabili odio & ad internicionem prope peti; satis Regi esse debere, satisque ejus honori atque dignitati factum, si agri Piceni fines ingressus magnam Oppidorum partem in Eugenii Pontificis potestatem redegerit. Hæc ubi Regi à Baldizono renuntiata sunt, non potuit vehementer non commoveri, cum diceret, se Philippi maxime hortatu ejusmodi bellum adversus Franciscum Sfortiam suscepisse, esseque usqueadeo progressum, ut referre pedem absque magna honoris sui diminutione non posset; quod Pontifici Eugenio fidem dedisset, se numquam quieturum, donec Franciscum ex omni Piceno agro pelleret. Hanc à se deseri causam honeste non posse, & ob id necesse sibi fore in bello persequi. Proin ad Philippum misit Matthæum Malferitum Jureconsultum, & Johannem Nuceum legatos, qui ita exposuerunt. Non posse Alphonsum Regem non admirari, quod cum Picenam expeditionem Philippi potissimum suasu atque impulsu adversus Franciscum Sfortiam sumsisset, ipseque postea provinciam ingressus complura illi oppida primo fere adventu atque una excursione ademisset, sibi per Baldizonum enunciari jussisset, se Francisci posita contentione eum in antiquam paternamque gratiam recepisse; & proin rogare, ut relicta expeditione Franciscum bello amplius insequi desineret. Id Regi gratum fore, si ille sincera erga Philippum fide pergeret. Sed mirari, ita facile Philippum credere Franciscum bono animo secum agere, in gratiamque redire: quandoquidem per Petrum Brunorium ac etiam postea per Troilum, exploratum habeat, qui omnia illius consilia cognoscebant, dum apud eum essent, reconciliationem eam Venetorum, Florentinorumque consilio atque opera confictam esse, quod rerum exitus brevi ostenderet. Mirari præterea Alphonsum, quod de conditionibus renovati cum Francisco fœderis nequicquam secum Philippus communicasset, quasi nihil ad eum de ea re pertineret. Si Philippo mutatâ sententiâ placuerat pro generi salute Regem à suscepta expeditione discedere, debebat omnium primum jubere, Franciscum ex iis Oppidis præsidia educere,

A quæ adhuc in sui Regni finibus occupabat. Demum non posse Regem à Piceno bello nisi eo perfecto desistere, quod Pontificis jussu auspiciisque contra Romanæ Ecclesiæ hostem gereret, quodque præcipue Philippo auctore atque impulsore, ut prædiximus, suscepisset. Cum dicendi finem fecissent, qui à Philippo legationi audiendæ destinati fuerant, Ugutio Contrarius, Franchinus Castilioneus, & Nicolaus Guerrerius magnæ apud eum auctoritatis viri, se quæ tulissent, ad Philippum renuntiaturos, & de illius sententia responsuros dixerunt. Sed paulo post Philippus ipse legatis in Arcem accersitis mirari se magis inquit, quod Alphonsus amissis quæ ad Pontificem Eugenium pertinerent, & ad Nicolaum Picininum, quem omni tempore fidelem sibi cognovisset, sed in una dumtaxat
B Francisci Sfortiæ causa aliorum quorumdam impulsu minus obsequentem invenisset, aliis magis quam sibi de Francisci in sese animo credere perseverasset. Debuisse certe Alphonsum in ea re plus sibi fidei habere, quam ceteris omnibus, quippe qui Franciscum & in generum accepisset, & in filium adoptasset. Satis sibi constare eum optimo erga se esse animo, & propterea illum in pristinam à se benivolentiam ascitum, cupereque admodum, quod promisisset, præstare posse, uti à Rege illius vexandi persequendique
C finis fieret. Se hoc uno quid apud eum Philippus posset, judicaturum. Non esse nescium Alphonsum quantum ipse Francisco, & quantum ille sibi debeat. Sed dolere plurimum, se toties ac tam multis precibus frustra à Rege contendisse, uti à suscepto in generum bello desisteret, cum sciret maxime, quam ejus semper amplitudini favisset. Hoc responso legati ad Regem remissi sunt. Alphonsus interim recepto Visso, exercitibusque conjunctis, postridie inde moverat, & superato per Camertes Apennino, die quarto inter duo oppida Montem Melonem & Monticulum Piceni agri pervenerat, castrisque ad Potentiam amnem positis ac excursionibus circumquaque factis tantus est illico finitimis illatus
D terror, ut Meloniani & Monticulani nulla contentione ei sese dediderint. Hoc idem consilii ut sunt Picentes natura mobiles novisque rebus studentes, missis paulo post in castra ad Regem legationibus, secuti sunt Sanctoseverinates, Matelicenses, Tolentinates, Maceratenses, Appinianenses, & qui Montem filiorum Optrani inhabitant hoc enim nomine eorum Oppidum Picentes appellant. Eo etiam tempore Petrus Brunorius, quem Fabrianum præsidio missum diximus, multis jam Alphonsi pollicitationibus inductus, Troilo in primis & Inico Givara uno
E ex Regiis purpuratis, de quo supra mentionem fecimus, auctoribus, oppido præter omnium opinionem relicto, ad Regem totis quibus præerat copiis, transivit. Quo digresso, Fabrianenses eo præsidio liberi correptis illico armis, plebeque in magistratus concitata, ad hostes defecerunt. Quibus rebus gestis rex motis castris, Æsium à Troilo, qui jam ut ostendimus, multo ante pepigerat, accitus ire contendit. Quo ubi ventum est, Troilus, ut erat animo exulcerato, oblitus tot ac tantorum Francisci beneficiorum, non modò sese Regi cum universis copiis, quas ei Franciscus tuendæ Urbis causa reliquerat,

sed

sed ipsam etiam Urbem Francisco fidelissimam, & loco in Picentibus peropportuno ad bellum gerendum sitam tradidit, fecitque ita ut ea Urbis proditio ejus ad hostem transitum per se turpem ac detestabilem turpissimum detestabilissimumque & perfidiam insignem multo insigniorem per omnem ætatem redderet. Arcella verò, quam præfecti solertia à proditoris manu servaverat, in fide perstabat. Sed ea cum Brunorius omnium primus ut quantum militari arte ac diligentia præstaret, Regi ostenderet, ex propinquis ædibus oppugnare adortus esset, non multo postquam oppugnari cœpta est, majore præsidii parte telorum multitudine interemta, Rex per deditionem potitus est. Hæc tam insperata duorum insignium virorum uno tempore defectio, repentinaque tot Oppidorum rebellio Picentum cæterorum animos vel terruit vehementer, vel extulit. Nam qui aut clam conspirare jam cum hostibus, aut palam de deditione agitare consilia cœperant, ad defectiones audacius impellebantur, quibus in officio permanere mens erat, metu non mediocri quatiebantur. Infirmi infirmiores, fimi verò molles ac parum resistentes reddebantur. Ex quo cum esset plurimum de Francisci viribus & auctoritate diminutum, plerique omnes jam de illius fortunis actum esse existimabant; ob eamque rem Cingulani in primis novandæ rei occasionem nacti in præsidium impetum fecerunt, militumque bona inter sese partiti, Oppidum Regi tradidere. Quod ubi acceperunt Auximani, conflata jam rebellione in Johannem Tolentinatem & Antonium Trivultium, qui ei supplemento additus fuerat, & in equitatum universum populariter irruentes, bonis omnibus nudaverunt. Dein Ricinatenses ab iis solicitati, mox & ipsi quoque defecerunt. Quorum exemplum imitati sunt Picentes ceteri, qui inter duos amnes Clentem, ac Potentiam incolunt. Quicquid inde Firmum usque relinquebatur agri, sine ulla vi in Eugenii Pontificis ditionem devenit.

Accessit ad hæc mala, quod fides non minus in militibus copiarumque ducibus quàm in universis prope Picenæ provinciæ Populis perangustior infirmiorque erat. Omnes enim eo hostium adventu vacillare animis cœperunt. Flascus Girasius inter reliquos, & Guilielmus Baverinus ad Regem desciverunt. Quod fuit certe contra omnium opinionem, cum iis per omnem fere ætatem Franciscus familiarissime usus esset, & ob id alterum Staffolo, alterum Massatio oppidis inter Æsium, Cingulumque sitis præsidio reliquerat. Sed illi tot rerum motibus perculsi, suæ salutis causâ sese Regi unà cum oppidis permiserunt, quos propter eorum egregiam virtutem humaniter excepit, & ne ad hostem redirent, suæ militiæ ascivit, & militum illis numerum & stipendium auxit. Sigismundus præterea, ut erat homo natura mutabilis rerumque novarum cupidus, ubi de Regis in provinciam adventu cognovit, de deditione ad eum clam misit. Cui deinde appropinquanti pollicitus est, deserto Francisco, ei sese cum omni ejus ditione dediturum, imperataque facturum. Confecissetque rem certe, ut erat pollicitus, ac socerum insuper hosti prodidisset, præsertim quod verebatur, ne subactâ provinciâ totum postea in sese bellum converteretur; quodque avaritia non mediocri stimulabatur, cum grandem à Rege, Pontificeque pecuniam se consecuturum expectaret, nisi quod multa interim acciderunt, quæ illum à tanto facinore & prohibuerunt & deterruerunt. In primis quod Franciscus, cui illius fides suspecta esse cœperat, posteaquam Fanum se reduxit, portas Urbis ejus singulas suo præsidio firmaverat, suosque ex fidelioribus præfecerat, ubi tot penes se ex veterano milite cohortes habere voluit, ut & Sigismundi copias & Fanensem Populum numero ac robore longe superarat, quodque is etiam multis argumentis aperte intelligebat, & Philippum Francisci partibus favere, & Venetos ac Florentinos, quibuscum tota Flaminia sentiebat, auxilia prope diem missuros. Accedebat ad hæc præterea, quod Franciscus ad sustinendam insolentissimi hominis petulantiam, si quid pecuniæ ex Venetiis Florentiaque afferebatur, magnam illi partem dari jubebat, & sæpe ubi minus erat pecuniæ vasa argentea & gemmæ ex uxoris ipsius ornamentis fœneratoribus credebantur; ut inde accepto argento illius avaritiam quoad posset expleret. Postremo quod cum Dominico Malatesta fratre, qui Braccianam fidem sequebatur, ita egerat, ut quicquid ex sua ditione aut vi aut voluntaria deditione ad hostes defecisset, suo ille præsidio firmaret. Rex Urbe, ut ostendimus, Æsio recepta, adversùs Franciscum recta ducendum judicabat, nec prius consistendum, quam illum totâ provinciâ depulisset, quod existimabat ejus præsentiam veritum Fano excessurum. Sed Nicolaus spe per proditionem Rochæ Contractæ potiundæ effecit, ut consilium mutaret, cum diceret esse nonnullos ex præsidio, qui clandestinum sibi aditum in oppidum pollicerentur, qua spe Rex adductus, eo cum exercitu profectus castra quamproxime potuit muro admovit, sed oppugnandi Oppidi nulla facultas dabatur. Spes erat aut per proditionem capi posse, aut per aquationis inopiam ad deditionem compelli; ob eamque causam rursus ita in artum toto fere peditatu quo plurimum regius exercitus abundabat, Petro Brunorio auctore atque duce cinxerunt, ut omnem prorsus aquandi extra muros obsessis potestatem ademerint. Quare oppidani simul & peregrini milites tanta aquæ penuria laborare cœperunt, ut diutius ferre non possent. At Robertus quem ut supra diximus præsidio Franciscus præfecerat, quamquam sese hostibus alacriter objiciebat, crebrisque eos non tam diurnis quam nocturnis eruptionibus fatigabat, submovere inde conabatur, adhibita diligenti intus cura, ne qua seditio oriretur, ne quive motus excitarentur, nullum aquæ tamen inopiæ remedium inveniebat, cum præsertim neque plueret, neque unde aquam exhaurire possent, haberent. Omnia enim caloribus arescebant. Ea igitur difficultate, ne oppidum hostibus dedere cogeretur, in hunc modum providit. Eo aquæ reliquo, quæ aut puteis aut vasis aliis servata supererat, homines tantummodo uti permisit. Equos ac jumenta quæque occidi, & per præcipitia in hostium castra demitti jussit. Quod ubi Alphonsus animadvertit, obsidionem solvere instituit. Itaque motis inde

ca-

castris ad Metaurum amnem continuato itinere profectus millia passuum quinque à Fano consedit. Ex itinere totus Fanensis ager, qui ultra id flumen est, Regi primùm ultro deditione facta in Dominici Malatestæ, ut erat ante constitutum, devenit potestatem. At Franciscus eo hostium adventu cognito, quod erat ut demonstratum est, longe inferior majore præsertim copiarum parte per oppida præsidio distributa, Urbe se continebat; levia tamen prœlia haud procul Urbis mœnibus committebantur. Interea advenere Johannes Balbus & Petrus Cotta legati à Philippo missi, de quibus supra mentionem fecimus. Hi primùm Fanum ad Franciscum flexerunt; qui posteaquam illum legationis causam edocuere, in castra ad Regem accesserunt. Cui cum eadem, quæ prius Baldizonus exposuerat, retulissent, respondit Rex, misisse se ad Philippum legatos, ex quibus quid sui sit consilii, facile cognosceret; & tamen paucis eos rerum summam, quas legati ad Philippum pertulissent, edocuit. (59) Inter hæc Zarpellio & Dulcius, quos Franciscus rursum è Tuscania revocarat, magnis per Etruriam Flaminiamque confectis itineribus Fanum pervenerant, & petita item diu à Venetis, Florentinisque auxilia, Bononiensibus pacatis rebus Ariminum tamdem adventare cœperant. Præterea Fla-

(59) MS. Eo autem tempore Francisco renuntiatum est, Nicolaum Picininum inter suos divulgasse Braccianos omnes à Sfortianis perfidos proditoresque appellari. Quos idcirco Nicolaus faciebat, ut suorum animi in Sfortianos majore odio, majoreque ira irritarentur. At Franciscus hostis calliditate cognita, non ut suos purgaret, qui minus essent ejusmodi culpæ conscii, sed ut rejiceret in auctorem conjecta calumniæ tela, mittit confestim in hostium castra ad Alphonsum Regem Jacobinum Mediolanensem inter omnes ejus tubicines admodum exercitatum, linguâ promtum, & animo adeo infracto, ut nihil, quod etiam maximum esset & periculosum, audenter referre dubitaret. Is diligentius quid dicturus esset, edoctus quum primum venisset in hostilia castra, à Rege pro more petiit, ut quod ab imperatore suo jussus fuisset, impune sibi exponere liceret. Qua re facile impetrata continuo faciem oculosque in Nicolaum convertens, ita Francisci nomine loquutus est, ubi aderant cum Principes, magnique viri, tum maxime & Eugenii Pontificis, & Philippi Ducis legati: *Tu, Nicolaè Picinine, falso Sfortianos calumniaris, quod ab iis milites tui proditores appellentur, cum nequicquam hujusmodi umquam loquuti sint. Quin ipse imperator noster Franciscus sæpe palam dicere solitus est, non parum mirari sese, quod milites tui, qui fortes bonique viri habentur, te sequantur; tua flagitia, tuaque scelera tam patienter ferant. Quandoquidem neque Deum metuens, neque ullam hominum de te infamiam veritus, nihil umquam neque cogitas, neque moliris, nisi dolose, & per omne fraudis insidiarumve genus. Et ut tu ac omnes recte intelligant, nemo sane, ut prædixi, Sfortianus Braccianum militem quemquam proditionis insimulat. Sed hoc certe verum est, quia Franciscus ipse dux noster te eorum ducem & proditorem & turbatorem pacis, fœderumque ruptorem & appellavit palam, & appellat. Velim mihi dicas, Nicolaè, quibus cum umquam pepigisti quicquam, quod ulla ex parte servaveris? Nonne semper seu composita jam pace, seu ictis per te fœderibus sive induciis, mox de bello, de præda non solùm cogitas, sed continuo sine ullo pudore inita per dolos consilia re perficis? Proin dux meus se Regem inquit admonere, ne quam illi fidem habeat, quem nihilo sibi fideliorem futurum sperare possit, quam ceteris Principibus, quibus ille seu stipendii jure seu fœdere obstrictus erat, quamque ipse etiam Francisco fuerit; cui fidem, ut cetera prætereat, post factam apud Martinengum pacem dederat; se communi consilio bellum adversùs te, Rex Alphonse, suscepturum, velut qui putaret sua audacia, ipsoque solo sui nominis terrore se omnia subacturum, quum ne quidem umquam ante tuum adventum in Piceni agri planiciem descendere ausus fuerit. Utque etiam his omnibus prætermissis facile tu, Rex, cognoscas, quantam in eo homine fidem habere possis, citetur Braccius Montonensis, citetur Oddo ejus filius, quorum necis Nicolaum hunc præcipuam exstitisse causam, satis compertum est. Citentur Florentini, apud quos ejus imago ob egregiam fidem, probitatemque per pedem pendet deorsum versa. Citentur alii etiam illustres Italiæ Principes atque Populi, qui illius perfidiam maximo suo cum detrimento experti sunt. Si enim is non esset toto, ut est, corpore debilitatus, provocaret eum profectò imperator meus ad singulare certamen. Sed quoniam omnis de corpore suo victoria ignominiam potius quàm laudem victori allatura esset, petit, sibi ut liceat ex suis copiis centum equites & illi totidem deligere, ut præcipuo ac singulari partis utriusque certamine uter justiorem foveat causam, æque in campo decernatur. Petitque simul, ut tu, ò Rex, æquus adsis pugnæ spectator.* Quum hæc dixisset, Nicolaus, qui jam ab ipso usque dicendi initio commotus, impatientissime omnia audierat, multis in Franciscum absentem calumniis primum conjectis, fidem suam figmentis quibusdam comprobare conatus est. Dein se perægre ferre dixit, quod non ea esset corporis valitudine, qua ante acceptum in cervice vulnus exstitisset; quia per duellum ostensurus esset, uter proditoris infamiâ damnandus esset. Sed posteaquam sors eam sibi facultatem confecto jam corpore abstulisset, oblatam conditionem, ubi per Regem liceat, læto se animo accipere, posteroque die cum suis ipsam Urbem Fanum patenti campo prodituram. Rex his auditis, communi partium securitati se consulturum recepit. Quibus constitutis, nuntius Fanum reversus, quæ egisset, quive esset hostis animus, Francisco renuntiavit. Quæ quum accepisset, lætus mox suos ad tantæ gloriæ certamen parari jussit, quos ex omni equitatu, quem secum habebat, delegerat. Picininus idem insequenti die, ut erat ante constitutum, cum suis æquum in campum processit. Rex verò cum reliquo exercitu perinde ac dimicaturus esset, procul ab eo minus passibus mille constitit, liberum ut dixerat campum pugnæ destinatum ducibus utrisque præstiturus. Erat ob eam rem in regiis castris & in Urbe item ingens prope clamor & alacritas. Fiebatque maximus undique eo concursus, aliis pugnandi, aliis spectandi studio allectis. Omnes enim ex omnibus duorum totius Italiæ fortissimorum belli ducum catervis delectorum equitum pugnam spectare gestiebant. Jamque animis repræsentari sibi videbatur spectaculum illud pulcherrimum, in quo de gloria deque rei militaris principatu ageretur, uterve dux melior præstantiorque esset. Ceterum Franciscus quamvis suos futuro, ut dictum erat, certamini equis, armis egregie ornatos paravisset, tamdem nata & ab hoste & ab Urbe suspicione minime quidem contemnenda, optimum fore judicavit, seposito animi impetu, ut se mœnibus contineret. Fuerat enim per noctem ex hostium castris certior factus, ubi complures longa sibi amicitia & familiaritate conjunctos habebat, ne Fano exiret, neve Regis fidei suam suorumque salutem committeret; qui non minus quam Nicolaus ipse ejus perniciem exitiumque exoptaret & moliretur. Instructas esse illi insidias, paratam necem. Nihil Regem, quod de securitate promisisset, servaturum, quippe qui esset conniventibus oculis eum à Picinino, totoque exercitu inter prœliandum numero obrui, capique permissurus. Accedebat ad id etiam, quod non mediocriter metuebat, ne si Urbe egrederetur, concitato mox intus tumultu, portæ sibi occluderentur; ex quo fieret, ut & intus & foris uno eodemque tempore in hostium manus proderetur. Inter hæc Zarpellio &c.

Flascus & Guilielmus pœnitentia ducti ad Franciscum cum suis redierant, Alphonsusque quod frustra per ea loca tempus teri animadverteret, nec de obsidenda Urbe propter loci situm sperare posset, cum mari, ut ostendimus, abluatur, qua facile & commeatus & auxilia importari mittique poterant, & Francisci maxime præsentia obsidionem multo tolerabiliorem obsessis diuturnioremque futuram videbat, statuit, dimissis legatis, ipse suo cum exercitu retrocedere, in Regnumque remigrare. Itaque & ipse & Nicolaus pluribus jam consumtis diebus, divisis copiis inde uno eodemque die moverunt. Rex Metauro superato ad Bodium Montem exercitum duxit. Picininus copiis Hisaurum traductis ad Laureum Montem Pisaurensis agri municipium castra posuit; quo inde auxiliares copias, ne Francisco jungerentur, transitu prohiberet, quæ, ut diximus, in Ariminensium fines catervatim in dies appellere dicebantur. Ex quo fiebat, ut Franciscus inter bina castra medius esset. Rex continuato per Æsinos, Auximanosque itinere, Firmum duxit. Cumque ad eam portam, quæ ad oram maritimam portumque vergit, milites positis armis stationibus faciendis intenderent, Alexander vir consilio gravis & armis acer, qui ei Urbi, ut ostendimus, præerat, subita eruptione facta, novissimum agmen à tergo adortus, magnum iis terrorem intulit, ex quibus partim cepit, partim fugavit. Sed exaudito clamore conspectoque tumultu hostes sumtis propere armis, opereque castrorum intermisso magno in Sfortianos impetu feruntur; qui multitudine pressi terga vertere coacti sunt, sed in Urbem tamen incolumes se receperunt. Insigne apud portam certamen fuit, Taraconensibus intra Urbem Sfortianos repellere, illis vero hostes procul mœnibus arcere innitentibus. Adjuvabat Taraconenses illa res plurimum, quod Alexander cum nonnullos ex Civitate ac etiam ex equitatu proditionis suspectos haberet, non audebat totis copiis prodire ac omnem vim in hostes facere. Post hæc Alphonsus, qui eo maxime consilio ibi castra firmaverat, ut experiretur, an ejus adventu motus aliqui in Urbe excitarentur, cum nonnullos cives esse accepisset, qui eo propinquiore facto sese Romanæ Ecclesiæ mox dederent, spe per proditionem Urbis potiundæ dejectus, & item perspecto ejus situ, quæ loci natura longo ambitu & valido insuper muniebatur præsidio, per obsidionem ad deditionem redigere posse diffisus, paucis post diebus motis castris ad Turrim Palmarum Firmani agri municipium profectus est. Inde Maranum duxit, ubi magna ac repentina rerum commutatio in perfugas facta, magnaque illis illata calamitas. Didicerat per eos dies Franciscus, Alphonsum non satis Troilo ac Petro Brunorio fidere, quod haud longe abesset à suspicione, ne ii duo cum hoste sentirent, cujus consilio ad se venissent, sui perdendi aut magni alicujus detrimenti inferendi causa. Quare Franciscus curandum sibi instituit, ut Regi usque adeo de perfugis suspicionem augeret, quo ille eos aut perderet omnino, aut fortunis omnibus exueret; & ita hostis beneficio perfugarum ulcisceretur injurias. Nec enim dubitabat homini peregrino Italico generi propemodum diffidenti adeo perfugas ipsos proditionis suspectos reddere, ut essent pœnas aliquando daturi; cum Gothorlani præsertim suapte natura Italos semper odissent, habeanturque apud eos infidi. Itaque mittitur ad Alexandrum confestim nuntius priusquam Rex Firmum pervenisset, cum epistola ad Troilum, Brunoriumque in hanc sententiam conscripta, ut quod jam erat constitutum, maturarent, nec amplius quod facturi essent, tardarent. Ejusmodi epistolam jubet Alexandrum in hostium castra perferendam curare eo consilio, ut intercepta ad Regem deferretur. Eodem tempore Fani divulgat Zarpellionem se propediem Firmum cum equitatu navibus missurum. Fecit Alexander, ut erat à fratre jussus. Proin capto ab hostibus continuo cum epistola nuntio, ad Regemque perducto, patefacti transfugarum doli, mox visi sunt, & quanto in periculo communis omnium salus servaretur, si se cum Alexandro proditores conjunxissent, Regemque invasissent, quorum in equitatu ac peditatu magna totius regii exercitus vis consistebat. Quamobrem extemplo armato exercitu utrique in prætorium accersiti, mox compræhensi sunt, armisque, equis, atque omni supellectile quæ ingens prope erat & pretiosa, denudati. Nec ita temperari militum furor potuit propter nefandi facinoris magnitudinem cujus insimulabantur, quin omnes eorum copiæ eamdem pertulerint calamitatem. Timor enim subito natus plerumque mentem timenti consiliumque eripit. Eos postea Neapolim perductos & in citeriorem Hispaniam missos Rex in arce Satabiæ Valentini agri custodiri jussit: ubi supra decennium in vinculis permansere. Postridie Rex inde discedens trinis castris in Asculanum pervenit, & mille circiter passus ab Urbe castra fecit, quo civium quorumdam patria per seditionem jam antea pulsorum suasu deflexerat, qui ei intestinorum motuum, si Asculo cum exercitu appropinquaret, spem dederant propter propinquitates & clientelas, quas in Civitate haberent. Sed cum ibi triduum mansisset, nec motus aliqui à proscriptorum propinquis fierent, quod nemo præsidii metu arma sumere auderet, Truentum transgressus, per sui Regni fines copias hyemandi gratia distribuit. In itinere quicquid inter Firmum, Asculumque oppidorum intercedit, Ecclesiæ nullo negotio reddidit. Ipse etiam Alphonsus Interamnam, & Civitellam suæ ditionis oppida Asculanis proxima, quæ eo usque in Francisci fide perstiterant, oppidanis omni spe auxilii derelictis, sese ultro dedentibus, in potestatem accepit. Quibus confectis rebus Johanne Antonio Ursino Taliacotio, Paulo Sanguineto, & Jacobo Montagatha, cum militum manu Picentibus iis præsidio relictis, qui inter Asculum, Firmumque sunt, Neapolim rediit.

Inter hæc Bracciani non aperto bello, sed latrocinantium more Ariminensium, Fanensiumque fines die noctuque infestare non cessabant, quod palam pervadere regionis loca non audebant ob metum eorum, qui & Fani, & per Ariminensium municipia distributi præsidio erant. Zarpellio item contra valida equitum ac peditum manu sumta Francisci jussu Fano egressus multis magnis-

que

que per rebellem provinciam excursionibus factis, cuncta tumultu ac terrore permiscebat. Magnum captivorum ac pecorum numerum agens, oppidumque Seram, quam Comitum Picentes vocant, vi captum prædæ militibus concessit. Interim auxiliares copiæ supra quatuor armatorum millia, quas Veneti ac Florentini, ut prædiximus, miserant, omnes in Ariminenses convenerant, quarum ductores erant Thaddæus Estensis, Guido Rango, & Tibertus Brandolinus à Venetis, & Simonetus à Florentinis missi. Post hæc Franciscus eas sibi copias jungere, Picininumque ubicumque esset invadere instituit. Sed neque illæ ad se, neque ipse ad eas, hostibus transitum prohibentibus ire poterat. Duces tamen copiarum hosti appropinquare jussit, locumque castris ad Sanctum Johannem, quem ad Marenianum dicunt, quatuor circiter passuum millia à Picinino distantem delegit. Hunc, etsi natura & artificio munitus erat, fossa tamen & aggere munitiorem reddendum curavit. Dein & Zarpellionem Fanum redire, & Alexandrum cum iis copiis, quas secum habebat, cùm primum Regem Truentum transisse, exercitumque in hiberna dimisisse cognovit, ad se quamcelerrime proficisci imperavit: qui Conticino Carpensi, & Christophoro Cremonensi cum equitatu ac peditatu Firmi præsidio relictis, per Anconitanorum fines, & per maritimam deinde oram paucis diebus Fanum pervenit. Præterea quammaximas undique copias potest, eo convenire jussit. Conduxerat enim haud multâ pecuniâ paulò ante majorem regii peditatus partem cum ipsis centurionibus, qui audita multisque exemplis perspecta Francisci singulari in milites liberalitate ac munificentia, deserto Rege, dum ille apud Fanum esset, Regnumque postea repeteret, magno ad eum studio confluxerant. Omnibus igitur rebus, quas bello usui fore putarat comparatis, copiisque unum in locum coactis, Franciscus circa Nonas Novembres Fano eduxit, agmineque instructo in hostem ire contendit eo consilio, ut exercitu Hisaurum traducto, castrisque non longè ab eo flumine positis, postero die se cum altero exercitu conjungeret, quo majoribus auctus viribus hostem, qui se munitissimis castris continebat, pluribus locis invaderet. Cui ex itinere renuntiari jubet per Tubicinem quemdam, qui pridie ad eum, quid ageret, exploratum venerat, à Picinino alia ex causa se missum simulans, sese instructis copiis per patentes campos in eum iter facere, ex eadem qua ille utebatur, aqua eo die bibiturum. Nam in eumdem quem prædiximus amnem Bracciani milites paulò inferius ex eo loco, in quo castrametaturus erat, aquatum ibant. Ubi verò ad flumen ventum est, consistere aciem jubet, quod nisi solo vado per ea loca id flumen cum propter vim aquæ, tum propter ripæ utriusque altitudinem transiri poterat; cui Castellum impendet, quod Abbatis Montem vulgo appellant, loci situ validum. Huc paulò ante transmissi à Picinino venerant Dominicus Malatesta, Robertus Bodiensis Braccianæ militiæ præfecti, Angelus Runco, & Petrus Mevaniensis Ecclesiastici tribuni militum cum non parvo equitum ac peditum robore ad quatuor millia; quo & Castello præsidio essent & transitu hostes prohiberent. Hi etsi in armis erant: & in planum descensuri, impetumque aut in impedimenta, aut in postremum agmen facturi credebantur, tamen nec loco discesserunt, nec euntem militem quemquam lacessere ausi sunt. Quod cum animadvertisset Franciscus, tum transire ordines Flumen jussit. Ceterum Alexandrum & Zarpellionem imminentibus opposuit hostibus cum iis mandatis, ut tamdiu ibi consisterent, donec exercitus omnis impedimentaque flumen transissent. Ipse amne trajecto ad principia se contulit. Et jam miles castra metari cœperat, cum ad arma conclamari ad dexteram exauditum est. Collis est à Laureo Monte, apud quem Picininus, ut demonstravimus, castra habebat, ad Hisaurum usque ad duo passuum millia fere perpetuus, à latere utroque leniter castigatus dorso æquus tumulis quibusdam interjectis. Is clivum habet ad planiciem quamdam non satis latam desinentem, quæ ad flumen pertinet. Per hunc pedestris Bracciana manus paucis intermixta equitibus progressa in planiciem descenderat, Sfortianosque lacessere cœperat. Clamore mox sublato, tumultuque excitato huc Sigismundus à Francisco missus celeriter accurrit, qui hostes repellat, ne in ponendis castris milites turbarentur, quod jam dies inclinarat, pluereque leniter cœperat; ob eamque rem nec prælium multo milite committendum, nec hostem insequendum iniquo præsertim loco videbatur. Ceterum crescentibus sensim hostium copiis, Sfortianosque de superiore loco acrius cædentibus, in quibus Picininus aderat, Sigismundus eos neque propellere adversarios cum in clivum se reciperent, neque suos inde dissolvere, ingruentibus à tergo hostibus poterat. Itaque quo in statu res esset, Francisco renuntiari jubet, opusque esse majore equitum manu. Qua re nuntiata Franciscus dimisso statim castrametandi negotio, eo advolat, perspectoque loci situ, & qua se hostes munitione tuerentur, continuò ad se aciem accersiri jubet; Thaddæumque insuper ac socios pluribus velocissime dimissis nuntiis edocet, uti omnibus copiis ad Laureum Montem quamcelerrime ire contendant, & animo alacri hostilia invadant castra, quo & à fronte & à tergo uno eodemque tempore hostis premeretur. Dein ubi ad se ordines primi appulerunt, impetum alacriter in hostes fieri imperat. Quo facto, illi in clivum repulsi, ibi phalange facta resistere innitebantur. At Franciscus etsi animadvertebat clivum ascensu difficilem esse, repugnantibus desuper hostibus, tamen majoribus rursus viribus instat. Bracciani cum sustinere vim non possent, in summum collem se recipiunt, ac tumulo qui primus oblatus est occupato, inde amovere hostem conantur. Sfortiani contra acrius subeuntes collem & ipsi superant, hostesque tumulo dejectos locum deserere compellunt. Ii ubi secundum ad tumulum pervenerunt, in hostes conversi subsistunt. Qua Nicolaus munitione confisus, prælium enixius instaurat. Pugnatur eo, quod intercedebat, spatio fortissime. Sigismundi equites in prima versabatur acie, quod ita ille dimicandi cupidus à Francisco pugnæ initio impetrarat. Ii cum sæpe rejecti terga hostibus vertissent, subsidium sibi multis vocibus submitti

mitti petebant, equos iterum atque iterum conclamantes, ut in prælio ab iis qui premuntur, interdum fieri solet. Quibus Franciscus fugientibus obvius stricto ense postremo factus eos acerbius increpat, ignaviæque gravius accusat. *Suntne*, inquiens, ***hi quibus insidetis equi, an asini, aut pecudes? Faciem non terga hostibus vertendam esse, formidinem dimittendam, subsidia & ipsum adesse***. Quibus dictis prætorianam turmam alteram, cui propter eximiam virorum virtutem plurimum confidebat, in venientes immittit hostes. Ejus incursu mox illorum reprimitur impetus. Franciscus mutato equo, redintegratis fugientium viribus, confirmatisque in prælium animis, majore conatu in hostes fertur. Sed cum illi obstinatissimis animis resistentes loco minus cederent, alia quàm à fronte via deturbari eos urgerique oportere putavit. Transierant interim flumen sui omnes & novissimum etiam agmen, quod impedimentis, ut diximus, præsidio relictum fuerat. Itaque per nuntios mandat, Alexandrum fratrem vadum servare, ne hostes qui à tergo trans flumen erant, in impedimenta irrumperent. Zarpellionem cum suo equitatu sumta etiam valida peditum ac sagittariorum, pilulariorumque manu, quà nuntius ostendere, celeriter contendere. Is inter eundum à Francisco quid fieri vellet edoctus, ad lævam properat; qui ubi ad præscriptum pervenit locum per declivum, qui erat ad sinistram, collem subit, & relicto ad dexteram tumulo, in quo Nicolaus cum viribus resistebat, in confertissimum hostium agmen, qui præliantibus suis subsidio parati stabant, magno impetu magnisque clamoribus sese medium infert. Cujus adventu extemplo perturbatis ordinibus hostes, & qui à fronte ferocissime dimicabant, & qui post principia constiterant, vi coacti terga dant, & quisque, qua offertur iter, fugæ se mandat. Nicolaus via vi per medios hostes facta, hos atque illos incitato equo prætergressus, fugientes suos hortatur, ut in adversarios conversi illorum impetum paululum morarentur, simulque admonet, ut conserti non palantes in munitiones castrorum, quæ proximæ essent, sese reciperent. Nec dux tamen his vocibus suos jam in fugam conjectos continere potuit, qui effuso cursu castra velut salutis suæ spem reliquam repeterent, cum ibi se tueri posse confiderent.

Itaque Sfortiani victores dum infestius victos agunt, multos ex iis capiunt, multos multis illatis vulneribus equisque confossis consternunt. At ubi in castra ventum est, quæ una tantum parte adiri poterant, complures ex Bracciana manu, quibus & animi & corporis inerat virtus, restiterunt, aditumque duplici repagulorum ordine firmatum ab hostium ingressu enixius defendere cœperunt. Muniebat præterea eum aditum non tam munitio ea, quam paucis ante diebus Nicolaus aggere & vallo instruxerat, quàm Castellum quod desuper instabat natura & opere permunitum. Sed dum Sfortiani & à fronte & à lateribus hostes telis, pilulis, omnique missilium genere acrius impetunt, Johannellus Arianensis ex prætorianis equitibus strenuus & manu promtus, eximioque vectus equo intra repagula audacissime prosiliit. Quem mox aliis atque aliis subsequentibus, hostes aditu deturbantur, quibus pulsis continuo ceteri rursus terga dedere. Quod conspicati qui Castello præsidio erant, desertis illico stationibus, fuga & ipsi quoque salutem sibi quæsiere. Nox interim adventarat, & pluviæ increbruerant, cum in hostium munitiones post diu multumque per variam fortunam diei consertam pugnam penetratum est. Vicit tamdem acerrimum belli ducem pertinax alterius fortissimi viri virtus. Dein cum nihil victoribus impeditum esse soleat, paulo fere momento militibus undique huc atque illuc prædandi studio discurrentibus, castra passim capta sunt atque direpta; ubi magna supellex inventa est, mensæ per tabernacula stratæ, cœnæque paratæ, magna armorum vis, magnusque equorum numerus, quod non omnes initio pugnæ induerant arma, cum haud existimarent contemto etiam ducis imperio hostem in tam munitissima castra irrupturum. Magnus præterea captivorum fuit numerus, qui hostis manus effugerunt. Noctis beneficio adjuti salutem sibi pepererunt. Picininus post profligatum fugatumque exercitum paucis ex suis comitantibus castris excessit, totamque fere noctem per invia atque inculta erravit, nec antea restitit, quam ad Montem Sicardum ultra Isaurum Pisaurensis agri municipium sese longo labore, gravique animi dolore prope confectum recepit. Qui prœlio superfuerunt, alii Pisaurum, alii in municipia alia per noctem profugerunt. Franciscus tenebris jam factis, hostium castris potitus, militibus opulenta præda impeditis ibi manendum duxit. Alexander fratris jussu noctem universam in armis egit, nec sibi, nec militibus qui cum eo erant, nec impedimentis quies ulla data. Multi locorum viarumque imperiti quærendis suis totam noctem errabundi mane in hostiles captas munitiones acciti eodem omnes læti sese contulerunt. Thaddæus quoque ac socii cum pæne sero Francisci ad eos de inito prœlio nuntii pervenissent, incerti quid consilii caperent, tota pæne ea nocte in acie steterunt, ignari etiam earum rerum, quæ postea ad Montem Laureum gestæ fuerant. Ceterum Franciscus hac victoria parta, agitare animo cœpit, oblatam recuperandæ provinciæ occasionem haudquaquam prætermittendam, cum prudentis esset, non minus scire victoria uti, quàm vincere; in primisque celeritate opus esse, priusquam hostes ex fuga trepidi spiritus reciperent. Proin instituit biduo post duobus conjunctis exercitibus, motis inde castris, & Picininum persequi quem in Picenum fugere intelligebat, & provinciam simul invadere, ac omnibus belli artibus anteaquam hostis vires colligeret, & oppida præsidio firmaret, ad deditionem cogere. Quod haud difficile futurum arbitrabatur, si recenti victoriæ fama ac magno exercitu victos atque ex aliis in oppida alia fugientes hostes insectaretur; si territos, si imparatos ac mutabiles natura Populos ocius opprimeret; perseverassetque sane Franciscus quod instituerat, efficere, præsertim quod eâ victoriæ plane videbatur fortuna, quæ solet in bello virtuti maxime conjuncta plurimum posse, ei admodum favisse, cum & in priorem rei bellicæ auctoritatem restitutus esset, quæ propter Fanensem inclusionem

non

non nihil diminuta videbatur: cum denique tot superioribus annis acceptas à Picinino injurias ultus esset, nisi Sigismundi petulantia atque temeritas omnia ejus consilia perturbasset. Is enim ut intellexit Franciscum in Picentes propediem castra moturum, multis incensus querelis eum adivit, commemorareque cœpit, se fortunas suas omnes pro illius dignitate, pro commodo, proque suorum omnium salute hostibus objecisse, nihilque sibi demum reliqui superesse. Constare jam satis Deo immortali atque hominibus, quid ipse tot uno tempore ingruentibus hostium copiis egerit, & qua fide, quove animo omnia etiam durissima pertulerit. Quot præterea sui Populi fere omnes & vastitates & incendia, quot populationes, quot maleficia atque injurias non tam ab hostibus, quam ab ipsis etiam amicis perpessi fuerint, neminem esse qui ignoraret. Decere propterea nunc cum vicerint, se quoque qui tot laborum totque periculorum socius fuerit, earum rerum, quas afferre victoria solet, participem fieri, nec honoris nec commodi cujusquam omnino expertem, quod inde ipse consecuturus esset. Oportere hoc tempore suos fines à quotidianis hostium incursionibus tutos reddere, ac curare, ut suis aliquando quiescendi facultas esset. Pisaurum sibi in faucibus esse suorum malorum omnium causam, quod cum inter Ariminum Fanumque jaceat, latronibus receptaculum esse, unde gravia suis quotidie detrimenta inferantur. Hoc eripiendum esse ex hostium manibus, neq; se quieturum umquam, nisi in suam redigeretur potestatem. Nunc superatis fugatisque hostibus idoneum obsidendi ejus oppugnandique tempus esse. Hoc se unum petere, hoc quanto majore posset studio contendere. Quod si impetrare non posset, se haud amplius castra secuturum. Quæ cum audisset Franciscus, non potuit non admirari hominis insolentiam & graviter animo non commoveri. Sed suppressit modestia iram, quando sic tempora ferrent, & aliorum errata sibi patienter ferenda statuit. Quamobrem etsi animadvertebat, ubi diutius per ea loca immorandum esset, longe sibi exercituique universo multis de causis hiberno præsertim tempore detrimentosum fore, tamen ne omnino illius voluntati refragari videretur, quem veluti furentem & ad omne turpe facinus proclivem videbat, humaniter respondit, se non immemorem esse eorum omnium, quæ recensuisset, suaque egisset causa; nec ingratum erga eum de se benemeritum umquam futurum; & ob eam rem, quicquid consilii atque opis in se esset, quo ejus satisfaceret desiderio, libenter se præstiturum, neque laborem ullum recusaturum, quamvis omnis per eam regionem eo tempore exercitus cunctatio maximo sibi foret detrimento. Eo responso mox hominis extincta ira & lenitus est animus. Interim municipes qui cis flumen incolunt, & Pisaurensium juris sunt, clade suorum nuntiata, confestim missis in castra nuntiis sese Francisco permiserunt, quos dein ad faciendam Sigismundo deditionem remisit, ut hominem habendi cupidum beneficio facilius in officio contineret. Post hæc triduo in iis castris exacto bipartito exercitu supra Pisaurum duxit, ut inde tentaret, si forte Cives nonnulli, qui Sigismundi rebus in Urbe secreto favere dicebantur, motus aliquos excitarent. Sigismundus cum altera exercitus parte trajecto amne, Abbatisque Monte recepto, oppidum Candelariam obsedit. Idque mox verbis magis quam viribus metum oppidanis incutiens oppugnare adortus est. Franciscus ubi vidit spem per proditionem Pisauri potiundi ademtam esse, nec Urbem maritimam muro ac fossa validam & præsidio insuper permunitam sibi obsidendam esse præsertim per hyemem, ubi tempus nequicquam absumturus esset, ductis ad Nubilariam copiis, castrisque circumpositis, consedit, quod est municipium inter Pisaurum, Fanumque pari fere intervallo situm loci natura, opere & præsidio munitissimum. Dominabatur per id temporis Pisaurensibus Galeacius Malatesta, qui veritus Sigismundi insidias, Braccianas partes sequebatur, Picininique præsidium paucis ante diebus in Urbem admiserat, cui Fredericus Feretranus præerat, qui & Pisaurum diligentius servabat, ne qua ibi seditio aut tumultus oriretur, & Nubilariam insuper valida peditum manu munierat. Hanc admotis muro machinis oppugnare adortus, post sextum obsidionis diem nullo intermisso tempore effecit, ut tentata levi prœlio expugnatione municipes timore territi mox se se uxores, liberos, fortunasque suas omnes Francisci fidei commiserint. Sigismundus interim recepta per deditionem Candelaria ad Francisci castra redierat. Post hæc Nubilariâ in potestatem redactâ, validoque peditum præsidio firmatâ Franciscus motis inde castris, in Picenum, uti prius decreverat, justis itineribus ire contendit. Et omnium primum Montem Bodium expugnare aggreditur, oppidum in Picentibus Populo satis frequens, & fertilitate soli opulentum; cujus erat regulus paterno jure Robertus Bodiensis quem supra nominavimus, ex tribunis equitum Bracciani exercitus primarium. Sed cum eo die ab exercitu propter continuum imbrem ægre pugnatum esset, postremo importunus noctis interventus re infecta prœlium diremit. Ceterum oppidani veriti, ne postridie rursus majore conatu acrius impeterentur, ubi illuxit, suam suorumque omnium incolumitatem pacti sese Francisco permiserunt. Arx quoque non multo post sine ullo negotio tradita est. Dum vero Nubilaria oppugnabatur, omnes regionis accolæ, qui ultra Metaurum in Picentibus Sigismundo parebant, & ad hostes primo adventu, ut ostendimus, defecerant, ad pristinam sui reguli fidem redierant. Quo tempore Captabriga, quem Franciscus de se benemeritum superioribus annis Cornalto in regione oppido non postremo donaverat, quo se dum ad Regem metu defecisset, continuerat, ad antiquam sui ducis fidem reverterat. Huc cum paulo ante Franciscus uxorem Blancam ex Fano proficisci jussisset, eo illius revisendi gratia cum paucis deflexit.

Interim ne dies frustra consumeretur, imperavit, ut exercitus ad expugnandum Montem Novum non procul inde positum procederet. At Montenovenses quorum jam mentes cognito præterito finitimorum periculo, nuntiataque deditione, ingens prope terror occupaverat, futurum existimantes, ut omnis deinceps hostilis impetus in sese ver-

verteretur, ad Blancam propere mittunt, qui ei oppidum dedant, viros, uxores, liberos, ac mulierum præcipue decus commendent, impetrentque demum, ut ea deprecatrice omnes serventur incolumes, quos Blanca perbenigne exceptos adhortata est, ut bono essent animo, nihilque hostile timerent, quos in suorum numero habitura esset. Quibus dictis domum remisit, nuntiumque illis adhibuit, quo ejus præsentia deditionem jam factam testaretur. Itaque reversis in oppidum nuntiis oppidani magno timore levati, quod se Blancæ ejusque nuntii fiducia tutos fore putarent, & opus curamque omnem de tuendo oppido intermittunt, & Franciscum de iis, quæ cum Blanca egerant, certiorem facere negligunt. Nec postridie ejus diei cum exercitus præcursores eo primum appulissent, & ordines deinde in sese venientes prospicerent, oppidum seque defendere parant. Zarpellionis tantummodo hortatu, qui inter primos eo accesserat, portas clausere, ne oppido multitudine incondita prædæque avida repleto, per rapinas sensim diriperentur. Sed inscitia quorumdam fecit, ut permulti de exercitu partim amicitia partim tuendæ salutis gratia, quod sibi ab exercitu timerent, introducerentur. Quod cum animadvertissent ceteri, qui foris manentes cibum petebant, nec exaudiebantur, invidia atque ira permoti, spreto Zarpellionis imperio, omnes uno fere momento muros defensoribus vacuos facile undique superant, oppidumque ingressi portis mox refractis in prædam vertunt. Quibus cognitis Franciscus eo celeriter accurrens miserabilem Montinovensium casum uxoris præsertim causa permoleste tulit. Quare continuo & oppidanos jam ubique per ædes vinctos solui jussit, & mulierum pudorem sancte servari. Bona vero quoniam multa à multis rapta perdifficile erat ab occupantium manibus evelli posse, militibus habenda permisit. Inter hæc Piccininus, quem post Lauream pugnam in Picenum profugisse diximus, data ut ostendimus Sigismundi causa, & sese ex fuga recipiendi & provinciæ rebus consulendi facultate, cum in Picenum pervenisset, accersitis undique confestim copiis, quæ aut prœlio abfuerant, aut per noctem evaserant, primarias provinciæ Urbes, atque Oppida præsidio firmavit, adhortatusque est, ut in fide manerent Romanæ Ecclesiæ, seque cui nec animus nec vires tuendæ provinciæ deerant, eis ubi opus esset, auxilio affuturum spopondit. Post hæc cum se Monticulum recepisset, quod is locus regionis retinendæ idoneus visus esset, ibi se & militum numero & vallo insuper & aggere communire non destitit. Franciscus motis ex MonteNovo castris, uxore Corinalti relicta, per medios hostes contumacesque Populos iter faciens Firmum versùs ire pergit, futurum arbitratus: ut Picentes, qui à se defecerant, pœnitentia ducti, si non omnes, at saltem multi, conspectis signis ad eum de reconcilianda gratia mitterent, quo defectionis notam voluntario reditu delerent. Sed quoniam omnes mœnibus sese continentes, cernebant hostem per hyemem perpetuosque ferè imbres, velut Novembri mense, & per solitudines progredi, & sub dio castra facere, quem commeatu ullaque alia re juvabat nemo, perpauci admodum inter tot Populos ad eum de deditione miserunt. Cùm verò ad Potentiam Franciscus pervenisset, & cibariorum inopia durius premeretur, quo aliqua ex parte exercitum instauraret, MontemFanum vi captum prædæ militibus concessit. Quo tempore Picentes, qui inter Auximum, Ricinatumque inhabitant, quorum oppidum castellum Ficardum nominant, situ & Populo haud ignobile, sese ultro Francisci fidei tradidere. Quo recepto oppido ac firmo equestri præsidio imposito, ut inde duarum Urbium agri per hyemem reliquam infestius vexarentur, Franciscus fame ac omnibus pœne rebus gravius in dies laborante exercitu, cœpto in itinere pergit, & Potentiam, Clentemque transgressus, in agrum Firmanum ducit. Ibi dies aliquot quieti militibus dati, ut se à tantis incommodis reficerent, quæ hactenus per omnem hyemis contumeliam pertulerant. Urbs enim opulenta & omnibus rebus, quæ ad vivendi usum pertinent, referta, omnia affatim exercitui subministrabat. Per eos dies & Firmani municipes & Oppida quamplura, quæ ad montes pertinent, unde Piccininum superiore æstate pulsum diximus, ultro ad Franciscum de deditione legatos miserunt. Quare magis atque magis Urbs omni commeatu abundare cœpit, atque exercitum libentius uberiusque nutrire. Perstiterunt in hostium fide ii dumtaxat municipes, quorum oppido Sancto Petro Abaleo nomen est, Firmanis veteri odio plurimum infesti, qui ut magis eo bello finitimis incommodarent, seque tueri possent, ab hoste præsidium acceperant, Jacobo Gaivanensi præfecto viro impigro & rei militaris perito, qui superiore Anno, dum Belloforte oppugnatur, altero captus est oculo. Hos Franciscus Firmanorum maxime rogatu, priusquam in hiberna exercitum solveret, debellandos sibi censuit, ut & suos ab ea parte tutos redderet, & Firmanorum precibus satisfaceret. Itaque omnibus ad oppugnandos contumaces comparatis rebus, eo toto exercitu profectus oppidum castris circumdat tormentisque dein muro adactis nullum oppugnando tempus remittit. At Piccininus contra præmissis in proxima oppida quas poterat copiis, MontemGranarium sibi delegit, minus quatuor millibus passuum à Sancto Petro distantem, ut inde obsessis & mittendi auxilii spem afferret, & ubi per occasionem liceret, ferendi facultatem non omitteret. Franciscus post oppugnatum diu oppidum, quod situ muro & præsidio muniebatur non invalido, experiri statuit, si vincere vi posset, & quid hostis æquo campo auderet in pugnam, ne diutius ibi per tot tantaque militum detrimenta tempus consumeret, cùm sub dio & in luto per summam hyemis asperitatem stationes facerent, quibus solum tentoria tegmento erant, & equi tum pabuli inopia tum imbribus ac frigoribus paulatim absumebantur. Itaque armato exercitu milites partim oppidum invadere qua parte muro machinis exciso pugnatoribus aditus patere apparebat, partim in acie stare jubet, ut ad omnem hostilem impetum parati adessent. Qua re animadversa, obsessi mox ut erat ante constitutum, fumi significatione auxilium petunt. Sfortiani nihilo tamen secius signo tubæ dato ad rui-

ruinam profecti constructum nuper introrsum aggerem impetu facto transcendere conantur. Præsidium verò oppidanique simul audacius repugnantes eos lapidibus, trabibus, cinere, calce viva, & ferventi aqua, ac omni demum missilium genere non tam ingressu prohibebant, quàm ea materia sæpe desuper obrutos ex summo aggeris fastigio alios præcipites dabant, alios procul inde repellebant. Piciniinus cognito suorum periculo accitis copiis oppido egressus, instructo agmine in Francisci castra per editos colles ire contendit, paucisque levis armaturæ equitibus præmissis hostes lacessere studet, ut eos ab inita averteret pugna. Ea de re cùm in Francisci castris ad arma sæpe conclamatum esset, moxque toto exercitu tumultuatum, Franciscus, qui numquam armatum hostem se multo etiam impotentiorem contemnendum putavit, dimissâ illico pugnâ, in Piciininum instructis ordinibus sese convertit, universis dimicaturus copiis, si aperto campo pugnandi copiam faceret. At ille qui recentioris prœlii memor acie decertare non audebat, continuo suis in proxima receptacula versis, unde discesserat, nullo commisso prœlio regreditur, & ita Franciscus utroque irrito conatu in castra rediit. Post hæc dat rursus quatiendis demoliendisque aggeribus operam, quos ingenti quodam studio Jacobus noctu suffecerat, cujus rei erat maxime peritus, qui ut ostendimus dum Martinengum oppugnabatur, illius præsidio tutelæque præfuerat. Nihil tamen Franciscus, quod ad expugnandum oppidum usui fore putabat, omittit, sed cum sæpe tentata pugna esset, iisdem ab hoste semper, quas prædiximus, artibus, duce perturbato intermissa est. Hoc pacto Decembri jam exacto mense, ubi nihil de potiundo oppido Franciscus proficere posse videt, solvendam obsidionem censuit, ne omnino per tot rerum incommoda exercitus conficeretur. Itaque copias in hiberna per hunc modum deducendas instituit. Sigismundum in Fanenses Ariminensesque cum suis & aliis ex Sfortianis ordinibus nonnullis remisit. Thaddæum cum auxiliaribus Venetis in Ravennates. Cum Florentinis Simonetum impetrata ab hoste per Umbros transeundi facultate in Etruriam redire jussit. Reliquas copias, quas secum per stativa habere licebat, per Firmanum agrum proximaque oppida quæ suo tenebantur præsidio, collocavit. Ipse in oppido quod Sanctam Mariam ad Georgium Picentes nuncupant, velut in frontibus posito cum domestico equitatu sibi manendum duxit. Dum hæc apud Sanctum Petrum geruntur, Franciscus jusserat, uxorem Blancam, quam sciebat jam esse partui proximam, accepta à Picinino fide publica, Firmum proficisci. Ea cum in magnificis Girifalci Arcis, ut Firmani vocant, ædibus resedisset, optatum puerperii diem exspectabat; edidítque non multo post exspectatum parentibus puerum ad decimum nonum Kal. Februarias; quo die Franciscus ipse Floramontem, cui uni sui corporis curam committebat, ad uxorem salutandam miserat. Redeunte igitur cum hoc optatissimo nuntio Floramonte, & quidem noctu, Franciscus cum visendæ conjugis tum etiam communicandæ communis lætitiæ gratiâ, Firmum & ipse lætus concessit, præsertim quod injecta sibi jam spes de potiundo uxoris causa Philippi soceri patrimonio suscepta ex sententia prole aucta videbatur. Ob eamque causam cum statuissent parentes ex avi voluntate infanti nomen imponi, quo & majore benivolentia Principem sibi reconciliarent, & illi in posterum pueri diligendi initium præberent, mittitur Mediolanum ad Philippum Gaspar Pisaurensis Medicus, qui eum rogare, ut quod vellet, Nepoti nuper nato nomen decerneret. Quod cum intellexisset Philippus, lætari se plurimum respondit, puero sua jam ingravescente ætate nato, quem Deus Optimus Maximus superstitem diu servaret. Et quamvis honestius esset, ut à Sfortia paterno avo puer nomen sumeret, tamen ne parentibus quod peterent, negaret, placere sibi dixit, ut nepoti Galeacio nomen esset, quod ejus avo prius fuerat. Itaque hoc responso Gaspare ad Franciscum reverso Galeacio nomen puero inditum est, duobus pro more cognominibus additis Maria Sfortia, altero à materno, altero à paterno avo acceptis. Per idem tempus cum renuntiatum esset Eugenio, puerum Firmi Francisco natum, dixisse ferunt, alterum esse Luciferum sua tempestate exortum. Nec id quidem mirum, quod non solùm armis Franciscum insequebatur, sed etiam implacabili quodam odio ac maledictis exsecrationibusque in eum acerrime invehebatur, & illius perdendi majore in dies studio majoreque ira incendebatur.

Explicit Liber Sextus.

IN-

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

TErtio (60) Anno belli hujus, quod in Piceno gestum est ad prima signa veris, quod Veneti Senatus consulto stipendia Francisco persolvenda decreverant ad ea maturius recipienda, Sigismundus & propter vicinitatem & propter auctoritatem hominis Venetias missus re ex sententia confecta cum Ariminum revertisset, majorem ejus auri partem in suum convertit usum, partim ornandi militis causa, partim quod diceret grandem pecuniam ex stipendio hactenus non soluto sibi deberi. Quod verò reliquum fuit, in eos Francisci distribuit milites, quos hibernandi causa ex Firmano secum in Fanensem agrum duxerat. Et quamvis Franciscus partem retentæ pecuniæ saltem sibi reddendam sæpe repetisset, nihil tamen ob hominis avaritiam consequi umquam potuit. Quare in summa præsertim inopia gravi affectus animi molestia, graviore imminentium hostium angebatur cura. Nam cum eas quæ Florentiæ decretæ erant Zarpellioni, & aliis quibusdam exsolvendas mandasset, ut se suosque celeriter ad gerendum bellum ornarent, nullæ aliæ supererant pecuniæ, quibus reliquum resarcire posset exercitum, qui erat præcipuum Sfortianæ militiæ robur. Omnia enim superiora bella exhauserant, neque comparandæ aliunde via relinquebatur ulla. Omnia ob id dura illi atque extrema undique reddebantur. Æstas jam incœperat. Hostis paratus imminebat, qui accepta largiter ab Eugenio Alphonsoque pecunia, exercitum instaurarat. Copias ex Umbria atque Etruria in Picenum accersitas educere ex hibernis contendebat. Miserat præterea Alphonsus alias Pontifici auxilio copias, quarum inter reliquos ductores erant Cæsar Martinengus & Mannus Barriles, quos à Francisco ad eum Regem transisse diximus. Hi per Brutiorum fines profecti, cum Truentum superassent, Asculanos rursus exulum hortatu multis incursionibus insidiisque non tam diurnis quam nocturnis acrius infestare cœperunt. Sed ubi frustra per ea loca tempus consumere viderunt, inde moventes Firmanorum finibus quam propius potuere, appropinquarunt, atque ex finitimis Ecclesiæ Oppidis eorum agros populabantur; & nonnunquam per clandestinas excursiones ipsam etiam Urbem turbabant. Ex quo fiebat, ut à duobus maxime lateribus Franciscus uno tempore magnis hostium viribus ita arctius premeretur, ut ceteris à terra præclusis itineribus, solus dumtaxat maritimus illi tutus relinqueretur aditus, qua ex Venetia Illyrico Dalmatia ac Flaminia abunde tela, arma, equi, & quæ bello usui erant, importabantur. His tot Franciscus angustiis pressus cogitur rursus ad Venetos Florentinosque legatos mittere, qui non militum sed pecuniæ auxilia per amicitiæ fœderisque jus peterent, & quod facturi essent, celeriter efficerent, si se incolumem, si victorem cuperent. At illi quamquam pro Francisci salute omnia se præstituros dicebant, tamen ægre ac perparce nimium pecunias subministrabant, quod bella suis finibus remota haud multifacerent, remque periclitantis amici negligentius apud se agi paterentur. Interim in Firmano hinc atque inde crebræ incursiones fieri, prœlia interdum ad ipsas usque Urbis portas committi. Nam ad dexteram Taraconenses, ad sinistram Bracciani infestius vexabant. Franciscus cum eo equitatu quem Firmi habebat, Populoque frequenti Urbe egressus, patefactis sæpe insidiis hostes repellebat fugabatque, quorum multi in ipsa fuga capiebantur. Picininus Oppida quæ ad montes sunt, multis excursionibus fatigabat. Huic Zarpellio impigrè obstabat; prœlia nonnumquam levi tamen manu conserebantur. Demum magnis utrimque viribus dimicatum est. Zarpellio enim cùm per suos exploratores cognovisset, Nicolaum Picininum magno cum equitatu ad Montem Milonem die insequenti profecturum spe ejus Oppidi per proditionem potiundi, quo majore potest per noctem militum coacto numero versùs ea loca ire contendit: seque per insidias luce nondum exorta occultat. Qui ubi vidit Picininum Potentiam, qui proximis erat amnis, omnibus suis copiis transisse, missa celeriter equitatus parte ad ejus fluminis pontem, qua erat hosti omnino redeundum, cum parte reliqua insidias egressus, tanto est eum clamore atque impetu adortus, ut cùm ferre diutius vim non possent, in fugam verteret. Cujus milites cum eodem, quo venerant, itinere reverterentur, ii quidem existimantes nullam esse ante se hostilem manum, ad unum ferè capti sunt (61). At Nicolaus ut animadvertit id sibi inopinato accidisse, cùm nulla evadendi daretur potestas, in eam se pistrini Turriculam recepit, quæ proxima oblata est non longe à monticulo distans. Zarpellio autem cùm jam nox appropinquaret, nec ulla sibi expugnandæ Turriculæ facultas adesset, victor in sua stativa revertit. Postridie ejus diei omnes ordinum præfectos, quos egerat Firmum ad Franciscum misit, quos ille idcirco adservari jussit, ne eorum operâ adversùm sese per æstatem Picininus uti posset. Post hac in multos dies hostis non est ausus nec ita late vagari, nec ut

(60) MS. Jam tertius agebatur Annus, quo belligerari novissime in Piceno cœptum est, qui numerabatur Quartus & Quadragesimus à Christi Redemtoris Ortu supra Quadringentesimum ac Millesimum. Et ver primum adventarat, quum tamdem Venetiis, Florentiæque de reficiendo exercitu creditæ per stipendia Francisco pecuniæ ex publico decretæ sunt. Sed cum difficilis sit pecuniarum excussio apud liberos præsertim Populos, Franciscus, ut quod Veneti pecuniæ pensuri erant, celerius exigeretur, exactumque ad se comportaretur, jussit Venetias Sigismundum proficisci, quippe quod esset ei Urbi propinquior, & sinè periculo ex Arimino eo accedere posset, & suâ præsentiâ facilius pecunias consequi. Is re pecuniaria Venetiis perfecta, quum Ariminum &c.

(61) MS. quod cum & à fronte & à tergo fugati premerentur, occupato reditionis aditu, ut major eorum pars caperetur, necesse fuit. In quibus ii omnes extitere, qui Braccianarum cohortium præfecti eo prœlio interfuerunt. At Nicolaus &c.

ut ante consueverat regionem incursionibus infestare. Per idem tempus Mannus Barriles, qui superiore Anno ut docuimus à Francisco ad Alphonsum desciverat, novo se beneficio præteriti errati turpitudinem delere ratus, cùm esset ex altera Firmani agri parte, relicta omnino Taraconensi factione, ad antiquam sui ducis fidem cum universo suo equitatu rediit, à Francisco perbenigne exceptus. Nec multis post inde diebus Zarpellio, ut erat homo non minus pecuniæ ac prædæ, quàm gloriæ cupidus, cùm intelligeret ex iis locis ubi per hyemem fuisset, se parum seu nihil in dies reliquos emolumenti consecuturum, Francisco persuasit longe utilius fore, si se cum suis fineret ad Montemsanum concedere, quod oppidum ut supra ostendimus, superiore hyeme versum exstiterat in prædam: quod multo majorem ex eo loco opportunitatem ad depopulandos Auximanorum, Ricinatensiumque agros, & ad inferendum finitimis bellum, quam ex Firmano montanaque regione habiturus esset, unde Populis etiam proximis qui ejus fidem sequebantur, facilius ubi opus foret auxilio esse posset. Quo ubi pervenit, tot ac tam gravia finitimis omnibus, quos prædixerat, detrimenta inferre cœpit, tantumque omnium animis terrorem injecit, ut eorum oppidis egredi amplius auderet nemo. Quibus rebus non tam regionis incolæ, quàm Cardinalis Dominicus Capranicus Eugenii Pontificis legatus, qui Ricinati se continebat, permoti ad Nicolaum mittunt oratum, ut propere miseris auxiliaretur, neve diutius pateretur, ut suos ante oculos tot malis, tot injuriis pro Ecclesiæ Dei causa, cujus ipse esset defensor, afficerentur. Quorum Picininus precibus compulsus, eductis celeriter copiis eo proficiscitur. Ejus adventu Zarpellio finitimos bello lacessere desistit, cùm hosti propter copiarum paucitatem multo inferior esset. Nec ob id ut ante solebat prodire in apertos campos audet; pugnandi tamen potestatem faciebat. Ob eamque rem committebantur magnis utrimque viribus haud procul oppidi mœnibus prælia equestria fere quotidie. Miserat Zarpellio priusquam hostis advenisset, quo expeditior esset, & manus cum hoste liberius conserere posset, Apinianum omnia sua suorumque impedimenta, ubi tuta fore putabat. Quod quidem Oppidum in Picentibus est non magni ambitus neque magni munimenti, sed incolis tamen frequens & Sfortiano nomini deditissimum. At Nicolaus ubi nihil ad Montemsanum proficere posse animadvertit, sed multis magnisque quotidie detrimentis affici, relicto Zarpellione, ad Castellum Ficardum Auximanis & Ricinatensibus infestissimum signa vertit eo animo, ut vel per obsidionem vel per agrorum devastationem in potestatem redigeret. Quare Zarpellio cognita, veritus ne oppidani periculi metu territi, hosti sese dederent, eo ingenti celeritate priusquam hostis eodem appelleret, suos deducit. Quod ubi Picininus cognovit, admiratus Zarpellionis non tam audaciam quàm celeritatem, judicavit oppidum neque oppugnandum sibi, neque obsidendum, sed ad locum, qui ad Beatam Mariam de Laureto appellatur, concessit. Ibi castra ponit, quo à mari ad Zarpellionem aditus, unde commeatus importabantur, intercluderentur. Ibi dum immoratur, Zarpellionis calliditate novo ac inopinato & non quidem mediocri universus pæne ejus exercitus damno afficitur. Nam per meridianum Quintilis solem injecto per militum tabernacula ex stipula aridaque materia constructa pluribus locis igne, magna extemplo excitantur incendia. Flammæ ubique tanta pernicitate feruntur flantibus ventis, ut totis fere castris uno tempore conspicerentur. Ea de re perterritis tanto casu militibus, correptis illico armis equisque inephippiatis, & quod offerebatur rapto quisque flammarum impetum effugere contendit. Quicquid in castris relictum est, ignis consumsit.

Hoc detrimento accepto Picininus majore studio majoreque ira agitare animo cœpit, quibus modis, quibusve artibus Zarpellionem fallere, suos recentibus damnis resarcire, acceptasque sæpe ignominias delere posset. Hæc igitur cogitanti occurrit, hostis impedimenta esse omnia Apinianum sine ullo militum præsidio collata. Itaque Zarpellione intermisso nocte intempesta magno omnium silentio castra movet, Apinianumque quamcitissime potest, contendit, & perterritis tam repentino hostium adventu Apinianensibus, deditioneque ob id confestim facta, Zarpellionis suorumque impedimentis ac bonis omnibus sine ullo negotio potitur. Interim Franciscus Sigismundo imperat, ut omnibus ejus copiis & reliquis item Sfortianis quæ per oppida ac municipia sua hyemarant, confestim per Senogalliam, Anconitanorumque fines, Auximum inter & Ricinatum castra firmaret, quod eo statim Zarpellio ut jusserat, proficisceretur, quo sibi adjuncto hostis impetum satis reprimi posse putabat. Prætèrea se propediem cum reliquo exercitu, quem in Firmano habebat, & ob pecuniæ inopiam adhuc educi non poterat, eodem accessurum, seque eis adjuncturum affirmat. Sigismundus imperata faciens, coactis undique copiis ex Fano movet, & ad destinatum locum ire contendit. Cujus de adventu Zarpellio mox certior factus, Sigismundum per nuntios hortatur, ne inde ubi esset, discederet, edocetque, se cum suis ad eum maturaturum quamcelerrime. Sed Sigismundus seu quod timeret hostem, seu quod Franciscum vincere nollet, haud sibi diutius ibi manendum statuit; & die tertia prima luce inde movet, atque omnibus copiis eodem, quo venerat, itinere regrediens, non prius restitit, quàm Fanum pervenit. Is tam repentinus inopinatusque Sigismundi in patriam reditus magnam sanè Francisci animo molestiam intulit. Quippe inter tot difficultates, quibus undique premebatur, ea potissimum novitate in maximam prope rerum suarum desperationem deductus esset, quod adversarium videbat magnis viribus per patentissimos campos impune vagantem, quicquid oppidorum in sua potestate reliqui erat, paulatim ad defectionem compellere, quæ per superiorem hyemem magno suorum omnium labore atque incommodo ipse recuperasset. Nec quemadmodum tam imminenti periculo occurreret, ulla sibi in præsentia facultas dabatur. Nam pecunias, quæ sibi à Venetis Florentinisque debebantur, sine quibus copiæ reli-

quæ nec instrui, nec educi poterant, vix perpaucas excudere licebat. Accedebat ad hæc incommoda, quod Alphonsus per eosdem dies & Eugenii Pontificis, & Nicolai Picinini victus precibus classem triremium octo egregie instructam in Mare Superum miserat. Quæ cum ex improviso Firmanum ante portum infesta in anchoris constitisset, multa navigia cepit, quæ eo paulo ante exonerandi gratiâ venerant, & alia item multa, quæ cum nihil hostile timerent, cibaria, equos, arma, & alia quidem ad belli usum necessaria eodem comportabant. Quare factum est, ut cum multis antea Franciscus difficultatibus premeretur, tum multo majoribus undique obsessus, durius urgeri cœperit. Verùm etsi bis tot tantisque malis uno tempore exagitabatur, neque animus, neque consilium ad perferendas calamitates sibi deerat, omnia enim quacumque poterat via tentabat, omnia conabatur, quibus aliquod suæ suorumque saluti remedium inveniret. Ceterùm Zarpellio hostis viribus amplius resistere posse diffisus, amissis præsertim impedimentis suisque inopia rei frumentariæ laborantibus, maritimo aditu Gottholanorum triremibus intercluso redire in Firmanum statuit. Itaque de prima vigilia magno omnium silentio ex Castello Ficardo movens totam noctem iit, nec restitit, donec ad Tennam fluvium non longe à Firmo totis copiis incolumis pervenit. At Nicolaus ut Zarpellionis inde abitum cognovit, liberatus aliquando illius molestiis, Castellum Ficardum Auximanis, Ricinatensibusque maxime solicitantibus obsedit, oppugnareque contendit. Dum hæc geruntur, Philippus Picinini videndi coramque de rebus summis colloquendi cupidus ad eum novissime misit Franciscum Landrianum ex purpuratis suis, qui illum hortaretur ac moneret, ut factis cum Francisco induciis, exercitusque curâ Francisco filia demandatâ, ipse Mediolanum ad se maturaret. Dein Franciscum Sfortiam per Landrianum eumdem legatum rogat, ne inducias cum Picinino aspernetur. Qua re audita Franciscus, tum ut Philippo obsequi videretur, tum ut spatium interim haberet suis rebus prospiciendi, prementibus undique difficultatibus, se non recusaturum respondit, quominus petitæ fierent induciæ. Verùm Nicolaus Pontificis legato coram non recusante modò, sed acclamante dixit, haud sibi licere negante Pontifice, cujus res in primis agebatur, induciarum fœdera percutere. Paulo tamen post ut Philippi mandatis obtemperaret, Eugenio etiam contradicente moderandi exercitus curâ Francisco filio relictâ, ipse ceteris prætermissis rebus ex castris discedit, & per Urbinates, Flaminiamque nulla itineris intermissione facta Mediolanum ad Philippum venit, à quo magno honore magnaque omnium lætitia exceptus est. Inter hæc qui Castro Ficardo obsidebantur, cum aliquamdiu ægre obsidionem sustinuissent, in multis difficultatibus constituti ac intolerabili aquationis penuria laborantes, Sfortiani tamdem præsidii incolumitatem pacti sese ac oppidum Pontificis legato permisere. Castello Ficardo recepto, Franciscus Picininus universo exercitu Firmum versùs signa vertit eo consilio, ut si sine suo suorumque periculo

A fieri posset, regias copias, quæ ad alteram ejus Urbis partem, ut demonstratum est, vagabantur, sibi adjungeret; nec procul Macerata castra loco permunito dies plures habuit. At Franciscus Sfortia imminentis hostis ingenti cura solicitus, cum videret nullam sibi auxilii spem relictam, nec satis fideret regionis accolis, qui nondum ad hostem desciverant, quod unum postremo ad suam salutem remedium à fortuna relictum videbatur, statuit experiri. Copias omnes ipsas etiam, quæ Oppidis præsidio erant, incredibili celeritate contrahit, & aureis nummis singulis in singulos descriptos equites peditesque distributis, qui tum forte è Florentia

B allati fuerant, imperat uti quisque dierum octo viaticum comparet, secumque afferat eo quidem consilio atque animo, ut hostes ubicumque essent, invaderet, ultimamque prœlii fortunam experiretur. Quod consilium ipsi etiam Philippo literis significandum curavit, affirmans se eos, si non exspectarent, quocumque irent, quocumque deflecterent, etiam ad ultimos usque terræ fines persecuturum. Itaque movens bidui itinere ad locum, quem Urbem Alviam vocant, ab hostium castris ad quatuor passuum millia pervenit. Ibi dum esset, ab exploratoribus cognoscit, se nullis artibus nullisque viribus hosti nocere posse, quod loco undi-

C que munitissimo castra haberet. Quod ubi accepit, ingenti mox dolore afficitur, quod exacto viatici tempore non videbat quemadmodum eo tam angusto tamque periculoso rerum statu sine pecuniis sine commeatu exercitum amplius alere continereque posset, cum neque progrediendum sibi neque regrediendum judicaret. Verebatur enim ne Populi, qui adhuc ei parebant, ut est Picentum genus infidum atque mobile & rerum novarum cupidum, rebellione concitata accersitis hostibus seu Braccianis seu Taraconensibus, qui ut diximus & à tergo & à fronte imminebant, iis sese dederent.

D Cum hæc esset rerum conditio, varios cogitatus variaque consilia Franciscus agitare animo cœpit, & cum tamdem statuisset, cum paucis, exercitu ubi erat relicto, per noctis silentia Fanum petere, quo non sine magno periculo per hostium fines & locorum angustias per tam longum iter se recipere poterat, eo quidem consilio, ut experiretur quibuscumque posset precibus Sigismundum flectere, aut ad redeundum cum suis in Picentes, aut si id recusaret, vel copias suas omnes, vel partem sibi saltem concederet, cum esset in tanta rerum desperatione, illi fortuna illuxit benignior. Nam hæc eadem animo volutanti sibi allatus est ab exploratoribus

E nuntius hostes eodem die mane è loco ubi jam consederant, munitissimo discessisse, & ad Montem Ulmeum castra firmasse; qui erat locus satis æquus nec tamen immunitus, quod & à tergo Oppidum ipsum impendebat, & à fronte Clente muniebatur amne. Ad dexteram amica Oppida aderant, unde vis nulla inferri poterat. Ad sinistram verò, qua Sfortianis patebat aditus, collis imminebat ad amnem usque perpetuus, unde ad ipsum usque collem palus intercedebat, & molendini cujusdam præterea aquæductus, quibus transitus ea difficilis admodum reddebatur. Franciscus eo accepto nuntio ingenti

genti prope cura liberatus gaudium viresque animo resumsit, quod hostes ubi maxime optabat, castra posuissent, quæ à suis castris non procul tria passuum millia distabant. Itaque eo die struendis providendisque rebus intendit. Itinera qua hostes aggressurus esset, missis & regionis & rei bellicæ peritis, diligenter explorat. Postridie prima luce omni ornato exercitu ordinibusque more suo ad dimicandum instructis in hostem infestis signis ire contendit. Sed ubi ordines primi ad planiciem appropinquare cœperunt, quæ patet ad imum collis, cujus mentionem fecimus, sistere omnes jubet, ac universo peditatu præmisso demonstrat, quot quibusque locis hostes sint adoriundi, qui jam per collem ad paludem usque dispositi in armis conspiciebantur, magnisque clamoribus atque ululatibus terrere Sfortianos conabantur. Dein Franciscus suas omnes oculis cohortes perlustrat, singillatimque appellans hortatur, ut posito metu pristinæ virtutis memores bono essent animo, quod eo die qui Veneris erat decimo Kal. Septembres, die inquam Sfortianis fausto atque felici, certam ex hoste victoriam reportarent, meminerintque quos nunc cernerent, eosdem esse, quos sæpe, & præsertim superiore Anno apud Laureum Montem sua ipsi virtute profligassent. His dictis quisque animo erectus ingenti desiderio exspectabant, ut hostes liceret mox invadere, manusque conserere, vixque loco contineri poterant inter sese frementes, quin in proximos irrumperent. Contra verò Bracciani timore haud parvo perculsi quid acturi sint, aut quod consilium sibi capiendum esset, incerti videbantur. Nam Franciscus Picininus eorum dux, ut induciæ peterentur ab hoste, convocato consilio suadebat, sententiamque suam eo maxime argumento tueri conabatur, quod Nicolaum patrem è castris discedentem eum admonuisse asseverabat, ut occasione alicunde oblata potissimum pro exercitus salute fieri inducias peteret, quas hostem Philippi præcipue causa minime negaturum arbitrabatur. Sed Dominicus Malatesta, Robertus Bodiensis & Jacobus Gaivanensis eam sententiam plurimum damnabant, turpissimum periculosissimum judicantes, se ab hoste armato & ad pugnandum parato inducias deprecari, quod plus inde animi atque virium hostes sumturi essent, suis contra minueretur animus. Hanc Picinini sententiam cæteri exercitus ductoribus acri oratione improbantibus, Apostolicus Legatus interim multitudinem ad fortiter pugnandum obnixe hortabatur, singulis qui pro sacrosancta Romana Ecclesia in pugna obirent vitam promittens æternam, contra vero adversantibus damnationem interminabatur. Sed hanc Legati orationem aut negligebant omnes, aut omnino contemnebant, ut solent homines bello maxime & armis assueti religioni animæque saluti parum dediti. At Franciscus Sfortia rebus in hostium conspectu pro sententia dispositis, militibusque corpora celeriter curare jussis, dat signum hostes quadripartito exercitu alacriter invadere. Alexander primum parte copiarum sumta dextro latere eos impetit, qui magnam jam collis partem tenere conspiciebantur. Hunc Dulcius Anguillarianus ad lævam paulo seorsum valido equitatu sequitur. Dein Mannus Berrides alia equestri manu ad lævam item non multo intervallo collem subit: Postremus omnium Zarpellio per planiciem, quæ inter collem flumenque, & paludem intercedit, confertissimo agmine in hostes fertur alacriter. Sed qui tribus partibus triplicique ordine per clivum subire collem conabantur, primo impetu facto de superiore loco repulsi tardantur. Zarpellio autem primo aggressu hostes loco deturbat, & trans fossam intra tabernacula redire compellit. Fossa erat ita undique artificio & vepribus munita, ut nisi solo aditu & eo quidem perangusto transiri posset. Hunc Dominicus, & Robertus magnis viribus servare conantes Sfortianis acriter pertinaciterque resistebant. At Franciscus ubi animadvertit, suos nulla ex parte propter locorum iniquitatem hostes depellere posse, imperat Alexandro, ut per collis radices ad dexteram tam diu celeriter progrediatur, donec eo perveniat, unde hostes abessent. Ille verò impigre audenterque imperata faciens collem ascensu facilem repugnantibus nullis mox superat, atque magno impetu velut de superiore loco in hostes conversus eos perturbat, quos cum ægre à fronte resistere cœpissent, fundit fugatque. Ea re feliciter gesta ceteri, qui ad collis radices constiterant, quos hinc Dulcius hinc Mannus ducebant, collem & ipsi magnis undique sublatis clamoribus conscendunt. Sed cum esset tuendi collis negotium Francisco Picinino unà cum Carolo Bracii filio & Jacobo Gaivanensi datum, Carolus ubi de exercitu actum esse, neque ullam salutis spem relictam videt, terga vertit, fœdaque fuga unà cum suis salutem petit, ac per media hostium castra, quæ suis locis cum impedimentis omnibus eo die Franciscus reliquerat, concitatis calcaribus equis non prius ab itinere destitit, quàm tutum in locum Camertiumque fines pervenit, unde data paulisper militibus quiete profugus in agrum Perusinum se recepit; reliqui verò cursu in castra sese receperunt. Ubi cum aliquamdiu instaurato prœlio acriter repugnassent, tamdem Sfortianis undique pertinacissime urgentibus terga dant, palantesque alii capiuntur, alii fuga in proxima Oppida se recipiunt, alii aliis se addunt, qui ad fossam uti ostendimus fortissime pugnabant. Heic enim Bracciani nonnunquam coactis viribus aditum transibant, Sfortianosque ad teli fere jactum loco amovebant. Quod Franciscus coram conspicatus suos acriter increpabat ignaviæ accusans, quod hostibus sæpe cessissent, cum illi iidem essent, quibus cum initio pugnam inissent, quosque primo congressu repulissent. Dein eos cohortatus, prœlium instaurabat, recentioresque fessis submittebat. Denique eo res deducta est, ut cum maxime Sfortiani equos sæpe acclamantes subsidium implorarent, necesse fuerit, eos qui confertissima cohorte, quam velut pugnantium arcem intactam servabat, signa custodiebant, loco suo relictis signis in hostes procedere; quod neque aliæ prœlio integræ fuerant. Omnes enim se pugnæ inseruerant. At Franciscus cum videret, nullas sibi amplius copias ad submittendum laborantibus integras superesse, hac usus est calliditate. Equitum pueros omnes ac iner-

mem inutilemque multitudinem, quæ ad signa, ut eo casu fieri solet, confugerat, palatos exemplo cogit, & tres in partes dividit, jubetque singulos sumtis manu hastis in acie consistere, ut cohortes adhuc integras pugnæque paratas non tam hostibus, quam suis exstare sibi videretur; quo etiam continenter immittebantur, perducebanturque more militari apud Italos jamdiu servato, qui ex hostibus capiebantur. Ex quo fiebat, ut & armatorum numerus & spectaculum augeretur. Dum per hunc modum acerrime ad vadum dimicatur, Franciscus animo ingenti huc atque illuc accurrens, suos, ut erat usui, aut acriter increpabat, aut in pugnam vehementer accendebat. Nec dum enim intellexerat hostes superiore parte fusos omnino fugatosque cessisse. Dum sic pugnaretur, fit forte fortuna inopinanti Francisco obviam hostilis manipulus, ex colle in planum strictis gladiis fugiens, illi inquam hac illac ut prædiximus inter suos nudo capite discurrenti, quo ubi opus esset, providendis rebus liberior adesset. Quos ille ubi agnovit, galeam qua caput tegeret, sibi clamat afferri. Verùm ejus armiger, dum equitem ex hostibus fugientem illius capiendi aviditate ductus obstinate insequitur, longius inde abierat, ita ut duci tam præsenti periculo galeam afferre non posset. Sed tanta erat Francisci etiam apud hostes gratia atque majestas, ut etsi hostibus ipsis facultas esset illius impune vel capiendi, vel perdendi, eum tamen intactum incolumemque relinquerent. Hi autem milites paulo post cum in Francisci venissent potestatem, collati in hostem officii fructum cumulatissime retulerunt. Inter hæc dum Robertus & Dominicus magno Braccianorum coacto robore ad Fossam pertinacissime resisterent, nullaque sæpe licet à fronte vi facta loco pelli possent, pugnaque magis atque magis incrudesceret, multi utrimque cadebant. Inter reliquos Sfortianos Litius Palaganus Traniensis ex Præfectis equitum fortissime pugnans accepto in occipiti vulnere occubuit, vir sane nobili loco natus, viribusque & corporis & animi insignis. At posteaquam Alexander ut docuimus hostium castris impedimentisque potitus est, cum non parvus militum numerus coactus esset, eorum præsertim, qui nihil lucri consecuti erant, prædæ aviditate impulsi eos ad Fossam pugnantes hostes à tergo adoriuntur, qui nondum suos jam profligatos audierant. Quare Bracciani tum & à fronte & à tergo uno eodemque tempore magnis undique viribus pressi cedere, seque fugæ mandare coacti majore ex parte capti sunt. Dominicus & Robertus cum paucis per medios hostes jam parta victoria nullum servantes ordinem in Oppidum, quod Montem Causarium Picentes vocant, primùm, dein Ricinatum fuga se recipiunt. Quo paulo ante Jacobus Nicolai filius cum altero Jacobo, de quo supra mentionem fecimus, apulerat. Franciscus Picininus eodem loco ab hostibus circumventus desperata salute equo desiliens, arma exuit, unoque tantum milite ex ordine pedestri corpore in primis robusto & audaci sibi addito, paludem ingressus delituit eo animo, ut ea iter faciens hostium manus evaderet. Sed miles quem sibi socium assum-

A serat, cùm à Zarpellione paucis ante diebus ad eum fugisset, existimavit, si hostium ducem captivum traderet, se facile sibi Zarpellionem conciliaturum. Itaque quod transfuga facinus agitavit, animo mox perficit, Picininumque ad Zarpellionem perducit captivum, à quo dein cùm ad Franciscum duceretur, multis eundo conviciis contumeliisque afficiebatur. Huic Franciscus obviam factus, Zarpellionem ea de re vehementer accusavit. Cardinalis autem Capranicus abjecto pileo, abjectoque pallio, exuta etiam linea exterula à victoribus eodem fugiens comprehenditur, multisque verberibus cæditur; qui interpellatus ut eis sese dederet; B illos malè agere respondit, quandoquidem Francisci Sfortiæ sacerdotem cæderent fugientes hostes, quo ipse aliquod lucraretur, insequentem, eaque de re se Francisco aliquando querimoniam allaturum.

Hac insigni victoria parta, cùm jam dies occideret, Francisco visum est iisdem hostium castris commorandum. Proin nocte jam facta eo impedimenta sui exercitus adduci jussit, Ulmensiumque insuper Oppidum, quod prope impendebat, diligenter custodiri, ne hostes qui se eo receperant, abire inde possent. Postridie ejus diei oppidani missis ad Franciscum de deditione legatis, sese, oppidum, & quicquid in eo erat ex hostibus C collatum, ejus potestati tradiderunt. Quæ quidem res ad magnum victoriæ cumulum accessit, cùm ibi ingens prope non tam militum & equorum, quàm rerum pretiosarum numerus repertus sit. His rebus feliciter gestis, cum captivorum numerum Franciscus scire voluisset, habito omnium censu ex quatuor Ecclesiastici totiùs exercitus partibus tres & amplius captas esse comperit. Inter quos Angelus Ronco copiarum Pontificis ductor, & tribunorum equitum, centurionumque major pars reperta est. Incredibile est, quibus verbis, quibus vocibus, quibusve non solùm gemitibus, sed & fletibus & suspiriis etiam, Bracciani in castris captivi eo- D rum calamitatem lamentarentur, præsertim quod intra anni spatium bis fusi profligatique essent suis rebus amissis omnibus, Sfortianos contra fortunatos esse dicerent, quos Deus in omne tempus victores esse voluisset. Quamobrem multi ex iis Braccianа amplius signa sequi nolle affirmabant. Erat tum fortè in Sfortianis castris Johannes quidam Petrasancta, nobilis Mediolanensis Blancæ Mariæ familiaris, qui impetratâ paulo ante in patriam redeundi veniâ eo venerat. Is adeo Braccianæ parti afficiebatur, ut præ dolore acceptæ cladis furens amensque factus, dies noctesque castra pervaderet, & tot furoris & insaniæ ediderit argumenta, E ut eum vinculis coërceri necesse fuerit. Ceterùm tertio, qui insecutus est, die Franciscus proximo Maceratensium Oppido apud Picentes non ignobili victorem ac omnium pæne rerum copia affluentem exercitum admovit. Idque dedentibus sese continuo oppidanis nullo negotio in potestatem accepit; eodemque modo Sanctum Severinum, ubi eo pervenit, in fidem recepit. Dein Cingulum profectus, oppidum montibus situm & undique, ut ostendimus, munitissimum obsedit. Quod cùm ob admissum Pontificis præsidium deditionis conditiones oppidani recusa-

...sarent, machinis oppugnare contendit. Sed Ecclesiasticis diffisi auxiliis, sese atque oppidum præsidio incolumi intra octavum obsidionis diem Francisco dediderunt. Nullo exinde intermisso tempore copiis ad Urbem Aesium traductis, castrisque in coronam positis triduo, postquam eo ventum est, sese cives cum Arce voluntaria deditione Francisco permisere. Posthæc nullo intermisso tempore Serram Sancti Clerici obsedit, oppidum montana regione positum, Fabrianoque propinquum, ac natura loci opere, & pedestri insuper præsidio permunitum. Quibus rebus factum est, ut ad deditionem oppidani difficiliores redderentur, & tormentis multo labore muro adactis, dies amplius octo ea oppugnatio Franciscum moraretur. Sed magna tandem muri parte diruta cum expognari universis copiis tres in partes divisis tentatum esset, obtineri non potuit. Nam Sanctinus Ripensis præsidii Præfectus, vir & animo & solertia præstans, ita repente structo introrsum aggere providit, ut facile ingressu Sfortiani prohiberentur. Pugnatum est eo die ab hora circiter nona usque ad Solis occasum, utrimque enixissime. Qua in pugna complures ex Sfortianis vulnerati sunt, & in iis Alexander, qui in nare sagittâ vulnus accepit; perpauci tamen cecidere; obsessorum verò non tam sauciorum quàm interfectorum multo major fuit numerus. Qua re oppidani timore territi, cùm viderent se amplius tueri non posse, nocte proxima missis in castra de deditione legatis, præsidiique pacta incolumitate, se ac Oppidum Francisco tradidere. Dum hæc geruntur, Franciscus qui superatis hostibus illico ad pacis consilia mentem verterat, ubi audivit in castris esse captivum penes militem quemdam ex suis Johannem Interamnensem Jurisconsultum sub Dominico Cardinali Quæstorem, virum magna apud Pontificem auctoritate, eum sua pecunia redemtum dimissumque hortatur, uti ad Eugenium rediens, hæc illi ejus nomine exponat. Se ex eo tempore Pontificis, Ecclesiæque Romanæ semper observantissimum exstitisse, semperque divi Petri patrimonio favisse; ex quo icto inter sese fœderi Piceni agri aliorumque Populorum principatum publicis documentis sibi concesserat, tametsi nulla sua culpa eum postea inexsaturabili quodam odio triennio jam exacto tamquam Romanæ Ecclesiæ rebellem terra marique fuerit persecutus, & ad hæc Alphonsum Regem & Nicolaum Picininum quammaximis potuit copiis concitaverit, ut ei quod semel dederat, armis eriperet; quibus quantum licuerat, obstitisset: factumque esse Dei benignitate, ut intra anni tempus & Nicolaum ipsum & copias Ecclesiasticas omnes bis vicisset, & ad internicionem prope delesset. Sed quamquam se undique victorem ac ornatissimo & validissimo exercitu septum videbat, & multum adhuc temporis superesse, quo facile sub dio ferre militiam posset, & victoriam adversùs Eugenium persequi, tamen non rebus secundis, non viribus elatus, sed velut ejus sanctitatis Ecclesiæque Romanæ cultor pollicebatur, si Pontifex ipse quicquid sibi eo bello abstulisset, restitueret, se positis armis secum pacem facturum. Pontifex igitur cum esset Perusiæ, non sine ingenti rerum suarum timore, cognitis iis quæ Johannes retulerat, lætus Francisco mox renuntiari jubet, ut ad eum de pace legatum mittat. Itaque paulo post mittitur Perusium ad Pontificem Galeottus Agniensis Neapolitanus cum mandatis ea de causa legatus. Non videtur silentio prætereundum, quid dum Serra oppugnatur, Zarpellionis avaritia fecerit. Donaverat Franciscus eum, qui Picininum prodiderat, quadringentis aureis nummis, quos ille Firmi penes argentarium quemdam asservandos reliquerat. Ejus potiundæ pecuniæ nimia cupiditate Zarpellio inductus hos cum hoste dolos instruxit. Erat tum forte Fabriani Jacobus Gaivanensis à Pontifice cum iis copiis eo missus, quæ Ulmensi pugna evaserant. Cum hoc clam Zarpellio agit, ut ipse ex Sfortianis castris & ille è Fabriano nonnullos ex suis prædandi simulatione mitterent quemdam in locum inter sese constitutum. Picinini proditor, cui Colellæ nomen erat, cum reliquis à Zarpellione mittitur. Itaque cum ad locum missi utrimque convenissent, tumultu exorto Colella intactis sociis à Braccianis mox capitur. Dein dimissis reliquis Fabrianum ad Jacobum perducitur; qui ut de eo admissi facinoris supplicium sumeret, quo esset ceteris in reliquum tempus documento, illum sectis auribus, altero eruto oculo, ac naso insuper, manibusque præcisis, tamdiu vinculis servari jussit, quoad suppresso sanguine vulnera sanarentur. Ejus rei famâ Sfortianis in castris vulgatâ Zarpellio Franciscum continuo adit, refertque Colellam vulnerum dolore affectum vitâ excessisse, ob idque argentum quod Firmi habebat, dono sibi dari postulat. Cui Franciscus proditionis ejus ignarus, quod petierat, concessit. Ceterum Serranis in potestatem redactis, Franciscus quod intelligebat ut supra ostendimus Eugenium post acceptam cladem, copias omnes, quæ superfuerant, undique mox contractas Fabrianum misisse, quo oppidanos, subjectumque agrum in officio contineret, eo progrediendum non putavit, & ob id in Auximanos Ricinatensesque signa vertit, qui Picena in planicie soli in hostium fide perstiterant, cum ceteri, qui inter Firmum, Æsiumque incolunt Populi, ad Franciscum nullo negotio rediissent; sed positis duas inter Urbes castris, cognitisque civium animis ob rebellionis errorem à se admodum pertinaciterque alienatis, mutato consilio, ne ibi tempus nequicquam consumeret, ad recuperandum id agri, quod inter Firmanum, Asculanumque interjacet, quod Præsidatum Picentes vocant, signa vertit, ubi Taraconenses copiæ desederant. Eo igitur justis itineribus profectus, primo adventu regionem universam dedentibus sese accolis in fidem accepit præter Offidanos Asculanis innato quodam odio infestissimos, quippe qui in Oppidum majorem regii peditatus partem introduxerant. Equestres enim copiæ adventantis hostis timore territæ Truento amne superato, tutum in locum magna festinatione se receperant. Atqui, cum belli reliquias Franciscus impigre persequi perseveraret, Offidam cumprimum appulit, vix oppidanos castris cinxerat, cum Galeotti literis sui apud Pontificem Oratoris factus est certior, pacem esse cum Pontifice hortatu

ma-

maxime atque interventu Oratorum Venetorum, Florentinorum, & item Philippi in hunc modum compositam; ut quicquid in Picentibus intra XV. Kal. Novembres Franciscus recepisset, illius esset. Reliquum verò Pontifici, Ecclesiæque Romanæ pareret: ea tamen lege, quod vectigalia & tributa, quæ per Picentes quotannis sanctæ matri Ecclesiæ penderentur, Francisco solverentur. Die igitur paci dicto appropinquante Franciscus quamvis statuisset, quo militibus in tot tantisque laboribus gratificaretur, Offidanos expugnandos diripiendosque permittere, tamen mutato postea consilio eos sibi servandos duxit. Idque ea potissimum causa fecit, quod altera ex machinis, quibus Offidæ muri assidue quatiebantur, ignis, pulverisque impetu forte fortuna confracta est. Et bellum ultra destinatum pacis fœderibus diem ducere sibi non licebat. Itaque Offidanos per deditionem regio præsidio incolumi recepit. Inter hæc Picentes reliqui omnes in ejus redire fidem, præter Auximanos, Ricinatenses, & Fabrianenses, qui jam ob eas, quas commemoravimus, causas sub Pontificis fide remanserunt: qui tamen, & Anconitani item, stipendia quæ hactenus Romanæ Ecclesiæ pendere solebant, Francisco persolvere jussi sunt. Confecto per hunc modum Piceno bello, Francisus in consilio defert, numquid Truentus autumno jam prope exacto trajiciendus esset, bellumque Alphonso Regi inferendum, quandoquidem ille tot dederit causas, cur legitimo jure armis sibi persequendus esset, Interamnensibus maxime, aliisque permultis Josiæ ditionis Populis, quo in Brutios transiretur solicitantibus, qui sese mox dedituros pollicerentur. Idque eo facilius factu esse suadebant, quod regiæ copiæ, quæ præsidio provinciæ erant relictæ, ubi cognoverunt de Offidanorum deditione, deque pace cum Pontifice facta, Aterno transmisso omnem prorsus citra amnem ipsum provinciam deseruerant. Et quamquam sciebat præterea Alphonsum per id tempus toto fere exercitu in Calabris bello adversùs Antonium Vintimillianum Crotoniatarum Regulum impeditum, non tamen judicavit, bellum adversùs potentissimum Regem sibi aggrediendum, Venetis præsertim ac Florentinis, quibus stipendii jure obstringebatur, inscientibus. Non ignorabat etiam, Philippo rem se permolestam facturum, si Regnum amicissimi Regis invaderet. Neque enim satis fidebat tantam belli molem suis modo viribus suisque opibus suscipere. Itaque cum in hiberna milites dimittere statuisset, exercitum per universum prope Picenum agrum distribuit.

Sub idem quoque tempus legatorum literis, qui Mediolani apud Philippum agebant, factus est certior, Nicolaum Picininum post gravem diuturnamque valitudinem, in quam potissimum inciderat ob ingentem suorum cladis Francisciqueque filii captivitatis acceptum dolorem, ex vivis cessisse, ejusque viri obitu Philippum magno affectum mœrore, cum in illius fide atque virtute plurimum spei semper posuisset, quem ut ostendimus invito Pontifice ex Piceno revocarat, quod ei novi belli provinciam mandare instituerat. Ceterum Philippus paucis post diebus cum literis tum nuntiis cum Francisco agere cœpit, ut Picininum penes se retentum ei condonaret. Qua re à genero facile impetrata, illum & Jacobum Fratrem Braccianosque reliquos bonis, ut erant, omnibus nudatos ad se in Longobardiam accersitos, equis, armis, ceterisque rebus necessariis magno sumtu instauravit. Postremo Franciscus copiis ut docuimus in hiberna deductis, Firmum cum paucis se contulit, ubi à Blanca conjuge exspectabatur, quo non multo post Sigismundus soceri visendi, & damnati in patriam jam reditus purgandi gratia accessit. Hunc quod ob ejus subdolum pravumque ingenium multorum sibi odium conflarat, plerique, Zarpellio præsertim, ac Dulcius retineri adhortabantur, ulciscique ea quæ contra fidem jusque stipendii proxima æstate admiserat. Sed noluit Franciscus, quamvis ille capite plecti mereretur, id jubere, quod aliquando indignum judicari posset. Sub idem tempus Fredericum Feretranum suæ militiæ adjecit. Is enim superiore æstate dum sub Nicolao Picinino mereret, Pisaurique præsidio esset, post Nicolai ipsius è Piceno discessum Urbinatum ditionem assecutus fuerat, interemto à civibus nonnullis suisque maxime necessariis Oddone Urbinatum principe ob ejus corruptos pravosque mores; Moxque à cædis auctoribus successor in principatum accersitus, tametsi Bernardini Ubaldini Cardensis filius putabatur, professusque est Firmum ad Franciscum salutandum. Quam quidem rem ubi Sigismundus cognovit, pro eo quo Feretranam familiam insequebatur odio, ægre admodum permolesteque tulit, ob idque mox à Francisci amicitia discedere instituit, semperque postea summa quadam indignatione animi & cum Eugenio Pontifice, & cum Alphonso Rege, & cum Philippo Duce de stipendio clam agere, & aliquid adversùs socerum moliri cœpit. Per eosdem ferme dies Philippus quod mortuo Nicolao Picinino copiarum suarum supremo omnium imperatore, necesse sibi fore duceret, alium suæ militiæ gubernaculo sufficere, ad Zarpellionem vertit animum, quem pro ejus eximia virtute peridoneum judicaret. Cum hoc enim homine clanculum transegerat, ut quandocumque accerſiretur, tesseris quibusdam signo allato, impetratâ vel ne à Francisco abeundi licentiâ, ad eum maturaret. Itaque dum Philippus per internuntium clam ad se illum vocat, ejus rei indicium ad Franciscum defertur. Sed enim Zarpellio cum ad Philippum proficisci omnino statuisset, profectionis causas confingit, veniamque sibi à Francisco dari postulat, cum se Mediolanum nulla alia de causa profecturum diceret, nisi ut ea consequeretur emolumenta, quæ ex agro, quem in Papiensi possideret, quotannis percipiebat. Atqui Franciscus etsi veniam se illi libenter daturum simulabat, secum tamen angebatur animo, quod & injicere manus in hominem invitus jubebat, & sinere eum ad Philippum proficisci pro principis illius multiplici natura magno sibi detrimento futurum judicabat. Tamdem hominem retinere, & de illius perfidia supplicium sumere, & ita agere statuit, ut Philippus ea spe destitutus Zarpellionis operà uti non posset. Itaque conficiendi negotii Alexandro cura datur. Is quod jussus est à fratre, in Firmana Arce impigre exsequitur, &

&eo libentius atque celerius, quo Zarpellionem capitali insectabatur odio. Et dum de rebus multis haberetur quæstio, multa Zarpellio sine cruciatu fassus est adversùs Franciscum agitasse consilia, & id postremo, quod pro Philippo se facturum receperat. Quibus proditis rebus laqueo jugulum frangi jubet. Dein confestim per Italiam causas, cur de Zarpellione supplicium sumserit, epistolis enunciat. Ea re cognita Philippus gravi ira commotus, Georgio Maino & Vincentio Amidano legatis celeriter accitis in Franciscum vehementer invectus: Satis, inquit, se scire Franciscum Sfortiam nulla potissimum alia de causa Zarpellionem tam acerba tamque immerita morte affecisse, quàm ut sibi rem faceret molestissimam, virique illius insignis operâ privaret: ac nemini certe obscurum esse, quod hominem necasset, cui in re militari jam multos annos Italia parem non habuisset. Sed illud ejus memoriâ tantum facinus numquam excessurum, quin aliquando ulciscoeretur, seque operam daturum, ut is rursus Piceno pelleretur agro. Hac Franciscus perspecta soceri indignatione, causam suam per eosdem legatos jure tueri, & quibus poterat argumentis Principis iratum in sese animum mollire, sibique reconciliare nitebatur. Hæc & hujusmodi quæcumque in diem accipiebat, Veneto Senatui, Populoque Florentino literis significare curabat. Sed ne ii quidem moleste ferebant eas inter socerum generumque discordiarum causas intercedere, quin inimicitiam inter eos potius quàm amicitiam nutriri cupiebant. Hoc rerum statu Franciscus circumacto jam fere Anno Æsium se transtulit, ibi hyemis reliquum consumturus, velut loco Flaminiæ Civitatibus propinquiore, unde Sigismundo, Fredericoque inter sese conciliandis in fideque retinendis præsentior foret; ne pro vetere inter eos odio simultatibusque sumtis rursus armis bellum renovarent. Post hæc cum possideret, ut demonstratum est, hereditario jure Galeacius Malatesta Pisaurum & Forosempronium, Sigismundus gentilis suus incredibili quadam Pisauri potiundi cupiditate dolis omnibus dies noctesque ei insidiabatur. Quare factum est, ut Galeacius ejusmodi perpetua solicitudine ac molestia cupidus aliquando liberari, quod verebatur, ne & ætate gravis & liberis carens maribus à suismet Populis proderetur, Frederici hortatu Pisaurum tamdem Francisco vendidit viginti aureûm nummûm millibus in pretium acceptis; ea quidem lege, ut ejus Urbis imperium Alexandro traderetur, cui nuper Frederici operâ nupserat Constantia Galeacii ipsius neptis, nata ex filia Elisabeth, quam Gentili Camerti in matrimonium dederat. Forosempronium verò emit Fredericus tredecim aureûm nummûm millibus. Has porro pecunias omnes Franciscus confestim Florentiæ ex stipendio suo persolvi jussit. Per hunc modum & Alexander Pisaurum, & Fredericus Forosempronium adeptus est, Urbes certe & situ & vetustate nobiles, quas multos per annos Malatestarum familia possederat. Quod ubi Sigismundus intellexit, ut erat mobili ingenio, ad resque novandas pronus, & pergravi dolore affectus est, & majore quàm umquam antea in Franciscum indignatione iraque commotus, quod ea de spe se decidisse omnino perspiciebat, quam jampridem seu per proditionem, seu per vim, seu per Galeacii obitum Oppidi utriusque obtinendi habuerat. Et ob id præceps statuit à Francisci amicitia discedere, & non solùm adversariorum ejus voluntates sequi, sed quo ad posset, eos ad inferendum rursus socero bellum hortari, quorum primos Eugenium Pontificem, Alphonsum, & Philippum esse non ignorabat. Erat enim constans fama, Philippum post extinctum Zarpellionem implacabili ut ostendimus odio Franciscum persequi. Eam igitur rem nec prius Principibus iis Sigismundus persuadere destitit, donec Pontifex ab Alphonso & Philippo persuasus, eum mercede conductum suæ adjunxit militiæ; etsi nescius non erat, eumdem stipendii jure Francisco obstrictum, salvisque pacis fœderibus superiore Anno cum Francisco percussis hominem admittere sibi haudquaquam licere. Interim Josias Aquavivanus, & Interamnenses, de quibus supra mentionem fecimus, multique præterea alii ejus provinciæ Populi rebellione concitata ab Alphonso defecerunt. Quos multis de causis Franciscus repudiandos non putavit, atque ad eos confestim Antonium Triultium & Sebastianum Canusinum viros & rei militaris scientia & animi virtute præditos cum valido equitum præsidio misit. Ceterum multa ac varia eo tempore afferebantur, quæ futurum rursus in Piceno bellum facile indicabant, & ob id diversa agitare animo Franciscus consilia cœpit. Intelligebat enim tres Principes, quos supra nominavimus, facta nuper inter se societate exitio suo imminere: Eugenium præsertim, qui ut ferebatur, affirmabat licere sibi impune omnia adversùs Franciscum tentare, qui se invito Ecclesiæ jura occuparet. Quibus de rebus circa Kal. Junias quas in Brutios copias miserat, ibi dedititiis præsidio relinquere statuit. Ipse Pisaurum maturans reliquas copias secus Isaurum amnem cogere, & quod agri inter Urbinum & Pisaurum intercedit, custodire, quo facilius hostes ex Flaminia venientes in agrum Picenum transitu prohiberet. Fiebat enim Franciscus non crebris modò rumoribus sed frequentibus etiam è Mediolano legatorum literis quotidie certior, Philippum jam copiarum suarum partem armis, equisque ornasse, quas esset propediem in Flaminiam missurus, ut Pontifici, Sigismundoque auxiliarentur. Coacto igitur ad Isaurum exercitu, multæ inter Franciscum & Sigismundum ob illata utrimque maleficia dissensiones iræque intercesserunt. Quibus de causis jam nata inter eos odia quotidie magis atque magis augebantur. Et ob eas res Franciscus missis Venetias, Florentiamque legatis magnopere contendebat, ut inde cognosceret, quonammodo cum Sigismundo sibi vivendum esset, quem ut apertum hostem reputabat. Sed Veneti Senatus, Populique Florentini injussu arma illi inferre sibi non videri. Ii autem quod Sigismundum pro ejus spectata in omnes perfidia oderant, probarunt, ut hominem aperto bello undique insequeretur. Qua re cognita Franciscus factis mox per proxima loca excursionibus vastatoque Ariminensi & Fanensi agro Candelariam Pisaurensis ditionis municipium admotis castris obsedit, con-

continuoque tormentis muro adactis oppugnare contendit. Quo tempore renuntiatum est, Antonium & Sebastianum eas adversùs copias obviam profectos, quas Alphonsus provinciæ subsidio miserat, primo congressu profligasse, majoremque earum partem cepisse, ac reliquas, quæ evaserant, trans Aternum profugisse. Sub idem tempus nova Boloniæ seditio orta (61) est. Nam cum essent omnium oculi in unum Annibalem Bentivolum conversi, qui ob res præclarissime gestas superioribus annis magnam sibi in Civitate sua auctoritatem vindicarat, Cannetuli invidia atque odio in eum accensi, illius perdendi occulta iniere consilia, conjurationeque facta, Baldesar Cannetulus, vir audacissimus & ad omne scelus aptissimus, communi consilio est constitutus, cui ea provincia demandaretur. Non tamen, ut fertur, consilio cum Baptista Cannetulo communicato, qui erat familiæ suæ princeps, quod verebantur, eum nullo pacto tanto facinori assensurum. Itaque cum forte per eos dies Franciscus Gislierius Militaris dignitatis vir filium ex uxore suscepisset, Annibalem invitavit ad illum ex sacro Fonte suscipiendum. Quare Annibal nihil mali suspicatus, ad pium munus obeundum libenter proficiscitur. Re autem pro more Christiano peracta die divi Johannis Baptistæ natali, cum Annibal dextra manu à proditore Gislierio inter ambulandum, ut fit, detineretur, Baldesar permultis suæ factionis satellitibus circumseptus ex insidiis adoritur, pugioneque transfisso pectore interemit. Eadem hora apud Ædem ejusdem divi Johannis Baptistæ eadem conjuratione duo Galeacii Marescopti fratres interficiuntur. Quæ res cum universam Civitatem clamore tumultuque complesset, omnes qui factionem Bentivolam sequebantur, ad arma concurrunt; nec Cannetuli rem segnius edunt. Baptista etiam ipse perspecta periculi magnitudine arma capit, & ad rem gerendam magna suorum manu stipatus prodit. Certatur utrimque per vicos acerrime, caduntque ex utraque factione permulti. (62) At Galeacius, ut erat ad omne periculum & impiger & acer, majore in Cannetulos ira accenditur, & coacta repente ex suorum fuga juvenum manu magna vi atque impetu defertur in adversarios (63) incumbentibus tamdem Bentivolis. Dederunt terga Cannetuli omnes præter unum Baptistam, qui cum se in illa suorum fuga occuluisset, tamdem ex latebris erutus crudelissime trucidatur, ejusque ædes & proditoris Gislierii pluribus in locis per ingentem Populi furorem igne injecto magno exuruntur incendio. Baptistæ corpus per multa ludibria totam pæne per Urbem tractum tamdem ignominiose comburitur.

(61) MS. ut est Civitas factionum studio ad res novandas facile prona. Sic enim Franciscus ab Alberto Orolando legato suo acceperat. Nam quum essent &c.

(62) MS. Sed major Bentivolorum fuit numerus occisorum, & in iis fratres duo Galeatii Marescopti. At Galeatius &c.

(63) MS. ut eis in fugam versis facile suis victoriam pepererit, & timorem inimicis incusserit. Dederunt &c.

Explicit Liber Septimus.

IN-

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

Coepto adversùs Sigismundum circa Idus Quintiles bello, Franciscus quod pecuniæ inopia premebatur, Frederico Urbinati & Alexandro fratre exercitui præpositis: ipse cum paucis Florentiam contendit. Brevique persuasis Florentinis, auctore Cosmo Medice, & accepta pecunia ad suos in castra revertit. Ibi cum reperisset regionem omnem quæ est inter Isaurum atque Metaurum Pisauro Fanoque subjectam à suis receptam & magnam insuper agri partem, qui ultra Metaurum à Fanensibus incolitur, ad obsidendam Pergulam ducit, oppidum totius regionis emporium, situ ac opere munitum & Populorum commerciis opulentum. Circumsessa Pergula, tormentis primum dein machinationibus aliis oppugnari cœpta est. Et cum dura diuturnaque ea oppugnatio videretur, tentati aliquando sunt ad deditionem oppidanorum animi. Sed cum oppidum valido peditum præsidio Sanctino Ripensi præfecto teneretur, cui & continendis in fide obsessis, si qui forte aut metu aut voluntariis animis ad deditionem inclinarent, & tuendis mœnibus animus viresque non deerant, nullo dato responso garrulitate modò, conviciisque Sanctino auctore è mœnibus utebantur. Per hunc modum multo quam putabatur longior reddebatur obsidio, cum hinc Populus præsidiumque mœnia fortiter tutarentur, inde Franciscus potiundi oppidi avidus conando dies noctesque aditum in oppidum quærebat. Sed tamdem tormentorum vi disjecta haud exigua murorum parte Franciscus pluribus locis obsessos aggreditur, & qua prolapsa mœnia oppidum nudaverant, primo impetu milites irrumpunt. Captaque primo ingressu majore præsidii parte cum ipso duce Sanctino universum mox oppidum vertunt in prædam. Quæ quidem tantæ rerum omnium copiæ fuit, ut omnem ditaret exercitum. (64) Asculani interea factionum studio inquieti animis cum novis rebus jam studere cœpissent, Francisco duobus maxime bellis occupato à fide defecerunt. Ejus rebellionis iidem fuere auctores, quorum operâ Franciscus antea Urbem receperat. Hi quamquam auctoritate in patria & opibus eos Franciscus auxerat, seu mobilitate animorum & præteriti errati pœnitentia ducti, ut Eugenii Pontificis gratiam novo facinore sibi conciliarent, seu indignatione moti ob Johachini gentilis sui necem, qui cum esset Æsii proscriptus à Guerrerio Asculano exule contrariæ factionis interemtus est, Francisci ut existimabant jussu, de prodenda Urbe cum regio Brutiorum præfecto consilia ineunt. Reque insuper communicata cum Balduino Tolentinate Nicolai filio, quem in Brutios cum trecentis equitibus Franciscus miserat, ut Antonio & Sebastiano jungeretur, die constituto Populum ad arma concitant, primoque motu Raynaldum Folianum Francisci uterinum fratrem Urbis præfidem nihil tale timentem obtruncant, regiasque copias & Balduinum cum equitatu introducunt. Nec multo post Arcem præfecto ob cæsum præsidem timore territo in fide persistere non auso parvo negotio recipiunt. Hoc modo Asculum Urbs nobilis levi belli momento proditione amissa Pontifici etiam proditione restituta est. Hac tam repentina insperataque Asculanorum & Balduini defectione cognita Sfortiani ductores, qui una cum Josia ut ostendimus Taraconense bellum in Brutiis sustinebant, territi viribusque diffisi, Josia in summa rerum suarum desperatione derelicto, Firmum sese nullo intermisso tempore receperunt. At Franciscus hoc tam gravi accepto vulnere non potuit animo non commoveri, & Balduini, Asculanorumque civium perfidiâ, quos ut prædiximus & potentia & opibus plurimum extulerat, non vehementer indignari. Dein veritus, ne forte Firmani Asculanorum exemplo res novas molirentur, Alexandrum fratrem cum exercitus parte eo transmittendum duxit. Ipse nihilo secius à Pergula movens ad recipiendas regionis reliquias pergere contendit, Montemque Siccum, oppidum in monte edito positum, & valido peditum præsidio firmatum adoritur, triduoque post magna vi tormentorum dirutis mœnibus, pugnaque tentata, oppidani haud levi pecunia ne diriperentur pacti, sese Francisco permisere. Inde Urceanum petit, oppidum quidem & natura loci & muro ac externo etiam milite egregie munitum. Hoc artius obsidione cinctum oppugnare aggreditur. Inter hæc Sigismundus hosti longe viribus impar Arimini se continebat, externaque auxilia hinc atque inde implorabat. Nam missis ad Eugenium, Alphonsum, & Philippum legatis, se gravi jam bello pressum tantum hostem diutius sustinere non posse testabatur, nisi ocius subsidia mitterentur, cum sibi aut pereundum esset, aut quascumque victor hostis dare conditiones vellet necessario accipere. His atque hujusmodi vocibus accensos jampridem in Franciscum Principum animos facile suam in sententiam traxit. Primus Philippus magnum equitum ac peditum numerum Taliano Forojuliano, Jacobo Gaivanensi & Roberto Bodiensi ducibus in Flaminiam magna festinatione mittit, Dominicumque Malatestam Cæsennæ Regulum mercede conductum se suosque bello parare jubet. Hos Sigismundo auxiliari Franciscumque bello persequi imperat. Jacobus & Robertus cum suis Cæsennam petunt. Dein junctis cum Malatesta copiis Ariminum ad Sigismundum proficiscuntur. Nec multo post quatuor inde duces justo jam conflato exercitu Fanum pergunt, Taliano qui in Bononiensibus substiterat, cum reliquis copiis subsequi jusso. Nec minoribus interea viribus Alphonsus bellum aggreditur, cui post Asculanorum rebellionem Francisci oppugnandi animus plurimum creverat. Ob id mittitur in Brutios statim cum supplemento Jo-

(64) MS. Hæc dum ita prospere ad Pergulam à Francisco geruntur, adversum illi aliunde accidit eventus, multorum causa malorum. Nam Asculani factionum &c.

Johannes Vintimilianus vir rei bellicæ disciplina clarus, ut iis sibi additis copiis, quæ Asculi consederant in Picenum agrum adversus Franciscum progrederetur. Et Pontifex occasione oblata Ludovicum Aquilejensem Patriarcham Asculum cum equestribus cohortibus proficisci jussit, ut Vintimiliano adjunctus communi consilio rem gereret. At Franciscus tanta belli mole à duobus maximè lateribus uno tempore pressus, quæ potissima belli gerendi ratio visa est, hostes ne conjungerentur, distinere statuit. Quare Alexandrum edocet, ut cum iis quas Firmi habebat copiis primum omnium Civitatem in officio contineret, & advenienti hosti ne obviam procederet. Satis enim sibi esse, si Urbem in fide servaret, & hostes ne Firmum prætergrederentur; quod facile effici poterat, persistentibus in fide Firmanis. Ipse obsidione Urceani soluta, binis castris Metauro transmisso supra Fanum millibus non amplius duobus castra ponit, ne Forojulianus, qui jam Ariminum pervenisse dicebatur, Fanum accedere, aliisque jungi copiis posset. Locandis autem castris quo tempore omnia sine ordine sine imperio agi miscerique solent, hostes qui Fani erant, sive ut Francisci castra ab eo loco quod Garignanum appellant, longius amoverent, sive quod fessum itinere & faciendis castris impeditum hostem opprimi posse arbitrarentur, Urbe egressi magna celeritate Sfortianos opere occupatos invadunt. Quare multis ad arma conclamantibus, exortoque totis castris tumultu, Franciscus celeriter collem, qui castris supereminebat, peditatu occupari jubet. Dein collectis pro tempore equitibus, qui nondum exuerant arma, hostes de superiore loco aggreditur, quos primo impetu repressos in fugam vertit, multisque ex iis cæsis captisque ad ipsas usque Urbis portas equitatus pars fugientes reliquos insequitur; adeoque unico prœlio eorum audacia repressa est, ut deinceps velut obsessi ne egredi quidem portis ausi sint. Firmatis castris reversoque præda onusto milite, Franciscus continuo Castellum aggressus, quod ibi Sigismundus agricultorum tutelæ ædificaverat, expugnat, captoque præsidio diripit. Nec multis post diebus Talianus ex Arimino Fanum noctu proficiscens, Sfortianisque fortè excubitoribus obviam factus, cum toto Franciscum exercitu adesse existimaret, magna trepidatione Ariminum regreditur. Ita compluribus consumtis diebus Alexander literis nuntiisque frequentibus fratrem edocebat, Johannem magnis viribus appropinquare, sese illi nequaquam copiis parem esse, regionem fere omnem ab Asculo usque Firmum aut metu aut sponte ad hostes defecisse, ob id auxilium celeriter mitti oportere. Increbuerat præterea rumor, ab Eugenio in Umbris delectus haberi, equestresque copias contrahi, Auximum, Ricinatumque propediem petituras Antonio Rido Patavino duce, quem Sancti Angeli Romanæ Arcis præfectum nominabant. Quas ob res omnes fere Piceni Populos fama pervaserat, Franciscum pæne obsessum ad Fanum retineri, nec illi in provinciam liberum esse reditum.

His tot Franciscus anxius curis movendum ex eo loco atque in provinciam redeundum putavit, veritus ne si cunctaretur, ut sunt Picentes natura mobiles, ea opinione impulsi ad hostes desciscerent. Itaque ne Pisauriensium deditiorumque oppida defensoribus vacua remanerent, Matthæum ex Sancto Angelo ad vadum cum majore peditatus parte regioni præsidio cum his mandatis relinquit, ut ubi hostes Fano discessissent, quod propediem futurum arbitrabatur, ipse quoque quammaximis posset itineribus exercitum subsequeretur. Itaque binis castris provinciam ingressus, quod celeritate uti necesse erat, exercitus curam Frederico demandat. Ipse cum non multo levis armaturæ equitatu expeditoque peditatu in Taraconenses ire contendit, quos jam Firmanum invasisse agrum audierat. Sed vix dum ad Æsim amnem pervenerat, cum multis eunti sibi factis obviam nuntiis cognoscit, & Jacobum Galvanensem Fano in provinciam profectum Montemsanum occupasse, ejusque adventu continuò oppida quædam ad eum defecisse, & Antonium Patavinum ex Umbris per Fabrianenses, Sanctoseverinatesque iter facientem, Ricinatum ægre cum copiis appulisse. Quod cùm esset è regione Sanctiseverini peditatu erumpente, qui oppido præsidio erat, in fugam versus multis suorum ac magna impedimentorum parte capta vix ipse evaserat. Quibus cognitis rebus visum est Francisco exercitum sibi exspectandum, amissaque oppida prius recuperanda, quam in itinere ut cœperat persequendum. Cùm primum igitur exercitus ad eum pervenit, nullo intermisso tempore Montem Filiorum Optrani oppidum situ ac muro munitissimum ex itinere obsedit. Oppidani cùm per biduum obsidionem ægre ferre cœpissent, partim quod aquæ penuria laborabant, partim quod triticum fere omne in subterraneis horreis extra oppidum positis congestum amiserant, & quod reliqui erat, assidue auferri ab hostibus cernebant, salutem pacti deduntur. Quos Franciscus idcirco in fidem accipiendos judicavit, ne ibi tempus consumeret. Idemque facere Apinianenses, qui metu territi Jacobo sese tradiderant. Quibus receptis oppidis præsidioque firmatis, Franciscus inde movet, & cum ad Potentiam pervenisset positis castris, sumtoque confestim, ut ante fecerat, non multo levis armaturæ equitum ac peditum numero in hostes properat eo consilio, ut exercitus, cumprimum cognosceret, quid ab eo fieri vellet, subsequeretur. Sed vix dum Firmanorum fines attigerat, cum Vintimilianus & Patriarcha, ejus adventu cognito, fama non tam ducis quam nominis territi ne exspectare quidem hostis præsentiam ausi sunt. Nam motis continuo per noctem castris, tumultuario agmine in Transoniates locum quamtutissimum sese receperunt. Neque ibi etiam tutos se fore existimantes ad Truentum usque haud procul Asculo fœdâ fugâ regressi constiterunt. Quare omnes fere qui in ea regione Populi hostium potestati sese dediderant, ad Francisci fidem rediere. Quos ille supplices, erratique veniam petentes, miti benivoloque animo excepit. Interim Talianus prohibentibus nullis Fanum profectus ceterisque junctus copiis dux omnium deligitur, ac postridie inde discedit longisque itineribus in Picenum pergere maturat. Primo adventu Auximum, Ricinatumque prætergressus Mon-

tem-sanctum, quod est oppidum & munitione & Populi etiam multitudine inter Picentes celebre, dedentibus sese oppidanis accipit. Quare protinus circumposita Castella voluntariis animis deduntur. Franciscus iis cognitis rebus, fugatis pulsisque provincia Taraconensibus, ex quo satis ad Firmanorum salutem factum putabat, in Talianum animum viresque convertit. Itaque qua venerat regrediens, ad Ulmenses quamcelerrime flectit, quod ea brevior esset ad hostes via. Ad Fredericum mox ex itinere literas dat, ut eodem cum exercitu die insequenti mane se conferat; idemque Alexandro fratri imperat. Ubi verò ad Ulmensium pervenit oppidum, quorum primates jam cum hostibus de deditione secreto agere coeperant, defectionis tempus exspectantes multitudinem subito adventu compressit; eum tamen cum paucis oppido recipiunt, reliquos mœnibus exclusere. Ceterum tam propinquis hostibus, & quod esset fine arce oppidum, indignationis causam in dies dissimulat. Ibi comperit omnem fere eam regionem magna animorum inclinatione ad hostes defecisse. Solam Civitatem Novam quam nuncupant, adhuc in officio perstare, eamdemque pridie hostes obsedisse. Franciscus, quod cum iis quas secum duxerat copiis appropinquare hosti non videbatur, Fredericum & Alexandrum exspectandos putavit. Qui cum, ut erat imperatum, advenissent, de liberando obsidione oppido agere cœpit. Castris ad Clentis fluminis ripam positis Franciscus frequentibus literis ac nuntiis obsessorum animos confirmare & hortari non desistebat, ut exigui temporis spatio inclusionem perferrent, se propediem eos liberaturum; intenti essent, ut, cum ipse hostium castra aggrederetur, ad erumpendum parati portis omnibus exirent. Instituerat enim communicato consilio prœlii fortunam experiri. Tentassetque sane cum hostibus pugnam conserere, nisi ab exploratoribus cognovisset, hostium castra editis locis iisdemque frequentibus vinetis arboribusque consitis posita, ubi nihil seu parum equitatus poterat. Peditatu edenda res erat. Ob id exspectandum sibi Matthæum cum pedestribus copiis judicat, quem nunc adventare, nunc adesse existimabat. Exercitum tamen postero die prima luce ad dimicandum summa alacritate paratum in acie consistere mandat. Sed dum exspectando ad multum jam diem in hostes tardatur profectio, Forojulianus, ad quem, ut diximus, summa imperii totius exercitus delata fuerat, timore perculsus totam eam noctem in armis fuit, collesque à suis crebris excitatis ignibus teneri jussit; factoque die soluta obsidione magna omnium trepidatione eodem, quo venerat, itinere præmissis impedimentis Montem-sanctum repetit, & circum muros præ timore perangustius castra locat. Franciscus quamquam satis & ad suam auctoritatem & ad obsessi Populi salutem factum videbat, maximam tamen victoriam ob unius Matthæi segnitiem è manibus ereptam vehementer indoluit. Quibus peractis rebus, iisdem castris immorandum ratus, Forojuliani consilia observabat, occasionem belli gerendi ex illius actionibus sumturus. Interim quæ paulo ante oppida defecerant, partim vi & metu, partim sponte recepit. Amicos Populos in officio continebat, hostes populationibus prohibebat. Ex quo fiebat, ut non dubitaret, consumto prope jam autumno hostes Piceno brevi excessuros, cum præter pauca admodum oppida cuncta illis hostilia essent, & neque hibernandi nec commeatus facultas suppeteret. Sed omnium primum præcipua Francisco cura fuit, ita distinere hostes, ne duo exercitus conjungerentur, quod iis junctis nequaquam se illis parem futurum, divisis, utrumque exercitum sibi inferiorem intelligebat; & quod re didicisset, viribus imparem non modò secum congredi non ausum, sed ne conspectum quidem ejus sustinere potuisse. At Forojulianus contra, quod hostem non numero sed virtute militum meliorem videret, omnem victoriæ spem desperabat, nisi majoribus augeretur viribus. Quare Johannem monere, hortari, obtestari non desistebat, ut ad se cum exercitu proficisceretur, cum diceret disjunctis copiis nullam spem victoriæ relinqui; si jungantur, aut profligari hostem, aut pelli facile provincia posse. Hanc se probare sententiam Johannes respondebat, sed sine manifesto periculo ad eum proficisci non posse: proin Talianum hortari, ut ipse obviam cum exercitu accederet. Ita missis sæpe ultro citroque nuntiis uterque transire ad alterum diffisus suis sequisque locis continebat. Hoc statu rerum Franciscus inter ceteras belli difficultates pecuniæ inopia maxime angebatur, Venetis, Florentinisque ne debitum quidem militiæ stipendium solventibus. Itaque Frederico & Alexandro curâ castrorum traditâ ipse cum paucis inveniendæ pecuniæ causa Firmum concedit. At hostes quod viribus apertoque bello agere non valent, arte atque dolo auctore Sigismundo conantur. Rocha Contracta oppidum est, ut diximus, in extremis Piceni finibus positum, mœnibus, turribus, & loci natura munitissimum, & in eo Arx quoque est situ muroque omni ex parte tutissima. Hoc in Umbriam, Flaminiam, Etruriamque inter locorum angustias aditus habet. Sed ceteris eo tempore præclusis aditibus solus hic ab Etruscis, & Urbinatibus liber Francisco relinquebatur. At oppidani rerum novarum cupidi, quamquam in magno apud Franciscum honore & gratia habebantur, tamen à Sigismundo solicitati conjuratione facta Eugenii præsidium sese accepturos promiserunt. Et præfectus Arcis, qui ex Sfortianis fidelissimus unus habebatur, cum à teneris annis sub Sfortia meruisset, muneribus corruptus, arcem quoque se traditurum dixit. Hostes igitur, ne tantam benegerendæ rei occasionem prætermitterent, motis repente castris non ignorantibus modò quorsum irent, sed lætis etiam & opinantibus Sfortianis, eos desperatis rebus provinciâ abire, quammaxima potuerunt celeritate, ad Rocham Contractam ire contendunt; acceptoque præsidio oppidani cum ipsa Arce Romano Pontifici deduntur, triduo tamen à præfecto Arcis deditione dissimulata.

De his rebus literis Frederici & Alexandri Franciscus certior factus confestim in castra revertitur. Ibi rumoribus crebrisque nuntiis apertius de oppidi proditione cognoscit. Postero die inde movet, & in hostes eo animo ire maturat, ut per Arcem, quam

quam nondum proditam intellexerat, ingressus amissum oppidum recuperaret, quem non perpetui imbres, non gravis commeatuum inopia, non multæ itinerum difficultates deterruerunt, quin cœptum iter prosequeretur. Sed nondum ad Æsim flumen pervenerat, cum Arcem quoque hostibus traditam ab exploratoribus cognoscit. Quo nuntio accepto ingenti affectus dolore ad flumen constitit. Animadvertebat enim interclusis undique itineribus nulla ad se amplius auxilia neque à Venetis neque à Florentinis mitti posse. Querebatur sæpe ob id, se quem neque tres maximi Italiæ Potentatus, neque tot belli duces cum duobus maximis exercitibus vicerint, suorum perfidiâ superari. Castris ad Æsim positis, utile visum est observare quid hostilis exercitus acturus esset, & pro re ac tempore consilium capere. Talianus autem Rochâ Contractâ receptâ, patefactoque in Fabrianenses itinere eo ducit. Ibi regias copias, quæ ut diximus in Asculano desederant, exspectare instituit. Nec multo post Patriarcha relicto propter invalitudinem Vintimiliano, inde totis copiis profectus per saltuosa confragosaque itinera Apenninum superat, & per Nursinos, Umbrosque progrediens, remenso rursus Apennino in Fabrianenses pervenit, Talianoque conjungitur. Hæc cum ita essent, Franciscus multiplicibus gravibusque pressus curis putavit cedendum esse tempori, cedendum paulisper hosti, servandum exercitum, Urbes Æsium, Firmumque præsidio firmandas, reliqua provinciæ Oppida propter Populorum mutabilitatem suo arbitrio relinquenda, cum non dubitaret insequenti Anno refecto exercitu his duabus Urbibus in fide manentibus omnem se rursus provinciam recepturum. Itaque Alexander cum mille & quingentis equitibus, peditibusque item quingentis, Firmum mittitur. Qui ea firmata Urbe duo etiam oppida, quæ à duobus maxime lateribus insurgunt, Mons Sanctæ Mariæ & Mons Rubianus, milite muniret. Ipse verò priusquam hostes ad ea loca appropinquarent, præsidio Æsii imposito in Urbinates cum reliquis copiis proficiscitur, atque inde in Feretranos progressus pleraque Malatestarum ditionis municipia partim voluntaria deditione in potestatem accipit, partim primo impetu capit, ac in prædam vertit, partim etiam quæ persistere in fide audere videbantur, propugnaculis vi tormentorum disjectis expugnat, ac diripit. Quæ quidem omnia cum aut intra Frederici fines, aut suis finibus proxima essent, ei suo præsidio munienda concessit. Quorum nonnulla in ipso direptionis tumultu ab Urbinatibus pro innato odio, quo finitimos, ut plerumque fieri solet, insequebantur, annuente Frederico, igne pluribus locis immisso, sunt exusta. Quod fuit certe Francisco molestissimum. Sed quia se in Urbinatum fere potestate constitutum cernebat, æquo animo quæcumque dura eo tempore sibi ferenda putabat. Ceterum exacto jam Novembre cum gravis urgeret hyems, terrâ ubique per loca nivibus obsitâ, solvendum duxit exercitum. Itaque quod parum ea regio velut montuosa ad alendos equos ferax esset, in uberiores Tusciæ agros Florentinæ ditionis majorem equitatus partem hibernatum dimisit, reliquam per Urbinates, Eugubinos, & Pisaurenses distribuit. Ipse Pisaurum, ubi Blanca uxor cum liberis erat, hyemis agendæ locum sibi delegit. Inter hæc Patriarcha & Talianus provinciam milite vacuam potentissimo exercitu rursus ingressi, paucis diebus præter Firmanos cum duobus adjacentibus oppidis, atque Æsinos Picentes magna omnium voluntate à Francisco desciscentes in Romanæ Ecclesiæ potestatem accipiunt. Nec Firmani diu in fide permanserunt, quippe non multo post finitimorum exemplo solicitati, inita conjuratione sexto Kalendas Decembres Sfortianas cohortes per civium ædes jam ante distributas nihil tale ab hospitibus timentes nocte intempesta sumtis armis capiunt, bonisque omnibus denudant. Alexander suspicatus id quod erat, cum biduo ante suis cum domesticis paulo sub Arcem tabernacula sibi statuisset, exorto tumultu eo se recepit, quo multi per tumultum dilapsi confugerunt. Quo tempore qui Montem Sanctæ Mariæ, Montemque Rubianum inhabitant Populi, editis à Firmanis ignibus, ut prius de rebellione signum inter sese clanculum dederant, confestim præsidium compræhendunt, & armis, equis, ceterisque bonis exuunt. Ita eadem nocte trium Oppidorum defectione, totque delectorum militum detrimento res Sfortiana haud dubie exinanita multo inferior esse cœpit. Firmani, quod reliquum erat, Arci expugnandæ intenti, Forojulianum cum suis accersunt. Nam major Ecclesiastici exercitus pars in Umbros cum Ludovico hiematum transierat, & quicquid ad rem usui fore judicant, comparare student. Dein bombardis omnique missilium genere & muri assidue quatiebantur, & vulneribus defensores confodiebantur, & cuniculis ex occulto aditus in Arcem exquirebantur. Nec obsessi segnius rem geruntur, hostilesque conatus ubique frustrantur. Nam catapultis, balistis, & bombardis non peregrini modo milites sed Firmani cum ipsis etiam ædificiis sternebantur, factis quoque ex adverso introrsus foveis hostium cuniculos inclusi excipiebant. In quibus non numero sed virtute acriter pugnantes Firmanos superabant. Præterea factis crebro non tam interdiu quam noctu eruptionibus, totam fere Urbem tumultibus clamoribusque replebant, prædis insuper atque incendiis vicatim fere devastabant. Dum hæc geruntur, cibaria quæ in Arce erant, multitudine assumebantur. Ob id Alexander cui cuncta providenda erant, veritus ne frumentum brevì obsessos deficeret, universos pugnæ inutiles ex Arce abire equosque interfici jussit, ut quoad fieri posset, inclusionem perferret; cum nihil aliud præterquam famem in tanta obsidione sibi obesse posse animadverteret. Dein habito militum censu, habitaque secreto frumenti ratione, reperit vix dierum decem tota Arce, quæ non exigui erat ambitus frumentum superesse, idque accidere ex nimia Francisci largitione, paulo antequam ex provincia discessisset, propter pecuniæ inopiam in milites facta. Qua difficultate coactus Alexander de dedenda Arce cum Firmanis agere cœpit, qui eo bello sumtuque fessi illum sæpe ea de re tentaverant. Pactusque demum suam suorumque omnium salutem cum bonis universis ac decem

cem insuper aureûm nummûm millibus acceptis Arcem tradidit, quam nulla alia vi, nullo metu, nullaque alia difficultate, quàm fame pressum dedidisse satis constat, cum vix bidui alimenta superessent. Qua postea recognita Firmani queri non cessabant, quod ducem ipsum Alexandrum, præsidium, & bona quæ secum inde extulerat, ac datas præterea pecunias amisissent. Quam quidem Arcem paulo post per iram populariter funditus everterunt. At ubi Franciscus insperatam Firmanorum defectionem rescivit non minus amissi præsidii detrimentum, quam ipsius Populi perfidiam, in quo magnam habebat fidem, vehementer indoluit. Nec tamen diffidebat, quin vere novo priusquam hostis educeret, & fratrem obsidione liberaret, & Urbem recuperaret. Sed posteaquam amissam quoque Arcem cognovit, tum demum pergraviter animo commotus est, quod intelligebat omnem recipiendæ provinciæ spem sibi ademtam. Itaque ex Florentia quo iterum repetendi stipendii causa concesserat, accepto pro tempore argento Pisaurum rediit. Ibi recensendis copiis, pecuniis in equitatum distribuendis, supplementisque scribendis hyemis reliquum exegit, haud dubie ubi per tempus liceret, Picentibus rursus bellum illaturus, Anconitanis præsertim non adhortantibus solùm sed se illi etiam auxilio futuros pollicentibus, ulciscendæ potissimum in Auximanos injuriæ causa, cum quibus tum bellum gerebant.

Et jam æstas appropinquarat; qui erat Annus à Natali Dominico Sextus & Quadragesimus supra Quadringentesimum ad Millesimum. Ornatæ erant copiæ, & quæ bello usui fore putabatur comparata; cum Cosmus Medices tum literis tum nuntiis Francisco persuadere cœpit, ut omisso Piceno in Umbriam signa verteret, Romamque inde peteret, unde magnam brevi victoriam consecuturus esset; & rem esse in hunc modum cum iis, qui conspirabant, secretò compositam. Jacobum & Andream fratres exactorum familia Tudertinos, suæque factionis principes, ubi eum cum exercitu conspexerint, Tudertum tradituros. Idem postea Urbeveteranos, & Narnienses facturos. Eversum Comitem præterea, qui in ora maritima haud procul Romà multa oppida possideat, non se modò totis copiis per suos fines transire permissurum, sed commeatu quoque & armato milite adjuturum. Addebat ad hæc Nicolaum Cardinalem Campanum, cum primum Urbi Franciscus appropinquasset, populum Romanum ad arma concitaturum, quod Eugenii & Ludovici Patriarchæ, qui omnem fere imperii summam tenebat, dominationem molestissime ferrent. Hæc sibi diu multumque cognita esse, ac satis superque constare, & nihil deesse quàm conficiendi negotii celeritatem; hortari eum, atque rogare, ne tantæ rei occasionem per segnitiem elabi sineret. Quod si maturet, non defuturum, quin Roma cum ipso Pontifice in ejus deveniat potestatem. Ad hæc Franciscus ita respondebat, quamquam quæ sibi enuntiarentur, gratissima erant, tamen non videri rem tanti momenti temere suscipiendam. Oportere prius cuncta diligentius cognoscere. Quare missus est ad eum confestim Hieronymus Landus exul Venetus, cujus opera ea omnia inita actaque dicebantur, qui uti res haberet, ordine Francisco aperit. Quibus cognitis, quod factu facilia ante oculos ponebantur, hortatu maxime benivolentissimi hominis Cosmi, ac Orsati Justiniani Veneti legati rem maximam maximo animo conficiendam suscipit. Itaque contracto non longe à Fano exercitu, circa Kal. Junias Alexandro fratre cum præsidio Pisauri relicto inde movet, Apenninumque binis castris transgressus, non procul Fossato Perusinorum municipio biduum resedit, quo tempore dierum octo cibaria milites coëmere, secumque ferre jussit. Dein per Perusinos die tertio in Tudertinorum fines pervenit, castrisque haud longe ab Urbe positis Jacobum & Andream conjurationis auctores, ut eorum quæ se facturos recepissent, memores essent, per nuntios clam admonet. Illi accito in Urbem Cæsare Martinengo, qui cum equitatu Fulginei agebat, nihil eorum quæ enuntiari jussisset, Cosmo Medici promisisse respondent; sese Ecclesiæ Romanæ imperio contentos: res novas odisse. Proin suis finibus excederet, neve suam Tudertinorumque pacem perturbaret, qui in Pontificis Ecclesiæque fide permansuri essent. Hoc responso accepto, Franciscus quod plurimum semper metuerat, susceptæ expeditionis spe jam se falli animadvertit. Et quoniam omnia undique hostilia erant, paucorumque dierum commeatus supererant, & ob id diutius in iis locis immorandum non videbatur, neque bello rem experiri cibariorum penuria patiebatur, mutare castra, cœptoque in itinere persequi statuit. Erat ad Urbemveterem flectendum, sed Tiberis transitum impediebat: ob eamque rem Franciscus gravi premebatur cura, quod non videbat, quemadmodum in hostili solo ponte nulla per loca constructo exercitum traducere posset. Sed enim in maxima rerum omnium difficultate invenit ducis solertia viam, quam flumen præcludebat. Nam pluribus in eo flumine repertis lintribus ponte Tiberim celeriter jungit, & ita traducto exercitu apud Fracticellam non longe à fluminis ripa castra facit, quo transeundi uno eodemque die omnibus facultas esset. Biduo exacto in Urbeveteranorum fines ducit. Nec minus inde inhumanis acerbisque verbis repulsus discedit, & per hostium agros transeuntem prohibitis undique commeatibus major in dies penuria exercitum fatigabat. Ceterum urbem Veterem prætergressus in Viterbienses pervenit, præmissisque ad Eversum nuntiis, qui eum de suo ad ea loca adventu docerent, utque commeatum abunde pararet exercitui subministrandum, admonerent, ad Vulsini Lacum castra ponit. Ibi cum ultimam famem miles ferre non posset, querelæ ubique exaudiebantur. Multique de gregaria militia castris excedere cœperunt. Quod ubi Franciscus animadvertit, adeo militum animos ad præsentis mali tolerantiam confirmavit, cum id non suo consilio, non suo ductu, sed aliorum perfidiâ accidisset, ut priusquam eum desererent, sese ultima passuros testarentur. Et ita collectis per circumpositam planiciem Fragis, quorum tunc ibi maxima erat copia, evulso præterea ex spicis tritico immaturo, famem eximebant. Interim qui missi ad Eversum fuerant, renunciant, nullam in eo spem progrediendi ponendam esse, qui magnis polliciti-

licitationibus magnisque præmiis adductus se novo Pontifici fœdere obstrinxisset, neque iter per suos fines neque commeatum exercitui concessurus esset. Hac omnino Franciscus spe destitutus advocato concilio redeundum in Picenum censuit. Itaque irrito cœpto in Senensium fines iter avertit, ubi amice benigneque exceptus est, ac cibariis abunde subministratis confectus pæne inedia exercitus instauratur. Triduo dein exacto, quod quieti militibus datum est, per Policianensium fines ductis copiis ad Transimenum Lacum consedit. Unde postea perdifficili confecto itinere, Eugubium Frederici ditionis appulit, remensoque rursus Apennino in Fanenses revertitur. Positisque non longe à Metauro castris, ejus regionis, quæ superiore hyeme defecerat, agros populatus Ripaltam oppidum agri fertilitate opulentum expugnat, ac in prædam vertit. Dein miles licentius frumentatum quotidie dimissus, magnam vim frumenti in proxima oppida congerebat. At Eugenius ubi Franciscum transisse in Umbros cognovit, ad omnes nuntios trepidabat, & jam acerrimum bellicosissimumque hostem cum robustissimo exercitu cepisse omnes Umbriæ Urbes, jam prope Urbis Romæ portas esse, jamque Romam ipsam externo milite vacuam ingressum, seipsum quoque captum videre videbatur. Itaque ad alienam opem confugiens, Alphonsum rogat, ut pro suo in Ecclesiam Romanam officio quamcelerrime auxilia mittat. Dein quas potest ex proximis hibernis copias cogit. Forojulianum, Malatestas fratres, & reliquos belli duces, qui in Piceno Flaminiaque hyemarant, ad se velociter advocat. Eversum præterea, quem semper ob pravum ejus ingenium odisset, & in præsentia magis atque magis pertimesceret, multis propositis conditionibus sibi conciliat, defensoremque parat. Et jam regiæ copiæ in Romanum agrum, & duces cum exercitu ex Piceno in Umbros pervenerant, cum audito Francisci reditu & ipsi in Picenum ad persequendum hostem redeunt. Ex itinere Æsinos ad deditionem tentavere. Sed ubi constantem præsidii, civiumque fidem vident, cum nulla oppugnandæ Urbis instrumenta essent, ne tempus tererent, obsidionem solvunt. Anconitanos interim omni spe auxilii destitutos missis in castra de pace legatis facile in pristinam Ecclesiæ fidem accipiunt. Subinde ad obsidendam Pergulam, quæ Friderici præsidio tenebatur, profecti paucis diebus & oppidum & arcem ad deditionem compellunt. Inter hæc Franciscus quod longe impar hostium viribus esset, apertis campis cedere coactus, non procul Forosempronio, loco quidem munitissimo castra locat, quem fossa insuper & aggere, ubi infirmior munitio videbatur, communit; cum satis sibi esse judicaret, si in præsentia pro rerum conditionibus copias servaret, si Pisaurenses, atque Urbinates cum adjacentibus Oppidis à vi hostium tutos redderet. Cæterum Ludovicus Patriarcha & Talianus, qui summam imperii in exercitum habebant, receptâ Pergulâ ad Metaurum quinque passuum millibus à Sfortianis castris castra ponunt. Dum hæc ita geruntur, Alexander, quem Pisauri præsidio, ut prædiximus, Franciscus reliquerat, cum Picentes omnes subiisse Ecclesiæ imperium videret, & fratrem irrito cœpto à Romana profectione reversum, & tantum imminere exercitum, haud dubie Sfortianam rem omnino perditam ratus, hostium partes sequi statuit. Itaque compositis clam cum Ludovico Legato pro sententia rebus suis, sese, atque Pisaurum hostibus permisit. Dein ad consalutandos exercitus duces jurandamque Legato fidem in hostium castra profectus non destitit, quin Friderico epistolis ac nuntiis suaserit, ut ingruentibus undique hostibus suis rebus consuleret, ejusque sequeretur exemplum.

Fuit profectò res hæc mirum in modum Francisco permolesta, quod cum germanus frater, quem semper unice dilexisset, & per omnem ætatem magnis beneficiis affecisset, & demum Pisauro inter primarias provinciæ Urbes non ignobili donasset, à se fortunam secutus defecisset. Jam neminem amplius sibi fidum fore vix credi poterat, & ob id de Frederici fide nonnihil subdubitare cœpit. Sed ille qui Alexandri defectionem in tanta maxime temporum iniquitate non poterat nisi plurimum damnare atque detestari, & quæ ab eo nuper acceperat, & item à Ludovico qui eum multis præmiis periculisque propositis, ut in Pontificis, Ecclesiæque Romanæ fidem rediret, hortabatur, Francisco aperit, affirmatque jurejurando, etsi adversis undique rebus totum in sese suosque præsens bellum aperte transferri videbat, cum nihil in provincia reliqui esset, quod tantum ejus belli furorem paululum tardaret, tamen se neque ab ejus amicitia, neque à data fide umquam discessurum, cum jam animo fixisset, se fortunasque suas omnes pro illius exercitusque salute quibuscumque fortunæ casibus objecturum: omnia demum perpessurum priusquam fidem violet, quod rerum doceret exitus. Hac rebellione facta Alexander, ut aliquid pensi apud se pudor habere videretur, Blancam in primis, quam Pisauri in ejus potestate frater reliquerat, parvulis cum liberis incolumem Urbinum dimittendam constituit, invito Ludovico, qui retinendam efflagitabat. Quod nonnihil immensum Francisci læniit dolorem. Inter hæc Talianus apud Philippum proditionis accusatur, quod cum Florentinis sentiret, ob eamque rem misso confestim in Ecclesiastica castra Georgio Annonensi, cujus fidem & in gerendis rebus prudentiam semper probaverat, Patriarcha & Raymundo Boilo regiæ auxiliaris militiæ præfecto annitentibus, retentus in vincula conjicitur. Nec multo post Jacobus Gaivanensis fidei quoque suspectus comprehenditur, amboque ad Rocham Contractam perducti penes Arcis præfectum custodiendi destinantur, capiteque dein damnati securi percutiuntur. In Taliani locum idem Georgius suffectus est, qui equitatum & reliquas ejus copias gubernaret. His rebus gestis, hostes nulla in Franciscum vi tentata ad Isaurum amnem Sigismundi maxime hortatu copias ducunt, tergisque Pisauro versis, unde commeatus abunde militibus subministrabatur, proximos Urbinatum agros populantur. Talachium municipium parvi admodum ambitus, sed situ ac milite permunitum innumerabili pene exercitu circumsistunt. Dein multis ex Pisauro, Ariminoque comparatis machinis, du-

durius oppugnare adoriuntur. Quare obsessi multiplicibus magnisque difficultatibus pressi, post vigesimum oppugnationis diem communi omnium salute facile impetrata permisere se hosti. Quibus in potestatem redactis Ecclesiastici duces adverso flumine progredientes circumposita Castella partim vi capiunt atque incendunt, partim vel metu vel voluntariis animis in deditionem accipiunt. At Franciscus, quem ex hostium consiliis atque profectionibus sua consilia capere oportebat, confestim ad primum fere lapidem Urbino admovit, quo nutantibus nonnullorum civium animis reliquae adesset Civitati. Post haec hostes populabundi Urbinum praetergressi, Lunatum haud ignobile in Urbinatibus oppidum in edito colle situm frequenti castrorum corona peranguftius cingunt. Sed dimissis propter itinerum difficultates tormentis, dum sola obsidione ac multitudine terrere inclusos student, & ad deditionem cogere contendunt, tempus ex die in diem consumitur; id quod potissimum in tot rerum difficultatibus Franciscus optabat. Cui nihil magis eo tempore erat curae, quàm ut obsidendis oppidis quamdiu posset, hostes distineret. Quos ut movisse & secus amnem procedere cognovit, mox copias suas ad Castellum Durans deducit, idoneoque castris loco non procul ab hostium castris quatuor passuum millibus delecto, ubi omni ex parte tuta reddebantur, Castella, quae in frontibus erant, pedestri praesidio firmat. Ex his locis hostes quotidie infestius lacessi, saepe pabulatione prohiberi, saepe itinera, quà maxime commeatus importabantur, irrumpi, adeoque acrius collibus quibusdam, qui castris impendebant, infestabantur, ut sagittis, bombardis, atque omni missilium genere, equi ac viri in ipsis etiam tabernaculis vulnerarentur. Quae quidem res & spem obsessis futuri auxilii afferebat, & obsidentibus timorem incutiebat non mediocrem, ita ut ab oppidi expugnatione, quam saepe tentaverant, deterrerentur. Dum haec in Piceno geruntur, Philippus gravi odio, gravique ira post illatam Zarpellioni necem in Franciscum, ut ostendimus, accensus omnia consilia conatusque suos in generi perniciem converterat. Nam praeter eas copias, quae Piceno bello suo sumtu alebantur, alias recipiendae Cremonae caussa parandas instituit, & tentatis saepius nequicquam civium animis, sibi allicere praesidii praefectos multis pollicitationibus coepit. (65) Quin Orolandum Palavicinum summis precibus rogat, ut per Gibellinae factionis homines, apud quos auctoritate plurimum possit, vel clam vel palam aliquid novi moliatur. Orolandus Francisci rebus, ut supra diximus, semper faverat, sed à Philippo paulo ante restitutus temporibus inservire cogebatur. Itaque respondet se acceptorum beneficiorum memorem futurum. Quare Philippus potiundae Urbis spe per Johannem quemdam ex Sfortiana militia oriundum ex Illyrico facta eo Franciscum Picininum cum exercitu mittit. Qui trajecto Kalen. Majis Pado, tentatoque per tenebras nocturnas frustra in Urbem aditu, ante portas facto jam die in acie stetit, tumultum à Gibellina factione intus fieri exspectans. Et firmatis dein non procul urbanis moenibus castris cum triduo nequicquam desedisset, discedens in Soncinates duxit. Quibus nullo negotio in fidem acceptis, ac circumpositis municipiis in potestatem redactis, Cremonam regreditur. Hanc majoribus viribus majoreque studio à terra & à flumine comparata jam classe obsedit. Sed dum hostes Soncinatibus petendis populandisque agris tempus terunt, Angelus Simoneta, qui Venetiis pro Francisco legationis munere fungebatur, his cognitis eo celeriter contenderat cum valida militum manu, quam Venetorum jussu ex Brixiensibus acceperat. Praeerat Sfortiano praesidio Jacomatius Salernitanus, qui superiore Anno eo à Francisco missus venerat, vir longo belli usu clarus & animi & corporis virtute strenuus. Is Angeli adventu equitatu peditatuque auctus, ac delecta insuper Cremonensium juvenum manu stipatus, Urbe saepe egressus, hostes magno impetu magnisque clamoribus adoriebatur, multos capiebat, vulnerabat, interimebat, saepe castra ferro atque igne magno excitato tumultu impetebat. Quare Picininus Urbem à terra oppugnare diffisus ex parva, quam Padus efficit, insula multis magnisque bombardis dispositis non muros quatere sed interdiu ac noctu lapideas intra Urbem pilas torquere coepit, quibus Civitatem Populo frequentem conterritam motum excitaturam sperabat. Per idem tempus cum soli Pontremulenses bello liberi Francisco relinquerentur, mittitur in Lunenses cum equitatu Aloisius Sanctoseverinas, & Petrus Maria Ruber, qui habito ex Parmensibus delectu, Pontremulenses in potestatem redigere curarent. Contractis igitur in Lunensibus copiis Aloisius Pontremulensem agrum ingressus, oppidanorum animos nunc miti nunc acri oratione sibi conciliare studebat. Sed ubi videt Oppidum praesidio pedestri eo à Florentinis Francisci rogatu immisso, & pertinacibus Pontremulensium animis teneri, populatus circumquaque agros, montibus qui impendent occupatis, arctiore quam potest eos obsidione circumsistit. Et sub idem etiam tempus non minoribus in Flaminia viribus bellum gerebatur, adeo ut magnis bellorum studiis universa prope flagraret Italia. Miserat enim Philippus adversus Bononienses exulum maxime hortatu cum magnis copiis Guilielmum Monferratensem, & Bartholomaeum Collionem; & Veneti ac Florentini cum Bononiensibus jure societatis auxilia decrevissent, illi Thaddaeum Estensem & Tibertum Brandolinum, hi Guidantonium Faventinum & Simonetum ex Castropetro Philippi copiis opposuere. Sed dum res armis in Flaminia geritur, Collio suspectus Philippo factus, quod cum Venetis conspiraret, in Longobar-

(65) MS. Sed quum nihil inde assequi videt, rem viribus aggrediendam putavit. Quo quidem tempore Orlandus Palavicinus potiundae furtim ejus Urbis spem injecit. Is Philippi gratiam sibi conciliare sperans, aperit se per occultam cloacam, quae à civibus, praefectoque Urbis neglecta nullis custodibus servabatur, quantasvis copias in Urbem intromissurum; quod si deesset, non diffidere adjutoribus Gibellinae factionis civibus, apud quos plurimum haberet auctoritatis, quin esset aditum in Urbem habiturus. Quare Philippus majore potiundae Urbis &c.

bardiam revocatur. Huic obsidendæ Cremonæ unà cum Picinino cura datur. Sed crescentibus quotidie magis atque magis apud Philippum Collionis suspicionibus ad oppugnandum Pontremulum unà cum Aloisio proficisci jussus, cum Padum trajecisset, retinetur, Modoëtiamque perductus vinculis servandus traditur. Inter hæc Franciscus cum literis tum legationibus orare Venetos, instare, & fœderis jure expostulare non cessabat, ut perituræ Urbi auxilia ocius mitterent, bellumque Philippo indicerent, cum dubitaret, nisi Cremona obsidione brevì solveretur, eam aut dolo aut fame tamdem in Philippi potestatem deventuram. Et modò commune periculum, nisi succurrerent, demonstrabat, modò fœderis jura quibus Cremonam cæteraque ejus oppida tueri obstringebantur, commemorabat. Veneti tamdem Francisci vocibus permoti, & quod Philippi potentiam maxime perhorrebant, cujus opibus Cremonæ accessio periculosa videbatur, sexcentos equites, totidemque pedites sensim Cremonam transmiserunt, & Michaëlem Attendulum, qui imperii summam tenebat, copias in agro Brixiensi cogere jusserunt. Sed neque præsidium levare obsidionis mala poterat, crescente in dies annonæ caritate, neque Michaël cum eo quem haberet exercitu transire Ollium amnem audebat, neque augeri Venetæ copiæ eo tempore poterant, Thaddæo ut diximus, & Tiberto Bononiensi bello occupatis. A Florentinis quoque ad se mitti auxilia Franciscus petebat, quibus hosti resistere posset. Subdubitandumque præterea dicebat, ne Fridericus quamquam optimo constantissimoque semper animo sese fortunasque suas omnes præsenti bello pro ejus salute objecturum, calamitatesque prius omnes perpessurum affirmabat, quàm aliquid admitteret, quod à fide data alienum judicari posset, tamen ubi nulla mitti præsidia videat, propositas jam sæpe ab hostibus conditiones accipiat; proin si se exercitumque incolumem velint, celeriter auxilia mittant. Ad hæc Florentini neque aperte illi se opem laturos negabant, neque missuros affirmare audebant: quippe qui copias suas omnes adversus Philippi exercitum in Flaminia haberent. Itaque Franciscus omni ferme Venetorum, Florentinorumque auxilii spe destitutus, multiplici uno tempore cura premebatur. Movebat illius animum obsessa Cremona, Pontremulumque, & sua præcipue suorumque salus: quod in alieno coactus versaretur hospitio, & in alienis finibus undique pæne circumseptus ab hoste videretur, ubi copias suas, ubi uxorem, liberos, & quicquid reliqui erat, & ipsam denique vitam in unius Friderici Urbinatis manu positam cernebat. Considerabat præterea Sigismundum ex belli duce ac genero implacabilem hostem factum, & Alexandrum fratrem in tanta fortunæ iniquitate ad hostes defecisse; adversa demum omnia sine ope, sine spe ulla esse.

Sed in tanta rerum calamitate desperatis prope undique rebus, aperta est ei ad salutem via. Præerant in Bononiensibus, ut demonstravimus, Philippi copiis Carolus Gonzaga & Guilielmus Monferratensis. Inter hos primum ut assolet æmulationes exortæ sunt, cum neuter superiorem alterum ferre posset. Postremo crescentibus odiis ad contumelias ventum est, ita ut magis inter sese conviciis quam armis cum hostibus certarent. Ad Philippum quotidianæ deferebantur utriusque querelæ; perfidiæ ac proditionis socium uterque insimulabat. Itaque Guilielmus sive metu ductus, ne apud Philippum collega male dicendo prævaleret, sive indignatione atque ira concitatus fortasse non injusta, cum hostibus conspirare cœpit. Hac tam opportuno tempore ejus conficiendi belli occasione oblata Veneti omnibus Guilielmi postulatis assentiunt, & majora stipendia & ampliorem concessere militiæ dignitatem. Continebat se Carolus per idem tempus suis omnibus copiis eo oppido, quod Castellum sancti Johannis Bononienses vocant, cujus Arx Guilielmi præsidio tenebatur. Itaque compositis rebus, dieque rei conficiendæ destinato, Tibertus per Arcis posticum cum pluribus noctu introductus incautas Caroli copias opprimit, armisque & rebus omnibus exuit. Carolus per tumultum elapsus vix cum paucis anxius evasit, Mutinamque se cursu recepit. Per hunc modum sine ullo prope sanguine perfecto Bononiensi bello, pacatisque Flaminiæ rebus Veneti confestim suas copias ex Bononiensi in Brixiensem revocant agrum, ubi jam Michaël ut ostendimus reliquas contraxerat, obsessæ Cremonæ haud dubie opem laturus. Florentini quoque eo ipso bello liberi Guidantonium Faventinum, & Simonetum cum tribus equitum millibus, & pedites etiam mille Gregorio Anglarensi duce ad Franciscum celeriter mittunt. Aderant jam Kalendæ Octobris, cum auxiliares copiæ in Urbinates pervenerunt, quibus sibi adjunctis Franciscus coacto mox reliquo exercitu, quem per oppida Frederici ditionis præsidio distribuerat, animo & viribus non mediocriter auctus, nulla cunctatione in hostes educit. At Ludovicus Patriarcha acerrimi hostis impetum minime sibi exspectandum ratus, omissa Lonati obsidione, qua venerat, castra movet, nec restitit, donec in Ariminenses ductis copiis resedit. Et cum neque pugnandi potestatem faceret, neque æquis campis se committere auderet, locis montuosis sese continebat. Quod ubi animadvertit Franciscus omnibus quibus potest, artibus allicere hostes in planiciem studebat, si descendissent, nullam dimicandi moram facturus. Demum pugnandi avidus tubicinem cum literis ad hostium duces mittit, quibus eos in prœlium provocat; diem præscribit, & locum vix passibus mille ab eorum castris distantem designat, & manicam insuper ferream sanguine illitam conserendæ pugnæ signum deferri jubet. Ecclesiastici duces communicato consilio pudore magis quàm animi virtute ducti accipere se conditiones oblatas responderunt. Quo responso Franciscus cum universo exercitu maxime lætus futuro se prœlio parat. Ubi dies pugnæ dictus venit, prima luce tamquam ad exploratam victoriam alacer instructos ordines in aciem ducit, & per collem satis humilem, qui inter duo Castella Taboletum Friderici, & Cauletum Sigismundi juris intercedit, passuum millia quatuor in longitudinem constat, ad præscriptum pugnæ locum pervenit, ubi Sacellum almæ Virgini Mariæ dicatum. Huic con-

contra alter insurgit collis aliquanto eminentior, unde haud longius teli jactu hostilia castra initium capiebant. Convallis erat admodum parva. Hanc Franciscus non multo milite occupat, nec exeuntibus turmatim, ut existimabatur, obviam hostibus, sed paucis & ipsis palantibus in colle clivoque apparentibus, Franciscus suos clivum ascendere imperat. Qui hostes usque ad castrorum munitiones egerunt, quas toto superiore biduo fossa, aggere, & frequentibus concisis arboribus, qua Sfortianos venturos arbitrabantur, ingenti studio struxerant. Ob eamque rem nec ultra progredi equites poterant, nec vim multo milite adversùs innumerabilem pæne exercitum loco præsertim iniquo facere tutum videbatur. Et quamvis Franciscus nihil ad eliciendos provocandosque in pugnam hostes prætermisisset, tamen trepidi numquam egredi munitiones ausi sunt. Solus postremo Danesius Senensis, vir fortis & belli peritus, cum pedestri cohorte exire castris permissus est: sed ne procul munitionibus progrederetur jussus, & ut magis Sfortianorum agmen specularetur, & quid hostes agerent, exploraret, quàm pugnandi copiam faceret. Qui mox numero pressus unde exierat, cursu se recipere compellitur. Per hunc modum exacta jam majore diei parte Franciscus receptui canere suosque omnes in castra redire jussit. Ceterum vix dum prætorium ingressus ex perfugis suorumque nonnullis, qui capti paulo ante dimissi fuerant, cognoscit, primo ejus adventu plurimum in Ecclesiasticis castris trepidatum, & in primis Patriarcham ceterosque duces metu perculsos, impedimenta cum carissimis rebus Ariminum versùs in loca tuta præmisisse, idemque universum prope exercitum fecisse, & cuncta sine ordine, sine imperio, agi miscerique cœpta, adeo ut si oppugnandis castris aciem admovisset, perfacile intra munitiones irrumpere delereque hostium copias potuerit. At hæc Franciscus etsi haud falsa esse existimabat, tamen non in sua fuisse potestate dixit, ut quid hostes agerent, timerentne vel auderent tam brevi spatio intelligeret; unum se scire, quod de reditu in castra fecisset intentata hostilium castrorum expugnatione, recta ratione fecisse. Et cùm toties provocati hostes prodire in pugnam non ausi essent, victoriæ loco haberi posse, satisque suo exercitusque nomini auctoritatique factum. His rebus peractis, cùm videret Franciscus in montana regione nihil proficere posse, ne quod superesset autumni tempus frustra consumeretur, in apertos Pisaurensium campos descendit. Alexander cùm redire fortunam aspiceret, pœnitentia ductus impetratâ per Fridericum Urbinatem admissæ jam culpæ veniâ, in fratris gratiam rediit. Itaque Isaurum flumen transgressus, recuperandis Pisaurensis agri municipiis, quæ in Sigismundi erant potestate, intentus primis Puteum castris dedentibus sese incolis in fidem accipit. Tumbam deinceps, quæ valido peditum præsidio Sanctino Ripensi præfecto tenebatur, magna tormentorum vi dirutis murorum munimentis expugnat, ac in prædam vertit, Sanctino jam tertium cum ipso præsidio ac bonis suis capto. Eo recepto municipio, Laureus Mons Nicolai Piciˆ

A nini postrema ac nobili jam clade non obscurus nulla vi, nullo negotio traditur. Inde mutatis castris Gradariæ admovit, quod est oppidum in Pisaurensibus primarium, situ, arce, muro, & frequentibus turribus munitissimum, ac externi insuper militis præsidio firmissimum. Hoc cùm arctius obsedisset, advectis celeriter tormentis, ædificatis magno studio è regione castellis, & comparatis iis rebus omnibus, quas expugnandis oppidis usus invenit, oppugnare aggreditur. Interim Sigismundus ut obsessis auxilii spem faceret, castra magnis copiis lacessebat, sæpe per nocturnas tenebras fallere excubias exercitusve custodes mittendi

B præsidii causâ conabatur. Sed nec terreri, nec decipi cautus & intrepidi animi dux potuit. Nec importuni sævientis jam hyemis imbres longe plus æquo frequentes & diuturni, non nives, non frigora eum à dura ac perdifficili oppugnatione deterrebant. Dum hæc in Urbinatibus, Pisaurensibusque geruntur, & Gradaria summa vi oppugnatur, Franciscus Picininus, qui, ut supra ostendimus, Cremonam terra Padoque premebat, spe ejus Urbis potiundæ destitutus, obsidionem solvit, & ad Castelloleonem profectus, admotis celeriter castris oppugnare oppidum adortus non multis post diebus unà cum arcibus in deditionem accepit. Viticetum dein

C municipium frumento refertissimum vi captum diripit atque incendit. Ceterum ubi rumoribus crebrisque nuntiis cognovit Michaëlem jam coactis magnis Venetorum copiis Ollium propediem transiturum, viribus diffidens non procul Casalimajore secus Padi ripas castra locat, pontemque in eo flumine pluribus junctis navibus ædificandum curat, quo facilius ex Parmensibus cibaria comportarentur in castra. Interim Michaël traducto per Pontemvicum exercitu Cremonensium fines ab hoste occupatos passim populatur. Quare & municipes, qui belli initio ad hostes defecerant, territi certatim in Fran-

D cisci redeunt potestatem, & Cremona annonæ inopiâ, qua totam superiorem æstatem durius laboraverat, liberatur. Michaël recipiendis municipiis, quæ in hostium fide perstabant, progrediens oppidum obsidet, cui Sancto Johanni ad Crucem nomen est, non amplius quinque passuum millibus ab hostium castris positum, oppugnareque machinis parat. At Picininus ut hostes appropinquare intellexit, sibi suisque plurimum metuens in proximam, quam supra Casale Padus insulam efficit, trajiciendas copias duxit. Hunc enim idoneum castris locum putavit, tum quod Padi os adversùs vim hostium satis sibi munimento fore existimabat, tum quod à

E tergo Padus erat, & per eum quem diximus pontem facile ac sine periculo ex Parmensibus commeatus convehi poterant. Quo etiam pabulatum mitti impune licebat, si in Cremonenses pabulatione milites prohiberentur. Nec deseruisse omnino Cremonensium fines hostium adventu videbantur, unde data facultate & incursiones facere interdum & populari hostiles terras poterant. Alterum præterea sublicium construi pontem jubet, qui ex insula ad Cremonensem pertinebat agrum. Hunc fossa, aggere, castellis, & militum præsidio firmat. At Michaël oppido, quod obsederat, non multo labore in potestatem re-

redacto, amicorum agros tueri studebat. Sed cùm per dies aliquot nihil utrimque memorabile gestum esset, quod Picininus suos castris contineret, ne segnis omnino videretur, simul tentans, si forte injecto oblati certaminis pudore Philippiani in pugnam allici possent, tertio Kal. Octobres ordinibus instructis in hostes ire pergit. Picininus nequaquam dimicandi potestatem facturus, addito ad pontem præsidio, ubi plurimum periculi inesse videbatur, milites in acie stare jussit, cùm nulla ex parte in castra tanto flumine undique circumdata ab hoste irrumpi posse putaret. Ad pontem leviter tamen pugnari cœptum præmissus à Michaële levis armaturæ miles facile repellitur. Totis porro Philippianis castris quies videbatur, ignotum Padi hostium Venetis ingredi non audentibus. Philippiana acies longo ordine ad eam partem versa erat, qua ob fluvii latitudinem transiri in insulam poterat, quem tamen prius locum Philippiani duobus castellis, aggeribus, & magna vi tormentorum munierant. Tentaverant hac Venetorum duces magnis viribus in insulam penetrare. Sed repulsi transitum desperaverant.

Ceterum dum hæc geruntur, conspecti sunt nonnulli levis armaturæ ex Veneta acie equites reperto haud procul à ponte vado os transisse. Quare cùm facta esset fides, transmeabilem ibi fluvium esse, tentatur rursus à plerisque vadum. Quod cùm facile transitu nullasque ibi custodias esse renuntiatum esset, aggredi ea parte hostes Veneti duces constituunt, peditesque singulos equitem quemque assumere jubent, ut in Insulam transgressi pedestribus etiam copiis pugnam consererent. Ita qua parte humiliora vada didicerant, instructos immittunt ordines, qui non multo prœlio pulsis, qui eo accurrerant, pontem petunt, quo in loco ægre ab iis etiam, qui ponti præsidio erant, pugnatum est. Nam ubi viderunt Venetos jam transisse, territi stationes deserunt, & ad suos cursu se recipiunt. Veneti ponte capto confertissimo agmine in hostes, qui adhuc in acie consistebant, inferuntur, quos primo impetu fundunt, ac in fugam vertunt, castrisque mox cum impedimentis potiti majorem equitatus partem capiunt. Nam reliqui & ipsi etiam duces per alium pontem salutis viam nacti Padum trajecerunt, & ita eo rescisso ponte hostium manus effugerunt. Hac Veneti victoria elati, velut qui jamdiu ad Longobardiæ res mentem animumque verterant, de occupando Philippi imperio agitare cœperunt. Augebat hanc nec vanam quidem eorum spem peropportuna ad res gerendas Cremona inter ejus provinciæ Urbes nequaquam posterior; quo jam Gerardum Dandulum legatum miserant, non tam volente quàm negare non audente Francisco Sfortia: quod recusare id petentibus illis in tanta præsertim ejus retinendæ Urbis difficultate neque tempora neque fortuna ferebant. Itaque receptis præter Soncinates in fidem Cremonensis agri municipibus, Veneti Soncino admovent, quo paucis diebus oppugnato, oppidani omni spe auxilii destituti sese Francisci legatis dedidere. Inde in transadduanos ductis copiis quicquid agri in ea regione Philippi parebat imperio, paucos intra dies in Venetorum redigitur potestatem, Cremâ dumtaxat exceptâ, quæ valido ad primum cladis nuncium præsidio firmata, proscriptis etiam pluribus Guelphæ factionis oppidanis, qui dubiis in rebus suspecti habebantur, fidem servavit. Qua regione recepta, Veneti majora animo de bello gerendo consilia ineunt. Adduam superandum esse, & in Mediolanensium fines trajiciendum judicant, ob eamque rem faciundum in eo flumine pontem constituunt. Ejus conficiendæ rei Tiberto Brandolino cura datur, quam ipse ultro poposcerat. Sed perdifficilis admodum res videbatur, & calliditate magis quam viribus aggredienda. Philippus enim post Casalensem pugnam id, quod futurum existimari poterat, Venetos transire Adduam tentaturos ratus, prohibere illos eo transitu summo studio conabatur. Ob id impositis primum Cremæ, Laudeque præsidiis, Aloisium Sancto Severinatem à Pontremulensium obsidione revocatum, reliquasque victi exercitus celeriter coactas pro Adduæ ripa adversùs hostes disposuerat, eamque dies ac noctes quamdiligentissime custodiri jusserat, idque negotii præcipue Aloisio demandarat. Brandolinus ubi frequentibus custodiis adversam fluminis ripam teneri cognovit, arte & calliditate hostem fallendum putavit. Ob id exploratis diligenter ubique Adduæ vadis, ad eam maxime partem, quæ circumjectis late paludibus nullis custodibus servabatur nocte intempesta armamentis construendi pontis perductis omnibus ad rem celeriter conficiendam dat impigre operam. Et constrata primum cratibus aliaque materia palude ratibus, carris in Adduam deductis, ignorantibus omnibus prima luce ponte flumen jungit. Quo cum celeriter Michaël omnibus copiis pervenisset, traducere eas sensim cœpit, quod verebatur ne primi occurrentibus hostibus caperentur, subsequentesque alii repellerentur in flumen. Quod ubi qui proximi erant Philippiani persenserunt, novitate rei primum suspensi atque territi, dein sumtis raptim armis, duce Campanella uno ex Aloisii præfectis, transeuntibus Venetis obviam eunt; sed levi prælio à multitudine pressi terga dant, nulloque dein oppugnare auso, reliquæ Philippi copiæ, quæ in fluminis ripa stationes habebant, diversis itineribus, ut quemque animus tulit, in propinquiora oppida cursu sese receperunt. Ita omnis Venetorum exercitus repugnantibus nullis in Mediolanensem agrum villis, vicisque frequentissimum ac pecore & frugibus refertissimum trajicit, moxque omnem prope eam oram, quam Martesanam Mediolanenses appellant, excursionibus devastat. Et ad ipsa usque Urbis suburbia populationes factæ; præda non tam pecorum quàm hominum ingens abacta, cunctaque demum tumultu ac terrore aguntur atque miscentur. His rebus gestis placuit Michaëli Venetorumque legatis Cassiani Arcem oppugnare, quæ ei flumini impendet, & ad transadduanum spectat agrum, ut ea tantus in Mediolanenses Venetis pateret aditus. Ea igitur aliquandiu bombardis & omni tormentorum genere sine intermissione quassata Venetis traditur, ædificatoque ibi magna celeritate sublicio ponte, vicum Arci adjectum magno fossorum coacto numero, fossa atque aggere sublimi permuniunt. Quo perfecto opere rursus ad po-

populandos Mediolanensium agros conversi non parte sed universo interdum exercitu ad urbis usque conspectum cuncta vastando diripiendoque progrediuntur. Modoëtiacum etiam agrum sæpe invadunt, quo omnes fere Philippi copiæ convenerant, instructamque aciem ostentantes hostem in pugnam provocabant. Sed jam opportuna Philippo hyems aderat, quæ & resipiscendi illi facultatem spemque salutis præbuit, & Venetis victoriarum cursum suppressit. Itaque relicto ad Cassanum, pontemque præsidio Gentile Leonissano cum duobus equitum millibus, magnoque etiam peditum numero, ut inde per hyemem Mediolanensem infestaret agrum, Dux ipse Michaël Caravagium hibernatum concessit, reliquas copias, quamproxime potuit, per circumposita oppida distribuit, ut ubi opus esset, & convenire facile, & casibus occurrere possent. Philippus tot uno tempore calamitatibus pressus, imminentissimique periculi magnitudine prope obrutus, & de quorumdam præterea ex ducibus suis fide parum fidens, ubi videt suis opibus potentissimis, totque victoriis insolentissimis hostibus haudquaquam diutius resistere posse, ad alienam opem sibi confugiendum judicat. Itaque non tam Italicos quam peregrinos Principes, quibus vel fœdere vel necessitudine junctus esset, literis & nuntiis orando obtestando auxilia implorat. Ad Alphonsum primùm legati mittuntur, qui ab eo tum fœderis jure, tum maxime beneficiorum magnitudine auxilium petant, edoceantque quanto in discrimine ejus fortunæ versentur. Commune esse Principibus Italicis omnibus periculum. Vi atque armis comprimendos esse Venetos, quos nec dubium, devictis finitimis, à ceteris subjugandis Italiæ Principibus Populisque pro innata eis quadam late dominandi libidine numquam temperaturos, atque eo, quo nunc ipse ardeat, incendio universam Italiam brevì conflagraturam. Proin juberet, ut suæ copiæ, quæ in Piceno Flaminiaque sub Raymundi Boili ductu adversus Franciscum Sfortiam bellum gerebant, in Longobardiam quam celerrime proficiscerentur, periclitantibus rebus suis auxilium laturæ; utque ipse valido cum exercitu ex sui Regni finibus discedens, Etruriam peteret, Florentinisque bellum inferret. Vel si ita satius sibi videretur, prætermissis Florentinis copias per superiores Brutios, Picentesque, & Flaminiam in Longobardiam mitteret, ut iis auctus viribus non modò Venetorum conatibus resisteret, sed etiam suis eos finibus arcere posset. Quibus cognitis rebus Alphonsus fœderis & benivolentiæ vi, & meritorum magnitudine permotus, & quod nimiam Venetorum potentiam magnopere verebatur, justis Philippi postulatis cumulatissime satisfecit. Nam & Raymundum cum majore copiarum parte quas secum habebat, in Cisalpinam Galliam statim contendere jussit. Qui eo sibi adjuncto equitatu, qui sub Forojuliano meruerat, & Cæsare Martinengo ex Ariminensibus movit, & per Ferrariensium fines in Æmiliam, deinde in Insubres ad Philippum pervenit. Cæsar secundam Venetorum fortunam secutus ex itinere ad eos deflexit. Alphonsus quo omni ex parte Philippo in eam adverso casu subveniret, Capuam, dein-

A de Cajetam, postea Tibur profectus, & parare magnum exercitum & cogere cœpit eo animo, ut ineunte vere Florentinos invaderet. Mittitur ad Carolum Francorum Regem Thomas Bononiensis opem imploraturus, qui ut Regis animum magis sibi conciliaret, faciliusque quod petiturus esset, impetraret, Urbem Hastam, quam longo jam tempore possederat, Regi se restituturum pollicetur. Franciscum Sfortiam insuper crebris literis ac nuntiis hortatur plurimum & rogat, ne socerum ætate jam gravem, oculis captum & bello quampericulosissimo pressum gener desereret. Relinqueret tamdem Venetos, bellumque Picenum, & Longobardiæ principatus sibi, liberisque suis de-

B stinati rationem haberet. Ad ea Franciscus se adversam ejus fortunam pergraviter ferre respondit, eoque gravius, quod ex fœdere quo Venetis, Florentinisque obstrictus esset, præstare illi auxilia non liceret. Præsentis consilii esse, ut Urbes, Arces, atque Oppida, quæ suæ ditionis primaria essent, & magni momenti viderentur, impositis præsidiis in fide continere studeret. Nam auxilia sibi non defutura. Se quoque quoad liceret, ejus rebus affuturum. Cum his responsis à genero ad socerum nuntii revertebantur. Sed multiplices Franciscum curæ varias in partes trahebant. Hinc præcipue fides Venetis

C Florentinisque data, hinc discrimina, in quibus soceri fortunæ versarentur. Nam uti primum Casalensis prœlii nuntium læto ac jucundo acceperat animo, quod Cremonam, Pontremulumque periculo liberasset, quod perditas pæne res suas restituisset, quodque tam graves injurias, quas jam quinquennium à socero pertulisset, eâ victoriâ ultus esset, sic contra ubi summæ Philippi rerum timere cœpit, & supremo in discrimine positam cognovit, vehementer indoluit. Succurrissetque statim ruenti imperio, ni datæ Venetis, Florentinisque fidei pudor eum deterruisset, ac nominis decorisque ratio prævaluisset. Itaque suppresso dolore, ne quid

D suspicionis Leonardi Venerii Veneti legati animum offenderet, Sigismundi ditionem premere per eam hyemem infestius volebat, neque à cœpta Gradariæ obsidione, nisi in potestatem redacta, discedendum putabat. Oppugnabatur igitur summo studio Gradaria, nec ulla res magis obsessos juvabat quàm importunæ hyemis acerbitas & pabuli inopia, quod exhausta superiore æstate bello provincia alere exercitum non valebat. Pisauro enim atque Urbino, & longinquioribus Oppidis importatis commeatibus utebatur, remotisque pabulationibus, magno labore equi simul & milites conficiebantur, cùm per imbres, nives, atque lutum, cibaria in castra

E comportarentur. Sed ea incommoda & ducis prudentia levabat, & militum patientia tolerabat. Verùm pecuniæ egestas omnia magis atque magis perturbabat, quod miles emerito longi temporis stipendio defraudatus inter tot difficultates tam duram militiam nequaquam æquo animo ferre poterat, & sulfurei quoque pulveris inopia fere quotidie aderat, sine quo Gradariæ muri frequentesque turres concuti tormentis minime poterant. Quo fiebat, ut conclusis animus cresceret, & obsidentibus audacia spesque minueretur. Quare obsidio magis quàm op-

pugnatio videbatur.

Interim Franciscus Venetos, Florentinosque literis ac nuntiis, ut emeritæ pecuniæ persolverentur, deposcere non cessabat, quo & alere & continere exercitum in castris posset. At illi ex composito nuntios ex die in diem deducebant. Florentini enim post profligatas Philippi copias posito metu, Francisci causam negligere. Et Veneti Gallico bello intenti res Picenas prætermittere videbantur, Franciscique rebus non modò non favebant, sed vires illi, quoad possent, & auctoritatem minuere studebant, velut qui fore verebantur, ne Franciscus aliquando socerò opem laturus esset. Admissi sæpe in Senatum ejus legati pecunias, pulveremque expugnandæ Gradariæ causa petentes, nihil inde præterquam inania verba reportabant. Et nunc ærarii inopiam Senatores commemorabant, nunc pecuniam pulveremque in eorum exercitum mitti oportere dicebant. Interdum etiam suos belli duces suosque milites magnis laudibus efferebant, quod tam brevi temporis spatio tot victorias consecuti essent. Sfortianum verò nomen deprimere, & sæpe Franciscum ipsum ignaviæ accusare, quod tantæ auctoritatis dux cum veterano exercitu ad unius Castelli oppugnationem sedendo consenesceret. Ita cunctando & spe vana in diem ducendo, Francisci famam minuere opesque consumere conabantur. Dum hæc ita geruntur, Ecclesiasticæ & regiæ copiæ, quæ ut diximus in Ariminensi agro desederant, nuntiata Philippi clade, veluti instaurato ab hoste & ab adversariis prope intermisso Piceno bello in suas quisque provincias discedere cœperunt, primusque omnium ut ostendimus, Raymundus Boilus cum iis, quas diximus, copiis in Longobardiam contendit. Deinde Robertus Bodiensis Philippianas partes aspernatus in patrias sedes revertitur. Pontificiæ autem & regiæ copiæ quas Raymundus in Ariminensi reliquerat, impetrata à Francisco fide publica, partim in agrum Picenum atque Umbriam partim in Brutios & Apulos regrediuntur, quod ceteris præclusis itineribus unum relinquebatur, ut per Pisaurenses data à Francisco facultate illis in hiberna redire liceret. Ipse verò Patriarcha per Flaminiam atque Etruriam magnis difficilibusque confectis itineribus Romam rediit. Et Malatestæ reguli in sua quisque ditione remanserunt. Ceterum Franciscus cum hyemis asperitate & rerum ferme omnium inopia durius premeretur, nec consequendi à Venetis Florentinisque stipendii spes ulla relicta videretur, longam tamdem & perdifficilem Gradariæ obsidionem solvit, quam dies circiter quadraginta oppugnaverat. Sed pulveris sulfurei potissimum difficultate expugnare non licuit, & ita deductis Pisaurum bombardis ipse cum exercitu ad Isaurum non procul ipsa Urbe sex passuum millibus concessit. Inde Guidantonium Faventiam data à Malatestis per suos fines transeundi facultate, & Simonetum, Gregoriumque Anglarensem per Urbinates in Etruriam hibernatum remisit. Ipse nullo suorum ut superioribus annis facere consueverat, in Etruriam hiematum misso, omnes per Pisaurenses atque Urbinates distribuit, qui superfuerunt, factis per campestria loca non procul Pisauro

A tuguriis stativa habere jussit ibi hyemis reliquum consumturos. Ipse post Idus Decembres accersita ex Urbino Blanca uxore cum natis parvulis Pisaurum hyematum rediit. Nec interea apud Venetos Florentinosque instare desinebat, ut pecuniæ ad sustentandum militem mitterentur. Quod cum sæpius fecisset, & nequicquam profecisset, graviter indignatus hæc Cosmo Medici, cujus omni tempore familiaritate & consilio magnis præsertim in rebus unice utebatur, enuntianda putavit, sibi consumto jam omni argento & supellectile nihil amplius superesse, unde alere posset exercitum, in quo maxime & Sfortianum nomen & sua aucto-

B ritas omnis, & ipsa etiam non tam sua quàm suorum omnium salus sita esset; quod Veneti, ac Florentini toties requisiti emeritum militiæ stipendium non dependerint, eorum magna culpa & fidem sibi violatam esse, & se quibus esset obstrictus fœderibus jure liberum. Quibus de causis quid sibi hoc tempore agendum, quidve consilii capiendum esset, ab eo petere, ut pro mutua & antiqua inter sese amicitia, ejus sententiam dicat. Ad hæc, Cosmus explicare quid in animo haberet aperte non ausus, sententiamque suam ambiguis verbis involvens, ita per Nicodemum Pontremulensem referri jubet; si omnino nutriendi militis facultas deesset,

C Pisaurensem Civitatem militibus diripiendam daret. Nullius liberi Populi amicitiam respiciat, neve ab iis auxilium speret, qui suo ingenio militaris disciplinæ viros semper odere. Ipse sibi rebusque suis consulat. Prudentem & callidum ducem sua tempori accommodare consilia oportere. Hoc Cosmi responsum eo spectare videbatur, ut Franciscus posthabita Venetorum amicitia Philippi voluntatem sibi conciliaret, tuendumque illius imperium susciperet sibi præsertim posterisque suis hereditario jure debitum. Apparebatque Cosmum non tam Francisci causa ad hæc moveri, quam quod videre videbatur Venetos devictâ Cisalpinâ Galliâ re-

D rum facile potituros. Et ob id necessarium fore, ut Venetorum viribus talis opponeretur exercitus, quali Philippus eo tempore maxime indigebat. Franciscus ad cetera dubius diripiendi Pisauri tam iniquum, tamque crudele consilium non modo respuit, sed ingenium sævitiamque viri maxime detestatus, exsecrabilem illius sententiam vir miti ingenio in summam erga Pisaurenses pietatem vertit. Ex Cremonensi enim agro magnam adeo frumenti vim Pado flumine in Sinum Adriaticum atque inde Pisaurum convehi navibus jussit, ut non solùm exercitui ex inopia copiam fecerit, sed distributo insuper publice tritico & Pisaurensem

E Populum magna sibi benivolentia devinxerit, & tantæ munificentiæ fama ad posteros pertransierit. Nec Philippus interim lenire generi animum, & in suas partes trahere orando, monendo, pollicendo desistebat. Clam sæpius nuntii interdum etiam simulatâ visendæ filiæ causâ palam mittebantur. Summa legationum hæc erat. Arbitrari se divino consilio factum, ut quem tot annos per omnem fere Italiam armis insecutus esset, ejus nunc ipsius opem imploraret. Fateri se in animo fixisse non prius arma positurum, quam aut sponte aut vi coactus dimissâ ad-

ver-

versariorum amicitiâ ad se redisset. Qua in re & se Deum Optimum graviter iratum, illum verò adjutorem propitiumque habuisse. Sed nunc oportere eum præterita errata, quæ magis reprehendi quam corrigi possunt, ex animo delere; labanti imperio, soceroque ætate gravi, imbecillitate & curis quammaxime impedito succurrere. Postremo rediret ad sese, quem generum filiumque pater suscepturus esset, cui fortunas suas omnes, vitam denique ipsam committendam decrevisset, modò Venetorum partes desereret. Si Florentini Populi & Cosmi Medicis amicitiam retinere voluerit, id nequaquam molestum sibi futurum. Agro Piceno tandem excederet, pacatamque provinciam Pontifici, Ecclesiæque Romanæ, cujus esset, dimitteret. Si bellum in Longobardia feliciter gesserit, ubique Franciscum victorem fore. Præterea Brixiam, & quicquid suæ ditionis Veneti occupassent, cumprimum reciperentur, ei se concessurum pollicebatur. Nec minoribus interea Veneti pollicitationibus Francisci animum sibi reconciliare contendebant. Nam quo magis commeantibus sæpius ultro citroque nuntiis augebatur suspicio, ne ab eorum amicitia discederet, eo majoribus se illum muneribus ornaturos pollicebantur. Postremo Pasqualem Maripetrum, quo familiarissime utebatur, ad eum legatum mittunt, qui magnis propositis præmiis illum in fide & amicitia confirmare studeret. Ejus viri hæc fuit oratio, ut in Piceno cum exercitu perseveraret. Si Rex Alphonsus per eam provinciam aut Etruriam Philippo auxilia mitteret, obviam iret, transituque prohiberet: Venetos, si Mediolano potiantur, eam Urbem Francisco confestim tradituros. Ad ea Franciscus pergraviter primum questus de iis, quæ præter jus fasque adversum sese Veneti egissent, ita respondit. Se quicquid scriptis legibus Venetis obstringebatur, libenter facturum. Hoc responso legatus remittitur anxius is quidem & nequaquam dubius Franciscum, quod vulgabatur, in Philippi partes transiturum. Dum hæc geruntur, oblata est spes Venetis Cremonæ per proditionem potiundæ. Erat enim Gerardus Dandulus Cremonæ, ut prædiximus, pro Venetis legatus. Is dum classem in Pado parat, qua in Parmenses, Placentinosque primo vere traduci posset exercitus, ut erat vir callido vafroque ingenio, cum nonnullis Guelphæ factionis civibus de prodenda Venetis Urbe consilium init, statutoque inter sese ad rem patrandam loco atque tempore, simulatâ in Brixienses abeundi causâ, in transadduanos ad Michaëlem ducem proficiscitur, constitutæque proditionis ordinem aperit. Qua re audita, Michaël collectis iis omnibus, quæ circum hibernabant, copiis, instructo agmine in Cremonenses ire contendit. Et die insequenti prima luce non procul Cremona constitit. Dein cum Dandulo & expedito milite ad destinatam Omnium Sanctorum portam propius accedit, nihil diffidens, quin sibi aut panderetur porta, ut erat ante constitutum, aut tumultus aliquis intus à conjuratis excitaretur. At in Urbe ad primum Venetorum adventum Foschinus Attendulus ejus Urbis præfectus, & Salernitanus sumtis continuò armis, ubi majus imminere periculum putant in re tam subita atque insperata, eo celeriter occurrunt. Ac dispositis per mœnia turresque custodibus, portas præsidiis firmant, ad omnia demum providenda intenti, infirmis impurisque civium animis audendi & capiendæ prodendæque portæ facultatem eripuerunt. Ita conspiratoribus patrandi facinoris animus defuit. Et Michaël, Gerardusque cùm ad multum jam diem obequitando pro porta ac Urbis fossa in acie stetissent, & quieta intus omnia intelligerent, proditam conjurationem rati irrito cœpto in transadduanos, unde discesserant, revertuntur. Qua de re Franciscus, ut erat gesta, celeri nuntio certior factus est.

Explicit Liber Octavus.

INCIPIT LIBER NONUS.

CUm multæ uno eodemque tempore intercederent causæ, quæ Franciscum Sfortiam legitimo jure à Venetorum amicitia discedere compellerent, illa omnium maxima fuit, quod ubi summo eos studio summisque viribus id conari animadvertit, ut non solùm regno Philippum spoliarent, sed Cremonam etiam præcipuam Blancæ uxoris suæ dotem eorum fidei creditam quacumque arte occuparent, non exspectandum sibi amplius putavit, ut consumtis Philippi fortunis & suo periculo occurreret, & illius saluti prospiceret. Sperabat enim uti sæpe demonstratum est, cum maribus careret Philippus liberis, cujus esset gener & adoptione filius, ejus imperium seu jure successionis, seu armis aliquando sibi vindicare posse. Itaque ad socerum scribit, ut bono ac forti animo sit, simulque pollicitus est omissis non tam veteribus quàm recentibus injuriis, quicquid in se opis esset præstiturum, & quocumque vellet, ei auxilio iturum. At Philippus magnis anxius curis, magnoque timore concussus, perspecta tam opportuno tempore optima erga se Francisci voluntate, maximo & incredibili pæne gaudio afficitur, oblatumque generi officium, quem semper post compositam inter Italicos potentatus Cremonæ pacem mirum in modum odisset, ita accepit, ut omnem salutis suæ spem in eo collocarit, metuque ingenti liberatus haud amplius de rebus suis dubitare videretur. Postremo multis, ut prædiximus ultro citroque missis nuntiis Philippus ad Franciscum mittit Petrum Posterlam his cum mandatis, ut omnibus ejus postulatis satisfaceret, sibique virum fœdere jungeret, & illius in Longobardiam adventum ad tanti suscipiendi belli negotia curaret. Franciscus etsi quicquid Philippus in præsentia pollicebatur non ex libera sui animi voluntate, sed ex periculi metu proficisci facile intelligebat (66) duo tantum postulavit; unum ut tantum sibi stipendii quotannis penderetur, quantum ad ornandum alendumque exercitum necessarium foret, quod erat ad quatuor & ducenta aureûm nummûm millia, cùm totidem Veneti Florentinique simul multos annos sibi stipendio dedissent. Alterum ut sibi pro sua auctoritate ac dignitate in omnem Philippi ditionem providendi potestas, & copias in omnes supremi ducis nomen imperiumque tribueretur. Fœdere icto, distributâ vere primo in milites pecuniâ, quam partim è Mediolano delatam, partim ab Alphonso Rege Philippi causa à suis Romæ acceptam habuerat, dat impigre operam, ut omnes quamcelerrime equos & arma parent, & cæteris rebus futuro bello opportunis affatim se ornent eo consilio, ut cùm primum pabuli copia suppeteret, instructo exercitu in Longobardiam proficisceretur. Verùm nonnullorum malivolorum invidia longe ei aliter quam putarat evenit. Erant Mediolani quamplures, qui ardenti quodam studio Braccianæ factioni favebant. Horum principes Nicolaus Guerrerius Parmensis, Antonius Pisaurensis, & Jacobus Imolensis, versuto & callido ingenio viri. Qui & gratia ea tempestate & in administranda pecunia auctoritate apud Philippum plurimum poterant. Hi Franciscum Sfortiam Bracciano nomini infestum cùm viribus gubernandique imperii potestate venientem inviti audiebant, quod non mediocriter vererentur, ut illo postea rempublicam administrante, auctoritate honoribusque paulatim diminuti emolumentis etiam privarentur. Franciscus & Jacobus Picinini præterea fratres vel Longobardia cedere cogerentur, vel brevi tempore ad inopiam redacti ludibrio haberentur. Hæc sæpius animo volutantibus improbam venit in mentem, quemadmodum Franciscum Philippo suspectum redderent, ab illius gratia segregarent, adventum morarentur, & longe à Longobardia arcerent. Hos igitur commenti dolos Philippo enuntiandum curant, Franciscum Sfortiam, uti ipse superioribus annis plane cognovisset, magno ac excelso esse animo, Urbium, Provinciarum, ac non exiguarum rerum principatum appetere, maxima dominandi libidine flagrare, in Longobardiæ imperium jam animum mentemque vertisse, non ut exercitus ducem sed ejus imperii dominum nimiùm superbè venturum. Jamque Petro Posterlæ agrum promisisse, quem in Laudensibus Imolensis possideat, dono daturum, quod Casale Posterlingorum de Pusterlæ gentis nomine appellatur. Hæc & hujusmodi frequentibus etiam literis affirmare student, quas partim Pisauri, ubi tum Franciscus erat, partim in aliis Italiæ Urbibus à fidis amicis, quibus Francisci ipsius consilia variis nota artibus essent, conscriptas simulabant. Philippus, qui multis de causis omnia etiam tuta timebat, ea re facile persuasus, quod non longe à ratione discedere videbatur, primum mandat, ne ullæ ad Franciscum posthac pecuniæ dentur. Deinde ad eum nuntios mittit, propter ærarii inopiam ne miraretur si pecuniæ minus suo usui suppeditarentur. Sua uteretur frugalitate, & virtute hoc tempore opus esse. Ceterum ut omnibus copiis per Flaminiam Ferrariensiumque fines iter faciens Padum trajiceret, & nunc in Patavinum, & nunc in Veronensem agrum irrumperet, Venetosque ab ea parte perturbaret. Facile factu esse, ut conspirantibus nonnullis secum civibus saltem ex duabus Urbibus altera potiretur. Hæc ubi Franciscus accepit, non potuit graviter non commoveri, ac ejusmodi Principis mandata ab omni prorsus gerendi belli ratione aliena non admirari. Quod nisi majoribus augeretur copiis, & Leonellus Estensis Ferrariensium Princeps secum sentiret, bellique fieret socius, non videbat, quemadmodum ab ea parte Venetis arma inferre posset. Verùm quod facile opinatus est, id esse in causa comperiebat, obtrectatorum arte Philippum nolle in suam ditionem secum copiis proficisci, veritum ne quid insidiarum

(66) MS. Tamen ne exigere beneficium videretur, quin immo illius sibi animum magis reconciliaret, duo tamen modò ab ejus legato concedenda sibi postulavit &c.

diarum in sese tenderetur. Fitque sub eosdem quoque dies Franciscus à Nicolao Maceo Guarna Salernitano, & Vincentio Amidano Cremonensi suis apud Philippum legatis frequentibus literis certior, residuum pecuniarum, quod tum solvendum erat, haberi minus posse, verbis distineri, aditus ad Principem sibi difficiliores esse, nuntios ad eum ipsis insciis missos. operâ malivolorum quorumdam hæc agi, qui confictis dolis eum perfidiæ Philippo insimulassent. Quibus de rebus Petrum Posterlam ad Philippum remittendum constituit; qui cùm omnia nosset, omnia vidisset, apud eum suam innocentiam multis affectam calumniis purgaret, veritati testimonium perhiberet, diceretque dein quæ ad gerendum bellum & ad consequendam de hostibus victoriam expedire videbantur. Petrus Francisci dicto obtemperat, ac magis diurnis nocturnisque confectis itineribus quarto die Mediolanum pervenit. Cùmque Ducis præsentiam adire mittentis mandata relaturus quæreret, Philippus & adventu ejus, & rebus ante falso delatis subiratus, eo inaudito, jussit Ferrariam cum novis mandatis quamprimum se conferret, ibique esset, donec quid ab eo amplius fieri vellet, sibi injungeretur. Cujus imperio ita paruit, ut ne ad Franciscum quidem de his, quæ acciderant, quicquam scribere ausus sit. Quibus ex rebus & Francisci ad Philippum profectio multos in menses protracta est: & Veneti magis atque magis insolescere, Philippi res in dies labi deterioresque esse cœperunt, atque omnium tamdem Longobardiæ provinciæ malorum initia provenere. Nam interim Veneti primo vere ingenti coacto exercitu Cremonensem primo agrum aperto bello invadunt, eoque paucis diebus haud multo negotio in potestatem redacto per transadduanos deinde profecti rursus Adduam eo ponte, quem ad Cassianum, ut prædiximus, ædificarant, Michaële duce exercitum traducunt. Multis ac magnis totam Martesanæ oram Mediolanum usque incursionibus, prædis, atque incendiis devastant. Nec amplius tribus ab Urbe passuum millibus ad Lambratum Vicum castra ponunt. Inde collatis signis ad orientalem portam progressi, omnia timore complent. Levia interdiu pro porta prœlia committuntur. Imperaverat enim Philippus nonnullorum Civium, quos cum hostibus sentire persenserat, insidias veritus, & suorum belli ducum virtuti parum fidens, quos post Casalensem pugnam hostem propemodum formidare cognoverat, non minus Populum in certamen erumpere volentem quam milites præter paucos Urbe suburbiisque contineri, & portas singulas necessariis suis fidoque milite custodiri.

Causa autem Mediolanum propius accedendi fuit, quod Veneti civium quorumdam Mediolanensium ut ferunt operâ, qui uti Philippum suspicari diximus, secum sentiebant, Urbe aut per proditionem exorto tumultu, aut per deditionem potiri posse, aut si id minus fieret, à Philippi eam tamen imperio spe vindicandæ sibi libertatis defecturam sperabant. Sed cum ad Lambratum hostes triduum castra habuissent, nec quicquam in ea re, cujus potissimum causa eo venerant, proficere vidissent, inopia etiam cibariorum coacti, Adduam versus remigrare constituunt. Itaque signa in Briantinos divertunt. Brippiensium arcem primum ad ipsam fluminis ripam ædificatam tormentis subactam, Barrumque montem & universam Briantinorum regionem permittentibus sese incolis occupant. Pontem deinde apud Leucum oppidum, Turre insigni constructum bombardarum vi obtinent. Quibus rebus gestis tantus omnium mentes terror occupavit, ut dedentibus sese passim municipibus, quicquid agri montanæ regionis à flumine Addua usque Comum intercedit, cum utroque Larii Lacus litore in Venetorum potestatem brevì deveniret. Et quoniam nisi subacto Leuco propter loci opportunitatem parum seu nihil proficere posse arbitrabantur, magno oppidum apparatu adoriuntur. Sed cum nulla obsidendi qua ad Larium pertinet, facultas suppeteret, terrestri modò exercitu circumsedere oppidum. Quod cum per dies supra quadraginta omni bellica machinatione oppugnassent, multis certaminibus expugnare adnixi sunt. At egregia quadam oppidanorum in Philippum fide, & singulari non minus militum quàm præfectorum virtute, & qui obsidionis initio eo missi præsidio fuerant, & qui prioribus labore & vulneribus confectis, postea navi, adjutoribus Comensibus integri viribus submissi sunt. Ita defensum est oppidum, ut non solùm ab obsidentium impetu servatum, sed magna etiam strage hostes pugnando affectos esse constet, & grave insuper detrimentum exercitum omnem accepisse, & adeo grave, ut necesse tamdem ducibus fuerit, deserta oppugnatione, relictaque regione ea in transadduanum, Cremonensemque agrum ad reficiendum tot incommodis attritum exercitum descendere. Quod quanto afflictis Philippi rebus in tanto belli furore adjumento fuerit, non facile explicari posset. Dum hæc à Venetis geruntur, Philippi copiæ partim oppidis atque Urbibus, quæ in frontibus erant, sese continebant, partim trans Padum in hibernis agebant. Quod etsi non multo hostibus numero & militaribus ornamentis inferiores erant, & à ducibus magnum belli usum habentibus ducebantur, tamen memores Casalensis prœlii, neque in aciem adversus hostes exire, neque unum in locum convenire omnes audebant, neque si auderent, Philippi jussu, cum imperatore carerent, eis licebat. Philippus posteaquam nullum suæ saluti sanius præstari posse consilium videt, quàm Francisci præsentiam, constituit tamdem ad se illum accersere. Misitque Pisaurum Scaramuciam Balbum legatum, qui ejus è Picentibus discessum omnibus prætermissis rebus curaret, virumque cum exercitu quamcelerius fieri possit, in Longobardiam perduceret. Ceterum multis exhausto sumtibus ejus ærario, scribit ad Alphonsum Regem pacis bellique socium, qui superiore Anno, ut supra ostendimus, ferendi auxilii causâ Tibur venerat, exercitumque in Florentinos Venetorum socios parabat, ut ea rursus Franciscum pecunia juvaret, qua ex hibernis copias educere, & ad eum mature contendere posset. Alphonsus & Nicolaus Romanus Pontifex, qui eo Anno in Pontificatu Eugenio successerat, nihil magis cupientes, quàm Franciscum Pi-

ceno

eeno excedere, longeque eorum finibus amoveri, occasionem nacti ita Philippi legatis apud se rem eamdem procurantibus sæpius respondent. Si pecuniâ Philippus Francisci causâ juvandus erat, oportere Franciscum ipsum priusquam aurum dependatur, Urbem Æsium, quæ ex omni Piceno proximo bello sibi reliqua erat, Romano Pontifici tradere. At Franciscus etsi multis de causis Urbem sibi fidelissimam, tot bellorum labores perpessam, pecuniâ in alieni imperii potestatem à se transferri invitus patiebatur, tamen & assiduis Philippi precibus victus, & perituri ejus imperii periculo, cui occurrere decreverat, permotus, eam Pontifici quinque & triginta aureûm nummûm millibus à Rege persolutis, invitis etiam civibus, tradi jussit. Acceptâ pecuniâ ac in milites dispersâ ad Isaurum copias convenire imperat. Galeacium interim primogenitum suum & Hippolytham filiam admodum impuberes Conrado Foliano germano suo cum armata equitum cohorte comitante Cremonam præmittit. Præmissi sunt autem à parentibus pueri ea potissimum causa, quod sperabant illis Parma Urbe transeuntibus fore, ut si non ambos saltem alterum nepotem avus ex unica filia natum visendi amplectendique illius desiderio ad se perducendum juberet. Sed quamvis de illorum adventu multis ante diebus factus esset certior, tamen quia ob eas quas prædiximus causas non bono in parentes erat animo, ne ullum quidem in eos paterni amoris ostendit signum. Sed tamquam ignotos, remotissimisque regionibus profectos fines suos prætergredi permisit. Sub idem tempus Philippus ipse ingentibus confectus curis in gravem incidit febrem corporisque profluvium, cujus quidem valitudo cum paucis, quibus ad eum patebant aditus, nota esset, ita ceteris fuit incognita, ut prius de ipsius morte quàm de ægrotatione fuerit Franciscus à suis legatis certior factus. Ceterum coacto paucos intra dies exercitu ad quintum Idus Sextiles, qui fuit Annus ab Incarnatione Christiana Quadringentesimus Quadragesimus & Septimus supra Mille, Franciscus Pisauro cum Blanca conjuge Alexandro germano fratre præsidio ibi relicto movens die quarto Cotoniolam pervenit, ubi cum biduo quietis militibus dandæ causa fuisset, decimo octavo Kalendas Septembres, qui erat dies festus, quo annua beatæ Mariæ Virginis Assumtio celebratur, Leonelli Estensis nuntius refert secreto ei, Philippum humanis denique solutum curis, diem suum obiisse. Quo insperato nuntio accepto, tanta est animi ægritudine affectus, ut quo se verteret primo auditu incertus esset. Plures enim uno ac eodem tempore difficultates occurrebant, quæ non mediocriter ejus animum & perturbabant & angebant. Premebatur siquidem summâ in primis pecuniæ inopiâ, sine qua in gerendis bellis nihil fieri potest. Cernebat exercitum, cum jam impartitæ ad ornandum eum haud satis pecuniæ fuissent, omnium pæne militarium rerum egentem. Videbat præterea se illum diutius alere non posse: & à quo tam necessario tempore sublevari, & ad quem potissimum confugere posset, habere neminem. Cogitabat id quod evenit mortuo Philippo futurum, ut tam antiquum tamque opulen-

A tum Vicecomitum imperium nullo administrante plures in partes distraheretur, funditusque everteretur; ejusque rei Mediolanenses imperii caput præcipue initium fore, quos excusso servitutis jugo, in libertatem sese vindicaturos existimabat. Idemque reliquas Longobardiæ Civitates, quæ Philippo paruerant, facturas non dubitabat. Sciebat Venetos, quos Philippi ejusdem partem secutus deseruisset, infenso sibi esse animo. Cumque potentissimo exercitu nullis repugnantibus in foribus essent, totius Longobardiæ imperio brevì potituros metuebat.

B De Florentinis etsi in Republica eorum propter veterem singularemque inter eos amicitiam summam habebat fidem, tamen quod Venetis ob Philippi metum societatis fœdere multis ante annis juncti essent, nihil eo tempore, quod ad præsentem suam necessitatem pertineret, sibi polliceri poterat. In Alphonso Rege propter inveteratum ejus in se odium nullam spem ponendam. Hæc eadem insequenti nocte animo ei volutanti visum est, cœptum jam in Longobardia iter summa celeritate persequendum eo consilio, ut cum primum Parmensium fines attigisset, exploratis amicorum animis de potiunda Urbe tentaret. Quorum in Civitate factionem Rubram ob antiquam ejus in Sfortiam

C parentem suum benivolentiam & in se postea servatam, sibi eo in negotio fautricem & obsequentem futuram arbitrabatur. Deinde perfecta aut infecta re Cremonam proficisci, & quibuscumque fortunæ casibus se objectare, & pro temporum conditione fluctuantibus undique Longobardiæ rebus se accommodare.

Itaque mane summo cum lachrimante uxore Blanca castra movet, & per Bononiensem, Mutinensem, & Regiensem agrum quarto die trinis castris in Parmenses pervenit, & ad Lentiæ fluminis Pontem non procul ab Urbe Parma castra ponit. Mittit Mediolanum confestim Benedictum Reguardatum

D Nursinum, virum & medicinæ scientia pollentem & rerum usu præstantem & non infacundum, qui ex itinere Placentinos, Laudensesque cives, Papienses item, si ea flecteret, & Mediolanensem Populum, suo de adventu edoceat, & suam omnibus opem polliceatur. Dat deinde operam, Parmensium animos de Urbe dedenda cognoscere. Sed dum ei rei studet missi sunt quatuor ad eum à novo Civitatis Magistratu legati, qui suam Rempublicam suamque libertatem commendarent, neve injuria maleficioque ab ejus exercitu Urbs amica suique agricultores vexentur, impetrarent. Præterea mortuo nuperrime Philippo eorum Principe li-

E bera sua Civitate relicta rei summæ gubernaculum Cives sumsisse, suamque libertatem tueri ac servare, & nullius deinceps potestati tradere communi omnium consensu jurejurando decrevisse renuntiarent. Ei legationi Franciscus ita respondit. Quod res suæ Civitatis tantopere sibi commendassent, quasi dubitare viderentur, ne quid detrimenti aut à suis militibus Parmensium agris inferri pateretur, aut ipse in Civitatem moliretur, non oportere. Spe profecto eum non esse, qui negligere, lacerare, pervertereve, sed servare potius & augere amicorum in se studium didicisset. Cives Parmenses jamdiu in-

inter primarios Longobardiæ habuisse amicos. Proinde ut bono essent animo, hortatur. Nam ita se cum illis acturum, ut Franciscum amicorum non esse immemorem intelligerent. Ceterum unum à Parmensibus omnino scire volebat, ubi sua modò ope Civitatem servare nequeant, universa ferme Italia bello flagrante, quo consilio, quove præsidio freti vitam acturi sint. Ad hæc legati, cùm nihil ejus rei ab eorum Magistratu sibi mandatum esset, ignorare quid respondere possent, dixerunt: unum hoc tantùm affirmare, suos Cives pacem & amicitiam cunctis gentibus servare communi consilio constituisse. His responsis Parmam redeuntibus legatis protinus omnem exercitum populationibus rapinisque Parmensi Populo inferendis Franciscus jussit abstinere. Ceterum & ad quietem militibus dandam, & ad præsentes instantesque Longobardarum rerum immutationes cognoscendas biduo consedendum duxit. Itaque tam ex literis Mediolano perlatis, quam ex nuntiis à reliquis Civitatibus, quæ Philippi fuerant, venientibus, quid post Soceri obitum sit actum, exquirendo sic accipiebat. Philippum cùm dies perpetuos octo & profuso ventris profluvio & vehementissimis febribus laborasset, Idibus Augustis circiter secundam noctis horam universa prope inscia Civitate naturæ concessisse. Id factum ne sit consilio eorum, qui Principi aderant, ob proximos hostes, an potius dolo, incertum. Incertum etiam, cùm de vita dubitare videretur, quid aut de imperio aut de ceteris rebus suis decreverit. Alebantur sane apud eum factiones duæ Sfortiana & Bracciana. Bracciani quidem quorum principes præter eos, quos supra memoravimus, aderant Franciscus Landrianus & Broccardus Persicus, numero & auctoritate prævalentes rem omnem ad Alphonsum Regem transferri cupiebant, studebantque. At Sfortiani, quorum primus Andreas Biragus, quod juris erat, ad Franciscum Philippi generum & adoptione filium. Oriebanturque quotidie vel eo adhuc vivo quædam veluti controversiæ, cùm alii dicerent non esse Franciscum ejusmodi, qui tantum imperium tueri posset, quod & pecuniis careret & amicitiis, ob eamque rem Alphonsum Regem præferebant, qui & terra & mari potentissimus thesauris ingentibus abundaret, fuissetque à Philippo Duce & dilectus unice & maximis ornatus beneficiis. Alii contra barbarum esse Alphonsum: nihil habere commune cum nostris moribus, genere Gottholanum. Franciscum vel sola humanitate mansuetudineque naturæ omnibus esse carissimum. Eumdem satis habere pecuniarum, cùm ab universa ferè Italia in primisque à militibus summo habeatur in pretio. Inter hæc Princeps ille extrema vi morbi repente oppressus excessit ex humanis, cùm ne moriturum quidem ita brevì se putaret. Non defuerunt tamen qui ob factionis studium disseminarint in vulgus, statuisse eum omnem sui imperii potestatem ad Alphonsum Regem deferendam. Nonnulli quorum auctoritati magis creditur, eum ubi omni spe vivendi amplius derelictum se videret, hæc dixisse ferunt. *Vellemus è vivis nobis migrantibus cuncta eversione ruinaque agitari ac misceri.* Quamquam neutrum profectò nobis satis probabile videtur. Ea quidem animorum irritatione continuò in Arcem exceptus est Raymundus Boilus, qui non multo ante ab Alphonso Rege cum auxiliaribus copiis, ut ostendimus, esset ad Philippum missus. Qui autem Arcellæ præerant (erat enim hæc ad murum exteriorem in dextro arcis angulo admodum parva, sed valida ac eminentior, armis virisque munita) tres Centuriones Ruber Valla, Bonifacius Belingerius, ac Dominicus Lamina, cum expedita & firma manu omnis generis peditum magnis clamoribus Alphonsi Regis, Aragonumque nomen invocarunt. Id autem creditum est arte ac dolo eorum fabricatum, qui sibi, quod essent Bracciani, rebusque suis à Francisco metuebant. Cùm illuxisset tam inopinato & gravi nuntio Urbs perculsa est. Illico tabernæ omnes occludi; trepidari undique, clamoribus omnia misceri: quid consilii capiundum esset, omnes ambigere. Raymundus qui in arcem erat admissus, continuò ad se accivit omnes militum ductores, Guidonem Antonium Faventinum, Carolum Gonzagam, Aloisium Vermium, Guidonem Taurellum, & fratres Sanctoseverinates Aloisii filios, qui tum forte Mediolani erant. Ab his fidem accepit, fore ut Alphonsi Regis partes tutelamque capesserent. Ceterum hi singuli, ubi ex Arce egressi sunt, cogendarum copiarum causam simulantes, cum iis qui libertatem amplexabantur, convenere acceptis pecuniis. Nam posteaquam Philippum Principem Mediolanenses intuerentur amissum, & Urbem ipsam ab hostibus fere circumsederi, decreverunt sese omnino in libertatem vindicare ac nulli prorsus parere Principi. Quare delectis ex universa Civitate viris optimatibus quatuor & viginti, quaternis ex singulis portis, omnem & animum & consilium à peregrino imperio ad propriam libertatem converterunt. Nec obstiterunt tamen, quominus Philippi corpus honorifice sepulcro mandaretur, etsi ob tumultuantem Populum in rebus tam inopinatis sine ulla solemni pompa factum est. Dehinc equitatum omnem, ac bona, quæ in Monasterio divi Ambrosii intra Urbem erant, Raymundi, quem in Arcem exceptum audierant, verterunt in prædam, tentatisque eorum animis, qui Arci præerant, sine ulla difficultate minimo pretio ea potiti sunt. Quos verò Arcellæ præesse diximus, ii quamquam initio pertinacissime repugnabant, tamen cum arte quadam apud eos increbruisset, neque Franciscum, neque Alphonsum ob nimium locorum intervallum auxilio esse posse, cesserunt tamdem Mediolanensium postulatis, dispartitisque inter sese aureis nummis decem & septem millibus, quos in Philippi scriniis reperissent, & reliqua Philippi Ducis bona & Arcellam Mediolanensibus dediderunt; continuoque jussu Populi universum Castellum unà cum Arcella solo æquatum est. Mira per id temporis inter Cives omnes concordia, adeo ut non minus ab unius dominatu quam à teterrima peste abhorrerent. Legatos ad Venetos mittere pro societate & amicitia, operamque dare, ut eæ Civitates, quæ sub Philippo fuissent, secum sentirent, ac sese sibi dominos asciscerent. Principes autem & quasi auctores libertatis erant Antonius Triultius, Theodorus Bossius, Georgius

gius Lampugnanus, Innocentius Cotta. Sed Papienses potissimum ab eorum postulatis animos avertere, & pro vetere quadam sive æmulatione sive odio, irritationeque animorum omnia malle, quam Mediolanenses non modò dominos, sed ne ulla quidem in parte superiores admittere. Reliquæ verò Civitates & Oppida animorum cupiditatibus in diversas distrahi sententias. Nam cognita Philippi Ducis morte, repentino quodam motu sese in libertatem vindicant. Singulæ regendæ reipublicæ curam suscipiunt. Harum nonnullæ arces, urbiculasque per deditionem receptas decreto publico servandas, nonnullæ funditus demoliendas constituunt. Placentini ex duabus alteram munitiorem arcem, Papienses urbiculam, cum arcem firmissimo peditum præsidio Matthæo Bononiensi præfecto, qui cognomento Bologninus vulgo appellabatur, custoditam obtinere nequirent, dirui jubent. Ceterum universa prope Longobardiæ provincia sumtis illico undique armis in seditionibus, dissensionibus, & tumultibus versari, rebelles, extorres, fugitivi patriam repetere. In bona aliis jam per Fiscum concessa impune redire. Omnia rapinis, clamoribus, cædibusque permisceri. Nullus neque humano neque divino juri locus esse, nullus timor, nullus Dei metus. Comenses, Alexandrini, & Novarienses cives, qui antiquo & præcipuo quodam necessitudinis jure cum Mediolanensibus vivere consueverunt, eorum sese fidei commisere. Laudenses contrario studio ducti ad Venetos Mediolanensium adversarios mentem convertunt. Ob id Picinini utrique è Mediolanensi agro suis copiis in eorum suburbia sese recipere contendentes ingressu prohibiti, Pisleonem oppidum propere confugiunt. Idem factitatum est per Caroli Gonzagæ, Guidonisque Faventini milites, qui absentibus eorum ducibus à Laudensibus pulsi, cum nescirent quo se verterent, eodem se festino itinere receperunt.

Dein Guelfa factio, quæ principatum in Civitate obtinebat, conjuratione de tradenda Venetis Urbe inita, in eorum exercitum, qui adhuc in Cremonensibus erat, sui, ut demonstravimus, reficiendi causa Michaëlem & legatos ad capessendam Urbem accersitum mittit. Qua re cognita legati nulla mora toto cum exercitu eo proficisci maturant, aditu que per pontem in Addua ædificatum patefacto, Urbem, Arcemque nullo negotio recipiunt, copiasque protinus omnes in Laudenses traducunt. Hoc successu rerum haud multo post Sanctum Columbanum, quod est oppidum inter Laudem & Papiam medio ferme itinere positum, & ejus Arcem tum loci naturâ, tum ingenti ædificiorum structurâ munitissimam, hoc tam repentino rerum motu defensoribus nudam, Veneti nullo labore in potestatem accipiunt. Quas ob res Placentini rerum novarum cupidi, etsi antea Philippi imperio metuque liberi variis dissensionibus vexabantur, tum magis tamen atque magis veluti in Civitate quadripartita factione laborante, intestinis discordiis exagitabantur. Alii de dedenda Venetis Urbe persuadere, alii, quorum saniora erant consilia, cognito ex Benedicti Nursini verbis Francisci in Parmenses adventu, ne in transferendo in alienam potestatem suæ Civitatis imperio faciles essent, prædicare, ac ea in re dies aliquot supersedendum censere, quo tempore perspecto Insubrium rerum eventu, quid expediret, liberius tutiusque eligere possent. Idque sine ullo Civitatis periculo atque detrimento, dummodo omnes idem sentiant, effici posse. Padum amnem adversus hostes, qui in Laudensibus essent, firmissimo sibi propugnaculo validoque præsidio futurum demonstrant. Sed enim ut plerumque fit in magna præsertim ac imperita multitudine, pars major meliorem vicit. (67) Guelfi enim, idest ex quatuor Civitatis factionibus tres fere simul junctæ, qui mercatorum & popularium numero in Civitate plurimum poterant, ad Venetorum exercitus ducem legatosque, adversantibus frustra Anguissolis, bis cum mandatis oratores mittunt, ut primum de dedenda Urbe deque conditionibus agerent. Deinde præsidium in Urbem transmittendum peterent, quo ager & qui rebelles patriæ forent, Civitati suæ subjicerentur. Post ubi à duce legatisque Venetorum satis Placentinorum postulatis factum est, mittuntur statim Placentiam Gerardus Dandulus legatus, qui civium regimini præesset, & Thaddæus Estensis, vir & longo belli usu & fide egregia clarus cum duobus equitum & totidem peditum millibus, qui Urbi præsidio esset. Hi continuò è castris ad rem conficiendam profecti, Padumque multis scaphis celeriter traducti, magno Populi concursu in Urbem recipiuntur; quorum adventu Florentiolani, Arquates, Peregrinates, & ceteri, qui regionibus iis Braccianæ ditionis erant, commoti de deditionis conditionibus jam inter sese agere cœperunt. Flisci præterea eodem tempore ex Genuensibus superato Apennini jugo, magna satellitum manu, Varisium Burgum Vallis Tari, & Varsium, quæ oppida in Placentinorum finibus ad montis radices Picinini possidebant, per deditionem accipiunt. Vianinenses adverso finitimorum studio ad Franciscum cùm misissent rogatum auxilium, ei sese permittunt. Quos primos deditionis initium ad Franciscum post ejus in Æmiliam adventum fecisse constat. Angelus tertius Nicolai Picinini filius à rusticis circumventus occiditur. (68) Mediolanenses interea ad Scaramuciam Balbum scribunt, ut Franciscum adeat, hortetur, roget, ut sicuti pro Philippo bellum cum Venetis gesturus veniebat, ita pro Mediolanensis Reipublicæ salute adversùs eosdem communes hostes belli summam suscipiat, & quæ Philippus ipse promisisset, eadem se facturos affirmet. Quibus rebus cognitis Franciscus Cremonam sibi maturandum ratus, quo tot crescentibus quotidie Longobardarum rerum discriminibus, quoad posset occurrens Mediolanensibus persistendi adderet animum, & copiis, quas Philippus reliquisset, in unum se

(67) MS. Cives Guelfæ factionis, quum ex quatuor Civitatis factionibus tres fere simul junctæ idem sentirent, quarum Scotta princeps erat, sola Anguissolorum factione dissentiente, qui mercatorum &c.

(68) MS. Hac Laudensium, Placentinorumque novitate, & ad Venetos defectione perspecta, Mediolanenses ad Scaramuciam Balbum, veluti ad Concivem, scribunt, ut Franciscum adeat &c.

ſe locum colligendi, ſecumque jungendi poteſtatem faceret, biduo, poſteaquam eo venerat, diſcedit. Et cum iter juxta Urbis mœnia inſtructis ordinibus faceret, aſpiceretque Parmenſes portis clauſis multis per muros armatorum millibus diſpoſitis Urbem cuſtodire, nec certi adhuc quicquam habere potuiſſe memoriæ teneret, quibus legibus cum illorum Civitate Mediolanenſibus vivendum eſſet, juſſit ſigna, ordineſque conſiſtere; & ſummæ rei principibus, quos Parmenſes Antianos appellant, per tubicinem renuntiari, niſi apertius intelligat, quemadmodum in reliquum tempus Parmenſes cum Mediolanenſibus habituri ſint, ſe loco non abiturum. Quo ducti metu Parmenſes mittunt ad Franciſcum quatuor Cives, qui dicerent, decreviſſe Parmenſem Populum Mediolanenſis Populi ſocietatem ſequi, ejuſque amicos & hoſtes amicorum hoſtiumque ſuorum numero habiturum. Quibus probatis rebus, chirographoque firmatis, Franciſcus ad Tarum fluvium progreſſus caſtra locat. Huic incognito habitu interclusis hoſte itineribus (69) Antonius Triultius à Mediolanenſibus magna celeritate miſſus, rogat, polliceturque eadem, quæ pridem Mediolanenſes ad Scaramuciam ſcripſerant; affirmat legatos propediem è Mediolano cum publica fœderis ineundi poteſtate affuturos. At Franciſcus etſi magnis angebatur curis, quod, quibus poſt Soceri obitum imperare ſperabat, ii ſibi imperaturi eſſent, tamen quia cedendum erat tempori, optimum maximeque neceſſarium judicavit, ut ita omnia metiretur & ageret, ita æquo omnia dura perferret animo, ita omnes ſubiret labores, ut Longobardiæ imperium, quod aliquando cum amicitia ac induſtria tum armis ſibi vindicare poſſe non deſperabat, in Venetorum non deveniret poteſtatem, à quorum manu difficillime eripi poſſet. Itaque cœpto in itinere pergenti Orolandus Palavicinus duos ex filiis, quos maxime probabat, obviam mittit, qui adventum congratulentur, operam ſuam, quantacumque ſit, polliceantur, in hoſpitium deducant, & quid fieri velit intelligant. Franciſcus lætus gratias agit, ac talium virorum ſtudio majora ſperans, cum omnia conſilia ſua aperuiſſet, una pranſus recreatis copiis omnium rerum copiâ ab iiſdem large ſubvectâ, diſtributaque equitatus parte per ejuſdem Orolandi Oppida in hiberna miſſis Florentiolam, & ad reliqua Picininorum Oppida, quæ proxima erant, qui oppidanos hortati, quos ut oſtendimus Placentinorum mutatio terruerat, in fide continerent, Cremonam cum uxore proficiſcitur. Et die poſtero ponte, quem partim ligneis columnis, partim lintribus in Pado flumine ſummo ſtudio Philippi ſumtu ædificandum curaverat, exercitum in Cremonenſem trajicit agrum: eique adjungit quingentos & mille circiter ex Faventinis copiis equites. Qui, cum Piſleonis ſibi conſiſtendi nullus eſſet locus, timore territi Cremonam venerant, ac inter duos amnes, qui è regione ejus Urbis inſulam quamdam efficiunt, ſtationes ſibi delegerant. Poſtridie verò ejus diei aſſumtis ſecum paucis militibus, quos tantummodo præſidii cauſa in itinere penes ſe volebat, ne Picininis pavori eſſet, Piſleonem contendit. Quo ubi venit, exploratis rebus reperit omnes ingenti urgeri timore, & Franciſcum Picininum variis fluctuare curis. Nam ob antiquas inimicitias ſibi à Franciſco Sfortia metuens, ſecretò de rebus ſuis cum Venetis agere cœperat; tantuſque eum faſtus invaſerat, vel dementia potius, ut cum iis paciſceretur, Cremonam ſibi, Cremamque, quo paulo ante Jacobum fratrem cum parte copiarum miſerat, dari debere. Eoque jam res deducta erat, ut non longe abeſſet à poſtulatis. Hunc igitur Franciſcus Sfortia ita animo labantem miti oratione confirmat, ac multa de optimo ſuo erga eum animo, præteritis omiſſis injuriis, pollicendo metu levat ac liberat. Ceteroſque item, qui cum eo erant, bene gerendæ rei adhortatione ſanat, ſibique conciliat.

Deinde qua ratione, quove initio bellum adversùs hoſtes pro Reipublicæ Mediolanenſis commodo ſuſcepturi ſint, conſultant. Eodem die Franciſcus Cremonam reverſus, invenit legatos Aloiſium Boſſium & Petrum Cottam à Mediolanenſibus miſſos: quorum interventu cum Mediolanenſibus ipſis res ejus conditionibus iiſdem, quibus cum Philippo convenerat, compoſita eſt, unâ modò adjectâ, quod ſi, dum pro Mediolanenſibus Franciſcus bellum gerет, Brixiam capi contigerit, libere Franciſco pareat; ſi & Veronam, Brixiam Mediolanenſibus dimittat, Veronam retineat. His confectis rebus circa Nonas Septembres per Piſleonis pontem Franciſcus in Laudenſes tranſit. Piſleo enim nuper in Mediolanenſium pervenerat poteſtatem, Petro Vicecomite oppidanorum & Antonio Cribello arcis præfectis ejus deditionis auctoribus. Dein Franciſcum Picininum Jacobo fratre Cremæ relicto, & Caroli milites ſibi aſciſcit, & non longe ab Addua eo die conſedit. Ejus tranſitu mox Maledani & Coroniates municipes à Venetis deficiunt, & miſſis in caſtra nuntiis deduntur. Per eos dies hoſtes ad Caſale Poſterlingorum caſtra habebant & Arcellam quamdam, quam Jacobus Imolenſis, cujus erat ager, ſervandam curabat tormentis tum deficientibus, obſidione ac comminatione obtinere conabantur. Hæc ubi Michaël, Venetorumque legati ab exploratoribus cognoſcunt, diffiſi viribus relicta Arcellæ obſidione Laudem repetunt, & non procul ab Urbis mœnibus ſtationes firmant. Dehinc etſi hactenus poſt Caſalenſem pugnam, contemtis Philippi militibus, Veneti per patentes campos nullo ordine vagabantur, paſſimque impune peragrarant, percurrerantque, tamen hoc Franciſci novi imperatoris adventu ejus auctoritate moti, eodem ferme militum numero, quo ea tempeſtate pro Philippo geſtum eſt, loca tuta ac munitiones quærere, & incurſionibus abſtinere cœperunt. Adeò incredibilis ille impetus rerum, victoriarumque concurſus, quo Veneti magnopere læti ela-

(69) MS. advenit Antonius Triultius, à Mediolanenſibus magna celeritate miſſus. Qui poſt Philippi obitum, unaque cum illo Theodorus Boſſius, Georgius Lampugnanus, & Innocentius Cotta, ad excitandum Mediolanenſem Populum ad ſeſe in libertatem vindicandum, principes extiterant, magnamque proinde in Civitate ſibi auctoritatem ſumſerant. Is rogat &c.

elatique brevi se totius Longobardiæ imperio potituros confidebant, uno die repressus est. Nec ab re quidem spes eorum fuerat, quippe quòd post Laudensium Placentinorumque deditionem, non defuerint Papienses cives nonnulli, qui temerario quodam ausu & Guelfæ factionis studio eorum castra adierint, aditumque in Urbem daturos se Venetis polliciti fuerint. Postridie verò coacto undique exercitu Franciscus recto apertoque itinere in hostium conspectu Sanctum Columbanum petit, quod Oppidum præter Lambrum est amnem. Ibi castra ponit, facileque omni ex parte Oppidum Arcemque circum sedet, quod ea res, & latus unum castrorum ripis fluvii muniebat, & ex altera parte, quæ ad meridiem & occidentem essent solem, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus à Papiensibus & transpadanis Oppidis, ut sine periculo eo comportarentur, efficiebat. Quibus rebus permoti hostes, quo obsessis subveniant, parta tueantur, & superioris victoriæ nomen retineant, Bergomensibus, Brixianisque delectum imperant. Milites, qui castris aberant, undique cogunt, exercitumque quam magnis possunt copiis augere die noctuque non cessant. Idemque Franciscus pro facultate sua facit. Mediolanenses quotidie hortatur, ut copias, quæ Philippi Ducis fuerant, conducant; exercitum quoque suum augeant. Quod tamen ægre admodum pecuniæ inopiâ efficiunt. Nam post Raymundi cum regiis copiis recessum Albertus Pius Carpensis, qui primus Papiense septum, quod summo Philippus studio voluptatis gratiâ magno animalium silvestrium numero refertum servari curaverat, cum suis confluente undique magna vi hominum populari cœpit, bestiisque vacuum reliquit, Carpum remigraverat. Multi præterea non tam milites quam ductores aliena quærentes stipendia, Longobardiâ excedere. Quorum multi ad hostes paulatim transiere. Quod quantum Mediolanensis Reipublicæ, communisque salutis interesset, Mediolanensibus & belli gerendi imperitis, & reipublicæ gerendæ insuetis demonstrare non mediocriter elaborabat. Erat Bartholomæus Collio, ut supra demonstratum est, Modoëtiæ in arce, quem superiore Anno ob fugæ suspicionem Philippus comprehendi jusserat, ejusque bona Papiensi in arce servari, milites verò Nicolai Guerrerii curæ commendarat. Is cum post Philippi decessum humanius mitiusque per præfectum arcis servaretur, occasionem sese in libertatem dandi nactus, per funem noctu lapsus, carcere se eripuit, cursuque celeri per Landrianum Vicum, ubi sui forte milites stativa habebant, Papiam confugit, quem magna suorum pars subsecuta est. Hunc, suis ab insequentium incolarum furore servatis Francisci rogatu à Papiensibus exceptum, Mediolanenses Francisci quoque hortatu stipendio conducunt. Copiarum reliquum restituunt atque resarciunt. Cum hæc ad Sanctum Columbanum agerentur, fiebat à Papiensibus quibusdam Civibus quotidie Franciscus certior, eorum Civitatem factionis studio duas esse in partes divisam, civilibus magnisque dissensionibus laborare, nec diutius suis consiliis regi servarique posse. Ejus rei hanc esse præcipuam causam, quod consultantibus sæpe

A inter sese civibus de publicis rebus, & in quem potissimum Civitatis principatus commode transferri posset, varias in sententias ferebantur. Quas ob res crescentibus in dies odiis non sine magno omnium discrimine respublica administrabatur. Nam alii ut quisque pro affectu animi trahebatur, Carolum Francorum Regem, alii Ludovicum ejus primogenitum Delfinum Viennensem, qui cum in Allobrogibus esset, eo legatos miserat ad explorandos de deditione civium animos, præponere. Alii Ludovicum Sabaudianorum Ducem. Plerique Johannem Montisferrati Marchionem. Leonellum Estensem alii, cujus jussu Albericus Maleta eodem venerat, optare, nominareque. Alii sed

B perpauci admodum potentissimo finitimoque sibi Venetorum dominatui Urbem commendandam dicere. Mediolanensium verò postulatis, ad quos legatos misissent, nemo erat, qui assentiendum putaret. Quibus controversiis in Civitate vigentibus cives nonnulli quorum primus Sceva Curtes, vir ingenio promtus & animo audax, Francisco cujus esset domesticus, quod ejus familiaritate in Piceno fuisset usus, secretè literis nuntiisque frequentibus persuadere, ut ad potiundam Papiensium Urbem animum mentemque verteret, seque illi aditum per portam, quam ipsi in manu habebant, daturos polli-

C ceri. Hæc Francisco diu multumque volutanti plura occurrebant, quæ eum magnopere deterrebant, quominus negotium susciperet. Primùm, quod sciebat, si id fieret, Mediolanenses molestissime laturos, à quorum amicitia eo rerum statu discedendum non putabat. Deinde quod Arx in Bolognini adhuc esset potestate, quem cùm sub Braccii Perusini adolescens militasset armis, Braccianoque deinde favisset nomini, minime sibi obsequentem futurum existimabat. Ex quo quia res posset in summum deduci periculum, negotium in diem ducendum, amicosque verbis distinendos censebat. Ea re vix dum

D constituta, Bolognini inopinantem Franciscum secreto nuntius adit. Ex eo optimam illius de dedenda Arce erga se voluntatem cognoscit. Qua re rursus in consilio communicata, etsi in eadem qua paulò ante erat sententia persistendum sibi videbatur, tamen suorum impulsu ne dum hortatu ne tantum insperatæ oblatum fortunæ munus negligeretur, quæ quidem res facile postea ad vindicandum sibi reliquum Philippi imperium præbitura esset iter, missus est ab eo tamdem ad Arcis præfectum Boscar unus è familiaribus. Qui biduo post exacto ita sibi refert, Bologninum Agnetis Maynæ matronæ præstantissimæ multis continuisque com-

E pulsum precibus, Arcem, cui præesset, libero sibi animo tradere instituisse. Duo tamen ab eo petere, unum ut in Attendulam familiam adoptetur, ut sicuti hactenus Braccianæ factionis habitus esset, ita in posterum & nomine Sfortianus haberetur nuncupareturque, alterum, ut quandocumque Sancti Angeli potiundi Oppidi affuerit potestas, Comitatus dignitate insignitus eo Oppido donetur. Hæc autem mulier ex nobilissima ac vetustissima Mayna gente orta, ea fuit, ex qua Blancam Philippus Dux filiam susceperat, quæ per id temporis, quo Philippus ipse emi-

emigraverat è vivis in Papiensium urbicula illius jussu agens, urbiculâ ipsâ per Franciscum Casatem præfectum Papiensibus traditâ, impetum Populi verita ad Bologninum in Arcem confugerat, & majorem militaris præsidii partem in suam sententiam traxerat, effeceratque, ut præfectus maximis cum Mediolanensium & Picininorum, tum etiam Venetorum pollicitationibus prætermissis de permittenda Genero arce sibi morem gereret. Præterea esse in Civitate eâ complures, qui perspecto singulari Arcis præfecti in eum amore, ad se dum Papiæ esset, per noctem accessissent, eodemque se fore animo ad Urbem dedendam dixissent, quo de Arce Bologninus esset futurus, Scevamque cujus modò mentionem fecimus, ob patefactum in vulgus portæ facinus ingenti Populi tumultu comprehensum, ac torquendum in vincula conjectum, incolumem in pristinam libertatem restitutum. His de rebus Mediolanenses certiores facti ad Franciscum legatos mittunt Guarnerium Castilioneum magni consilii virum, Oldradum Lampugnanum, & Antonium Triultium, quem paulò ante in castra missum diximus. Qui paucis eum verbis hortarentur, ut quemadmodum promisisset, ita curaret, ut Urbes atque Oppida universa, quæ Philippo novissime paruerant, suo consilio atque ductu Mediolanensium subigerentur imperio. Ad hæc Franciscus, quod ad se pertineret, libenter se facturum respondit, modò quæ jussissent Mediolanenses, à belli gerendi ratione non discederent. Nam ita instituisse Papienses se accepisse affirmabat, ut nullo umquam consilio adduci possent, quandoquidem hoc tempore secum armis contendendum non esset, quo Mediolanensium obtemperent voluntati, civibus inter sese divisis, quemque pro animi affectu novis rebus studere. Novo, cui pareant, Principe necesse esse. Complures se audire non tam Italici generis, quàm exteræ gentis potentissimos Reges atque Principes, Populoque Mediolanensi infestissimos, qui summo studio, summisque & publice & privatim propositis muneribus ad præoccupandum eripiendumque nobis nobilissimæ illius Urbis principatum intendant. Quod si fieret, quanti momenti Mediolanensis Reipublicæ interfit, facile omnes ex propinquitate agri multarumque rerum usu perspicere posse. Aperuitque deinde se posteaquam eo cum exercitu venerat, potuisse dedentibus sese ultro civibus ac præfecto Arcis, Urbem ipsam simul & Arcem suo præsidio munire, quæ nunc sua tenerentur potestate. Sed Mediolanensium causâ rem adhuc distulisse. Verùm quia res Papienses pro Mediolanensium voluntate componi nequaquam possent, non alienum hoc tempore à rerum gerendarum usu arbitrabatur. Quinetiam eorum reipublicæ commodo, communique omnium saluti pernecessarium videbatur, eos precari, quod pro sua modestia ita apud suos magistratus, cùm Mediolani fuerint, agere vellent, quo Papienses prius in alienam quàm se præcipitarent ditionem, suam in potestatem recipi posse, æquo animo paterentur. Quæ quidem res cum non modò fortunas ejus omnes, sed ipsum etiam caput pro Mediolanensium gloria, proque suarum rerum amplitudine sit expositurus, non minorem

A eorum Reipublicæ erat utilitatem allaturam, quàm si Mediolanensium dicto Papienses audirent. Ostendit præterea esse apud Papienses præfectumque Arcis bellica instrumenta omnia, quibus in bello Philippus tam terra quàm flumine Pado uti consueverat, sine quibus præsenti bello, cujus tota ferè moles suo impendebat capiti, minime fieri posse animadvertebat. Nam neque ipsum Oppidum, quod circumsederent, expugnare sine machinis, neque hostes in Placentinos transitu sine classe prohiberi poterant. Hæc omnia si sibi Papienses paruerint, quamprimum Mediolanenses consecuturos. Hæc omnia etsi legatis non grata erat oratio, tamen Mediolanum

B redeuntes se ad suos omnia relaturos dixere.

Interea Papiæ communi omnium Civium consensu re de Urbis deditione constituta, non multo post legatorum discessum, octo ex primariis Civitatis ad Franciscum in castra de publicis transigendis negotiis mittuntur, Laurengus Isymbardus, Albericus Maleta, qui paulò ante, ut prædiximus, Papiam venerat à Leonello missus, Johannes Jacobus Ricius, Petrus Beccaria, Antonius Lonates, Johannes Antonius Astulfus, Johannes Franciscus Botigella, & Jacobus Zazius. Ceterum dum hos Franciscus perbenigne & summo honore inter quotidianos labores, &

C mille rerum incommoda suscipit, à speculatoribus cognoscit, hostes infestis signis eodem contendere ad dimicandum paratos. Quo nuntio protinus omnes armari, & suis quemque locis intra castrorum munitiones acie consistere jubet. Carolum Gonzagam qui paucis ante diebus cum Guidone Faventino ejus socero in castra venerat, turmâ equitum delectâ trans Lambrum ad lacessendum hostem mittit; reliquos castris continet. Obsessi verò ubi suos ex longo prospectu appropinquare, in castris arma misceri, & huc atque illuc concursari intuentur, magnos in cœlum læti clamores tollere, & quod antea languide fecerant, nunc acriter in nostros

D stationesque militum tela, lapidesque conjicere cœperunt. At Michaël ubi neque loco Franciscum cedere, neque copias ad prœlium conserendum castris educere videt, in stationes, qua venerat, regreditur propius Lambrum passus circiter quingentos, ea potissimum opinione ductus, quod cùm Venetorum exercitus, ut ostendimus, magno copiarum numero crevisset, Mediolanensium verò nedum non auctum, sed diminutum potius intelligeret, hostem viribus imparem tantum impetum nequaquam exspectaturum putaret. Sed si forte exspectaret, & pugnandi copiam existimationis retinendæ gratia faceret, aut munitionibus fretus castris se

E contineret, eo consilio castris discesserat, ut in utrumque seu ad confligendum apertis campis, seu ad flumen vi transeundum, & in hostium munitiones irrumpendum sibi esset paratus animus. Sed ubi hostem instructa acie castris se continere cognoscit, alterum, quod paulò ante sibi offerri optabat, detrectavit oblatum. Parum tamen eo die defuit, quin nonnulli ex Papiensibus legatis advenientibus hostibus ingenti pavore territi, infectis rebus, fugam petierint. Sed Francisci virtuti non diffisi, quem non timentem, sed impavidum, intrepidumque omnia sapienter obire

obire conspiciebant, restitere: ita ut & ipsi quoque circumspiciendi studio in frontibus aliquando essent, & admirati imperatoris in instruendo ordinem, in cohortando, admonendoque milite verba, in mittendis varias in partes nominandis, vocandisque uno tempore multis memoriam, vocem in accersendo increpandoque terribilem, & omnium ejus dicto audientium celeritatem, dicerent, non posse quempiam eo duce decipi, & in perniciem labi. Idem affirmare atque prædicare non tam milites, quàm duces militum, qui superiore tempore sub Philippo stipendio meruerant. Postero die legati postulatis pro voluntate impetratis, rebusque de Urbis traditione firmatis, domum reverterunt. Cum his Franciscus Robertum Sanctoseverinatem & Carolum Campibassi Comitem Vicarios misit. Hi ab universo Papiensi Populo incredibili pæne gaudio excepti communitis militum præsidio portis omnibus regimen Urbis curamque suscepere. Bolognînus verò Francisco Arcem, & quicquid in ea esset supellectilis, servaturum profitetur, eamque nisi Francisco ipsi, quem intueri coram vellet, se traditurum nemini, Deum immortalem testatur. Columbanenses inter hæc obsidionis angustias difficultatesque ceteras amplius perferre nequeuntes, re præsertim de subsidio desperata, deduntur. Qui autem præsidio Arcis præerant, deficientibus in dies cibariis, de deditione & ipsi quoque agere cœperunt. Itaque nisi intra octavum diem, quo tempore dimensa cibaria, quæ essent in Arce, vix defensorum victui suppeditarent, auxilia mitterentur ejusmodi à suis, ut obsidione liberarentur, dedituros se Arcem paciscuntur; obsidibusque datis, ubi nihil inde opis præstari sibi posse cognoverunt, ante præstitutam diem sese atque Arcem Francisco permisere. Ceterum dum per inducias tempus in castris consumitur, Franciscus summâ imperii Picinino Faventinoque relictâ, cum paucis ex suis insuetis armis Papiam proficiscitur. Acceptusque maximo omnium concursu, maximaque lætitia primum Cathedrale Beati Syri Templum ad gratias Deo Optimo Maximo agendas petit. Dein ad Arcem vertit, moxque introductus, præcipuo quodam amore singularique fide à Bolognino recipitur. Qui nulla circuitione exceptioneque usus, quod ultro pollicitus esset, amplissime præstando, sese simul & liberos dedidit, dicavit, Arcem & quicquid in ea esset rerum, quod Philippi fuisset Ducis, tradidit. Erat enim Bolognînus mitis ingenii, non multi tamen negotii, sed probitatis & fidei plenus. Postero die in eodem Templo per eosdem cives, quos in castra legatos venisse diximus, rursus ad id negotii per Populum constitutos omnis Civitatis potestas, jusque in Franciscum ejusque posteros pleno jure transfertur, eumque Civitatis Principem publico diplomate declaratum, Catone legum peritissimo orante pro Urbis institutione ac dignitate Papiensium Comitem appellant.

Exinde protinus à cunctis consalutationes fieri, & de servanda fide jusjurandum præstari. His peractis ad ineundam Civitatis gratiam Jacobum Lonatem & Moretum Sanctonazarium, viros fortes & magno ac diuturno belli usus præstantes, qui mortuo Phi-

A lippo acciti præsidio suæ Civitati venerant, mille cum equitibus suæ militiæ adjecit. Deinde quoniam & Mediolanenses & Ludovicum Sabaudianorum Ducem à duabus partibus contrario studio in eam Papiensis agri oram, quam Lumellinam vocant, & in transpadanos ad solicitanda de deditione municipia & oppida uno atque eodem tempore misisse intellexerat, eo & ipse legatos Albericum Maletam, & Johannem Jacobum Ricium mittendos celeriter designat. Quorum præsidio Jacobum & Moretum cum his mandatis proficisci jubet, ut qui obtemperarent Civitatis imperio municipes in fide continerent, eosque ab exterorum injuriis

B tuerentur, infirmos animoque vacillantes ad sanitatem reversos confirmarent, rebelles & nondum alienæ potestati deditos in ditionem redigere conarentur; iis autem, quos seu ad Mediolanenses, seu ad Sabaudianum defecisse compererint, nullam vim nullamque injuriam facerent, quod per eam tempestatem neque cum Mediolanensibus de his rebus contendendum, neque bellum Sabaudiano inferendum videretur. Præterea cùm ad eripiendam Venetis, quam haberent commeandi in Placentinos facultatem, optimum factu judicasset, classem parari & in Pado flumine constitui, quatuor continuo, ut vulgo appellant, Galeones ex iis qui Papiæ

C asservabantur, suo sumtu armari, quod Mediolanenses, ad quos omnis belli ejus impensa pertinebat, ad res conficiendas admodum tardos videbat, ac è regione Placentiæ Urbis in ipso flumine ad prohibendos transitu hostes stare imperat. Sunt autem Galeones triremibus breviores, sed latiores ac sublimiores. Surgunt namque in tabulata ad summum puppibus & proris altius sublatis. Aguntur tum velis tum remis fluminum navigationi solùm accomodati, feruntque super malos latiores pluteos, ex quibus armati homines jaculis, sudibus ferreis, & omni telorum jactu acriter subjectos oppugnant hostes. His præfecit Bernardum & Philippum

D Eustachios, quibus Ricium Tarentinum cum peditibus quingentis præsidio adhibuit. Hæc cum pro tempore celeriter providisset, Arcem, etsi qualis quantaque esset, solo aspectu dimensus erat, tamen diligentius pedibus revisit. Ubi hæc præter cetera, quæ ad domus ornatum pertinent, summa à Bolognino cura reperit asservata; Reliquias in primis Sanctorum Corporum quamplurimas, & summa veneratione dignas, quas Johannem Galeatium Vicecomitem primum Mediolanensium Ducem, amplissimi imperii potentia inclytum, ex omni ferè terrarum Orbe singulari studio eo congessisse ferunt.

E Multa item præclara ac pretiosa argentea & deaurata vasa Altaris ornatui accommodata. Bibliothecam omni librorum genere amplissime refertam ab eodem Principe comparatam. Deinde septem & decem aureûm nummûm millia. Gemmas, aurum, & argentum, quæ ad summam omnia Ducatorum millium decem pretio constare æstimabantur. Ex his millia omnino decem pro se Franciscus retinuit, reliquum Bolognino, ut in eum liberalitate & munificentia uteretur dono relinquendum constituit; ex quibus millia quinque à Bolognino ipso in milites, quos in Arce socios habuerat, distributa,

Præ-

Præterea magnam tritici, salisque vim, quam quidem postea in argentum coactam in exercitum divisit. Bona verò, quæ Collionis fuerant, eidem postremo restituenda imperavit. His rebus feliciter gestis, lætus cum de Papiensibus verba faceret, admirabatur propemodum Urbis situm, regionum opulentiam, civium ornatum atque præstantiam, Arcis magnitudinem ac pulcritudinem. Quod & fossa altissima ac latissima aqua repleta muniatur, & regiam contineat sedem miro artificio, magnoque sumtu confectam, adjaceatque ab Aquilone planicies æquissima, quem Parcum vocant, de quo supra mentionem fecimus: millia passuum viginti in circuitum patens muro undique circumdata. Quo nisi per portas pontesque ingredi non licet. Quæ quidem planicies partim in pomeria, partim in prata, partim in densas silvas ac nemora, verticibus arborum æquissima, ut quasi manufacta videantur, divisa colitur, ac uno ex Arce prospectu cernitur. Heic Philippo vivente magna erat leporum, damarum, caprearum, cervorum, aprorumque inclusa multitudo. Campus quippe & ad venationes & ad voluptates capiendas aptissimus. Sic igitur rebus Papiensibus constitutis Benedictus Reguardatus & Antonius Guidobonus Civitati præficiuntur. Bolognino homini benemerenti rursus Arcis cura committitur, & prædium insuper ferax & apricum, quod vulgo Beleguardum nuncupant, cum Arce & domo pulcra usque dum Sanctum Angelum Oppidum recipiatur, à Francisco possidendum decernitur. Ipse triduo post eo quam venit in castra revertitur.

Explicit Liber Nonus.

INCIPIT LIBER DECIMUS.

CUm esset in castris Franciscus, perlatæ sunt ex Mediolano literæ, quibus quam graviter eam Papiensium deditionem Mediolanenses ferant, cognoscit, atque ex ea re omnes magistratus Civitatis, quibus Reipublicæ summa erat curæ, ita permotos esse, ut cum multum ac diu inter sese disceptassent, satius esse dicerent, pacem eo statu rerum cum finitimis facere, quàm & in ancipiti bellorum eventu versari, & in ducum præscriptu atque arbitratu, quos maxime non satis sibi fidos fore suspicarentur, Rempublicam administrare. Et tanta adeo eos animorum irritatio cepit, ut Petrum Cottam repente in Venetorum castra non ad petendam solum pacem; sed ad ineundum etiam fœdus secreto miserint. Verùm ubi à Venetis despici, & in insidias perniciemque duci, si eorum postulatis assentiretur, Petri verbis animadverterunt, & à tribus reliquis partibus socias Civitates quatuor uno tempore premi intelligunt, quibus ex fœdere à se subsidia mitti oportebat, rem Papiensem æquo animo ferendam censent, cum Francisco simulandum, eumque in officio continendum. Novi namque sub idem tempus in Longobardia motus fieri, nova ac varia undique bellorum incendia ab exteris præsertim gentibus excitari quotidie renuntiabantur, quæ non mediocriter Mediolanensium mentes & perturbabant & perterrebant: quod nisi à se tantis malis brevì occurreretur, omnia summum in periculum casura facile perspicerent. Quod uno fere tempore Leonellus Estensis Castellum Novum, & Cupriacum, Nicolaus Manfredus, & Gilbertus Corrigiani fratres Brixellum Oppidum in Parmensibus occuparant. Parmam Leonellus in suam redigere dicionem multis pollicitis præmiis iis, per quos res agebatur, per Vitalensis factionis principes non desistebat. Genuenses Jano Fregoso Civitatis Principe magnis pedestribus coactis copiis, quibus Petrum Fregosum cum parvo equitatu præfecerant, Apenninum transierant. Flacconum, Voltabium, Vuadam, & Novas, Oppida dedentibus sese oppidanis sibi asciverant. Quibus rebus fiebat, ut omnia ab ea parte, quæ Derthonensis & Alexandrini est agri, & ad Apenninum Montem pertinent, hostilia essent & metus plena. Sabaudianus item legationibus primum, paulo deinde post præfectis cum delectu copiarum missis, municipes non tam Novariensem & Papiensem, quam Alexandrinum agrum incolentes, magnis pollicitationibus de gravibus tollendis oneribus, quæ hactenus ægerrime sustinuissent, propositis, ad defectionem solicitabat, bellique insuper timorem, nisi se dedidissent, gravem minando addebat. Ex quo quamplura earum regionum Oppida partim spe quod à vectigalibus fierent in reliquum tempus immunia, quæ res grata semper fuit omni Populo, & ubique in primis desiderata, in suam voluntatem perduxit, partim metu ad obsequia compulit. Quorum primi Valentini, Bassinianenses cum Burgensibus sibi è regione propinquis fuere. Nec minus Johannes Montisferrati Marchio militaribus deficientibus copiis, Guilielmo fratre cum Venetis merente, ut erga se idem facerent, omnes sibi proximos incolas, qui Philippo obtemperabant, tum literis tum nuntiis solicitabat. Quorum permulti ex Carreta, Scarampa, & Spinula familia, qui multa in regione finitima possidebant municipia, ea solicitatione victi sese Johanni commisere. Ceterum majus aliud & periculosius in Alexandrino agro ortum est, non minus quam Venetum, Mediolanensibus pergrave & infestum non tam propter exercitus magnitudinem, qui ex duorum millium equitum numero ad summum constabat, aut ducis auctoritatem, quæ obscura & minima erat, quàm propter regium Francorum nomen apud Longobardam gentem admodum celebre & factioni Guelfæ pergratum, cujus causa & auspicio bellum gerebatur. Ejus verò tam subiti Gallici belli origo hæc fuit. Philippus post acceptam Casalensem cladem cum à Venetis ingenti exercitu, ut supra demonstratum est, graviter urgeretur, & uti externis auxiliis decrevisset, ad Carolum Francorum Regem Thomam Thebaldum Bononiensem, cui præcipue & ob prudentiam & longam consuetudinem confidebat, mittit, per eum Astensem se Urbem totiens ab eo efflagitatam restituturum pollicitus, quæ ad Carolum Aurelianensium Ducem utrique consanguinitate conjunctissimum dotali jure pertineret, sine qua ab eo Rege ea præsertim temporum fortuna rerumque iniquitate nihil se impetrare posse arbitrabatur. Rediit Thomas persuaso Rege multis post mensibus in Italiam, ut quod de Urbe pepigisset, efficiendum curaret. Mox Carolus Rex misit ullo absque præsidio Raynaldum Dresnensem legatum recipiendæ muniendæque tantummodo Urbis causâ. Quod cum intellexisset Philippus, mirum in modum perturbatus statuit Urbem nequaquam dedendam, nisi promissa à Rege auxilia pugnatorum decem millium in Italiam pervenisse cognovisset. Quæ Rex non revocaturum se promisisset, nisi Venetis non tam ultra Adduam, Oliumque, sed trans Mincium etiam amnem pulsis, Bergomo, Brixiaque recuperatis. Interim ne omnino Regis animus offenderetur, Urbem Thomæ cum arcibus ea lege Philippus assignandam jussit, ut cum primum adventasse in Italiam copias renuntiaretur in regiam transferret potestatem. Verùm paulo post Idibus Sextilibus Philippus mutato consilio ad Thomam scribit, Urbem tamdem ipsam sine cunctatione regio legato traderet. (70) Literis summa celeritate delatis postero die Thomas deditionem peregit, ac sequenti nocte Philippus migravit è vita. Unde oblatam puto nonnullis occasionem insimulandi Thomam, quod Urbem Gallis post sui Ducis mortem tradi-

(70) MS. Quam quidem traditionem quum biduo post Philippi mortem factam constaret, Thomas graviter à Mediolanensibus insimulatus, locupleti literarum ad se scriptarum testimonio eam facile à se culpam &c.

tradidisset. Ipse vero tabellis ac monumentis publicis eam facile à se culpam rejecit. Non abest tamen suspicio, quin Philippo semianimi, voce jam amissa, literæ eorum dolo confectæ sint, qui apud eum erant, quorumque nutu rerum omnium administrationes transigebantur. Itaque Philippo vita functo, Astensiumque Urbe magno civium omnium consensu in Caroli potestatem accepta, Raynaldus regia institutione ejus civitatis præfectus, quantas pro Regis commodo equestres copias potest, Viennensibus, Lugdunensibusque imperat. Per proximas interim regiones literis nuntiisque dissеminat atque promulgat, relictum à Philippo Duce imperium ad Carolum Aurelianensem ejus sororis filium successionis jure pertinere: esseque omnino Carolo Regi in animo fratrueli in suo jure auxilio non deesse. Copiis igitur celeriter in Italiam accersitis, & in Astensium fines perductis, magno impetu Alexandrinum agrum omni militum præsidio destitutum invadit. Sezadium vi obtinet atque in prædam vertit. Qua re municipes ceteri partim metu territi partim benivolentia ducti, presertim qui Guelfæ factioni studebant, nullo negotio deditionem præter Boscenses regio præfecto fecere. Quorum exemplo complures Alexandrini cives adducti, qui Bergolium ultra Tanagrum amnem incolunt, ac ex quatuor partibus Civitatis unam partem obtinere dicuntur, ad Raynaldum defecere.

Hæc tam repentina rerum mutatio, & Alexandrinorum ad Gallos defectio tantum non reliquis modò Alexandrinis civibus quam universæ prope transpadanæ regioni pavorem intulit, ut omnes partium earum incolæ, Derthonenses præsertim cives uno fere tempore ad Franciscum nuntios miserint imploratum auxilium, quod nisi ad eos celeriter subsidia mitterentur, diu se adversùs ferocissimas immanissimasque Gallorum gentes nullo militari præsidio adjuti tueri posse diffiderent. Nam tanta erat apud vulgus Gallicæ crudelitatis innata opinio, ut vix homines imperiti ac ex se pavidi & assiduo etiam mulierum comploratu impulsi contineri possent, quin plerique concilia inirent, & Magistratuum suorum injussu ad sese Gallis dedendum obviam progrederentur. Quibus ita Franciscus respondebat, se eos bono esse animo jubere. Gallos non diutius in Alexandrinos futuros. Mediolanenses ea propediem missuros auxilia, ut in quo nunc periculo positi viderentur, liberati in pace vivere possent. Idque se pro communi omnium salute atque commodo, ut quamprimum efficiatur, curaturum. Proinde eos hortari, ut in fide permaneant. Gallos (71) primo impetu esse plusquam viros, mox minus quam feminas docet. Eadem de causa cum Mediolanum Alexandrini cives, Salensesque misissent, qui nuperrime deditione facta sub Mediolanensium vivebant imperio, intelligeretque Franciscus ex multorum literis edoceri à se maxime Mediolanenses cupere, quo consilio quove auxilio suorum saluti, qui essent in extremo periculo constituti, prospiciendum esset, scripsit ad eos, ut quo majore militum præsidio possint reliquam Alexandriæ Urbis partem, quæ in eorum fide maneret, muniant. Qua servata se non dubitare, eos occupata à Gallis Oppida brevì recuperaturos, quod & hyems subesset, quæ ei genti laboribus incommodisque insuetæ maxime esset inimica, & illorum paucitas faceret, ut existimatione, quæ magna initio rerum fuerat, in dies diminuta, non multis viribus Alexandrinorum finibus pellerentur. Quo pergrate Mediolani accepto probatoque consilio transmittuntur confestim Alexandriam mille circiter equites ex iis, qui à Philippo & fide & virtute præstantes haberi soliti sunt. Quo præsidio ita Alexandrinorum civium animi præcipue, qui Gibellinæ factionis studia sequerentur, & sublevantur & in Mediolanensium fide confirmantur, ut & ipsi infirmas jam Boscensium mentes, qui soli adhuc Gallorum victoriæ obstiterant, confirmarent, & in officio continerent. Præterea ad Raynaldum Franciscus mittit, qui diceret, Papiensium Urbem sibi ultro à civibus cum universo agro traditam pleno jure suæ ditionis esse, ejusque tutelam deinceps curæ sibi fore. Quamobrem quicquid deinde vel incommodi vel injuriæ Papiensibus inferretur, se id sibi ascripturum, ejusque rei ultionem, quæ ad se maxime pertineret, memoria non depositurum. Idemque de Derthonensibus, qui sese suaque omnia suæ fidei commisissent, commemoraret. Idcirco hortari eum atque monere, ut ab injuria & maleficiò in suis finibus abstineret, cum sibi exploratissimum sit, Carolum Christianissimum Francorum Regem sub cujus auspiciis signisque bellum in Italia gerere cœpisset, ullam sibi à suis molestiam neque velle, neque, ubi intelligat, inferri permissurum; quod pro ejus amplitudine & Andegavensium Familiæ sibi conjunctissimæ commodo patrem suum Sfortiam in Apulis bella gerentem primùm, deinde non suum suorumque modò patrimonium, sed fortunas omnes, quas ipse postea tam in Picentibus quam aliis Italiæ locis magno labore adeptus erat, amisisset. Quod cum audisset Raynaldus, ita singulari ejus viri virtute egregia in universa Francorum regiam Domum fide & summa omnibus in rebus auctoritate permotus est, ut eum potius in regia amicitia confirmandum quàm bello lacessendum provocandumque judicaret, quem maxime Gallicis in Italia cœptis aliquando profuturum speraret. Quamobrem sic nuntio respondit, se quamquam Civitates à Philippo relictas Carolo Aurelianensium Duci hereditario jure spectare intelligebat, tamen ejus causâ neque Papiensibus vim ullam, neque Derthonensibus dum sui sint, aut facturum, aut fieri à suis passurum. Qua re impetrata mittitur Derthonam Johannes Caymus, ut ei Civitati præesset, & Derthonensium agri à populationibus Gallorum immunes sua præsentia servaret. Nam Derthonenses cives posteaquam Mediolanensium dominationem recusare communi consilio decreverunt, Franciscum sibi Dominum elegerunt, ducti ejus po-

(71) MS. homines esse non leones, non ejusmodi feras meminissent, qui mortales primo aspectu atque congressu interimant ac devorent. Caverent, ne se Gallis temere dedant, nequam nunc ab iis pœnam timeant, à nostris postea juste plectantur. Eadem de causa &c.

potissimum in regendo moderatione, in judicando æquitate, & in puniendo mansuetudine. Quas viri virtutes pluribus jam annis degustasse prædicabant, cum ei Philippi jussu per aliquod tempus paruissent. Hos tamen Franciscus ne rursus ob eam causam irritati Mediolanensium animi in præcipitium aliquod corruerent, in potestatem palam accipere differendum statuerat. Hæc dum apud Sanctum Columbanum aguntur Viglebienses Mediolanensibus, & Mortarienses cum majore Oppidorum parte, quæ in Lumellina regione sunt, missis, ut supra ostendimus cum non parva equitum manu legationibus Francisco deduntur. Reliqua ad Sabaudianos deficiunt. Qui ubi ceteros regionis ejus transpadanos municipes aut Francisco aut Mediolanensibus se dedidisse cognoverunt, ab inferendo bello destitere. Idem fecere Genuenses, & qui præter Gallos arma in transpadanis sumserant. His constitutis rebus cum in castris sæpius disputatum esset, recepta Columbanensium Arce, quibus deinceps agris ducendus exercitus, quibusve aut Oppidis aut Civitatibus hostium inferenda essent arma, placuit multis de causis Francisco communi etiam aliorum ducum consensu, ut in Æmiliam ad obsidendam oppugnandumque Placentiam exercitus traduceretur. Quod animadvertebat, si diutius Veneti in ea Civitate dominando inveterascerent, futurum ut perturbatis ac vacillantibus Placentinorum municipum animis, qui nondum Venetorum præfectis deditionem fecerant, tantos sibi spiritus sumerent, ut sine magnis inde viribus pelli non possent. Jamque apparere cœperat, quod metuebat; quod Albertum Scottum, qui suæ factionis in Civitate princeps erat, & Mediolanensibus fidem servaturum promiserat, in Urbem concessisse, ac se suaque omnia Venetis dedidisse intellexerat. Fiebatque insuper quotidie certior, Aloisium Vermium, qui post Placentinorum ad Venetos defectionem in eam regionem suarum rerum tuendarum causâ suis omnibus copiis transierat, ubi pleraque ac permunita non procul Placentiâ municipia possidebat, cum Venetis de suis componendis negotiis secretò agere; à quibus multa ac magna præmia proponebantur, quibus infirmæ hominum mentes in adversa præsertim fortuna interdum corrumpi solent. Qui etsi sæpius in castra accersitus erat, tamen multis difficultatibus propositis, quod requirebatur, id minus à se præstari posse demonstrat. Re igitur decreta, Mediolanensi etiam contradicente Senatu, quod verebatur, ne libero adversùs Insubres hoste relicto ea regio gravius infestaretur, eodem quo venerat itinere movet eo consilio, ut ponte, qui erat apud Cremonam, in Placentinum agrum binis castris toto exercitu trajiceret. Sed nondum positis apud Cotonium castris renuntiatum est per quemdam ex hostium castris secretò missum, ut quamprimum suæ Urbis Cremonæ saluti prospiciat. Quod ad eam Veneti legati capiendam intenti sive per civium quorumdam, sive per Arcis, sive custodum portarum proditionem se ad conficiendum negotium parabant. Franciscus magnitudine periculi permotus, Picinini Faventinique exercitum curæ commendans jubet, ut servatis de custodiendis movendisque castris legibus, postridie in Cremonenses traducerent, locumque castris idoneum docet, seque omnino obviam futurum dicit. Deinde cum paucis celeriter Cremonam per flumen Padum devectus, quod ad Urbis salutem pertinet, impigre conquirendo peragit. Ceterum frequens in castra rumor insequenti nocte perlatus est de adventu hostium eo instructa acie contendentium, qui passuum millia decem ab eo loco aberant, qui etsi, ut postea compertum est, falsus erat, tamen tantum totis castris tumultum excitavit, tantumque omnibus terrorem, eo præsertim absente qui summam imperii tenebat, intulit, ut sine ordine, sine imperio omnia agerentur, nec milites quid agerent, aut quo se verterent, scirent. Et Picininus non minus quàm ceteri incertis auctoribus territus, nullo cum reliquis ducibus communicato consilio juberet tubicinum hac atque illac concursantium vocibus, ut mox omnes collectis sarcinis ad Pisleonis pontem se conferrent. Quæ res & timorem auxit, & tumultum inter noctis tenebras majorem effecit. Nam sic fugæ studio omnia commiscebantur, clamoribusque omnia confundebantur, ut appropinquasse jam hostis, jamque in castris esse videretur. Non multo die cùm omnis ad pontem exercitus convenisset quisque pro se trans flumen salutem petere contendit. Ex ea re ad pontis ingressum non tam carrorum, aliorumque impedimentorum quàm militum frequens congeritur multitudo, oriturque magna non minus verborum quàm verberum vulnerumque contentio. Milites impedimentis, impedimenta militibus pontis aditum impediunt. Alter alteri nimio transeundi studio impedimento est. Franciscus de his rebus ex itinere certior factus citato gradu huc advolat. Instaurantur illico ejus adventu militum animi. Contentiones clamoresque omnes ejus præsentia sedantur. Franciscus admiratus ob incertos rumores tantam rei novitatem eo absente tam cito tam temere factam. Admiratur tantum fugisse exercitum hoste nullo insequente. Indignatus de ignavia duces increpat. Operæ pretium erat, suam unumquemque satisfactionem agere conantem audire. Faventinus orto tumultu, cùm Picininus inconsultis omnibus de repentino discessu jussisset, male gestæ rei consulere non potuisse (72) dicebat. Carolus item omnem in Picininum culpam vomens hominem socordiæ ac desidiæ graviter incusabat, & verbis in eum mordacibus invehebatur. Qui præ pudore summo perfusus rubore, cùm præter cetera vitia, etiam temulentia objiceretur, conticuit. Carolum, Faventinumque Franciscus objurgando ut maledicere deinceps desinerent, admonuit.

Traducto in Cremonensium fines sine strepitu exercitu, castris ab eo ponte non amplius passibus mille locatis, Franciscus ab exploratoribus cognoscit, hostes eodem die ad Cavacurtum, minus à Pisleone Oppido duobus millibus passuum movisse. Paulò deinde post ex perfugis ei renuntiatur, in Cremonenses eum fugere, vulgatam jam esse inter hostes famam, quod nec in Laudensibus neque apertis campis consistere ausus esset, neque ullum tutum sibi locum citra Cre-

(72) MS, neq; se posthac passuri umquam, ut sine Francisco Duce in exercitu relinquatur, dicebat &c.

Cremonam putasset. Ibi flumen sibi munimento parasse. Qua voce vehementer commotus non ferendum existimavit, ut tantum ignominiæ nomen de tanto exercitu, deque tot præstantissimis belli ducibus apud hostes relinqueretur. Itaque convocatis in concionem ducibus, communicatoque consilio, tubicinem (73) in Venetorum castra missum nuntiare jubet, ne quis exercitum aut ducem Mediolanensium timoris & fugæ insimulet, constituisse Franciscum, si Venetis ducibus prœliandi steterit animus, postero die toto exercitu citra Adduam in Laudensi solo æquo utrique parti loco pugnandi potestatem facere. Ubi verò ex tubicinis reditu hostium duces cognitum est alacri animo dimicandi copiam facturos, dat continuo Franciscus operam, ut ex proximis Oppidis milites, quibus præsidio essent, accersantur. Cremonensibus, Cremensibusque delectum imperat. Hos uno tempore omnes in castra convenire jubet, & quantis præterea potest undique coactis copiis in proximam noctem exercitum augere nullum tempus prætermittit. Postea verò quam illuxit, exercitus partem in Laudenses ponte traducit, reliquam, ubi oporteat, accitam subsequi mandat, & mille circiter passus in hostes producit. Idem facit Michaël. Duo sunt, qua utrimque coëundum confligendumque erat, non multum editi colles quingentorum ferè passuum inter se & pari ab utrisque castris spatio distantes. Hi convallem in planiciem equestri pugnæ accommodatam efficiunt. Utrique in suo colle exercitus consistunt. Quibus sese mutuo è regione conspicientibus, duces alter alterius in planiciem descensum committendi prœlii initium exspectabant. Interim pedestribus copiis paucis intermixtis equitibus leviter concertabatur. Ubi verò Franciscus majore jam diei parte consumta hostes neque loco se movere, neque ullum dimicandi signum facere videt, arbitratus id quod erat, non ad conferendam pugnam sed ad quamdam servandæ auctoritatis causâ ostentationem eo usque venisse, ubi tuto ad spectaculum accommodato se tenerent loco: levi eos prœlio in certamen provocare statuit. Nam quod consilio illos recusare animadvertebat, ad id arte, si allicere posset, experiri volebat. Itaque duas delectorum equitum turmas & peditatus partem, quorum numero Jacobus Picininus pugnandi avidus cum paucis ex suis precario est additus, immittit in hostes eo jussu, ut necubi prius starent, quàm in ipsorum hostium agminis conspectum venirent. Horum præsidio alios submittit, quos non procul ab his stare jussit. Hi imperata faciunt. Priores invadunt hostes, pugnaque lacessunt, & paulatim in planiciem trahere conantur. Præter ceteros autem Sfortianos equites, qui ei prœlio interfuerunt, Antonellus Cornetanus, cui ex parvula corporis statura Picinino erat cognomen, animo acer & manu promtus, præclarum eximiæ virtutis cernentibus reliquis testimonium præbuit: quippe qui sese confertissimos inter hostes sæpius intulerit, paucisque adjutoribus sociis primum hostium agmen acriter turbaverit, repuleritque, & magno circumfusus numero propria virtute & equi celeritate egregie rem edendo, & multitudine se explicando, admirantibus cunctis, ad suos incolumis se retulerit. Hostes nihilo tamen secius perstare in summo colle perseverant, neque quod à nostris ad medium fere acclivum progredientibus urgerentur, neque quod in plurimorum conspectu nonnulli ex suis caperentur, loco

B

moventur. Unam hanc solum committendi prœlii speciem eo die Veneti præbuere. Colles, quos diximus, ad meridiem sunt perpetui, & ad orientem duorum cornuum instar in Adduam vergunt. Ab horum superiore collium parte, quæ paulo minus passuum mille continet ambitum, aggressuros se nostros multis agitationibus ostentaverunt. In primis ex turmis equitum multis alam faciunt, & Robertum Bodiensem natione Picentem, virum siquidem fortem, & magnum belli usum habentem, ea nostros adoriri jubent; qui nondum ad lapidis jactum processerat, cum resistere eum, regredique jusserunt. Quod ea de causa potissimum nostri

C

factum arbitrabantur, quoniam verebantur, ne præter voluntatem ad confligendum traherentur. Quandoquidem nostram aciem ex pluribus coactam turmis frequenti alacrique cursu in suos euntem conspicerent, cui Franciscum Picininum & Carolum Gonzagam Franciscus præfecerat, mandaveratque, ut venientes medio peracto itinere hostes invaderent, nec aliter lacesserent, si non lacesserentur. Qui ubi nihil negotii cum hostibus sibi dari vident, rursus inter sese in priores acerbioresque contumelias descendunt. Picininum Carolus ignavum temulentumque appellat. Ille contra Carolum timidum, edacem, garrulumque vocat. Cum sol

D

jam occideret, neque hostem arte ulla æquum in locum ad pugnam attrahi posse Franciscus videt, neque iniquo sibi loco pugnandum censet, receptui cani jubet. Quo signo dato utrique in castra exercitus pœne vespери rediere. Postridie, ut constituerat, Franciscus in Placentinos traducit, & proximo die, qui fuit ad Kal. Octobres unis castris ad passuum millia duo prope Placentiam admovet. Sed quoniam hanc, quam obsidere Urbem properabat, magni esse ambitus, magno refertam Populo, & valido munitam præsidio intelligebat, cuncta prius exploranda quàm propius accedat, arbitratus, biduo ibi morandum sibi statuit. Aloisium Ver-

E

mium primo ad se cum toto ejus equitatu venire jubet, magnumque insuper stratorum numerum universo Placentino agro imperat. Deinde quæ Civitati rerum conditio esset, qui

(73) MS. ad se accersiri jubet. Huic quid fieri velit, ostendit. Qui jussa faciens, quum in Venetorum castra pervenisset, hæc in Michaëlis plurimorumque conspectu clara promit voce. Intellexisse Franciscum Sfortiam, ducum exercitusque Mediolanensium Imperatorem maximum, Venetorum in exercitu ubique jactari, Mediolanensem exercitum, cui ille præsit, ingenti timore territum, in Cremonensem profugisse agrum, ubi tutus sibi magno profluentis Adduæ repagulo intercedente foret locus. Idque ex recentis nocturni itineris testimonio confirmari. Ne igitur in eo maneant errore Venetorum Duces, idque falso suæ auctoritati tribuant, quum ea non fuga, ut ipsi prædicabant, sed profectio sit sponte consultoque suscepta, quæ quorsus se verterit, intelligent postea Veneti, se eo ad id esse missum, ut omnibus suis verbis innotescat, constituisse Franciscum eumdem, si Venetis &c.

qui militum, quive hominum ad sumenda arma idoneorum numerus intus aleretur, quæ regioni natura esset, qui in Placentinorum finibus fidem Mediolanensibus servarent, & qua demum municipes mente secum futuros sperare posset, quod hæc fere omnia sibi incognita erant, summa cura cognoscere studet. Quæ cum satis pro tempore partim ex Placentinis civibus, qui eo venerant, conquisisset, præcipue ex Johanne Anguissola (*) non minus regionis ejus quàm belli perito, cui ob antiquam familiaritatem magnam adhibebat fidem, partim ipse loca peragrando perspexisset, ita comperiebat, quicquid Placentini agri esset præter Vicolenium Alberti Scotti municipium, quem defecisse ad Venetos diximus, Mediolanensibus obtemperare. Municipes partim metu partim voluntario animo ad pellendos Placentia Venetos satis esse propensos. Nobiles, qui in municipiis essent, quorum non parvus erat numerus ex Anguissola, Landa, & Arcella præsertim familia, propensiore quodam ad id motos studio, omni sibi auxilio affuturos. Urbem ipsam in patenti planicie sitam, non amplius passibus quingentis à flumine Pado, sicuti in quatuor Civium factiones dividatur, Fontanam, Scottam, Landam, & Anguissolam; ita quatuor portis distingui. Harum una, quæ ad orientem spectat, divi Lazari porta à Templo extra Urbem constructo denominatur. Alteram, quæ ad occidentem vergit, Viæ Sublatæ portam appellant. Quæ vero à meridie est, à beati Raymundi Fano, quod juxta eam portam intra Urbem existat, nomen capit. Quarta, quæ ad Septemtrionem versa est, Fontis Augusti porta nuncupatur, quam vulgo Fosustam dicunt, quod sacer ac vetustissimus Augusti fons ab ea regione Urbem præterfluat. Qui quidem Fons magna vi aquæ in Padum decurrens commodissimum civibus portum efficit. Ceterum plusquam millia quatuor militum in Urbe erant, in quibus duorum millium erat equitum numerus. Quod anteaquam è Papia ad prohibendos in Placentinos transitu Venetos, ut demonstravimus, Galeones mitterentur, duces Venetorum singuli singulas equitum turmas jussu legatorum eo transmiserant, præsidiumque auxerant. Ex omni autem Civitate, qui ferre arma poterant, amplius millibus delectorum hominum sex. Magnam præterea vim frumenti, magnamque ceterarum rerum copiam, quæ ad alendos tam homines quam jumenta usui erant, eo comportatum. Eamdem insuper Urbem majore quàm ceteræ Longobardorum Urbes, sed paulo tamen minore Mediolani constare circuitu, & vavalidis mœnibus duplicique fossa circumdatam, ac turribus vetustissimis, & propugnaculis pluteisque frequentibus novissime confectis permunitam. Cives quoque cum omni multitudine, qui Urbem Venetis tradiderant, constantissime in illorum fide se permansuros constituisse. Idque sæpius in Veneti legati conspectu jurejurando confirmasse, atque omnia extrema prius passuros quam Venetis fidem fallere. Nam conscientia admissi facinoris ob factam dudum Venetis deditionem, ita eos vexabat, ita conterrebat, ut numquam apud Mediolanenses, quos

(*) MS. Grazanensium Comite, non minus &c.

A suapte natura odio haberent, ullum sibi clementiæ locum invenire posse arbitrarentur. Id circo omnia prius pati velle dicebant, quam aut in voluntariam defectionem, aut in coactam deditionem devenire. Quumque demum Franciscus suum exercitum recensuisset, non minorem pugnatorum numerum eos conficere posse reperit, qui Placentiæ defensioni essent constituti. Accedebat, quod autumnus jam pluviis & imbribus incrudesceret. Quæ omnia cum obsidionem per se duram atque difficilem duriorem diuturnioremque reddere viderentur, tamen eo acriore animo ejus obsidendæ oppugnandæque Urbis negotium suscipit, quo se majorem inde laudem consecuturum intelligebat.

B Per eosdem dies, quibus in Placentinos Franciscus trajecerat, Michaël, & Venetorum legati, quibus nulla res magis erat curæ, quàm ut Placentinos cives in fide continerent, Urbemque usque adeò servarent, quoad classis, quam Veneti summa diligentia ac celeritate Venetiis ædificandam curabant, Pado flumine eo summitteretur, decreverunt, communicato sæpius consilio, præsidium, quod Placentiæ erat, tanto equitum ac peditum numero rursus augere, quo plus in Civitate milites quàm ipsi cives possent, contraque hostium vires mœnia facilius tueri, quod sibi exploratissimum erat, hostem, C nisi ea recepta nequaquam inde discessurum, cùm magnam illum ejus obsidendæ Urbis opportunitatem habiturum intelligerent. Itaque cùm ad Casale Posterlengum in veteribus castris consedissent, magna exercitus parte sumta ad Padi ripam, quæ non longe à Placentia est, contenderunt. Ubi ad trajiciendum paratæ erant naves. Quorum de adventu cùm esset Thaddæus certior factus, cum toto præsidio & magna Populi multitudine Urbe egressus, ad alteram fluminis ripam è conspectu navalis ineundæ pugnæ signum exspectabat. Duo ibi ex sublimioribus Galeones, qui uti ostendimus è Papia venerant, medio flumine in anchoris stabant, D ne quis ea transiret prohibentes. Quod trajectus ibi esset brevior & ad conscendendum naves & egrediendum accommodatior. Reliqui quatuor multo minores, quorum duo nuper è Cremona missi fuerant, partim in superiore, partim in inferiore fluminis parte constituti, tria passuum millia aut paulò amplius inter se distabant. Hos quos diximus sublimiores, quibus Bernardus Eustachius præerat, summo bombardarum colubrinarumque impetu, quas vehiculis eo detulerant, ex utroque litore uno atque eodem tempore acriter oppugnare, & multis flumine armatis naviculis duobusque Galeonculis, qui Placentiæ erant, expugnare cœperunt. At præ- E fectus etsi majore nautarum militumque parte multis confecta vulneribus, nullo temporis spatio intermisso ita in angustum undique conflictabatur, ut jam hostes Musculis quibusdam, quos vulgo Gattos appellant, clavos nostrarum navium apprehendissent, evellereque aditerentur, tamen tamdiu pugnam sustinuit, quoad Philippus nepos, qui erat in superiore fluminis ripa audito frequenti bombardarum strepitu, cum duobus quibus præerat Galeonculis, ei subsidio venit, cujus adventu magno protinus periculo Bernardus li-

liberatus est. Nam nec loco persistere diutius poterat, quin devictus in hostium manus deveniret. Sin verò solvens loco discessisset, liberam transportandorum militum hostibus potestatem relinquebat. (74) Redintegratis igitur viribus, sublatisque anchoris, extemplo hostium classem invadit. Sed illi naves cùm leviores essent, relictis ad ripam fluminis, quæ ad Placentiam pertinet, levioribus navigiis fugientes, se per Augusti Fontem Placentiam receperunt. Præfecti naves fugatis utraque ripa hostibus rescissas fractasque ad imum demergi jusserunt. Hoc prœlio facto, hostes irrito cœptu cùm in stationes rediissent, majore conatu classis pellendæ studio die postero eodem reverti statuerunt. Quo cùm mane venissent, & aliquamdiu nostros ex continenti lacessissent, nec quicquam proficere posse animadvertissent, pugnâ destitere. His cognitis, & omnibus ad obsidionem perspectis rebus, Franciscus, ut decreverat, Placentiam toto exercitu propius accedit, castraque in hunc modum circum mœnia disponit. Suum in primis peditatum ad divi Lazari portam, cui suburbium multis ædificiis frequens subjicitur, ponit. Equitatus passus ab inde quingentos locat. Idque ea fecit causâ, quod tantum ab Urbis fossa equitum tabernacula abesse volebat, quantum ad instruendum extendendumque agmen, ubi opus esset, sufficere posse arbitrabatur. Præterea erumpentibus ex munitissima rerum omnium Civitate hostibus, quod crebro facturos existimabat, ita prospiciendum censebat, ne primo impetu in equitum stationes prosilire possent. Quæ si procul à mœnibus sint, quum haud longius ab obsessæ Urbis munitionibus progredi plerumque milites ausi fuerint, id minus fieri posse judicabat. Carolum deinde cum suis ad Fontis Augusti portam eodem ferè intervallo stationes firmare jubet: cui quo ibi tutius permaneat, nonnullas ex Sfortiano equitatu turmas adjungit. Picininum, Faventinumque ad beati Raymundi, & Vermium suis postremo copiis ad Viæ Sublatæ portam, quem magna insuper auget militum manu ex iis, qui sub iisdem Picinino & Faventino merebant, considere imperat. Ceterum quia ipsa inter castra magna intercedebant spatia, aquæductibus fossisque agrorum compluribus impedita, hæc confestim æquari, patentesque vias, quæ in Urbem ducunt, fossâ intercidi, & aggeribus repagulisque obstrui jubet. Quod & obsessis eruptiones impedire, & obsidentibus per campos ita liberum patere iter volebat, ut alteri alterius auxilium, ubi opus sit, deesse non posset. Castra verò cùm hinc ab obsessorum eruptionibus omnino custodiri oporteret, quod à partibus reliquis Pado classeque tuta efficiebantur, pluribus in locis circum muros diurnas æque atque nocturnas armatæ cohortis vigilias disponit. Eo autem die dum parandis stationibus tempus milites terunt, hostes ineundi sine suo periculo certaminis occasionem nacti, tribus portis nunc equestri nunc pedestri nunc utroque milite in nostros sæpe erumpere, prœlioque acriter lacessere non desiverunt. Quos cùm milites nostri undique repellerent, ad portas usque insequebantur, ita ut telis è muro conjectis repellerentur. In his prœliis perpauci cecidere, multi utrimque vulnerati, pauci verò intercepti. At Michaël & Veneti legati posteaquam nihil opis per exercitum Pado classeque prohibentibus obsessis præstare posse vident, alio perituræ Urbi consilio prospiciendum esse judicant. Duæ omnino viæ supererant, quibus præsenti Placentinorum necessitati subveniri posse existimabant. Una erat, ut classis, quæ Venetiis uti ostendimus parabatur, quamcelerrime conficeretur, pararetur, mitteretur. Cujus tamen per Cremonenses transitum, quod ibi pons esset, quem magnis viribus interscindi oportebat, difficiliorem tardioremque quam tempus exposceret futurum arbitrabantur. Altera erat, quæ facilis admodum, & imminenti Placentinæ rei periculo profutura magis videbatur, ut Mediolanensibus, Papiensibusque simul eorum agros populando, devastandoque bellum acrius solito inferrent. Ex quo sicuti conjecturâ perspicere poterant, sic futurum sperabant, Franciscum magno utrisque civibus detrimento affectis, summoque terrore concussis, sæpius ferendi auxilii causa accersitum, continuisque eorum querelis permotum, derelicta Placentiæ obsidione in Insubres propediem reversum. Quas ob res ad Sanctum Columbanum primùm movent, ac ibi relicto cum impedimentis præsidio, Papiam usque toto exercitu multis diversisque itineribus, excursionibus factis, magnum inde hominum pecorumque numerum abduxere. Et Sanctum Columbanum continuo adorti, scalis, multisque machinis muro adactis biduo expugnare contenderunt. Oppidani contra etsi defensoribus nudi ex improviso oppugnabantur, quod quicquid apud eos erat militaris præsidii, in Arce servabatur, tamen adeo pertinaciter restiterunt, ut non modò se ac oppidum servaverint, sed multos etiam ex hostibus vulneraverint, occiderintque, ac ea victoria freti pertinacius in Mediolanensium fide persistere constituerint. Quod tamen opinione omnium magis futuræ pœnæ metu, quàm datæ fidei jure faciebant. Imminebat enim eorum cervicibus Arx cum naturâ loci ac artificio, ut supra demonstravimus, tum etiam firmo militum præsidio munitissima, quam Venetos, si se dedidissent, minime obtenturos exploratum habebant. Nec dubitabant, quin propediem vel à Venetorum vel à Mediolanensium exercitu in prædam agi necesse foret. Hostes interim per eos dies omni fere hostili metu liberi, non tam Papiensium, quàm Mediolanensium fines magnis diurnis nocturnisque incursionibus licentius infestare nullum tempus prætermiserunt. Quibus de rebus Franciscus multorum nuntiis certior factus pontem, quem in Pado jam ædificari instituerat, summa celeritate faciendum curat. Mediolanensesque, quorum literis de suo in Laudenses reditu quotidie obtundebatur, hortari, rogare, obtestarique non desistit, ut ea, quæ ad conficiendum pontem deficiebant, supplementa omnibus prætermissis rebus importarentur. Nam propter fluminis latitudinem ingentem prope ejus construendi pontis materiem deesse comperiebat. Quam partim è Me-

(74) MS. Quandoquidem in Padi confluente occupatis utrisque literibus amplius consistere non poterat. Redintegratis &c.

Mediolano, partim è Verbano Lacu eo comportari oportebat, nec posse ob utriusque exercitus magnitudinem sine longo temporis intervallo ulla alia ratione ad ferendam Columbanensibus opem nisi confecto ad Placentiam ponte in Laudenses transire. Quia si ea qua premebantur Columbanenses obsidione, liberari cupiebant, toto sibi exercitu erat in hostes eundum. Pontem verò omnibus ad confectionem comparatis rebus intra sextum diem ædificari posteaquam cœptus sit, perfici posse demonstrat. Quem quidem pontem neminem esse ita rerum expertem dicebat, qui non facile judicaret, non minus in reliquum tempus, dum cum Venetis Mediolanenses contendant, quàm præsenti Placentiæ obsidioni magno usui futurum. Hæc etsi vera maximeque factu necessaria erant, utque celeriter conficerentur, magnopere apud Mediolanenses literis nunciisque instabat, tamen nequaquam adduci potuerunt, ut ex publico impensa decerneretur, quod nulli rei sibi profuturum dicerent, cum non unius sed vix trium mensium spatio eum pontem ædificari posse, quo exercitus tuto traduceretur, exploratissimum haberent, idemque Philippi memoria sæpius suis ducibus cum Venetis bella gerentibus accidisse meminissent. Quæ quidem res Francisco tantum inter quotidianos maximosque labores molestiæ inferebat, ut præsentes turbulentasque temporum conditiones, & miserandam prope totius Longobardiæ calamitatem sæpe ac longe indoleret. Non enim poterat dux belli rerumque prudentissimus inter cæteras tempestatis illius ærumnas, quibus ea ipsa regio admodum laborabat, quam in perpetuam servitutem maximamque perniciem in dies per imprudentiam trahi videbat, illud in primis non graviter queri, quod Mediolanenses, qui hactenus per diuturna tempora humiliter servire consueverint, gentibus dominarentur, & dominari insueti, quod ignorabant, effici juberent; quodque præsertim res bellicæ, quæ magni erant momenti & peritissimis dignæ viris, sibi agendæ erant, qui nihil recte, nihilque aut facile aut difficile factu putabant, nisi quod ipsi ignari rerum sentirent. Ex quo fiebat, ut plerumque plus sibi eorum imprudentiâ quàm hostium causâ negotii daretur. Sed quoniam omnia æquo animo sibi ferenda statuerat, pontemque necessario fieri oportere intelligebat, decrevit rursus Mediolanensibus per legatos suos persuadere, & preces in omnes descendere, ut res de ponte omnino impettaretur.

Itaque ad eos primo Marcum Attendolum Cotoniolanum ea sola de causa mittit, quem ubi re in Senatum relata, nequicquam proficere cognoscit, (75) eodem Carolum Campobassum, & Dulcium Anguillarianum, magnæ auctoritatis viros mittit. Qui frequenti advocata concione Reipublicæ periculum simul & salutem proponerent, nec posse præterea civium quorumdam præscripto res bellicas diu ministrari, qui si quid egregie prospereque gestum erat, ægre ferant, suamque apud eorum Senatum imperatorisque causam multis oppugnare modis studeant. Demum de Placentino bello victoriam in unius pontis confectione versari; facultatem quoque perficiendi ejus ad diem dictum demonstrarent; & majorem ea de causa dependendæ pecuniæ partem daturum pro Reipublicæ commodo Franciscum pollicerentur. Hac legatione simul & oratione permotis Mediolanensium animis, & faciendi pontis, & belli gerendi unius supremi sapientissimique ducis consilio & auctoritate, res tandem omnium consensu decreta est. Qua impetrata, materiaque celeriter undique comparata, nullum Franciscus diurnum nocturnumque tempus remisit, donec ad diem constitutam præter omnium opinionem super naves in Pado pontem confecerit. Dum autem ei rei dat operam, his crebro palamque verbis utebatur: factâ in Laudensem agrum ponte transeundi copiâ, classe ad id, cui intendebat, operi, præsidio relicta, quo eodem sibi foret redeundi facultas, mox omnibus copiis in hostem ubicumque esset, se iturum. Hæc tamen non eo animo pronuntiabat in vulgus, quod à Placentiæ obsidione discedendum sibi putaret, sed ut ad hostes cum fama pervenissent, fortè suum ex improviso in eos adventum veriti (quod plerumque in bello plurimum sibi profuisse cognoverat) ab Oppidi oppugnatione desisterent. Neque eum sua tum fefellit opinio. Nam cum primum in hostium castra hic perlatus est rumor, Michaël non exspectandum sibi ratus, ut pons conficeretur, quod iniquo essent Venetorum castra loco posita, trans Lambrum in Laudem Veterem Vicum concessit. Et si quem peditum deinde numerum noctu Placentiam intromittere posset, naviculis quibusdam per silvas ad ripam Padi deductis, tentare cœpit. Sed facto sæpius periculo, ob dispositas in flumine frequentes custodias, omnes ejus incassum conatus cecidere. His constitutis rebus cum per eos dies obsessa non oppugnata Placentia fuisset, Franciscus ad eam deinde oppugnandam conversus, inter duas sanctorum Lazari & Raymundi portas, loco idoneo perspecto, tres miræ latitudinis bombardas in murum adigit, validumque ibi præsidium ponit. Fossis, subterraneisque viis cratibus desuper contectis, primam ac secundam Urbis fossam ingenti quodam studio adire penetrareque contendit, duasque ibi è regione muri Turres ædificandas curat. Hostes contra omni missilium genere nostros opere occupatos dies atque noctes oppugnare, proculque fossa submovere, Turres præcipue ædificari cœptas crebro pilæ saxeæ ictu frangendo humi prosternere, conantur. Et adeo acriter percutere cœperunt, ut nullis ibi amplius consistere audentibus, ædificia brevi corruerent. Adversùs tormentorum impetum aggerem ab interiore parte triplici fere Urbis muri crassitudine trabe, fasce, fimoque contextum instituunt, & muro æquare contendunt. Præterea Thaddæus qui & annis & corpore gravis ad defendendum quàm offendendum aptior peritiorque erat, ut neutram tueri fossam posse animadvertit, tertiam sibi

(75) MS. alios de integro eodem mittendos legatos designat. Carolum Campobassum, & Dulcium de præclara Ursinorum gente Romanum Civem, quem Anguillariani Comitatus honore titulus honestabat; ambos siquidem fortes, & rei militaris peritissimos, & magnæ apud eum auctoritatis viros. Qui frequenti advocata concione, apertius ad Mediolanenses coram loquentes, eorum Reipublicæ &c.

sibi ineundam putavit. Ripa terrena non nimium rapida ab imo fossæ ad murum pertinebat. Heic factis in eo muro subterraneis ostiis quibusdam in ripam erumpitur. Aliam ibi fossam quanto muri ruina patebat spatio, patereque posse arbitrabatur, effodiendam duobus circiter cubitis à muro distantem instituit. At Franciscus ubi fractas videt dejectasque Turres, quas erexerat, alias de integro instaurandas ac humo, cespite, & vimine replendas imperavit. Ceterum in ipso prope oppugnationis initio rusticus quidam pannis, barbaque incultus, sed callido, vafroque ingenio, cum in marginem fossæ pervenisset, intrareque Urbem conaretur, comprehensus ad Franciscum perducitur, jussusque effari, unde esset, & à quo missus, quidve in Urbem afferret, Placentina se patria oriundum ait, à Michaële Venetorumque legatis Placentiam ad Thaddæum Estensem, & Gerardum Dandulum cum literis missum, flensque vitam deprecatur. Hunc cum abduci à se, laqueoque suspendi Franciscus jussisset, reversus ad eum Venturas Parmensis turmæ præfectus, qui illum eo captivum adduxerat. *Hic*, inquit, *si ei ignosces, pollicetur omnes tam ex castris quàm ex Urbe creditas sibi epistolas & quo volueris, & cui jusseris redditurum, allaturum, & demum quicquid imperaveris integre facturum*. Qua re audita Franciscus cum id sibi magno usui futurum ad cognoscenda hostium consilia existimaret, quippe qui hactenus sæpius ea cum hostibus esset usus arte, magnopereque sibi profuisse cognovisset, hominem solvi, vitaque donatum bono esse animo jubet. Huic insuper pecuniam dat, seque daturum pollicetur, quo magis spe præmii eum sibi obstringeret. Et quid deinceps fieri velit, ostendit. Apertis deinde leviter literis, quas tunc deferebat, ut obsignari iisdem rursus sigillis possent, interpretatisque magno cum Scribarum labore, quorum è numero & ipse fui, quod ignotis essent figuris variisque nominibus atque dictionibus aliter significantibus conscriptæ, cognoscit duces hostium Placentiæ obsessos, ut forti essent animo, cohortari, classem Venetiis summa celeritate parari, eamque propediem affuturam affirmare, cujus auxilio obsidione, qua premebantur, statim liberari posse compertum habeant. Et ob id ne pons, qui ad Cremonam in Pado erat, illius adventum remoraretur, toto exercitu rescindendi ejus causâ eo proficisci constituisse. Quibus quidem literis nuntio redditis, moxque Placentiam perlatis, rediit triduo post cum responsis tabellarius idem. Ex his facile perspectum, Placentinos cives militesque haud graviter adhuc obsidionem pertulisse, spondereque Urbem tamdiu adversus obsidentium vires à se defendi posse, quoad classis, quàm propediem exspectabant, adventasset. Albertum Scottum præterea suis literis proponere nullo umquam humano consilio ad liberandam Placentiam aut melius aut salubrius eo tempore occurri posse, quàm ut omnibus copiis in eam Mediolanensis agri oram, quam Seprum vocant, signa verterent. Esse regionem eam Mediolano proximam frequentibus Vicis, ædificiisque refertam, & omni cibariorum copiâ opulentam, unde quod adhuc bello intacta illæsaque evaserat, magna ex parte Mediolanensis Populus nutriebatur.

A Qua opportunitate erepta, non passuros Mediolanenses, ut suo exercitu Placentiam obsidente, ipsi uno tempore vastatis undique ædificiis ab hostibus obsiderentur. Quæ profecto res non mediocrem Francisco metum injecit. Nam si hostes id consilii caperent, quod Albertus regionum peritus suadebat, discedendum omnino inde sibi deserta obsidione intelligebat. Itaque retentis his atque aliis literis, quæ ad hostes deferendæ non videbantur, cum reliquis nuntium ad Michaëlem dimittit. Ad quem cum pervenisset, interrogatus, quonam modo per hostium castra incolumis transisset, respondit, se Sfortiani cujusdam militis, qui sibi multis jam annis herus fuisset, beneficio adjutum: cum
B eundo redeundoque ducem itineris dedisset, seque ejus famulum simulasset, re salva ad eos rediisse; dicitque illum pro ea quam habeat in Venetos fide, dum res postulet, idem se facturum pollicitum, cum speret aliquando non nihil emolumenti a tanta Republica consecuturum. Ob id credita re, continuo ducentos aureos nummos equiti statuerunt, quos secretò per alium nuntium deferendos jussere. Per hunc modum Franciscus, dum Placentia oppugnatur, quicquid & ipsi in Urbe obsessi, & in exercitu Michaël, & Venetiis ipse Senatus vel agebant vel acturi erant, vel si qua etiam inopia laborabant,
C ita quotidie cognoscebat, ut nihil eum per id temporis illorum consiliorum latuerit. Quod quantum ei commodi attulerit, cum nihil sit utilius in bello, ubi errorem illico pœna sequitur, nihil opportunius, nihilque magis necessarium, quàm hostium consilia habere explorata, non facile æstimari posse, sæpe illum dicere solitum, percepimus. Inter hæc fit item ex hostium castris certior, Michaëlem ex Laudensibus in Mediolanensem agrum demigrasse. Paulo deinde post è Mediolano ad oppugnandum Melcium Oppidum processisse, ac dedentibus sese Melcianis ingenti pavore perculsis, eorum Oppido nullo negotio potitum, præsidioque ibi Antonio Vinti-
D miliano natione Siculo Crotoniatum Marchione, & à Rege Alphonso paucis ante annis domo ejecto cum mille equitibus totidemque peditibus relicto, Adduam per Cassianensium pontem in Cremenses transisse. Mox rescindendi pontis causâ toto exercitu Cremonam contendere. Qua re cognita veritus, ne hostes Civitatem improvisam, nulloque præsidio munitam nacti, initi fierent consilii compotes, extemplo imperat Mannum Barilem & Jacomacium Salernitanum, ex veteranis ductoribus equitum, & singulari fide & rei militaris scientia præditos, cum delecta militum manu Cremonam proficisci. Ipse
E eodem navi delatus comperit, hostes jam ex Arce conspici cœpisse, & instructa acie ad pontem secus fluminis litus magno stratorum agmine coacto maturare. Pontis aditum firmo peditum præsidio communit. Quæquidem via ad secundum ferme lapidis jactum attingebat à solo sublimis, fossaque & aggere à latere utroque permunita. Galeonem deinde, quem ad pontem forte deligatum conspexerat, tantum armatorum numerum conscendere jubet, quantum pro tempore ad rem gerendam sufficere præfectus judicaret. Equitatum præterea in via altera, qua ab eadem porta ad Arcem juxta Urbis fossam itur, à

læva dexteraque item munita constituit. Inter Urbem verò atque Padum campus patet equestri pugnæ accommodatus. Hac non longe à fluminis litore hostes aciem producunt. Committitur statim pedestre prælium paucis equitibus intermixtis. Quo in prælio Johannellus Arianensis patria Apulus, qui à pueritia apud Franciscum militaribus armis rem egregie navando adoleverat, insigne virtutis suæ periculum edidit. Equestri autem pugna propter suorum paucitatem abstinuit. Qui verò in navi erant juxta ripam adverso flumine navigantes ita hostium aciem frequenti plumbeæ pilulæ pilæque saxeæ ictu cædere cœperunt, ut multis vulnere affectis turbaverint, disjectamque cœpto ab itinere submoverint. At Michaël & Veneti simul legati, ubi Franciscum ex insperato eo advenisse vident, quem tam ex insigni galeæ crista quàm ex veste & ingenti ejus voce agnoverant, nihilque proficere posse animadvertunt, nullo impetu facto aversis signis, qua venerant, unis castris in Cremenses remearunt. Admirabantur non parum, fortunamque suam redeundo querebantur, nihil à se tam secretò agi posse, quin statim resciret hostis, quotidieque eorum falli consilia, nec à se prospici posse.

Postridie Franciscus in castra regressus reperit, illo venisse Alexandrinum quemdam à Raynaldo regio præfecto ad se cum mandatis missum. Ab eo intelligit, nihil esse, quod Raynaldo eo tempore optabilius contingere posset, quam Franciscum Sfortiam sicuti hactenus suo Regi præcipuo quodam necessitudinis jure affectum acceperat, ita nova mutui fœderis accessione habere obstrictum: nec illum dubitare à munificentissimo gratissimoque Rege multis magnisque beneficiis ornatum iri. Proinde si quod novum fœderis argumentum sibi cum eo Rege ineundum firmandumque putaverit, sua uteretur opera, quam magnopere sibi profuturam re ipsa facile intelligeret. Interim si quid vel consilii vel opis pro Regis commodo præstare possit, gratissimum sibi futurum. Præterea Francos Raynaldo duce adversùs Boscenses castra habere, Oppidumque enixe oppugnare, nec inde nisi eo aut vi capto, aut per deditionem in potestatem accepto, recessuros ab eodem cognoscit. Huic Franciscus, satis sibi esse cum regia Francorum Domo amicitiæ respondit, quam & servare multis jam annis didicisset, & augere integra fide: cujus per omnem ætatem fuisset observantissimus, fixum haberet in animo. Neque etiam quando gravissimum cum Venetorum Republica summis opibus potentissima pro Mediolanensibus bellum gerat, auxilii quicquam à se Raynaldum sperare eo tempore posse. Sed illud in primis eum edocere, non bono consilio tam paucis copiis in aliena patria alienis moribus, alienis finibus, procul domo, proculque amicis Oppidum muro cinctum, & hominum numero adversa sibi factione munitum, obsedisse. Abundare Mediolanenses copiis; habere præter eas, quas in exercitu habeant, alias quamplures multis locis distributas. Has facile cogi, & adversus eum immitti posse nuntio demonstrat. Quare Raynaldum admonere, ne committeret, ut id Oppidum, ubi consedisset, ex eadem calamitate Gallicæ gentis & internecione exercitus nomen caperet, qua Alexandrinorum Urbs pluribus exactis annis suæ etiam ætati memoriam prodidisset. Quamobrem optimum Raynaldo fore arbitrari, si omnibus copiis relicto oppido in Astensium fines se receperit. Hæc Franciscus quoniam & pro sua consuetudine & pro fidei observantia, sicuti ceteris, quibus aut necessitudinis aut fœderis gratiâ junctus fuisset, ita Mediolanensibus omnia quæcumque sibi vel belli causâ agenda erant, vel ab alienis in dies proposita, communicanda videbantur, nota apertaque esse volebat, Aloisino Bossio, & Petro Cottæ eorum legatis, qui nuper ad eum redierant, enuntianda curavit. Quæ cùm intellexisset Raynaldus, & superioribus victoriis elatus, & ut sunt natura Galli mobiles, suspicione & superbia agitatus nihil pensi habuit, inquiens, utrum bono vel malo consilio eo accessisset, nihil ad Franciscum pertinere, qui regiis faveret hostibus, nec quicquam ab eo umquam in Regis commodum nisi simulatum insidiisque plenum proficisci eo tempore posse. Hæc dum apud Placentiam geruntur, durius in dies à Gallis Boscenses obsidebantur. Ob id Alexandrinis civibus, nisi propediem subsidia ferantur, sese Gallis dedituros nuntiare. Quamobrem & ipsi apud Mediolanenses Alexandrini, ut Boscensibus in summo discrimine constitutis suppetias mitterent, quotidie rogare atque instare, quod eo amisso Oppido nihil in Alexandrino agro relinquebatur, quin omnia essent in hostium potestate redacta; necesseque fore dicerent, ut undique hoste circumsepti, non multo post tempore & ipsi quoque in hostium manus devenirent. Quibus rebus permoti Mediolanenses colligendum parandumque celeriter militem constituunt, quo & sociæ Civitatis saluti prospicerent, & imminenti Boscensium necessitati auxiliarentur. Ad Franciscum ea de re partem exercitus petitum mittunt, à quo cum multis de causis id à se minus concedi posse responsum esset, quascumque possunt, aliumde copias cogunt. Viglebiensibus, Salensibus, & omnibus trans Ticinum, Padumque Populis delectum imperant. Bartholomæum Collionem deinde ex Mediolanensibus cum mille circiter equitibus, & Eustorgium Faventinum Guidonis fratrem ex Novariensibus cum quingentis in transpadanos proficisci jubent, ut posteaquam Alexandrinis se adjunxerint, periclitanti jam Oppido celeriter subsidio esse maturent. Cùm igitur omnes, ut jussi erant, præter Alexandrinos ad Oppidum Salas convenissent, Collioque & Eustorgius primi expeditionis ejus duces ad quintumdecimum Kal. Novembres diem pugnæ dixissent, per patentissimos campos, quod Frascheturn Longobardi vocant, in hostem producunt. Mittitur ex itinere Eustorgius Alexandriâ proficiscentibus obviam, ut dum se ceteris addiderint, illis præsidio sit. Quorum ad mille & quingentorum hominum arma ferentium partim civium, partim mercede conductorum peditum, & septingentorum equitum omnino erat numerus. Pedestribus copiis Bonus Johannes Trottus ætate jam gravis, sed animo fortis, & rei militaris ex longo belli usu peritus, & Angelus Labellus equestribus præerant. Hi ubi ea se militum phalange in prœlium audente

stipa-

stipatos vident, non qua Collio versabatur, sed parte alia uno atque eodem tempore in hostes impetum facere constituunt. Præterea Campanella ex præfectis equitum bello ferox cum delecta equitum cohorte à Collione Boscum ingredi jussus, qua hostes aberant, porta, nullo negotio in Oppidum introducitur: moxque simul & oppidani eruptioni se parant, & pugnandi ab iis qui foris erant, initium præstolantur. At Galli, ut de hostium adventu cognoverunt, à media ferè nocte in armis atque in acie esse cœperunt. Et cum Oppido datis obsidibus postero die se potituros non dubitarent, continere se castris, eventumque prœlii, ubi opus sit, experiri constituunt. Erant autem peditatu Mediolanensibus multo inferiores. Mille circiter pedites aut paulò amplius in castris habebant, & eos quidem tirones & collectitios, quos paulò ante ex proximis municipiis evocassent. In his Isnardus Malaspina cum ducentis ex Cremolino Oppido numerabatur. Equitatu verò ferè pares. Hi ubi Mediolanensium copias appropinquare vident, relicto impedimentis præsidio, bipartito agmine castris educunt. Trottus aliquantisper Alexandrinam aciem è conspectu hostis stare jusserat à Collione committendi prœlii signum exspectans. Interim pedestribus turmis, mortem carnemque frequenter conclamantibus, exauditur hic à Francis fremitus. Raynaldus Alexandrinos quosdam cives, qui cum eo erant, quid ea vox Gallicâ indicaret linguâ percunctatus, cùm responsum esset, cædem, mortemque minitari, furibundus extemplo: ***Et nos item***, inquit, ***more Gallico in guttura mortem inferendo, cum hostibus rem geramus***. His dictis primum in eos agmen immittit. Galli sua consuetudine confertissima acie ingentique impetu atque furore magno cum clamore in Alexandrinam cohortem feruntur. Hi cùm ne paululum quidem illorum impetum sustinere potuissent, perturbati primo concursu funduntur, disjectique terga vertunt. Pars major equitum fuga salutem petit. Hos usque Salas, Derthonamque effuso cursu hostes insecuti, multos ex his occidunt. Quot enim insequendo capiebant, tot casside detracta jugulabant, & inhumaniter crudeliterque interimebant. Eâdem in Alexandrinos peditatumque sævitiâ utuntur feri sanguinariique homines. Nulli neque precibus neque pretio parcunt, neque vincendo cædi finem faciunt. At Collio & Eustorgius collectis in unum equitibus, qui ex fœda reliquorum fuga palantes Angelo cohortatore restiterant, alterum Gallorum agmen adoriuntur. Hoc idem ex Oppido erumpens magno clamore sublato Campanella facit. Pugnatur utrimque & à fronte & à tergo acerrime. Complures Italici generis milites cadunt. Eamdem Gallis qua paulo ante in fugientes nostros usi fuerant atrocitatem exercentibus, ex Gallis autem pauci interficiuntur. Quod nostri Italico militari more tantæ crudelitati insueti, & spe consequendi etiam illorum causa emolumenti aliquid ducti, vivum quam mortuum captivum hostem mallebant. (76) Raynaldus simul ac se & numero superari, & à partibus pluribus premi, nec suos ab hostium insectatione reverti videt, omnes paulatim in castra redire jubet, ratus cum & vetusto suburbii aggere, & præacutorum sudium vallo eorum more satis munita essent, tamdiu se tueri posse, quoad alterius equitatus subsidia advenissent. Sed dum pedem Galli referunt, nostri acrius enixiusque ingruunt, seque vi inter confertissimam equitum aciem insinuant. Ex quo factum est, ut cùm vim nostrorum militum hostes ferre amplius non valerent, equitesque castrorum portam occuparent, & claustra hostibus immixti ingrederentur, Galli se fugæ mandarent. Capitur extemplo Raynaldus cum majore suorum parte. Reliqui ad Castellatium Oppidum cursu evadunt. Dum hæc apud Boscum pugna fortissimè atrocissimèque conseritur, Gallis à nostrorum insecutione cædeque redeuntibus renuntiatum est suos jam prœlio inclinari, esseque ducem circumventum, & prope jam devictum. Quo nuntio perterriti, arctiusque inter sese conglobati, Castellatium eis proximum sese incolumes receperunt; quod neque ipsi fugientes nostris pugnantibus, neque nostri prœlio prædaque impediti, vim ullam inferendam putaverunt. Collio castris impedimentisque Gallorum potitus, gravisque prædâ suos ab insequendis fugientium hostium reliquiis continuit. Hæc victoria Mediolanensibus ductoribusque ceteris pergrata quidem exstitit & perjucunda, sed multis tamen ex suis injucunda & peracerba. Fuit enim nostrorum temporum memoria apud nostros cruentissima atque luctuosissima. Periere siquidem eo prœlio ad quadringenta hominum capita, quorum in numero ex Faventinis Collionianisque equitibus amplius triginta, ex Alexandrinis supra centum fuere. Ceteros ex reliquo peditatu cæsos fuisse constat. Hac multis crebrisque & variis referentibus nuntiis Alexandriam clade perlata, maximus continuo exortus est in Urbe tumultus. Immensus repente mœror totam Civitatem invasit. Urbs tota ingentibus est repleta clamoribus. Ubique lamentationes, ubique luctus fieri cœpti. Rumor idem rumoribus variis auctus nobiliorem, quàm esset, eam cladem efficiebat, Ob eam rem accersitus confestim in Urbem Petrus Posterla, qui cùm pro Mediolanensibus Civitati præesset, eo die cum delectu in hostem exierat, tumultuantem Civitatem sedare, civiumque animos factionis studio, & inveterato quodam inter sese odio, alterum in alterius perniciem clademque irritatos pacare conciliareque contendit. Sed majore insequenti die excitato ibidem tumultu, in omnes Franci generis captivos sævitum est. Regressi ad multam noctem ex prœlio Alexandriam cum præda milites, qui inde eo mane discesserant, complures ex Gallis equitibus captivos secum adduxerant: quibus spe pretii in ipsa pugnæ concertatione de capitis salute fidem dederant. Hos Alexandrini cives ob suorum cædem ira incensi, singulis militum hospitiis tumultuariè conquisitis, quot ex Francis compererunt, tot è custodum manibus ereptos in forum traxere. Deinde & Præside, & ceteris civibus invitis alios

(76) MS. Non eâdem in Gallos, posteaquam cepissent, immanitate, quo ipsi in nostros, utebantur. Raynaldus &c.

alios securi percussos trucidant, alios multis illatis vulneribus confodiunt. Quisque ut sibi ultionis ira furorque incesserat, in miseros humano sanguine animum explet. Devicto ac deleto per hunc modum regio exercitu, Galli qui prœlio superfuerunt, quos ut demonstravimus Castellatium Oppidum fugientes exceperat, insequenti nocte relicto Alexandrino agro, in Astensium fines Urbemque profugerunt. Quibus rebus territi Alexandrini municipes, quos superioribus diebus se Gallis dedisse diximus, nulla cunctatione ad pristinam civium fidem rediere. Idem fecere cives Bergolium incolentes, Guaschis, qui Oppidi ejus dedendi auctores fuerant, domo patriaque pulsis. Præterea Johannes Galeatius Trottus quod Castellatium hostibus tradidisset, retentus, moxque Mediolanum perductus, in vincula conjicitur.

His rebus feliciter gestis Mediolanenses elati, in Derthonenses continuo animum convertunt, quos quia, ut ostendimus, eorum imperio obtemperare noluerant, Franciscique præfectum receperant, gravi odio persequebantur. Itaque cum illorum Urbi admovendum victorem exercitum constituissent, Collio quatriduo post prœlium factum omnibus copiis in Derthonensium fines proficiscitur. Deinde longe lateque eorum agro populatus, castra ad ipsa prope Urbis mœnia ponit. At cives nil hostile eo tempore timentes, cum Francisci fidei & auctoritati plurimum confiderent, multis gravibusque omnium pœne rerum, quas in agris habebant, detrimentis uno die affecti sunt. Deinde cum non minus domi quàm foris ex improviso oppressi essent, ingenti pavore perculsi, quid agant, quidve in tanto rerum discrimine consilii captent, non satis decernere valent. Sed omnibus tamdem rebus consilio discussis, ubi se omni militum præsidio destitutos, mœnia defensoribus idoneis nuda, quæ plurimis locis vetustate & diuturna pace collapsa erant, atque armis omnibus, præterea & munimentis, quibus se defendere possent, carere vident, biduo postquam eo ab hoste ventum est, sese atque Urbem Mediolanensium legatis permisere. Confecto Alexandrino bello, Derthonensibusque compositis rebus, Mediolanenses ne ne quod supererat autumni tempus remitteretur, pontem, qui in Addua apud Leucum Venetorum præsidio tenebatur, brevi temporis spatio obtineri posse arbitrati, Collionem cum omnibus copiis eo se celeriter conferre jubent. Is traducto per Papiensem Mediolanensemque agrum exercitu, quem novo peditatu Mediolanenses auxerant, pontem ab utrisque fluminis ripis obsidet, ac tormentis oppugnare aggressus, nullum neque diurnum neque nocturnum opere vacuum tempus remittit. Verùm ubi Michaël, Venetorumque legati de ejus pontis oppugnatione cognoscunt, quamprimum magnam exercitus partem per Bergomenses ac Sancti Martini Vallem obsessis subsidio mittunt. Quorum de adventu Collio certior factus, nec sibi amplius ibi manendum ratus, extemplo sublatis machinis obsidionem solvit. Ceterum non facile dixerim quam graviter quamque moleste ea Franciscus tulerit, quæ in Derthonensibus gesta sunt. Perspiciebat enim vir magnanimus quam petulanter quam insolenter nulla dignitatis suæ meritorumque habita ratione Mediolanenses Urbem sibi amicam suæque fidei commissam atque deditam ingenti dispendio affecerint, obsederint, & in potestatem invitis civibus compulerint. Cogitabat quales eos in pacato & florenti rerum statu erga se futuros sperare posset, qui in novo ac nutanti principatu, & in summo adhuc Veneti belli furore constituti, hæc spreto ejus honore aggredi ausi fuerint. Nec poterat secum multis de causis sæpius non indignari, quod eorum res à se geri oporteret, quorum perversa erga se voluntas, longa in conficiendis rebus cunctatio, nimia in alendo exercitu avaritia, levis apud milites auctoritas plus sibi negotii, plus animo molestiæ, quàm & præsens Placentiæ oppugnatio, & ipsi hostes afferrent. Nam propter pecuniæ inopiam Carolus, quem quartis castris præesse diximus, compositis sæpius impedimentis in hiberna discedebat. Idem faciebat Faventinus. Picininus præter cæteros longe molestior, quod Flisci, quod Landi, quod Arcelli quamplura sibi post Philippi obitum municipia occupassent, quæ Nicolao patri à Philippo concessa in Placentino agro possidebat, ut sibi relictis Placentiæ rebus ad ea recuperanda nunc totis suis copiis, nunc parte sumta accedere liceret, & importune instare, & petulanter contendere non desinebat. Interim indicto possessoribus, eorumque adjutoribus bello, municipes in hostium numero habebat. Hos autem duces Franciscus suo hortatu, sua opera, sua pecunia, vix atque ægerrime per eam oppugnationem in castris continuit. Verùm quoniam cum ignobili & ignara plebe, quæ magis impetu quam ratione movebatur, cum nonnullis etiam suo nomini infestis civibus, sibi eo tempore agendum erat, ubi nihil esse certi animadvertebat, omnia quantumcumque dura pro communi Longobardarum rerum incolumitate, æquo animo sibi ferenda, & dissimulanda hæc in primis sibi statuit. Jam cum triginta ferme diebus, totidemque noctibus dura obsidione multisque machinis Placentiam Franciscus oppugnasset, diruto latissimo spatio muro, duæ ingenti altitudine turres magna in fossam ruina novissime conciderant. Quarum sublimior altera Corneliæ quondam portæ nunc obstrusæ munimento ædificata fuerat, tantumque exinde ruina, effecisse apparebat, ut pugnatoribus in aggerem, quem contra eduxisse Thaddæum prædiximus, offerri ascensus, patefactoque deinde aditu facilis in Urbem descensus fore videretur. Itaque advocato concilio; *Non amplius nobis cunctandum*, Franciscus ait, *quin expugnandæ Urbis fortunam experiamur. Importunam instare hyemem, diutius castris militem contineri non posse, quod adhuc bombardis machinisque ceteris efficere potuimus: satis industria nostra quotidianoque militum labore consecutos arbitror*. His dictis, postero die, qui fuit ad sextumdecimum Kalendas Decembres pugnæ decreto, in hunc modum atque ordinem ad turbandos lacessendosque pluribus locis obsessos, & ad vincendam Urbem copias disposuit. Primo ne Veneti præsidii, Placentinique Populi in locum unum collatis viribus difficilior duriorque pugna red-

redderetur, à partibus tribus uno atque eodem tempore Urbem oppugnandam constituit. Deinde Carolum classi præfecit, quam ejus milite compleri ornarique jussit. Huic, quo datum sibi munus egregie obeundi sit copia, Vermiani insuper equitatus partem attribuit. Hac per Padum & Trebiam classe subvecta, qui forte amnes per eos dies multo imbre ita creverant, ut Fosustæ admiscerentur, & navium malis aut superari, aut æquari pluribus locis muri possent, obsessos ab ea parte invadere, murorum propugnacula, turresque excelsiores ac munitiores capere, easque impositis præsidiis tueri, servareque mandavit Faventinum Vermiumque cum reliquis eorum copiis, per ea, quæ inter beati Raymundi ac Sublatæ Viæ portam spatia intercedunt; militibus quoad possint mœnia adeuntibus lacessere, infestareque cives præcepit. Sfortianis autem Braccianisque simul militibus, qua prostrata jacerent mœnia, machinarumque mole hostes acriter premerentur, multoque acrius premendos decreverat, ad faciendum in obsessos impetum, vimque Urbi inferendam, negotium dedit. Tota ob id, quæ secuta est, nocte gregarius quisque miles crastino se prælio accingit, & sui tegendi corporis, hostisque offendendi, arma parat. Qui castris aberant, cum famatum multis per loca dimissis nuntiis de statuto oppugnationis die certiores facti omnes citi frequentesque redeunt; plurimique præterea ex proximis municipiis aut spe prædæ aut suis capta Urbe auxiliandi causa eodem confluunt. Postea verò quam dies apparuit, Carolus in primis suos naves conscendere imperat, moxque tota classe mœnibus appulsa, magno virorum clamore, tubarumque concrepitu, ut erat imperatum, sublato prælium committitur. Hinc muro scalas admoveri, milites que ita ascendere; hinc paratos è navibus pontes, qua minor est muri altitudo, aut lassari aut immitti jubetur. Hinc defensoribus crebro telorum ictu murum nudari certatur. Resistitur contra acriter, ita ut pugnantibus nostris sæpius repulsis, in murum prosilire auderet nemo. Faventinus ac Vermius, ut jussi sunt, faciunt. Non pedeſ non equo prælium committitur. Fit ab ea parte tantummodo ineundi certaminis species, distinendæ pluribus locis multitudinis causâ. Nec inane fuit in ea re imperatoris consilium. His enim à duabus partibus accensis præliis extemplo ingentes excitati sunt in Urbe tumultus. Ubique trepidatum. Cunctos ubique cives, nulla adhuc posteaquam obsideri cœpti sunt, oppugnatione tentata, ingens pavor cepit. Rei novitate Thaddæus Gerardusque conterriti, communicato celeriter cum primoribus Civitatis consilio, Urbem defendere parant. Cives omnes qui arma ferre valent, muro in circuitu dimenso distributisque inter sese nocturnis diurnisque custodiis constitutum ad locum capitis pœnâ edictâ concurrerunt. Ipsi verò simul & Albertus cum omni equitatu ac peditatu tuendi anguli murorumque ruinæ susceptâ curâ eo convolaverunt. Hic equites in acie stare, ac inde eadem pœna præter eos, quos in aggere versari utilius erat, neminem abire, donec ad murum atque in armis esset hostis, jussere. Franciscus cum eadem de causa aliquanto tardius ad eum locum venisset, ubi erat pugnandum equites omnes ætate & corpore graves, pedibusque invalidos equo consistere imperavit. Ex reliquis verò, quibus integræ erant vires, duas pedestres Sfortiano Braccianoque immixtas milite cohortes efficit. Harum priores milites singulos sinistra fasces ex virgultis singulos, quibus fossam, quam secus Urbis murum Thaddæus, ut prædiximus, effodiendam curaverat, repleri volebat, dexteraque hastam deferre jussos pugnam inire mandavit. Sagittarium verò ac pilularium quemque militem partim in turribus adversùs murum ædificatis, & aggere vetustas inter geminas Urbis fossas intercedente collocavit, partim in primæ fossæ ripa multis oppositis ex industria tum tabula tum humo factis propugnaculis sistere, indeque hostem cædere edixit.

Quibus constitutis rebus magno tubarum sonitu, virorumque clamore undique exorto, milites non secus ac imperatum, fossas murumque invadunt. At etsi fascem novissimam in fossam quisque importare adnitebatur, tamen cum priores duro ac multo lapide, testis quoque & canistris calce & cinere plenis, & ferventi insuper aqua obruerentur, oculorumque lumine & spiritu occuparentur, perpauci admodum ad eam cum fasce pervenire potueruut. Satis enim superque omnibus erat, se à continuo veluti imbre telorum ictu, quæ ab obsessis ex aggere conjiciebantur, utraque manu tueri. Fit ob id magnus ad fossam armatorum militum globus, eamque pauci transire audent. Pugnatur utrimque, tamen omni missilium genere enixe atque atrociter. Vulnerantur à parte utraque quamplurimi, cadebantque permulti. Nam in tanto decertationis furore una omnino offerebatur Sfortianis militibus via, qua aggerem conscendere possent, & ea quidem perangusta & periculosa, ut quæ vix transeuntes binos caperet. Forte pons erat quidem, ubi fossa definebat, quæ nostros in aggerem saltu prohibebat, ex quinque tignis junctis simul constructus. Is ad aggerem pertinebat, hærebatque muri angulo, quod erat turris reliquum, Corneliæque portæ proximum. Quem quidem pontem non eo consilio Thaddæus effecerat, ut in reliquas ex aggere fossas transiretur, sed ut qui intus foderent, desuper contecti saxis crebro in fossam conjectis lædi non possent. Cum verò pontis aditum Sfortiani milites occupassent, & in aggerem ascendere cœpissent, hæc Albertum ad Thaddæum dixisse ferunt. *Heri nos ipsi hostibus pontem construximus, & aditum in Urbem paravimus*. Tunc manifeste Thaddæum animadvertisse, se per superiorem noctem rescindendi pontis oblitum, gravissimum subiisse errorem. Et ob id evestigio militibus, quos & animi virture, & corporis viribus præstare sciebat, angulum muniisse, præcipueque ejus defendendi aditus curæ Georgium quemdam natione Dalmatam ductorem peditum insignem ac fortem præfecisse. At nonnulli ex Sfortianis equitibus animo audaces dimicando instandoque acrius in aggerem prosilierant. Sed dum progredi conantur, & à tergo ab iis, qui post angulum stabant, feriebantur, & à fronte acrius repellebantur. Quibus ex rebus non succedentibus reliquis terga vertere coacti paulatim retrocedebant. Quorum in numero cum esset Johannellus

Arianensis, de quo supra mentionem fecimus, saxo in adversum caput percussus, in fossam exanimis corruit. Quod ubi animadvertit Franciscus, qui eo die posteaquam pugnari cœptum est, armatus sublimique equo vectus, juxta anterioris fossæ latus huc atque illuc discurrendo milites in certamen impellere, Sagittarios, tormentorumque ministros, quo suum quisque munus obiret, hortari, admonereque non cessabat, Antonium Taurinensem artificem insignem, cui exercendæ majoris bombardæ cura erat, cum rei hujusmodi peritissimus haberetur, edocet, ut quamdiligentissime posset in muri angulum, cujus munimento se potissimum hostes defenderent, ictus intenderet, eosque in primis, qui angulo tecti decertabant, vel interemtos vel mortis metu territos loco depellere studeret. Deinde voce per milites in aggerem reddita, jubet eos, qui ibi erant, parietique ejus hærebant, paulisper pedem referre, & corpora humi inclinare. Antonius autem re diligentius perspecta atque dimensa, quod sibi imperatum est, sine militis cujusquam detrimento ex imperatoris sententia citius quam putaret, exsequitur. Pila magnæ quidem molis summo impetu emissa, quæ supra armatorum militum cervices evolans multorum cristas corraserat, primo ictu muri angulus ruens in Urbem concidit, ac miserabile Georgii corpus inter ceteros tum peremtos plura in frusta per aëra spargitur. Quo quidem ictu maximus undique lætitiæ clamor extemplo tollitur, moxque liberius milites in aggerem prosilientes, ubi tutius consistere posse intuerentur, audacius prælio incumbunt. Pugnatur à fronte utrimque hasta enseque cominus fortissime. Dum sic in ipsis mœnibus pugna conseritur, Gerardus facto nuper non procul ab eo aggere in murum juxta solum foramine, comportari eo jusserat bombardulam quamdam, qua multitudinem pro fossa stantem submovere posset, admoveratque ministros, ut in unum præ omnibus Franciscum, qui facile dignoscebatur, pilas omni studio torquerent. Ipse verò Franciscus ubi rem tamdem in angustum deductam videt, quod ad superandum in mœnibus hostem, expugnandamque Urbem facto opus esset, impigre & subministrabat & peragebat. Sed dum in margine fossæ versatur, ecce inopinanti sibi ex Urbis muro adveniente & secundum suram ejus dexteram radente pila uterus equo trajicitur, extemploque cum eo simul intacto videntibus plurimis equus humi prosternitur. Quo casu qui proximi erant, flentes accurrunt, & præter ceteros Donatus Mediolanensis ex familiaribus domesticis ad eum advolat, multique illum circumsistunt, quem aut mortuum aut lethali vulnere affectum existimabant. Ipse autem summi Dei beneficio ad meliorem rerum fortunam servatus, cum pedem equino cruore madefactum extenderet, nihil sibi mali esse inquit, confestimque pedibus stetit intrepidus. Deinde quia de eo quod acciderat, jamprimum ad pugnantes ierat rumor, & ob eam rem territi terga dare retroque cedere cœperant, cum equum ascendisset, & suos tumultuantes aspexisset, ingenti voce, ut omnes redirent in prœlium, clamare cœpit: nonnullosque, quos crista agnoscebat, nominatim appellans, graviter increpabat. Militibus verò ducem ex vivæ vocis signo incolumem audientibus, mox in animum redit virtus, & in aggerem regredientes acrius quam antea pugnam instaurant. Hostes contra à fronte nemini cedentes fortissime repugnabant. Quorum in numero Alexander Siccus Caravaginus eximiæ fortitudinis operam edebat. Verum ubi ex defensoribus, quam oppugnatoribus sagitta pilulaque frequenti multo plures conficerentur, languidius se sustentare cœperunt, quod sauciis abeuntibus, integris equo ad murum stantibus perpauci & ii quidem ægre succedebant. Cum ita aliquamdiu æquo certamine pugnatum esset, prodit ante alios juvenis quidam ex Salernitani militibus, natione Thuscus, cui Vicino erat nomen, audax in primis, pedeque agilis, cestum triplici catena triplicique ferrea pilula munitum ferens. Is nihil cunctatus in prioris hostis faciem tanta vi deflexit, ut ille primo ictu obtritus retro in proximum rueret socium, & adeo rueret, ut ambo conciderent. Contigit præterea seu Dei Optimi Maximi consilio, seu quod sic Placentinorum errata ferebant, ut eodem momento tertius quoque adversùs oculum telo transfixus laberentur. Nam non amplius quam bini aut terni per aggeris latitudinem ire simul poterant. Quibus ad aliorum pedes prostratis, Sfortiani per eorum corpora magno impetu emicantes acrius ingruunt, facileque ex aggere pulsis hostibus, ad muri deambulatorium perveniunt, & plane toto in aggere dominantur. Quo rerum successu militum multitudo nullis prohibentibus prædæ cupiditate eo certatim ascendere incipit, & per murorum deambulatoria dexterâ sinistrâque diffunditur. Sed dispositis ut pugnæ initio ostendimus prope aggerem, ubi planicies erat haud parva, ædificiis vacua, pluribus equitum turmis non tam equestri quàm pedestri prœlio paratis, nemo erat tam ferox animo, qui in pomerii planiciem descendendi initium faceret. Quamobrem omnibus equos, equos, equosque iterum è muro conclamantibus, Franciscus qui magnum equitatum intus esse sciebat, remque adhuc in periculo versari videbat, mittit velociter qui multitudinem instruant, ut murum turresque passim ab utraque parte caperent, captasque tenerent, & in proximam Sancti Lazari portam properarent. Ipse autem cum nulla tum sibi intromittendi in Urbem equestris subsidii facultas esset, ejusque rei celeriter conficiendæ arderet animus, ad Sancti Lazari portam cum veterano equitatu convolat. Ceterum dum eo festinat, cives quos per mœnia dispositos esse diximus, perterriti loco cedere, muros deserere & domum confugere, cum crederent miseri se ibi aut tutos fore, aut saltem aliquod suæ suorumque saluti consilium facilius invenire posse.

Quod ubi conspicatus est Thaddæus, nullum saluti locum destitutis passim mœnibus actumque de Urbe esse judicat. Rebus igitur omnino desperatis, communicato cum Gerardo & Alberto de eorum incolumitate consilio, visum est, ne in tanto tumultu prædæ hostibus essent, in arces confugiendum. Itaque instructis cohortibus mediam per Urbem transeuntes in urbiculam fœda fuga se recipiunt, quæ ad alterum Urbis la-

tus

tus Fosustæ finitimum erat sita. Eâ fugâ conspectâ multitudo inermis levisque armaturæ celeriter è muro descendit. Idem faciunt armati milites projectis armis, ut cursu leviores essent. Ita secundâ & vigesimâ diei horâ jam exactâ Urbem undique invadunt; & non multo temporis spatio discursionibus vicatim factis tota Civitas capta, atque in prædam versa est. Cum verò ad portam venisset, pandique claustra Franciscus jussisset, paulum pro foribus custodum pertinacia retardatur. Sed refractis primum claustris, valvisque deinde à præfecto sponte reseratis, Urbem & ipse ingreditur. Quo tempore Faventinus, Vermiusque cum reliquo equitatu per Viæ Sublatæ portam introducuntur. At dum Franciscus ad Sancti Antonii Arcem contendit, quo se contulisse Thaddæum & Gerardum audierat, videns per Urbem euncta tumultuarie agi, rapi, & clamoribus misceri, ac ex Placentinis etiam plerosque, qui simul cum reliqua multitudine introierant, & sibi flentes occurrerant, omnia denique humana divinaque divinaque diripi & profanari, indoluit sane infelicem nobilis & antiquæ Urbis sortem, & miserabilem defectionis insontium calamitatem. Dimisitque ob eam rem celeriter per Urbem ex suis complures, quos sibi fideles fore non dubitabat, Monasteria in singula divino cultui dicata, & in ea præsertim, quæ à sacro muliebri sexu colerentur, quo magnum Virginum Matronarumque numerum salutis causâ confugisse accipiebat, ut ab injuria & maleficio inviolatas servari curarent. Postea verò quam pervenit ad Arcem, cognovit Thaddæum cum Gerardo & Alberto exinde paulo ante in Urbiculam ei Arci proximam concessisse. Qua quidem Arce nulla mora recepta, hæc Thaddæo per Tubicinem enunciari jubet, cum se eum in locum jam redactum videret, unde nequaquam esset evasurus, quin suam in potestatem propediem deveniret, se sibi atque Urbiculam traderet, nec exspectaret, ut vel fame, vel vi militum sicuti in Urbe devictus, ita in Urbicula vinceretur, quia victo semper deterior in dies conditio fieri soleret. Thaddæus ad hæc cum cibariorum inopia Urbe amissa, vix bidui spatio se tenere posse animadverteret, ita respondit: non videri sibi, tenebris jam factis deditionem multorum faciendam, sed postero die & suo se arbitrio dediturum, & quæcumque imperasset facturum. Inter hæc novissimus omnium Carolus armis in classe relictis, Urbem pæne sero ingressus est, qui cùm omnia à reliquo exercitu capta occupataque invenisset, & ob eam rem, qui sibi eo die in navali dimicatione socii fuerant, prædæ expertes graviter quererentur, Cives ad quingentos, qui forte Turris cujusdam munimento adhuc in Urbe se tenerent, amissi lucri loco sibi concedendos deposcit. Qua re audita Franciscus, etsi iidem jam ad eum Cives de deditione miserant, eosque ac ceteros captivos liberè dimittendos statuerat, tamen & militum querela, & ducis postulatio, quæ non aliena à militari usu videbatur, & quod ejus dicto Carolus audiens semper fuisset, effecerunt, ut obsequendum illi esse putaret. Sic igitur re facile concessa, nc ob id propter invidiam aliqua inter milites

A contentio oriretur, omnes eodem modo captivos Cives habendos judicavit. Qualis autem quantaque fuerit ejus Urbis clades, quæ commissa insequenti nocte scelera, quot inter milites prædæ cupiditate illata vulnera, quot cædes in vasta Urbe à multis hominum millibus hostibus etiam immixtis facta fuerint, haud facile explicari posset. Multa enim ac varia nefanda per eam noctem facinora non in victos modò, sed in ipsos etiam victores sunt perpetrata. Quisque ut libido incesserat, ullo sine humano divinoque metu sceleratum explevit animum. Qui præda vacui erant, facto perditissimorum hominum numero, mutataque facie domos

B ab aliis occupatas ferro igneque expugnaverunt, & multo quàm priores immitius cum miseris egerunt. Alii alios bonis belli jure partis exuentes, vitâ insuper spoliaverunt. Ubi illuxit, Thaddæus nulla exceptione cum equitatu simul & Urbicula sese Francisco permisit. Dum autem inter reliquos captivos Gerardum & Albertum præ omnibus diligentius victor inquirit, comperit eos pœnas veritos ob eam, qua, ille adversùs eum dum Cremonæ superiore Anno pro Venetis legationis munere fungeretur, heic adversùm Mediolanenses perfidia usi essent, per noctem pedestri itinere Parmam versùs fugisse, abeundique illis facultatem incustoditos viarum aditus præbuisse, propterea quod

C omnibus eam noctem intra Urbem militibus prædæ intentis nullæ uspiam vigiliæ fierent. Verùm Gerardus corporis onere gravior non diu evasit incolumis. Comprehensus est enim multo jam die errabundus, incognito habitu à Braccianis satellitibus non longe à Florentiola Oppido. Albertus verò pedibus aptior, diligentiâ ducum etiam adhibitâ, quamvis à multis quæreretur, post biduum in Regiensium fines pervenit. Dum hæc aguntur, quæ per superiorem noctem scelera in Urbe admissa sunt, multorum querelis Franciscus cognoscit, quæ cùm molestissima sibi exstitissent, miseranda præcipue mulie-

D rum conditione permotus, eas statim seu viris ac parentibus si qui reperirentur, seu hospitibus commiseratione quadam petentibus, quorum magnus, ut demonstravimus, eo confluxerat numerus, reddendas jussit, capitisque pœnam, qui non paruisset, constituit. Sacra ac pia rursus claustralia loca integra atque illæsa eâdem pœnâ servari mandavit. Ipse præterea Urbem collustrans, quot scelestissimorum, qui tum contra jus belli deliquissent, comprehendi poterant, fune illico suspendi jubet. Multas quoque ac graves inter milites illatas natasque prædæ causâ injurias atque seditiones sola vel præsentia vel dicto sedabat. Et quoniam eadem

E de causa novæ in horas lites oriebantur, ad eas cognoscendas atque dirimendas viros rei militaris peritos & auctoritate graves judices delegit. Quorum numero Thaddæum veluti bellicæ disciplinæ scientissimum propter longum belli usum principem adhibuit, qui ea fide & æquitate, eaque patientia omnia sibi mandata obivit, ut magnam inde laudem fuerit assecutus, & singularem pæne omnium sibi benivolentiam comparaverit. Cum hoc homine Franciscus, & veteris hospitii, & recentis inter eos familiaritatis ac necessitudinis memor, præter libertatem quousque

apud

apud se fuit, humanissime egit; quem post suæ captivitatis mensem libertati restitutum ad suos equis armisque donatum dimisit. In præsidium quoque militum clementer victoria usus est, quos relictis rebus, quas in ipsa Urbis direptione amiserant, libere Laudem proximum ei receptum recto itinere proficisci permisit; eademque ducentis circiter peditibus conditio fuit, qui superiore nocte cum Padum naviculis quibusdam, quas secum ex Laude adduxerant, trajecissent, ubi nullæ, ut supra diximus, custodiæ fiebant, & ad mœnia Urbis exorto jam die earum rerum, quæ acciderant, ignari pervenissent intercepti armisque exuti fuerant. De his rebus gestis Mediolanenses Francisci legatorumque literis certiores facti, tridui supplicationes decrevere. Post captam Placentiam quadraginta ferme dies ibi toto exercitu permansum. Quo tempore Placentinos non tam pretiosa supellectile quàm rebus cæteris, quas & ad vitæ usum & ad domorum constructionem longo jam tempore comparaverant, spoliatos constat. Omnia enim absumsit magna Pado flumine navigandi opportunitas. Quod inter cetera mala, quæ tum Civitati acciderunt, longe maximo sibi detrimento fuisse Placentini deplorabant. Præterea & Venetorum exercitus ex Cremensium transadduanorumque finibus in Civitates, quæ trans Olium, Mintium, & Athesim amnes sunt, sicuti quotannis facere consueverat, hyematum discessit. Et classis, quam Venetiis, uti supra memoravimus, ex duobus & triginta Galeonibus Senatus ædificaverat, ad Casale Majus Pado subvecta appulit, & Franciscus copiis per hiberna in transpadanos distributis, novissime cum duabus cohortibus Cremonam profectus est.

Explicit Liber Decimus.

AN-

INCIPIT LIBER UNDECIMUS.

A Cum esset Cremonæ Franciscus, non minus Pado flumine ea Civitas quàm terra premebatur. Quod cum universus pæne ager in hostium esset potestate, ad ipsa prope Urbis mœnia quotidie incursiones fiebant, & dimissis à Venetorum classe biremibus, & aptuariis, prædatoriisque naviculis permultis totum id Padi litus, quod ad Parmensem Placentinamque oram pertinet, unde commeatus sine periculo eo abunde importabantur, crebrius longe lateque vexabatur. At Franciscus ubi per hyemem his cives angustiis liberare minus posse videt, ne eo aditu perturbato, qui adhuc tutus civitati in transpadanos relinquebatur, omni ex parte cibariis intercluderetur, magnopere sibi curandum putavit, ut pons qui ibi, uti demonstravimus, in Pado erat, & contra aquæ & hostilis classis impetum, ita communiretur, ne aut capi, aut interscindi posset. Quamobrem ad firmitudinem tigna ei operi adjunxit. Quod propter fluminis latitudinem mille circiter passus complectebatur, & quantum in longitudinem patebat, ab inferiore latere propugnaculis pluteisque frequentibus instruxit, & valida ab utraque ripa Castella obduxit. Ibique magnæ latitudinis tormenta collocavit. Præterea Orolandum Palavicinum, qui pleraque non procul ab eo flumine municipia possidebat, (77) intentum ad omnes hostium impetus esse jubet, ac in eo magnam se spem Pontis defendendi ac sublevandæ ab inopia frumenti Cremonæ habere ostendit, &, Mediolanenses ad reficiendas naves, quæ Papiæ erant, classemque instruendam, & ad pecuniam comparandam, qua ineunte vere ornari exercitus possit, hortari & admonere literis legationibusque assidue non desistebat. Sed dum hæc summa diligentia confici studet, res longe aliter quam cogitarat atque proposuerat, occulte aguntur. Quod post Placentiæ expugnationem ab iis maxime, quibus eo bello sublevari oportebat, graves in eum insidiæ strui cœptæ sunt. Picinini enim fratres, qui innata & capitali quadam simultate illum insequebantur, nulli rei magis per id temporis studebant, quàm quemadmodum ad internecionem eum redigere possent. Accedebat ad hanc fratrum perfidiam, (78) quod singularis Francisci virtus & potentia, omnisque rerum accessio Mediolanensium primoribus valde suspecta esse cœperat, cum metuerent, ne aliquando inviti una cum Mediolanensium imperio in ejus potestatem corruerent. Et ob id nihil quod ad Sfortianorum nomen gloriamque pertineret, audire æquis auribus poterant. Gerardus Dandulus, uti demonstratum est, in Braccianorum erat potestate. Hunc adduci ad se Franciscus magnopere cupiebat, cum ab eo de Cremonensium civium quorumdam fide exquirere nonnulla cognoscereque vellet. Quod cum à Piccininis sæpius contendisset, impetrare nequaquam potuit. Hi enim re postulantis neglecta, captivum data libertate cum his mandatis domum remiserunt, ut suo Senatui referret, eodem Picininos erga Venetos esse animo, quo erant, cum primum Philippus è vita excessit, eorumque mentem, qualis esset, satis Gentilis Leonissani ducis interventu esse cognitam existimare. Suâ operâ Mediolanenses, modò ipsi velint, & pacem & societatem cum iis contracturos, servaturosque perpetuam, propterea quod major civium optimatium pars non minore odio B Franciscum Sfortiam habeat quàm ipsi Veneti infenso servent animo. Quo quidem aut è medio sublato, aut Longobardia pulso, futurum, ut cuncta pro Venetorum nutu per Italiam procederent. His à Gerardo in Senatu expositis, non multo post tempore eo per internuntios secretò deventum est, ut Mediolanenses communi consensu legatos de ineunda cum Venetis pace Franchinum Castillioneum Jurisconsultum, cui plurimum fiderent, Oldradum Lampugnanum, Johannem Meltium, & Ambrosium Alzatem Bergomum miserint. Quibus paucis post diebus re incomposita reduntibus, rursus eodem C missus est Johannes Meltius cum Christophoro Velate juris perito, firmandæ ejus pacis causâ. Hæc Francisco cum molestissima essent, quod intelligebat quantum suæ suorumque salutis interesset, si ea transigerentur, quæ de pace circumferebantur, quandoquidem omnia ad suam suorumque perniciem tenderent, mittit Aloisium Bossium legatum apud se agentem, ut Theodori fratris opera, qui contrarius Triultiæ erat factioni, quæ jam essent de pace decreta interturbaret. Scribitque præterea legatis, quos Mediolani habebat, ut idem à necessariis amicisque dando ac pollicendo agi studerent, D apertissimeque deinde omnibus in Civitate demonstrarent, eam pacem, cujus petendæ gratia missæ essent Bergomum legationes, non securum Mediolanensibus otium, cum plena sit insidiarum, sed continuum ferme in faucibus visceribusque bellum, non publicæ libertatis diuturnitatem, sed servitutem brevì parituram, Laudensibus, Transadduanisque in Venetorum potestate permanentibus. Quam quidem ad rem jam Cives permulti & ipsi etiam Magistratus assentiri videbantur. Quibus ex rebus factum est, ut multos Civitatis Theodorus & Georgius E Lampugnanus audaces ambo atque impigri, quorum apud Plebem auctoritas plurimum valebat, in suam belli gerendi sententiam traxerint. Interim legati Mediolanenses ita cum Venetorum legatis egerunt, ut parte utraque quod obtineret possidente inter duas Respublicas pax esset. Id cum à Mediolanensibus publico noningentorum Civium decreto

(77) MS. & Philippo, dum in vivis erat, suspectum fuisse sciebat, quum post Casalense prœlium fortunæ cursum secutus, cum Venetis clanculum conspirare cœpisset, sibi fœdere ascivit, & Mediolanenses &c.

(78) MS. facinorosaque consilia, Mediolanensium nonnullorum Civium, & Arasmi Triultii, qui eorum princeps erat, non assidua modò cohortatio, sed publici etiam consensus pollicitatio. Quippe quod & singularis Francisci virtus formidolosa Braccianis semper fuisset, & potentia &c.

creto probari oporteret, & ut efficeretur, præter ceteros cum clientela Arasmus Triulcius curaret, Francisco quidem amicus sed amicior libertati, cui obstare illum cernebat, tota Comensis Porta, quæ uti demonstratum est, sextam Urbis partem continet, Theodoro & Georgio auctoribus commota est. Deinde magna Populi multitudine coacta bellum bellumque etiam conclamante, ubi in curiam Principum ventum est, à frementi multitudine Arasmus petitur, quod fœdæ perniciosæque pacis esset auctor. Qui populari tumultu territus, vi multitudinis cedendum ratus, bellum & ipse protinus inclamat. Cùmque se paulatim multitudine explicasset, domum se recepit. Cùm igitur communi consensu Mediolanenses perseverare in bello decrevissent, ex eo die ad bellandi studia conversis omnium animis ad eas res conficiendas, quas multis ante diebus Franciscus in Senatu per suos deferri jusserat, propensius enixiusque operam dare cœperunt. Magnam classis partem pro tempore armis, nautis, & remige ornatam, Cremonam mittunt. Reliquum verò classis, uti in diem instruitur, & in aquam deducitur, eodem celeriter proficisci jubent. Antonium Vintimillianum præterea quem Meltii præsidio à Venetis relictum diximus, cùm esset Mediolani transfuga, mille & quingentorum equitum & peditum quingentorum stipendio conducunt, datâque pecuniâ se propere bello paret, contendunt. Distribuique item argentum frugaliter in reliquos militum duces, qui Placentinorum prædâ absfuerant, magnopere curant. Franciscum verò, Picininos, ac Vermium, Carolo & Faventino prætermissis, qui se liberos esse dixerint, & alter in Mantuanos; alter in Flaminiam omnibus eorum copiis hyematum discesserant, mirum in modum & hortari & orare non cessant, ut pro Reipublicæ commodo, non exspectato dependendæ pecuniæ tempore, cujus inopia tunc plurimum laborarent, ex hibernis copias educerent, & quantacumque celeritate fieri possit, Transadduanos aggrederentur; quorum oppida non dubitabant imparatis celeritateque præventis hostibus non multo labore paucis diebus in potestatem redigi posse. Franciscus etsi quod ab se tantopere petebatur, non sine magna militum querela atque incommodo fieri posse intelligebat, tamen quoniam Mediolanensium postulatis satisfacere volebat, quo in reliquum tempus obsequentiores in rebus gerendis sibi essent, quæcumque ipsi proposuerint, modò à belli gerendi ratione non discederent, se pro virili facturum respondit. Probavitque præsentis in Transadduanos profectionis consilium, dummodo propediem pecuniæ exercitusque supplementa, priusquam esset in expeditionem ab hoste proditum mitterentur.

His rebus constitutis Franciscus tria inter oppida Pisleonem, Cremam, & Castellionem, idoneum tutumque colligendi exercitus locum nactus, huc convenire omnes imperat. Paucisque diebus contractis undique copiis, singulis aureis nummis Rhenensibus in milites singulos distributis, & cibariis dierum decem ex publico comparatis, circa Kalendas Majas Mozanicam primùm, deinde Vailatum aggressus obsidet. Trivilium postea ducit. Hæc Oppida quamquam firmo peditum præsidio à Venetis tenebantur, tamen coactis vi tormentorum oppidanis, decem circiter dierum spatio obtinuit. Quibus in potestatem acceptis, præsidiisque Venetorum cum armis bonisque omnibus ad suos dimissis, Cassiano admovit. Quod Oppidum, uti initio ostendimus, in Mediolanensi est agro, fluminis ad ripam positum. Ex eo ad Transadduanos Pons pertinebat. Id valido peditum præsidio à Venetis summâ curâ custodiebatur. Eodemque tempore cùm Eustorgius Faventinus haud parva militum manu à Mediolanensibus eo missus venisset, expugnato Vico, qui aggere fossaque circumdabatur, qua ad occidentem spectat solem castra ponere jubet. Pontemque deinde in Addua pluribus junctis lembis quamceleriter faciendum curat, quo utrique exercitus, facta ultro citroque transeundi potestate, sibi auxilio esse possent, & commeatus è Mediolano ad majora castra transportandi foret facultas. Ceterum muro atque aggere receptaculi, quod est pro arce constructum assiduo bombardarum ictu ad solum deleto, vi eadem quoque munitio capitur. Arxque quam majore deinde conatu duces aggressi sunt, post diem decimum quàm oppugnari Cassianum cœptum est, in potestatem Mediolanensis Populi per pactionem accepta Veneto præfecto cum peditatu Bergomum incolumi transmisso, devenit. Quibus nuntiatis rebus, qui Meltio præsidio erant, metu perculsi, relicto Oppido Laudem profugere. Cassiano igitur cum arce ponteque recepto, Franciscus reliqua Transadduanorum Oppida recuperaturum pergens Ripaltam Siccam adortus circumsistit. Quod Oppidum cùm aliquamdiu oppugnasset, incolis prædæ metu impetrata præsidio salute sese ejus fidei permittentibus, in deditionem accepit, & Mediolanensium præsidio munivit. Pandinum deinde obsedit, & ruptis deletisque vi tormentorum aggeribus, quibus miro quodam studio Johannes quidam natione Hispanus præsidii præfectus Oppidum munierat, expugnavit, moxque Arcem, qui ei præsidio erant, sese dedentibus recepit. Dum hæc in transadduanis geruntur, omnia Cremonæ turbaverat atque terruerat Venetorum classis, & in summum prope discrimen adduxerat. Huic præerat patritia ex gente Veneta Andreas Quirinus. Is cùm à Casalensi statione solvisset, & non longius passibus mille ab ea Urbe constitisset, postridie quàm eo ventum est, ad lapidis jactum magnam classis partem ponti admovit. Et cùm ex Galeonibus nonnullos magis omnibus arduos delegisset, eisque Musculis, quos, ut diximus, Catos vulgo appellant, singulis singulos adjunxisset, & projectis sublatisque sæpe anchoris, propius ei operi adegisset, pluribus exinde locis uno tempore omni missilium genere oppugnare pontem cœpit. Et si quam ejus partem aut capere, aut interscindere possit, à mane usque ad meridiem magnis viribus obstinate obnixeque contendit. Nec multum absuit eo die, quin ponte simul & classe, quam, ut prædiximus, milite nudam eo Mediolanenses miserant, uno fere momento Veneti potirentur. Descensum est enim multo pedite in arenam, ubi forte parvulam quamdam per eos dies insulam flumen effecerat. Ibique

adeo

adeo ægre à nostris pedestri prœlio pugnatum est, ut ex hostibus alii pontem ascenderint, & summo clamore Venetorum signa pinnis infixerint, alii magno impetu columnas succidere, & eorum qui desuper erant pedum plantas pilorum cuspide ferire cœperint; & qui præterea in navium pluteis stabant, multis conjectis jaculis, atque telis pluribus locis defensoribus iis, qui ex Civitatis delectu eo missi fuerant, pontem nudaverint. Quod ubi cognovit Blanca Maria, non fœminæ sed viri atque ducis operam egregie navando, tanta celeritate atque opportunitate cuncta providit, ut tam imminentissimo Cremonenses periculo magna cum laude liberaverit. Occurrerunt autem illius hortatu atque impulsu, & manu forti & animo ingenti ab utroque pontis capite Rogerius Gallus, qui tum ex Pisleone accersitus, in ea prope prœlii contentione veloci itinere Urbi appulerat, & Bellinciona acres utrique peditum præfecti, & magna cæde edita hostes depulerunt. Magno præterea ad id adjumento fuit Bartholomæus Gadius Cremonensis, qui per eos dies æger domi remanserat, vir quidem impiger, & singularum bellicarum machinarum industria præditus. Qui assiduis tormentorum ictibus è Castellis utrisque effecit, ut ea pars classis, quæ ad pontem propius accesserat, magno hominum naviumque accepto detrimento vi amota paulatim recesserit. Salernitanus insuper, quem Urbi Franciscus præsidio reliquerat, factis celeriter ex cratibus atque humo pontibus, cum delecto milite catafractis equitibus in insulam descendit. Hostiles turmas, quæ navibus egressæ in arido erant, invadit & primo impetu fudit. Multos ex iis occidit, multos quos Scaphæ propter multitudinem fœdamque fugam recipere nequiverunt, Padus absumsit. Sic præfectus irrito conatu & gravi insuper incommodo affectus eo usque regressus est, ubi à tormentorum ictu abditam classem in tuto fore perspexit. Nec deinde tamen destitit, quin fere quotidie triremibus naviculisque permultis Pontem Urbemque infestaret. De his rebus cum esset Franciscus crebris Blancæ conjugis literis certior factus, concilium advocat. Docet quanto in periculo nedum Cremonenses, sed navales quoque res versentur, quantumque deinde communis salutis intersit, si hostes pontem, cujus munimento integræ adhuc res essent, superaverint: cum futurum proculdubio existimari posset, nullas usque Ticinum Padi partes, sicuti per superiora tempora Philippo vitâ regnoque incolumi evenisse viderat, tantis hostium viribus Mediolanensium classe amissa clausas fore. Propterea omnibus modis studendum, ne id quod vererentur, aut imperitia aut negligentia ducum accideret. Optimumque esse censet, si omisso odio atque invidia, recta ratione bellum gereretur, ut omni exercitu quamceleriter Cremonam proficiscerentur, classemque delecto militum robore complerent, & hostilem secundo flumine classem invaderent, celerem victoriam relaturi, quam se in manu jam habere exploratum dicebat. Deleta vel fugata classe, liberatisque periculo Cremonensibus, in Brixianorum agrum mox traducendum exercitum dicit, & in hostium finibus bellum gerendum: atque ex ea re necessario fieri oportere, ut Venetorum exercitus, quem nondum transisse Olium, sed transiturum in Transadduanos propediem intelligebat, permanere in suis finibus compelleretur. Quod si diutius in his locis essent, ita novo hostium adventu distinerentur, ut in tuendis Oppidis, quæ in regione obtineant, reliquum æstatis tempus nequicquam consumerent. In Transadduanis autem nihil esse reliqui, quod brevi obtinere possent. Caravagium, quod oppidum in ea regione hostibus relinquebatur, non videri sibi in eo rerum statu oppugnandum, neque Laudensium ad Urbem commorandum: cujus potiundæ incredibili quadam siti Mediolanensium animi arderent, cum nihil Venetis hoc tempore optabilius, nihilque quod magis illorum rebus conducat, contingere posset, quam ut circa ea oppida Mediolanenses tempus terant. Picinini etsi invidiâ à Francisci sententia, quam quidem rem paulo ante ille cum iis communicaverat, dissentire videbantur, quod ea in medium adducere statuerant, quibus profectionem propositam impedire posse confiderent; tamen quoniam non videbant in præsentia quemadmodum ejus argumentis annuentibus præsertim ceteris contradicere possent, laudarunt & ipsi quoque, probaruntque simul cum reliquis ducibus imperatoris consilium: omnibus una voce dicentibus, nec aliter bellum recte geri posse, nisi dedita opera vinci ab hostibus Mediolanenses decrevissent. Legati Mediolanensium nequaquam ex his locis injussu suorum principum discedendum dicebant, quos de iis quæ in ea consultatione dicta essent, quamprimum suis literis certiores facerent. Interim quoniam ita Mediolanensibus placebat, in Laudenses Franciscus ducendum statuit, & passus circiter quingentos ab eo ponte, qui in Addua est, & ad teli jactum mœnia Urbis attingit, castra firmat. Deinde pontem in superiore fluminis parte, quæ Mediolanensem spectat agrum, scaphis ædificandum curat. Ibi trans id flumen Collionem, qui nuper eo venerat, & Eustorgium stationem habere jubet. Laudensibus præsidio erant equites ad octingentos, & pedites amplius mille. Cum his quotidie levia ad pontem, quem obtinebant, prœlia committebantur. Ceterum quod in concilio pudor coram agere Picininos deterruerat, id aliena ope efficere conantur. Per Brocardum Persicum familiarem suum versuto ingenio virum (79) Arasmo ceterisque suæ factionis civibus persuadent, ne exercitum è Laudensium finibus excedere sinant, neu ornatis Francisci verbis simulatisque consiliis credant. Qui non Mediolanensium, sed suum quæreret commodum, cum Cremonam ipse possideat, & Brixiam cum toto agro, quo duci exercitum summopere contenderet, ubicumque à Venetis defecerit, ad eum jure fœderis pertineat. Magnum præterea in sinu serpentem Mediolanenses alere. Omnem hominis hujus fortunarum accessionem eorum imperii diminutionem parere. Hoc maxime à Mediolanensibus animadvertendum dicunt. Laudem postremò facilè obtineri posse, si trans Adduam

(79) MS. quippe qui plus varia quadam vivendi arte calleret, quàm ipsi fratres, Arasmo &c.

duam in eo loco castra locarentur, qui inter flumen & urbana mœnia intercedere, demonstrant. Hac subdola & perniciosa Broeardi oratione re civibus persuasa, qui quod cuperent, facile credebant, mittuntur Magistratus consulto ex optimatibus Cives sex in castra legati, quorum Vitalianus Borromæus domi potens, Oldradus Lampugnanus, & Johannes Casates primi erant, qui Franciscum reliquosque exercitus duces ad obsidendam arctius oppugnandamque Laudem hortarentur, multaque hominum millia eo Mediolanenses missuros, & quæque oppugnationi ei necessaria subministraturos dicerent. Hos cùm in concilio audisset Franciscus, in eadem se esse, qua fuisset hactenus, sententia respondit. Neque si perseverare in sua opinione Mediolanenses voluerint, ut diu in his locis exercitus permaneat, se passurum ut Cremona diuturno bello attrita per paucorum invidiam & plurimorum inscitiam in hostium faucibus peritura relinqueretur. Ostenditque deinde ipso prospectu, exercitum, qui citra flumen erat in eum locum, quem designarant premendæ Laudis angustius causâ sine certissima militum pernicie traduci non posse. Hæc etsi legatorum reditu apertè satis Mediolanenses intelligebant, nihilo tamen secius & Braccianorum & civium eorum, qui cum iis sentiebant hortatu in priore sententia pervicaciter persistunt. Ob id cùm Cremona continenter importuna Venetorum classe infestaretur, Robertum Sanctoseverinatem, & Mannum Barrilem cum equitatus delectu eo Franciscus præsidio mittit. Ipse verò, cùm Mediolanensium pertinaciæ non amplius sibi contradicendum putaret, suâ patientiâ omnia dura tolerabat. Interim dum ad Laudem castra habentur, Collio, qui pluribus ante diebus cum Venetis de suis rebus secretò transegerat, magnis diurnis nocturnisque itineribus Bripium omnibus cum suis copiis pervenit: atque eo ponte, qui ibi in Addua Venetorum præsidio tenebatur, paucis itinere amissis impedimentis Bergomensium in fines se recepit. Ejus fuga & Francisci simul hortatu permoti Mediolanenses Guilielmum Johannis Montisferrati Marchionis fratrem, qui à Venetis per idem forte tempus veniâ impetratâ discesserat, stipendio conducunt, & Collionis loco sufficiunt.

Explicit Liber Undecimus.

INCIPIT LIBER DUODECIMUS.

PEr eosdem dies circiter Kalendas Julias Michaël non prius transire Olium ausus, post quam universas Venetorum copias in unum locum coactas vidit, potentissimo exercitu id flumen trajecit, & circa Mozanicam castra posuit. Quod Oppidum cum triduum oppugnasset, vi cepit, & magna in parte confestim à militibus incensum in prædam vertit. Quas ob res Franciscus, quod his locis ubi erat, propediem sibi discedendum intelligebat, si tueri parta vellet, rursus Mediolanenses tentandos putavit, ut per eorum voluntatem sibi ea belli gerendi consilia capere liceret, quæ saluti omnium & dignitati conducere viderentur. Mittit propterea Moretum Nazarium, quem supra nominavimus (80), qui modò singulos, modò in concione universos hortando, docendo, egregiam ducis fidem, & optima consilia commemorando, ita biduo Mediolanensium animos commovit, ut ad sanitatem reversi communi consensu decreverint, ut deinceps Francisci arbitratu atque ductu res bellicæ administrarentur. Quod ubi Franciscus accepit, mirum in modum lætus & gravibus curis levatus, cum in priore de invadenda hostium classe sententia omnino perseverandum affirmaret, quantis potest copiis exercitum augere contendit. Atque sic triduo effecit, ut recenti Guilielmi Karoli, & Christophori Taurelli Guidonis filii, quem maxime probabat, adventu, & multorum undique confluentium aliorum magno militum numero exercitus creverit. Et quoniam de Picininorum Braccianorumque omnium fide, cum pro iis, quæ Mediolani contra suam dignitatem in dies conabantur, tum etiam quod eos occulte cum hostibus continenter agere cognoverat, nonnihil subdubitabat, ne quid in castris per dolos in se molirentur, hos, quos diximus, cum Vermio duces, quibus plurimum confidebat, sibi quodam benivolentiæ & necessitudinis jure secretò obstringit. Idemque egisset cum Eustorgio, ni ille per eos dies accersitus in patriam ad capessendum per Guidonis fratris mortem patrimonium, relictis Vermii curæ militibus, in Flaminiam discessisset. Præterea domesticos Picininis exploratores ponit, ut quid agant, quidve consilii ineant, scire possit. Quare ubi se & adversùm æmulorum invidiam familiariumque inimicorum perfidiam tutum, & hostibus si non superiorem, attamen non inferiorem numero videt, ex Laudensibus movet, & per Cremenses trinis castris ad Padi ripam profectus non procul Cremona, ad Mosam dicunt, castra locat. Hostes paribus fere itineribus juxta Olii ripam locis tutis nostros observant (81). Interea renunciatur Francisco Quirinum, ubi primùm de ejus in ea loca adventu certior factus est, veritum ne adverso flumine iniquo loco dimicare cogeretur, toto suo navali exercitu in veterem apud Casale Majus stationem rediisse. Quæ quidem res admodum ei fuit permolesta, quod si loco permansissent hostes, non ea minorem ex inde victoriam se reportaturum sperabat, quam Philippi tempore, dum sub eo mereret, iisdem fere locis, iisdemque fere æstatis diebus ex potentissima Venetorum classe Nicolao Tarvisino præfecto retulisse meminerat. Itaque ea spe derelictus, mittit quamceleriter ex suis nonnullos rei militaris locorumque peritos, qui omnibus diligenter exploratis, quod invenissent, referrent. Ab his postero die cognoscit, hostilem classem in eo Padi ramo stare, qui penes Casalis Oppidi fossam præterfluebat, insulamque efficiebat, ubi insignem illam calamitatem superioribus Annis Philippi exercitus acceperat, atque ejus fossæ labro alligatam; esseque ramum ipsum à superiore Oppidi parte stipitum in terram demissorum, & ex aqua paululum eminentium vallo clausum, vado tantummodo relicto, quo navigiis singulis ingressus exitusque præberetur. Quod ferreis etiam catenis muniebatur, eamque classem Oppido castris circumsesso, & nostra classe ad rami ostium opposita à duobus lateribus ex continenti facile tormentis offendi delerique posse. Ea re in consilio delata, omnes uno animo eo proficiscendum, nihilque inexpertum de expugnanda profligandave hostium classe relinquendum consuluerunt. Sed enim Picinini etsi à reliquorum sententia minime discrepare videbantur, profectionem tamen eam, quoad possunt, variis modis impedire adnituntur. Negant præcipue, suos milites propter pecuniæ inopiam ulterius progredi posse, quin etiam ipsis necesse fore dicunt, nisi propediem stipendia penderentur, Mediolanum versùs remigrare. Ubi si pecuniæ eos defecerint, cibaria tamen frumentaria, quæ Mediolanenses hactenus exercitui dare consueverunt, haud sibi defutura sperabant. Franciscus quod intelligebat, quorsum hæc à Picininis dicerentur, per hunc modum ejus difficultatis cunctationisque causas illis adimere excogitavit. Esse municipia quædam in hostium manu, qua iter ad classem facturus esset exercitus proponit. Ex his quamquam suæ erant ditionis, & quoties vellet, in ejus fidem redirent, unum tamen opulentius ceteris prædæ militibus destinabat, quo se à præsenti inopia eximere, reficereque possent. Quod cum omnibus perplacuisset, Picinini lucri cupiditate pellecti sententiam mutant, & se signa secuturos dicunt, & Castelletum, quod Pontionum Cremonenses appellant, priusquam sit è concilio discessum direptioni dictum. Ut verò è Cremona eo ventum est, municipes continuo per eos cives, qui ibi prædia habebant, ad Franciscum oratum mittunt, ut supplices in fidem atque gratiam reciperet, quibus ipse ob eam, quam prædiximus

(80) MS. virum sane fortem, & rei bellicæ peritum, & non infacundum, qui suis sermonibus privatim factis, & oratione publice habita, egregiam ejus ducis fidem &c.

(81) MS. Dumque impigre dat operam Franciscus, ut ex toto exercitu & nostræ compiendæ & Venetæ adoriendæ classis, quæ non longius quinque passuum millibus ab eo loco aberat, delectus haberetur, interea &c.

ximus causam, velut indignabundus paucis respondit, se eos, quod priusquam in eum locum tantus exercitus venisset, ad eum de deditione non misissent, ceteris qui ad hostes defecissent, fore documento statuisse. Proinde se intus tenerent, fortiterque defenderent. Illi autem nequaquam adversus principem suum arma sumturos se dicunt. Interim militibus locis pluribus ingressis excursionibusque ubique factis, Castelletum diripitur. Incolas bonis omnibus spoliatos cum mulieribus atque liberis ab omni injuria & maleficio Franciscus liberos esse jussit. Ibi magna vis frumenti, magnaque animalium copia inventa. Nec ea tamen Picinini præda contenti fuere, nam etsi earum rerum magna pars ad eos pervenerat, qui multo ante alios Castellum invaserant, & repugnantibus nullis, multa priusquam reliqua multitudo introiisset, occuparant, rursus tamen cum esset in acie exercitus signis ad Casale conversis, gravem suorum militum inopiam prædicant, nec eorum memores, quæ paulo ante ad Cremonam promiserant, negant vel invidia vel innata quadam eorum alteri animi ignavia eo proficiscendum esse; asseverantes magno ibi cum periculo propinquis hostibus futurum exercitum, ubi & ipsi hostes, & navales turmæ, & oppidani uno tempore in castra pluribus locis impetum facere possent. Ad hæc Franciscus & commeatum abunde habiturum exercitum, quem Pado advehendum, militibusque distribuendum providisset, & ad Casale non amplius triduo commorandum statuisse dicebat; quo tempore si qua ad Venetæ classi vim inferendam potestas fieret, id facile confici posse arbitrabatur. Quod si interim hostes suis auxilium ferre conarentur, quod magnopere optabat, nulla iis mora obviam progrediendum censebat. His atque aliis verbis Picinini à sententia removentur, & quod ipse jussisset imperator, se facturos affirmant. Nam ea erat Franciscus præter ceteras animi dotes sapientia & facundia præditus, ut nihil fere esset in consultandis deliberandisque rebus tam arduum, quin demonstrando & persuadendo factu facile, aut tam facile, quin durum & perdifficile redderet, & in suam sententiam traheret, adeo ut legati Mediolanenses ejus viri prudentiam atque singularem in rebus bellicis disciplinam admirantes vulgo sæpius dicerent, & suis interdum scriberent, nullam esse rem, quam cum vellet, Franciscus in conciliis non obtineret (82). Quæ res magnam profecto ei conflabat invidiam, magnumque parabat odium, & Mediolani malivolis magis atque magis suspicionem augebat. Postquam igitur ventum est Casale, à tribus partibus, nam à reliqua uti ostendimus flumen prohibebat, ubi classi locus erat, castris circumdat. Deinde quatuor à duobus Oppidi lateribus tormenta, sicuti ab exploratoribus acceperat, alia ex aliorum regione summa in classem celeritate constituit, quibus die postero hinc atque inde continenter ab utroque latere naves percutiendas conficiendasque studio ingenti contendit. Papiensem verò classem ne veteribus exercitus cohortibus minueretur, eo solummodò milite atque hominum delectu, quos è Parmensibus nuper evocaverat, compleri, & ad rami ostium consistere jubet, ut si forte Veneta classis metu territa fugæ se mandaret, itinere intercluso prœlio decertare compelleretur; quod ex nostræ classis præfectis Blasius Asaretus, qui navali pugna in mari Tyrrheno Alphonsum Regem vicerat, cum se & navium & militum numero longe hostibus imparem esse diceret, exsequi pertimuit, stetitque universa classe eo loco, unde ramus ad Casale defluens, discedebat.

Dum hæc aguntur, fit frequenter certior Franciscus, Michaëlem ad Sanctum Johannem ad Crucem toto exercitu constitisse, minus septemmillibus passuum à nostris castris. Qua re nuntiata statim qua hostes eo iter facere possent, ad secundum usque lapidem vias consterni, fossasque æquari imperat. Speculatores non tam pedites quam equites frequentes ponit, ut quid agerent hostes scire posset eo animo, ut in eos, relicto castris præsidio, educeret, & pugnam extra Oppidi ædificia apertis campis consereret. Postremo neminem procul castris frumentatum, pabulatumve exire permittit. Quibus ex rebus tantus subito timor omnem pæne exercitum occupavit, ut non mediocriter ducum animos perturbaret. Accedebat ad id, quod ut ex captivis ac perfugis acceperat, ad octo armatorum hominum millia in Oppido esse, quæ partim ex classe præsidio, cui Johannes Pazalia præerat, partim ex oppidanis conficiebantur, quod eruptionibus crebris, quæ non parvo militum impetu in castra & ad tormentorum munitiones fiebant, non obscure judicabatur. Ex quo crescente magis atque magis singulis horis in exercitu timore, cuncti militum duces præter Carolum & Taurellum, qui magis odio in Braccianos, quàm virtute à ceteris dissidebat, & Taurellum, qui de prudentia imperatoris non diffidebat, & præclarum aliquod de sua virtute periculum edere cupiebat, Franciscum adeunt, & quanto omnes in periculo versentur, si ibi diutius morentur, ubi & à fronte & à tergo magno hostium numero facile locis iniquis circumveniri possent, ostendere adnituntur. Et propterea eodem omnes animo præter duos in ipso etiam meridiani solis ardore abeundum inde, & tutum in locum exercitum reducendum censent, atque testantur. Franciscus, quod tam repentinam animorum mutationem à timore natam videbat, convocatis ducibus; *Non*, inquit, *adeo rerum imperitus aut temerarius sum, ut si exercitum in tam manifesto discrimine, ut mihi omnes demonstrare conamini, positum esse perspicerem, vos heic amplius manere adhortarer. Nemo certe heic est,* (83) *qui plus & rei & nominis amittere possit, cum omnis & uxoris & liberorum & fortunarum mearum omnium salus ex mea solùm pendeat salute. Quis ex vobis sit, qui me volentem*

(82) MS. Quippe qui res diu cogitatas in concilio deferebat. Et quum longe ceteros prudentia, sermone, auctoritate anteiret, & omnes in eam, quam volebat, partem adducebat, & si qui contra sentiebant, neque ejus argumentis respondere sciebant, neque si scirent, ejus auctoritati & sapientiæ resistere audebant neque poterant. Quæ res &c.

(83) MS. *hodie, qui plus habeat in aperto amittendæ facultatis, quàm Comes Franciscus*. Sic enim se inter loquendum sæpius nominare solebat; *cum omnis & uxoris &c.*

rem putet ire perditum, nescio. Nihil profecto est, duces, quare tantopere vobis timendum sit. Hæc omnia, quæ commemorastis, jampridem animadverti atque providi. Hostes omnino contemnendos esse non censeo. Sed belli ratio & diligentia nostra, & singularis nostrorum militum virtus certam nobis victoriam promittere videntur. Tot nobis copiæ sunt, tot vires ob Dei benignitatem suppetunt, ut eòdem tempore & cum his, qui in classe & Oppido sunt, quos tantopere pertimescere videmini resistere, & cum universo Venetorum exercitu haud ægre confligere valeamus. Et quemadmodum hostibus, si hi in nos irruperint, si illi eduxerint, repugnandum & obviam eundum congrediendumque nobis fuerit, satis vobis demonstratum existimo. Ceterum exploratam jam de classe victoriam, cujus potissimum causa huc venimus, & in manu habere plane dicere possumus. Hanc tantam bene gerendæ rei opportunitatem abeundo amittere, infectis rebus, non profectio hinc nostra, sed fuga potius videbitur. Quod quam detrimentosum Mediolanensi Populo, quamque nobis turpissimum sit futurum, facile omnes judicare potestis. Quare manendum heic in diem crastinum, quæ perexigua temporis mora est, censeo. Interim quid in hostilem classem tormentis & classe etiam nostra proficere possimus, facilius ex rerum successu metiemur. Deinde quid nobis expediat, melius judicare, & quod consilium capiendum sit, tutius ac honorificentius ex ipsorum rerum eventu capere licebit. Hac oratione duces cum nescirent, quid imperatori respondérent, annuerunt, & abeuntes è concilio sese ac exercitum suæ virtuti, cui magnopere confiderent, committere dixerunt. At Quirinus à Michaële & legatis admonitus, ne eo accedentibus simul cum classe hostibus terreretur, neve loco discederet, sibi quamprimum à tergo infestissima acie illos invadere staret animus, paruit ducis legatorumque jussis. Et cum posset obsidionis initio re salva abire, ea spe auxilii fretus, ubi principio steterat, præter omnium opinionem perstitit. Sed suis mox opem ferre cunctantibus, cum de discessu cogitare cœpisset, pertimuit nostram classem, quam ex oculis stantem aspiciebat, majore quàm esset militum numero ac robore instructam existimans. Sed enim cum à mane usque ad solis occasum assiduis tormentorum ictibus oppugnaretur, quatereturque classis, major sublimiorum Galeonum pars ita est in latera saxeis transfixa atque quassata pilis, ut complures non tam ex nautica turba, quàm ex militum cohorte conciderent, & maxima ubique per navium alveos & tabulata hominum cædes stragesque conspiceretur. Quod cum animadvertissent Eustachii duo Bernardus & Philippus, qui cum Blaxio Asareto & ipsi classi præerant, ad rami fauces Francisco non adhortante modò, sed impellente, descendentes ibi perdenso navium ordine prioris ad hostem versis, jactisque anchoris constiterunt. Duosque deinde protinus Galeones, egregie præter ceteros omnibus rebus ornatos, contra aquæ impetum eo imperio immiserunt, ut eos ex classe Galeones invaderent, qui primo sibi objicerentur, reliquosque acriter missilibus lacesserent, ut quid in prœlium auderent, ex navium motu cognosci posset. Hi ut jussi faciunt, & primo congressu singuli singulos tormentorum terrore defensoribus destitutos nulla contentione cœperunt, & ad classem versos traxerunt. Nec reliqua proinde quicquam Veneta classis sede commota. Quæ quidem res tantam universo exercitui lætitiam attulit, tantamque omnium animis alacritatem simul cum virtute præbuit, ut sublato timore omnium judicio parta jam de classe victoria videretur, laudareturque magnopere summa imperatoris constantia, quod ejus prudentia eo res navalis deducta videretur, ut exercitu incolumi amplissimam inde essent victoriam habituri. Quirinus autem tanto navium navaliumque sociorum detrimento accepto conterritus, ubi multis signis fumo factis, quibus, quo in periculo Veneta classis esset, facile terrestris exercitus intelligere potuerat, neque adhuc exaudiri, neque multis quassatis navibus exituque fluvii occupato, nisi manifesta omnium pernicie discedere posse videt, desperata salute, naves omnino deserere, & Oppido navalis turmæ incolumitatem petere constituit. Nam nemo erat nautarum præsidiique navalis miles, qui mortis metu in navibus amplius consistere auderet. Itaque in proximam noctem facta in terram descendendi libertate, omnes cum iis bonis, quæ pro tempore humi exponere potuerunt, paucis in Galeonibus singulis relictis nautis, sese in Oppidum receperunt. Orta autem luce prima, ut rursus crebri tormentorum strepitus audiri, & ex continenti contortis lapidibus naves confodi cœptæ, Papiensisque classis Venetæ paulatim appropinquare visa est, continuo Quirinus, qui ut demonstravimus in Oppidum se receperat, excelsiores nonnullas omnibus naves ab iis, quos ibi reliquerat, succendi, præcisisque rudentibus, ut ipsarum incendio ceteræ quoque exurerentur, ne integræ in hostium manus devenirent, profluenti devehendas dari, jussit. Ut verò ad classem flammæ, atrique piceorum fumorum globi ab exercitu conspici cœpti sunt, extemplo multitudo inermis, id quod erat suspicata, eo concurrere cœpit, & partim scaphis, quas in ripa reperiebant, partim natando nullis prohibentibus naves conscendunt, & quisque præda gravis factus in terram redire, & in stationes arrepta comportare contendit. Idem faciunt sumtis naviculis qui nostram classem, quæ ignem verita procul steterat, conscenderant. Franciscus id conspicatus, mox armari exercitum, & in acie statutis locis consistere jubet. Deinde præter castra, qua in hostem iter straverat, educit. Sed dum hæc aguntur, rumore ingenti inter milites de navali præda exorto, nemo erat ita dicto audiens, qui non ejus prædæ cupiditate, qua permulti sæpe mortales ad vetita & fœda quæque trahuntur, eo abire exardesceret. Ex quo factum est, ut cum permulti clanculum acie ad flumen excessissent, aut famulos misissent, ita armatum agmen exinanitum sit, ut non adversùs hostem exisse, sed ad diripiendam Venetorum classem totus pæne exercitus inermis confluxisse videretur, & omnia in castris concursatione & tumultu permiscerentur. Quod ubi Franciscus animadvertit, dimissis confestim ad classem & in omnem castrorum partem tubicinibus, milites cunctos unum in locum armatos coire, & hostes jam adesse, pugnari jam cœptum pronuntiari locis pluribus conclamarique imperat, & capitis insuper pœnam iis, qui non paruerint, adhibet. Ver-

Verebatur enim non mediocriter, ne si forte hostes, quos magnitudine fumi excitatos in armis esse renuntiabatur divisum exercitum, prædaque occupatum rescivissent, tantam adoriendi occasionem nacti, eo iter arriperent, & divisis copiis imparatum offenderent. Sed posteaquam ne id quidem proficere quicquam videt, magnitudine periculi tam propinquis hostibus permotus, misit, qui in omnes Venetorum jam captas naves, quas nondum incensas flammæ attigissent, ignem injicerent. Qua ex re ita factum est, ut statim totus exercitus in aciem cogeretur, & minus semi horæ spatio universa Venetorum classis tanto undique conflagraret incendio, ut nihil superesset ex septuaginta navium numero præter quatuor ad summum Galeones, quorum duos superiore die captos fuisse diximus, alteros verò concursus initio eo mane Bernardus ad suos deduci curaverat, quin ignis absumserit. Constabat namque ea classis ex duobus & triginta, ut prædiximus, non exiguæ altitudinis Galeonibus, triremibus duabus, totidemque biremibus. Ceteræ verò naves, quæ numerum confecerant, actuariæ erant & onerariæ ex varia & humiliore quadam forma ædificatæ, partim ad transvehendos celeriter, & in terram exponendos milites, partim ad commeatus & reliqua, quæ bello usui erant, importanda, & Padi fluminis navigationi accommodatæ. Concremata est cum ipsa etiam classe, quæ

A maximo prope sumtu comparata æstimabatur, ingens pæne tum bellicarum tum navalium rerum, tum cibariorum copia, quæ vincendi studium cumulatissime congesserat. His rebus triduo prospere confectis, Franciscus quod paulo ante de mutandis castris dixerat, postridie confecit. Nam etsi non recepto Oppido invitus inde recedebat, tamen ne suo commodo omnium fere voluntati pertinaciter repugnare videretur, castra movit & in Vico, quem Picciorum Turriculam vocant, medio fere itinere inter ipsum Oppidum & Cremonam positum consedit. Dum hæc ad

B Casale geruntur, hostes de ferenda obsessis ope dies atque noctes conciliis agendis consumsere, & in his graves prope inter eos contentiones exortæ sunt; propterea quod legatis & aliis quibusdam primariis viris placebat, ut in hostes totis copiis iretur, & collatis signis dimicaretur, Michaëli verò & majori ducum parti non videbatur, rem tanti momenti fortunæ temeritati velut aleæ objiciendam. Nam qui rei militaris disciplinam profitebantur, cum nostri equitatus robur & præstantiam vererentur, & præ omnibus rebus summam imperatoris prudentiam, virtu-

C tem egregiam, singularemque in bello auctoritatem & secundam omni tempore fortunam plurimi facerent, illius propemodum totis copiis congressum & perhorrebant, & fugiebant, & ob id præter legatorum voluntatem se pugnâ alia atque alia simulando obstinuere.

Explicit Liber Duodecimus.

INE-

INCIPIT LIBER DECIMUSTERTIUS.

Nondum certus victoriæ nuntius ab exercitu Mediolanum pervenerat, cum tota Civitas incertis adhuc rumoribus lætitia ingenti repleta est. Et nonnulli ex primoribus cives, qui Francisci fortunæ semper inviderant, varias jam belli gerendi cogitationes volutare animo, variaque inter se colloquia habere cœperunt. Nec multo post Francisci multorum literis re confirmata, decreta est tridui per Urbem supplicatio. Deinde advocato concilio omnium ferme consensu abrogatur Francisco potestas, quam superioribus diebus de bellicis rebus suo arbitratu administrandis non sine magno labore impetrarat. Rursusque ducendum in Transadduanos Caravagii potiundi studio exercitum decernitur, cum hi, qui Francisco infesti erant, eo Oppido recepto, Laudem postea facilius premi oppugnarique posse dicerent. Et eâ in potestatem redactâ, pacem cum Venetis prorsus faciendam censerent, ne unius maxime bellicosissimi ducis præscriptu Rempublicam diu administrare & maximo insuper belli sumtu non tam publicas quàm privatas opes consumere cogerentur. Scribitur legatis, ut omnibus publicis privatisque rebus postpositis in Transadduanos cum exercitu maturarent. Caravagium primo adventu obsideri oppugnarique curarent. Mediolanenses molitum decoctumque militibus triticum in pecuniæ supplementum, quamdiu ibi fuerint, daturos, nullisque etiam rebus, quæ oppugnationi ei necessariæ viderentur, defuturos ducibus pollicerentur. Quæ cum ex longa legatorum oratione Franciscus intellexisset, non sine gravi indignatione, se non posse vehementer non admirari, atque dolere inquit, quod id, quod paulo ante decreto publico de bello gerendo Mediolanenses statuissent, nunc secundis rebus elati ita repente nulla rerum suarum habita ratione retractassent. Quæ res quantum & honori suo & publicæ utilitati detrimenti sit allatura, judicio eorum, qui rei militaris usum probe tenerent, relinqueret. Sibi enim in animo fuisse & pro Reipublicæ & suo & exercitus commodo in Brixiensem agrum arma signaque convertere, & hostes, qui tamdiu agrum Mediolanensem depopulentur, arte trans Olium amnem in eorum fines detrudere atque repellere. Quod si res integra in sua esset potestate, paucis diebus confici posse, ut Caravagini simul & Laudenses undique hostilibus Oppidis atque præsidiis circumsepti non multo tempore neque multo labore ad deditionem cogerentur. Sed posteaquam Mediolani sic res haberent, ut paucorum magis libidine atque impetu quodam animorum, quàm multorum consilio & ratione agerentur, & sui esset officii, & quod Mediolanenses jussissent, efficiendum curaret, se quocumque voluerint simul cum cæteris iturum. (84) Hæc posteaquam questus est, ex Cremonensibus postridie profectus quintis castris quarto Kalendas Augustas Caravagium pervenit, Oppidum Transadduanorum insigne, regionisque caput, Populo frequens, muro ac fossa egregie munitum, mille amplius passibus in ambitum aquæductibus fossisque frequentibus pæne invium. At ubi nocte priore huc Matthæum Campanum, & Ludovicum Malvicium Bononiensem cum septingentis circiter equitibus & peditibus octingentis, quibus præerat Detesalvius Bergomensis ab hostibus præsidio missos renuntiatum est. Injucunda quidem & permolesta ea res fuit, quippe quod ob id quam durior quamque diuturnior futura esset Oppidi oppugnatio intelligebat, ejecta præsertim inde majore oppidanorum parte, quæ Venetorum nomini suspecta haberetur, quod certe præter opinionem evenerat, cum eos quos eadem nocte eademque de causa præmisisset, celeritate ab hoste superari nequaquam putaret. Præire enim jusserat cum primum de Campani ab hostium castris discessu cognovit, certos equestri pedestrique manu confertos, & his Petrum Johannem Camertem, virum fortem belli & locorum peritum ducem adduxerat, qui Oppidi ingressu hostem prohiberent. Accedebat ad id etiam, quod propediem tuendi ejus Oppidi causâ hostes toto exercitu per ea loca futuros compertum haberet. Quas ob res visum est ei, ut ad secundum teli jactum procul mœnibus stationes militum poneret. Itaque circumspecto Oppidi situ, loca castrorum inter duces dimensus multo jam die erumpentibus sæpe hostibus per hunc modum Franciscus cingere exercitu Caravagium cœpit. Suas in primis copias ad eam ipsius Oppidi partem stationes facere jubet, quæ ad orientem spectat solem, & ad Vicum, quod Forum Novum appellant, attingebat, & qua hostibus brevius expeditiusque ad id Oppidum iter fore animadverterat. Ad dexteram quæ ad septemtrionem pertinebat, qua ad Morengum itur Vicum, quave item ad obsessos facilem hosti patere aditum prospexerat, Braccianos tendere edicit. Ad sinistram verò quæ ad Meridiem & ad Occidentem vergebat, Guilielmianas, Carolanas, Taurellanasque deinde & Vermianas turmas locat. Quod autem agri inter Vermianos Braccianosque milites stationibus reliqui fuit, id ita paucis interjectis diebus novo copiarum adventu completur, ut nihil superesset circa Oppidum spatii, quin in coronam militum tabernaculis occuparetur. Ex his autem equitum ductoribus, quos eo posteaquam ventum est, Fran-

(84) MS. Præterea quoniam Petrum Cottam ex legatis alterum, qui propensiore quodam animo obtrectatorum suorum studia sequebatur, duces singillatim convenisse, iisque, si rem Mediolensibus gratam efficere cuperent, ne suis consiliis de traducendo ultra Olium exercitu crederent, neve alio quam in Transadduanos proficisci sibi obtemperarent, persuasisse, & multa sæpe contra suam dignitatem publice privatimque Mediolanum scripsisse cognoverat, accersitum ad se in plurimorum conspectu quamgravissime increpavit. Admonuitque deinde pro sua mansuetudine satis amanter, ut deinceps maledicere desineret, & dissidia serere, quæ semper multorum causa malorum fuere, abstineret, justitiam coleret, & publicam privatæ utilitati anteponere meminerit. Hæc posteaquam dicta sunt, Franciscus ex Cremonensibus &c.

Franciscus cum suis accersiverat, septem præcipue numerabantur, Franciscus scilicet, Americus, & Barnabos fratres Sanctoseverinates, Jacobus Ursinus, Angelus Labellus, Floravantus Perusinus, qui sub Philippo Maria Duce meruerant. Antonius præterea Vintimillianus novissimus omnium recenti milite exercitui additus est, duabus etiam equestris ordinis cohortibus, quæ ex familiari & domestica Philippi militia fuerant, quibus Georgius Annonensis præficiebatur, eodem ferè tempore adjunctis. Hos omnes præter Vintimillianum peditatum supra quatuor equitum millia duxisse in ea castra affirmabatur. Quo quidem supplemento non tam exercitus numero est auctus, quam militibus additus non mediocriter animus. Firmatis igitur in coronam circa Oppidum castris, Franciscus, quod hostes majoribus quàm consueverant, itineribus appropinquare finibus intelligebat (nam longius illis per Cremonenses secus Olii ripam quàm nostris in Transadduanum agrum proficiscentibus iter fuerat.) postridie collecto pro tempore propinquis ex oppidis non exiguo fossorum numero, qua inclusi hostes eruptionibus milites faciendis stationibus occupatos turbabant, fatigabantque, vias intercidere, & materie obstruere, castra item à duobus maxime apertis lateribus, de quibus supra diximus, fossa & aggere magno studio munire aggreditur. Via est à Caravagio recta ad Forum Novum ducens. Inter Vicum autem ipsum & novissimas pedestris manus stationes pari ferè intervallo fossa erat perpetua, tutelæ causâ quondam circa oppidum facta vetustate & negligentia magna ex parte ad summum æquata. Sed forte ibi ad dexteram meridiem versùs progrediens, adeò erat veprium plena, ut nisi paucis locis transiri posset. Hanc Franciscus opportunè nactus, quadringentos circiter in longitudinem passus non multo opere inaccessibilem continuò effecit. Deinde viâ præruptâ atque interclusâ, quæ à latere utroque prætermissis etiam ad dexteram vici ædificiis ad silvestria & palustria proxima quædam loca intransmeabili fossa extruebatur. In ea ipsa, de qua prædiximus, fossa, ubi planities erat satis patens, pontem fieri, repagulisque ita obstrui jubet, ut pro tempore & claudi & referari celeriter posset. Hæc illa sane munitio fuit, quæ postremo non universo modò exercitui summo in discrimine versanti salutem attulit, sed maximam ac memorabilem non solùm nostris quidem, sed posteris etiam temporibus paulo momento victoriam præbuit, & Sfortianæ porro Domui cum excellenti illa Francisci virtute conjuncta, quemadmodum ex successu ac serie rerum facile perspici potest, magni principatus dignitatem atque gloriam peperit. Nec id minus castrorum latus, quod ad septemtrionalem vergebat plagam, cùm à reliquis partibus proximis ac frequentibus Transadduanorum oppidis tuta redderentur, fossa & aggere munire contendebat. Dum hæc summa festinatione apud Caravagium geruntur, fit triduo posteaquam eo ventum est, quod fuit ad Kalendas Augustas, Franciscus prima luce ab exploratoribus certior, hostes copiis omnibus jam ad Morengum, quod à castris quatuor passuum millibus aberat, adventare cœpisse. Qua re nuntiata, ar-

A mato confestim exercitu, relictis pro portis Oppidi præsidiis, longo turmarum ordine eo consilio atque animo in hostes educit, ut vel in ipsa castrorum locatione, ubi nullus plerumque pugnandi ordo servari solet, prœlio collatis signis decertaret, vel si ipsi forte ipsi pugnam renuentes eo se fossæ munimento continerent, quæ inter Bergomenses Transadduanosque agrorum dividendorum causâ longo olim spatio fuerat exstructa, quam & in hodiernum usque diem Bergomensem Fossam appellant, illos suis castris hospitio procul arceret. Sed nondum præcursores ad eam Fossam pervenerant, cùm ei renuntiaretur, jam Morengum hostes præterisse, & B ad Fossam eamdem primum eorum agmen appulisse. Qua re nec mora nostri pugna pedestri eos lacessere cœperunt; subsecutis deinde levis armaturæ equitibus committitur fossa tenus prœlium equestre atrox, quod ex altero fossæ labro sagittariis tela conjicientibus nostri acriter cæderentur. Ob id nostris equitibus discurrendo defatigatis, equisque aut interemtis aut vulnere confectis, duos Franciscus ordines ex delecto ex singulis totius exercitus turmis equite coactos, quos stationarios nominabant, eo immittit, iisque Picininus junior pugnandi avidus impetratâ precario ab imperatore licentiâ adjungitur.

C Dum sic parva utrimque manu inter virgulta pugnatur, vox frequens per ordines exoritur, quamplures ex hostibus cohortes per Forum Novum iter ad Oppidum facere, confirmaturque à novissimo agmine venientibus nuntiis, eas illò maturare. Franciscus id veritus, quod nullum munitioni ei, de qua obsidionis initio mentionem fecimus, præsidium reliquisset, cùm hostes nequaquam bipartita tam longo intervallo acie dimicaturos existimaret, extemplo alteri Picinino seniori mandat, cui primum ex ducibus eo die cum suis ineundæ pugnæ munus obvenerat, ut hostes ad suum usque reditum levi prœlio distineret; & quoad fieri posset, citra D fossæ munimenta æquum in campum trahere conaretur. Et quia hominis & virtuti & fidei parum confidebat, Dulcium Comitem, virum impigrum & belli scientissimum illi socium & pugnantibus moderatorem adhibuit. Deinde dum ad postremum agmen celeriter contendit, & si quid ex itinere apud cohortes minus composite, & præter jussum factum videt, acri voce castigat & moderatur. Dumque milites forti esse animo hortatur, & ad rem strenuè, ubi opus sit facto gerendam admonet, plures eodem tempore à Michaële in prœliantes nostros equitum turmæ, quas Guido Rango Mutinensis ex hostium ducibus non postremus ducebat, im- E mittuntur, quibus alias pugnâ paulisper consertâ integras succedere jubebat. Ex quo equites nostri cùm & numero premerentur, & longo labore nulla ope subministrata superarentur, ad Franciscum Picininum, qui ad duplicem teli jactum à certamine procul steterat, mittunt petitum auxilium, quod etsi ad prœlium paratus stabat exercitus omnis, tamen nemo erat eques ex instituta à Francisco lege, qui injussus ingredi pugnam auderet. At ille nedum vinci sed vincerequoque veritus, quod & suam simul cum ceteris perniciem ac victorem Franciscum, cujus vir-

virtus & gloria, uti demonstratum est, & semper Braccianis suspecta fuit & formidolosa, propemodum perhorresceret, velle se potius militum numero minui quàm augeri prœlium per tubicinem laborantibus respondit, & ob id pugna protinus excederent, mandare. Quo responso Picininus frater quàm graviter perturbatus, iterum fratri renuntiari jubet, se hostium multitudine non superari modò sed obrui; & nisi velociter subsidium mittat neque se sustinere amplius, neque sine detrimento ex confertissima hostium acie dissolvere posse. Is nec considerato fratris sociorumque periculo, eadem ei & Dulcio referri imperat. Quod cùm plerique audissent, qui armati hastasque manu ad femur tenentes aderant, rem sanè indignam & perpetuæ ignominiæ notam subire omnes dicere singuli cœperunt, si fratrem frater, si ducem milites ab hostibus ante oculos circumveniri capique paterentur. Proinde eum orare, ut sibi ire in prœlium, & laborantibus succurrere liceret. Nec ob id tamen ille sententiam mutat: quinetiam loco neminem discedere permittit. Dulcius eo præcepto, quod à Francisco proficisci credebat, cùm per eum præsertim enuntiaretur, quem ex ipsius tubicinum numero cognoverat, prœlium non multo labore languidius ingruentibus hostibus diremit. Nam Michaël, cùm omnem pæne Venetam aciem, sicuti in locandis castris sæpe accidere solet, impedimentis à tergo implicitam intelligeret, quod equitatus in fronte expeditum habuit, id hostibus opposuit, & ne fossa à nostris superetur, summo studio summisque viribus conabatur, & ob id haud longe suos hostem urgendo progredi sinebat. At Franciscus ad novissimum agmen profectus, quod prætoria nondum tentoria prætererat, falso de hostibus à tergo conclamatum comperit. Vermioque ibi relicto, cui mandarat, ut si quid ea hostes conarentur, conversis in eos turmis proximis acriter confligeret, cùm tanto maximè equitatu abundarent, ut & à fronte & à tergo magnis viribus confligere possent, celeriter unde erat digressus equis pluribus commutatis revertitur. Nam tantum soli à cohorte postrema usque ad eum locum, ubi pugnari cœptum erat, acie mediocribus inter se disjuncta spatiis, ne prœliando alteri alter impedimento esset, occupabatur, quod tribus amplius passuum millibus contineri æstimabatur. Et admiranti, cur se absente prœlio discessum esset, quod in suo reditu impetum in hostes facere, & fossa qua se tenerent, si vi transire posset, tentare statuisset, cùm haud difficile futurum arbitraretur, quandoquidem eos impedimentis sarcinisque impeditos cognovisset, responsum est Picinini jussu, quem prœlio præfecisset, id esse factum. Et cùm omnibus se insciente castra repetentibus plurimum ipse quereretur, quod oblata tam opportuni temporis profligandi hostis occasio vano suorum sive metu sive consilio è manibus eriperetur, Dulcioque graviter præter ceteros succenseret, quod trepidantibus & à tergo pæne fugatis hostibus se colligendi facultatem dedisset, & alieno imperio prœlium diremisset; & ille admirans, & quasi subiratus: *Non alieno*, inquit, *sed tuo jussu invitus pugnâ excessi*, tum manifesto cognita est Picinini fallacia, & imprudentia nuntii, qui quod sibi à Francisco jussum non fuerat, pro jussu retulisset. Nam & pugnando & post pugnam ex perfugis compertum est, omnia apud hostes tumultuarie agi, & terrore commisceri, omnes non in armis atque viribus, sed in fuga salutem ponere, & plerosque jam impedimenta, & quod carum haberent trans Olium mittere cœpisse, & in tanta adeò trepidatione versari, ut si à fronte repulsi paulisper premerentur, actum eo die fuisset de Veneto exercitu, cùm non multo negotio in fugam territi conjicerentur. Quod cùm ita esset, & jam ad meridiem sol processisset, & nisi summa loci & temporis iniquitate redintegrari prœlium non posset, redire in castra copias omnes Franciscus jubet. Et Picinini ignaviam atque perfidiam, quasi re bene gesta, dissimulando æquo fert animo. Hostes maximo liberati metu atque periculo, quorum pars arreptâ fugâ, ut demonstratum est, Olium jam in Brixienses transierat inter Morengum & Bergomensem Fossam, ut cœperant, castra locant, & ingenti celeritate novo se aggere munire contendunt. Ceterum Franciscus tam propinquis hostibus duo maximè castrorum latera, quæ ut ostendimus, ad Septemtrionem & Orientem, ac Venetorum castra versa erant, munienda prius quàm oppugnandum sibi oppidum ratus, magnum fossorum numerum à Mediolanensibus ad se celeriter mittendum deposcit, & plurium insuper dierum pabulum, cujus magna per loca erat copia, equites convectum habeant, ne sæpius ob eam causam castra nudarentur, edicit. Deinde à Foro Novo initium capiens, hoc genus munitionis instituit. Fossam juxta id nemus, de quo supra mentionem fecimus, palustre quidem, sed multis pervium locis, & hostium castris proximum millia passuum quatuor in circuitu effodiendam, & aqua complendam curat, quæ duo tantummodo castrorum latera attingebat. Huic aggerem pluribus interjectis turribus pedum in altitudinem duodecim addit, ut si fossæ trajicerentur, ascensum hostibus tardaret. Hunc etiam vallo pluteis pinnisque ligno & cespite factis ita desuper exornat, ut Oppidi muri instar videretur. Hoc tantum operis, quod necessario complexus erat, quamquam dies atque noctes operarios ipse fatigabat, tamen propter illorum paucitatem ægrius quam volebat quamque res postulabat, instruebatur, & ob id, quo celerius supplementa mitterentur, Mediolanenses solicitare non desinebat. Interim ne opus intermitteretur, quampluri mos ex propinquis Oppidis fossores quotidiana mercede suo sumtu conducit. Hostes contra, quoad Mediolanensium castris propius munimentis fossarum aggerumque oppositis sua castra pedetentim admovere valeant, ut spem auxilii obsessis præbeant, & timorem adversariis ineutiant, ne oppugnare Oppidum aggrederentur, nullo intermisso tempore concertare cœperunt. Magno enim fossorum coacto numero Bergomensi Fossa quingentos circiter passus prætermissa aliam ingenti per noctem celeritate eduxere. Moxque inter utramque peditatum omnem, & equitatus partem præsidio disposuere. Quod ubi Franciscus animadvertit, arbitratus id quod hostibus erat in animo, ne instituta sine controversia sub oculis munitio conficeretur, la-

lacessere ei operi destinatos constituit. Itaque vesperi Venetorum oculos sole percutiente prælium committitur utrimque in ea planicie, quæ ante novam hostium fossam patebat, acerrimum, & præ pilulariorum multitudine, qui nuper è Mediolano venerant, teterrimum. Quorum quidem pilulariorum fumi in nubem coacti ita aëra obscurabant, ut pugnantes alter alterum cernere non possent. Qua re multi ex hostibus cecidere, plures vulneribus confecti prælio cessere. Sed post, ubi aliquamdiu dubiâ victoriâ pugnatum est, Venetæ cohortes omnes, quas Michaël Guidone duce eduxerat, repulsæ plerisque interceptis equitibus, in interiores munitiones sese receperunt, nostris, quos fossa tardaverat, eas insequi non audentibus. Quam quidem fossam cum vi sagittariorum nudato defensoribus aggere, quem ei fossæ hostes adjecerant, impetu facto, superassent, continuo est in hostium stationes penetratum. Quibus direptis atque incensis, ubi nihil præter tegmenta inventum est, discursionibusque ad secundas usque castrorum munitiones factis, majus aliud prælium instauratur cum his, qui pro castrorum portis summo robore constiterant. Franciscus autem posteaquam tenebris jam factis in reliquas munitiones minus irrumpi posse videt, receptui canere jussit; copiasque in castra non sine magno hostium detrimento & ignominia ad multam noctem incolumes reduxit. Nam in ea pugna magna fuerat in Venetorum milites cædes facta, multa multis illata vulnera, & eorum spectante armato exercitu expugnata, deletaque munitio. Inter ceteros autem, qui eo die egregie operam navarunt, Robertus Sanctoseverinas & Antonellus Cornetanus præcipue laudati sunt, quippe quod semper primos inter dimicatores pugnando versantes, ille militis & ducis, hic militis munus fortissime functus. Et pilulariorum Mediolanensium manus equitibus intermixta ita acriter in hostes contorsit, ut singulare suæ virtutis experimentum præbuerit, & ingentem hostibus terrorem injecerit.

Veneti hoc novo totque superioribus acceptis incommodis majore quam antea ad belli studia animo incensi, ita sibi conandum censent, ne cum longe opibus & belli gloria Mediolanenses antecellant, iis novo ac prope nutanti adhuc imperio, impensæ parcendo cædere viderentur. Hortabatur ad id quoque eos illa maxime res, quod intelligebant Mediolanenses & propter pecuniæ inopiam & intestinas inter eos domi dissensiones, & militiæ inter duces æmulationes atque discordias, neque diutius belli ejus impensam perferre, neque exercitum per autumni etiam tempus simul in castris continere posse. Itaque summa celeritate magnum ex Dalmatia sagittariorum numerum accersunt, magnamque ex Germania pilulariorum manum conducunt. (85) Præterea equos, arma undique comparare, in castra militibus distribuenda submittere, & fossorum numerum augere die noctuque non desistunt. Brixiensibus, Bergomensibusque insuper non parvum armatorum hominum delectum imperant, nec quicquam quod & ad alendum exercitum, & ad vincendum pertinere arbitrarentur, prætermittunt. Ac paucis post interjectis diebus rursus fossam aggeremque, quæ ut ostendimus nostri deleverant, per silentia noctis tanta celeritate & altitudine instaurant, ut facile paucis defensoribus defendi possent. Quod ubi cognovit Franciscus, haud eo opere pellere hostem posse ratus, aliam contra & ipse fossam atque aggerem quadringentos circiter passus ab ea fossa, quam paulo ante instituerat, faciendam imperat. Portam, qua in eam planiciem, de qua supra dictum est, erumpebatur, propugnaculo adjecto miro artificio ædificandam designat. Turrim insuper munitioni ipsi trabe humo fasce tabulatis quinque excitandam addit, quam tantum in altitudinem erexit, ut cuncta fere Venetorum castra uno exinde prospectu detegerentur. Interim equestria fere quotidie prælia per eos campos conferebantur, qui inter bina castra intercedebant. Quæ & si levia singula videbantur, gravis tamen inde equorum strages, gravisque militum jactura hostibus in dies inferebatur. Faciebat enim Sfortianorum peditum alacritas, eximiaque virtus & pilulariorum multitudo, quorum ope equites dimicando maxime utebantur, ut Veneto equitatu sæpe repulso, eorum permulti transfossis equis in terram prolapsi aut caperentur, aut pedibus in castra reverterentur. Ceterum munitione ea, quam ostendimus perfecta, tertiam de integro fossam eodem fere intervallo à secunda distantem ineunt, & summa festinatione dies noctesque construunt. Huic etiam hostilis è regione structæ munitionis instar ante portas propugnaculum adjungunt, moxque peditatum huc omnem duces admovent, equitatumque inter primam & secundam munitionem considere jubent. Quas ob res ita factum est, ut ea ipsa de qua supra diximus planicies decem & octingentos passus omnino in latitudinem pateret: quæ & ab inferiore parte eodem nemore, de quo mentionem fecimus, & à superiore fossis quibusdam vetustissimis, quas tam nostræ quam hostiles munitiones attingebant, claudebatur. Hic quamquam antea levibus sæpe prœliis certabatur, crebrius tamen deinceps & majoribus interdum copiis pugnare utraque acies cœpit. Nullus enim præteribat dies, quin ob castrorum propinquitatem aut equestre aut pedestre aliquod prœlium iniretur. Si qua ab altero exercitus duce è castris cohors ad lacessendum hostem educebatur, pugna ab altero non detrectabatur, & ob id dimicabatur utrimque acriter ancipiti prælio. Nam ubi alter suam inclinare aciem videbat, integros confestim auxilio laborantibus submittebat, & cum idem faceret adversarius, prœlium persæpe majore militum numero, quàm ipsi duces vellent, augebatur. Et nunc hostes nunc nostri cedentes ita aliquando premebantur, ut in ipsas prope munitiones repellerentur, atque ex aggere turribusque in hostes tela conjicerentur. Ex quo maxima fiebat equorum cædes, & qui peditatu, quo nostri fere semper prævalebant, inferior erat, is majore incommodo afficiebatur, deteriusque habebat. Interdiu autem nam hæc, quæ demonstravimus, vel mane vel vesperi fieri solebant) pedestris sæpe pugna lacessebatur. Et ubi mi-

(85) MS. Unde nostrâ etiam memoriâ hoc bellici instrumenti habuit initium. Præterea &c.

milites pugna defessi erant, induciis factis ad umbram quietis causa consedebant, & rursus pugnâ indictâ jaculis, hastis, telisque eminus contendebant. Quod etsi Venetis legatis minime placebat, & hostilia ob id colloquia vetabant, non desistebatur tamen, quin sæpissime depositis armis hostis hostem adiret, salutaret, colloqueretur que familiariter. Erant qui neminem ferme in Venetorum castris militem esse dicerent, qui Franciscum Sfortiam velut lumen & optimum militiæ patrem à quoquam superari profligarique vellet pro hujusmodi præsertim Respublicis bellum gerente. Quæ cum neque beneficiis, neque amicitiæ memoria moverentur, pro præmiis aut verba, aut terga, aut abeundi potestatem iis dare solent, quorum opera & labore vicissent. Et ad id demum diuturna ac frequens inter duos exercitus contentio deducta est, ut si quis cum hoste telum commutare optabat, ubi in campum prodibat, mox esset suo satisfactum desiderio. Et si quis item vel audacia vel inani quadam ostentatione virtutis, vel odio ex hostibus aliquem singulare in certamen infestis hastis, peracutisque cuspidibus ultro provocabat, extemplo inveniretur, qui ei veniâ à summo imperatâ duce, re alacriter responderet, animusque ut plerisque accidit, acceptis illatisque vulneribus utrique expleretur. Interim cum suas uterque exercitus munitiones conficere summa festinatione contenderet, hostes quod magna operariorum copia, ut demonstratum est, abundabant, nostros ædificandi celeritate superabant. Quare iis quas instituerant munitionibus pro voluntate perductis, aliam item fossam à superiore parte, quæ ad Aquilonem spectabat, inire cœperunt, qua etiam propius Mediolanensium castris appropinquare possent. Sed nostris die noctuque prohibentibus, cœpto ab opere, quod non sine magna contentione solo æquatum est, destitere. Quo irrito conatu munitiones, quas novissime exstruxerant multis velut Urbem bombardulis, colubrinisque, quibus hostes longius inde submoveant, communiunt, quatuorque præterea intus molis magnæ tormentis loco ædito dispositis intra munitiones nostras quotidie lapides contorquent; atque iis rebus terrere milites, & ab ea parte castra nudare summa vi conantur. Ob id Franciscus, ne munitiones destituerentur, stationesque militum offenderentur, ita providit. Aggerem, quem initio contra hostium castra instituerat, multo majorem in altitudinem quàm antea esset, omnibus posthabitis operibus educendum curat. Eique munitioni præter ceteros qui singulis noctibus custodiendæ ejus causa imperabantur, certum militum numerum ex omni exercitu delectum præsidio adjungit. Huic Moretum ob fidem & solertiam præficit. Ejus præsidii stationes singulas reliquis, quas in ea castrorum regione milites firmaverant, locis commutatis longoque locorum intervallo abditis aggerum parietibus in longitudinem admoveri perdensoque ordine disponi jubet. Dum sic summis utrimque viribus contenditur, multi ex nostris cadebant, quorum in numero Bernardinum Urbeveteranum non obscuro loco natum morientem Franciscus vidit. Quem cum ab adolescentia apud se multos annos meruisset, sagittariis præfecerat. At dum infelix hostes novissimam fossam effodere conantes prohibet, in adversam frontem sagitta ictus paucis post diebus vitâ excessit. Tulit sane ejus viri desiderium Franciscus ægerrime, quem ob ejus mite ingenium egregiamque in se fidem unice diligebat, & non tam in rebus publicis illius opera quàm communicandis consiliis consuetudine familiarissime utebatur. Picininus præterea minor cum se inter confertissimos hostes valida equitum manu stipatum injecisset, ejusque illi fortiter impetum sustinuissent, in latus graviter hasta trajicitur, quo vulnere cum de ejus salute plurimum dubitaretur, Trivilium lectica delatus est. Sed plures tamen ex hostibus periisse in dies comperiebatur, adeo ut plerosque peditum præfectos bis fere iisdem castris milites renovare oportuerit. Inter ceteros autem præstantes Sfortianæ militiæ viros, quorum non parvus erat numerus. Id de se Cornetanus, quem supra nominavimus, in his prœliis experimentum præstitit, ut magnam non tam apud nostros, quàm apud hostes laudem sibi comparaverit. Auxit namque illa res maxime ejus viri famam, quod cum ei à Francisco præcipue indulgeretur, ut prætermissis exercitus institutis in certamen prodiret, is quoties equestri prœlio pugnabatur, semper alacris manuque promtus aderat. Et cum aurata bovis cornua in casside pro crista ferens, huc atque illuc emicaret, primos inter pugnantes conspiciebatur. Urgebat, cædebatque hostes ita acriter, ut sæpe spectantes socii ejus exemplo accensis animis enixius in pugnam concitarentur.

Inter assiduas duorum potentissimorum exercituum contentiones, & tot tantosque tumultus, & in tanta belli summa, quæ tota soli Francisco incumbebat, multa etiam ac varia quotidie occurrebant, quæ non mediocriter illius animum exagitabant, eique non minus solicitudinis, quam hostes ipsi afferebant. Erat in primis in Mediolanensium castris ob non soluta diu militibus stipendia gravis omnium fere rerum egestas. Quibus rebus exercitus in dies minui, milites quod bello gerendo eorum erat partis languidius agere, præfectorum jussis minus obtemperare: Carolus, Vermius, & Vintimillianus præcipue quotidianis Franciscum querelis, ut sibi suis copiis ejus voluntate castris excedere liceret, obtundere. Æmulationes verò, odia, suspiciones, atque dissensiones, quæ jam Mediolani inter cives, & in exercitu inter duces vigere commemoravimus, majorem in modum excreverant. In Venetorum autem castris contra summa omnium rerum, quæ bello usui erant, ubertas. Exercitus non minus transfugis, quàm conducto ac evocato undique milite augeri. Omnes præceptis audire. Ducum summa consensio, & quisque sine querela, quo rem laude dignam & Senatui Veneto gratam efficeret, magno studio contendere. Mittebantur præterea à Mediolanensibus crebræ in castra ad Franciscum legationes, quarum aliæ admirari suam Civitatem, & plurimum dolere dicebant, quod cùm tamdiu tantus exercitus ad Caravagium consedisset, nondum Oppidum esset oppugnari cœptum. Aliæ item nimiæ eum moræ accusantes instabant, ut ceteris

teris postpositis rebus ad obtinendum id Oppidum incumberet, propterea quod Mediolanensis Populus summâ pecuniæ inopiâ pressus haud multos dies tantos belli sumtus sustinere poterat. Neque tanti etiam aderat frumentarii commeatus exercitui suppeditandi facultas. Habebant ad id quoque Mediolanenses Picininos fratres subdola mente incitatores, qui demonstrare secretò legatis innitebantur, non bono Franciscum erga Mediolanenses esse animo, quippe qui longo eos sumtu labefactari & bello diu impeditos distineri studeret, quo facilius in suam aliquando potestatem redigeret. Nam si voluisset, Oppidum jam recepisset, sed operum simulatione rem ex die in diem ducere conari. Ad hæc Franciscus, quæ velut absurda & nullo temperamento dicta graviter ejus animum offendebant, ita singulari prudentia & patientia sua satisfaciebat; facilè Mediolanenses existimare posse eo tempore ex amicorum numero esse neminem, qui aut vincere quàm ipse magis optet, aut vinci magis timeat, cùm plus inde præmii se habiturum speret, & multo plus detrimenti accepturum prospiciat. Proinde longe eos errare, qui secus vel suaderent vel crederent quàm id se conari conaturumque summo studio, ut illud assequi, & hoc evitare possit. Non visum esse sibi tam finitimis hostibus prius Caravagium oppugnandum quàm validis castra fossis aggeribusque, ubi munitione magis egeant, circumvallasset. Seque si ea fossorum copia, ut in tanta rei magnitudine oportuerat, utque ipse assiduè institerat, affuisset, quod de muniendis castris instituerat, confecisse, Oppidumque machinis aggredi cœpisse. Atque ex ea re facilè, qui rectè intelligerent, judicare posse se atque exercitum ea omnino culpa vacare, qua Mediolani iniquè damnabantur, quin damnantes prius eodem crimine damnandos. Ostendebat deinde legatis, cùm in castra adveniebant & operum magnitudinem & hostium vicinitatem, ducebatque eos studio, ubi acies certare consuescerent, & eo usque, ut non solùm quæ utrimque fiebant, intuerentur, sed & terga nonnumquam dare, & se post aggeres abdere sibi esset necesse. Ex quo haud aliter fieri posse, quam Franciscus de munitionibus statuisset, palàm prædicabant. Multaque præterea de gravi exercitus inopia, deque nulla seu parva ducum inter sese fide atque in omnibus pæne gerendis rebus discordia, commemorabat. Quæ res etsi perniciosæ erant semper in castris, perniciosissimæ tamen eo ipso tempore tam propinquis hostibus judicari poterant, cùm non minorem sibi laborem atque rebus præsentibus periculum quam hostes afferrent. Habere postremo Mediolanenses dicebat plures in eorum castris duces & rebus gestis & belli usu claros. Quorum operam atque virtutem si quis hæc pro ipsorum Republica maturius meliusque agere confideret, poterant experiri; cui ne invito quidem animo se & imperandi, quam ipse habeat, potestatem traditurum, & cunctis in rebus etiam si diebus singulis pabulatoribus præsidio esse jusserit, obtemperaturum pollicebatur. Post quintum & trigesimum diem, quo eo ventum est, munitionibus ubique perfectis, Franciscus Caravagium tormentis quatuor, cuniculisque pluribus, quibus in fossam irrumpebatur, oppugnare summa vi cœpit. Interim Venetis ducibus, ne id pereat Oppidum, consilia quæque excogitantibus Tibertus Brandolinus ex iis unus audax in primis & ingenio versutus, cum omnia præter ceteros perscrutaretur, ut aliquod inclusorum saluti remedium sua opera præstari possit, gregarium se simulat militem, & incognita sordidaque veste per id nemoris iter facit, de quo supra sæpe mentionem fecimus. Et dum vias aditusque per silvam circumspicit, eo usque pervenit, ut non longe à Mozanica abesset, ubi cum multos ex nostris pabulantes reperisset, duos uvarum manipulos facit, & ab utroque fustis vertice pampinis pendentes humeris portans ignotus hostis notos inter hostes velut amicus vadit, & castrorum munitiones ingreditur. At cum ad Forum Novum appulisset, & haud procul ejus vici ædificia prætergressus magnifica Francisci tentoria frequentes Sfortianæ phalangis stationes & campos, qui ab ea parte erant, ad Oppidum usque patere vidisset, depositâ sarcinâ restitit, & perlustratis circumquaque exploratisque iis, quæ negotio conducere videbantur, reversus, legatis ac ducibus refert, invenisse viam, qua facile non obsessis modò pereuntibus succurrere, sed obsidentes sine periculo invadere, fugareque possent. Occultum liberumque per silvam palustribus quibusdam locis trabe crateque æquatis ad Forum usque Novum iter fore. Hostiles castrorum munitiones, quæ intercederent, vi stratorum facta, hostibus etiam ignorantibus, cum nullæ ea custodiæ fierent, parvo momento deleri, suisque aditum cohortibus aperiri posse. Inter eum autem Vicum & Caravagium nihil esse, quod obstaret; prata primum æquosque deinde campos militum tabernaculis tantummodo occupatos, eosque lata ad Oppidum via divisos intercedere. Nam ea fossa, de qua initio diximus, vepribus prospectum impedientibus non animadversa, quod non vidisset, pro viso referebat. Quod cum intellexissent legati, placuit mirum in modum eis & ducibus, quibus id consilii aperuerat, & spem ferendi Caravaginis auxilii attulit non mediocrem. Ceterum non multis interjectis diebus posteaquam cœptum est oppugnari Oppidum, ita sunt vi tormentorum excisa ad solum mœnia, ita fossa murorum ruina repleta, ut dubitandum non videretur, quin facile primo impetu expugnari posset. Quare incredibilis pœne timor hostium mentes occupat, & non minus pugnæ eventus Francisci animum quatit. Quippe quod obsessi desperata omni spe subsidii ne in prædam ruant, Veneti duces ne amisso Caravagio omnis impetus hostium in se convertatur, vehementer timebant. Nam ad id utrorumque exercituum propter vicinitatem res devenerat, eaque omnibus erat opinio, ut inde alter sine alterius pernicie discedere non posset. Franciscus, ne si Oppidum expugnare contendat, cladem ipse sibimet pariat, plurimum verebatur. Quod etsi communicato sæpe eadem de causa consilio, ita exercitum dividebat, ut pars expugnationi ei, pars tuendis adversus hostem munitionibus intenderet. Statuebatque etiam, ut miles quisque prædæ particeps fieret, ut ea spe freti qui defendendis castris destinati essent, libe-

liberiore constantioreque animo demandatum munus obirent. Tamen cognita imperitæ multitudinis imprudentia & insatiabili prope militum cupiditate, quod non multis ante diebus apud Casale Majus apertissime cognoverat, expugnationem tentare non audebat. Dubitabat enim, ne capto Oppido perlatoque de præda eos inter milites rumore, qui munitionibus præsidio starent, neglecto lucri cupiditate omnium imperio, ab his loca sibi commissa in hostium faucibus deserta relinquerentur. Proinde placere sibi magis vel metu obsessos vel obsidione, cum haud diu se sustinere posse arbitraretur, ad deditionem cogere quàm armis vincere dicebat. Sed unum illud maxime eum vexabat, quod videre videbatur, si Oppidi expugnationem diutius remoretur, se & à Mediolanensibus & à militum vulgo non tam ignaviæ quàm perfidiæ insimulatum iri. At dum has inter cogitationes difficultatesque versatur, affuit ei ex insperato fortuna. Nam quod summopere appetebat, id ei attulit gravis & incognita inclusorum conditio, propterea quod Campanus, ubi se in extremo suæ suorumque salutis periculo videt, missis ad Franciscum postulatis, de Oppidi deditione agere cœpit.

Interea Venetorum legati militumque duces in eam rerum difficultatem redactum esse Caravagium certiores facti, ut propediem in hostium manum esset deventurum, nisi quamprimum à Venetis subsidium afferretur, iniere concilium de ferenda obsessis ope. Quamobrem cum in longa consultatione variæ ac diversæ consultantium sententiæ in medium relatæ essent, communi consilio decretum est, ut quod quisque sentiret literis Venetias ad Senatum perscriberet, quo Senatus de cujusque opinione edoctus, quid gerendum foret, ipse decerneret. Itaque omnium primus Michaël Attendulus, qui, ut ostendimus, universo exercitui imperator præerat, hujusmodi verba fecit. *Videtur mihi sane optimum factu, ut hinc Martinengum versùs recedamus. Ubi inter Oppidum*, quod non inde octo amplius passuum millibus aberat *& Fossam*, quæ ei Oppido munimento erat, *castris positis tamdiu manendum sit, donec Caravaginæ obsidionis exitus videatur. Quod si Oppidum diripiatur*, ita enim jussus erat à Venetis, *Campanus, ut non prius id dederet Oppidum quam futurum intelligeret, ut ab hostibus verteretur in prædam, ad non mediocrem accederet Mediolanensis exercitus perturbationem. Nam prædæ gratia is cum diverso genere militibus diversisque animis constet, in eam esset facile dissensionem iturus, ut numquam amplius una futuri essent. Nos verò integris viribus instructi & ad pugnam parati facile omnia pro voluntate sumus consequuturi.* Deinde Ludovicus Marchio Mantuanus, qui ceteris dignitate præstabat, ita scriptis consuluit. *Quantum mea fert opinio, eâ viâ, qua sunt hostium castra, nullo pacto possumus Caravagio auxilium ferre. Via etiam, qua itur Trivillium, quantum oculis datur perspicere, cum nulla nobis ea ex parte sit regionis cognitio, est admodum periculosa, tum quia opus est iter facere inter eas hostium munitiones, quæ inter Trivillium & Brinianum sunt constitutæ, tum etiam quod iter ipsum tanta est longitudine, ut cum à nostris ordinibus ad eam partem descensum esset, cogeremur castra*

A *hæc deserere, quæ hostis posset pro voluntate à multis lateribus invadere. Ex quo fieret, ut Venetæ rei salus maximum in discrimen adduceretur, quod Mediolanensibus potius esset relinquendum, quorum ditio & nova est, & male sibi ipsi consentiens. Accedit ad hæc, quod inter Mediolanenses & Comitem Franciscum nulla fides est, nec inter ipsos exercitus duces ulla concordia, & rei pecuniariæ penuria maxima. Contra verò Senatus noster omni ex parte & antiquitate & opibus & animorum consensu quamoptime est constitutus. Cui & imperator ipse Michaël & ceteri duces militesque omnes non minus libenter parent, quam ipsi inter sese ad rem gerendam omni ex parte consentiunt. Præterea si hostes Caravagio* B *etiam potiantur, non tamen tantum Venetorum imperium est ob rem non multi faciundam tam magno discrimini objiciendum, quandoquidem ob eas, quas commemoravimus difficultates, consentaneum est, hostiles copias una diutius esse non posse. Itaque pro meo judicio castra movenda sunt Mozanicam versùs, quod quidem Oppidum, si priusquam hostes senserint, à nobis occupetur, non mediocrem rebus nostris afferet utilitatem. Quæ autem causæ in id consilii me adducant, hæ sunt: tum quod ubi Franciscus id senserit, operam dabit, ut aliquas ex ea parte munitiones faciat; id quod esset in causa, ut Caravagii expugnatio diutius tardaretur, nobisque tempus esset ad resistendum. Secundo autem loco verebitur hostis,* C *ne ad Cremam copias traducamus. Quam si munire voluerit, ac firmam Mediolanensibus reddere, opus erit, ut magnum eorum numerum, quos suspectos habent, ex eo Oppido ejiciant supra homines mille, qui nunc pro illis sunt. Id autem verisimillimum est, tantam vim præ se ferre, ut Franciscus aliud sit consilium initurus quam expugnationem Caravagii. Demum verò si Caravagium etiam ipsum venerit in hostium potestatem, non tanti ea res ducenda est, quanti exercitus nostri incolumitas, qui sine maximo periculo hoc in loco manum cum hostibus conserere numquam possit.* Bartholomæus autem Collio in hunc modum suam dixit sententiam: *Nihil nobis esse magis hoc tempore studendum quàm salutem Veneti* D *exercitus; quando Mediolanensium ductores non magis inter sese quam canes & feles conveniant, nec fieri ullo pacto posse, ut eorum copiæ mensem una esse possint; præsertim cùm inter cetera incommoda ac difficultates ea quoque non minor habenda est, quod singulis diebus singuli panes à Mediolanensibus inter milites singillatim distribuantur.* Nicolaus dein Guererius hujusmodi per scripta consilium dedit. Castra cum universo exercitu esse ad Trivillium movenda. Idque tum auctoritatis tum etiam securitatis gratiâ, castrametandumque esse intra Trivillium & Brinianum. Quod si fieret, foret & obsessis adjumento, & hostili exercitui, ne aut res frumentaria, aut commeatus ullus à Mediolanensibus adveheretur impedimento E non parvo. Postremo Gentilis Leonissanus, Robertus Bodiensis, Tibertus Brandolinus, Cæsar Martinengus, Guido Rango, Carolus Fortebraccius Braccii Perusini filius, Jacobus Gotholanus unà cum Christophoro Tolentinate, quod essent præter ceteros maximè studiosi Venetæ dignitatis à Divo Marco Evangelista Marciani appellati, una eademque sententia voluerunt, ut Tibertus quid octo ductores ipsi sentirent solus exponeret. Qui & prolixa & ornata oratione suadebat, ut Caravagio auxilium ferretur, ejusque saluti

luti vel ob eam potissimum rem consuleretur, ne Urbs Laudis ob Caravagii captivitatem in desperationem adducta sese hostibus traderet, quod esset Venetæ Reipublicæ non mediocri dedecori atque detrimento. Addiditque id auxilii facillimum fore, cùm haberent iter & excogitatum & tutum non solùm ad invadenda hostium castra, sed ad exercitum ipsum penitus delendum. Quæ quidem omnium sententiæ, cum à Venetis legatis, qui duo erant in exercitu, Hermolao Donato magno animo viro, & Gerardo Dandulo ad Senatum missæ essent, ea sola est approbata, quæ ab octo iis Marcianis dicta esset. Itaque potestas legatis concessa est, ut eam exsequerentur, tempusque ac modum deligerent, quem iidem octo, quibus cùm Veneti legati tamquam eorum Senatui fidelioribus privata consilia habebant, daturi essent. Quo circa diem tempusque ad invadendos hostes ignorantibus ceteris inter sese constituunt, ad septimumdecimum Kalendas Octobres, (86) factoque per silvam & palustria loca, quæ Tibertus, ut supra diximus, providerat, secretò celeriterque itinere armari exercitum legati jubent. Collionem cum peditatus equitatusque parte, cui quid facturi essent, ostenderant, munitionibus præsidio esse mandant eo imperio, ut inde crebris tormentorum ictibus hostilia castra turbare, pugnaque pedestri, qua certari solitum erat, lacessere non desineret. Deinde re cum Michaële, Ludovico, & ductoribus reliquis, quos adhuc id latuerat consilii communicata, copias omnes præter eas, quas cum Collione reliquerant, paulò ante meridiem, quæ prandii erat hora, castris educunt. Et per stratum iter instructa acie collatisque signis Leonissano & Roberto & Tiberto ducibus atque moderatoribus ire contendunt. De hoc repentino hostium motu cùm fieret crebris Moreti nuntiis Franciscus certior, mittit Conradum fratrem, & Robertum sororis filium cum turmis quatuor & toto peditatu ut Moreto adjuncti munitionibus præsidio sint. Jubetque præterea Braccianos, qui non procul à Moreto ipso tendebant, in armis esse, & reliquos per castra equites ephippiatos penes se habere equos, & excepto thorace, cetera induere arma, & stationibus non discedere, quo primo dicto in acie præsto esse possint. At dum multo jam die inter discumbendum de Campani postulatis agit, destinatque Cichum Simonetam, cui secreta sua maxime credebat, resque grandes conficiendas mandabat, qui cum eo transfigeret, ut Oppido equisque omnibus, quos posteaquam eo venerat, intercepisset, relictis postero die ceteris suis suorumque rebus incolumibus, ei ad suos liceret abire, ab exploratoribus duobus, qui haud multo temporis spatio ad eum divisim venerant, cognoscit, hostem totis castris Mozanicam versùs properare. His nuntiis credita re, mittitur statim qui eos revocet qui in eamdem partem pabulatum ierant, & Donatus Mediolanensis, qui quorsum hostes tendant, cognoscat, nuntiisque celeriter edoceat.

Interim contendebatur inter nonnullos ex iis, qui aderant, ducibus, quo consilio du-

A

cti hostes meridiana jam hora moverent. Nam alii non exspectata Caravagii deditione eos fugere, alii Mozanicam vel oppugnatum, vel circumsessum proficisci arbitrabantur. Franciscus autem longe secus sentiens, neutram se credere dicebat, cùm & copiarum partem castris præsidio & immotas suis locis stationes reliquissent. His dictis armari exercitum atque in acie sistere imperat. Ipse equum inermis ascendit. Et dum cum paucis Forum Novum versùs equitat, ecce amisso equo fit ei Donatus obviam & anhelans. *Quo pergis*, inquit, *Imperator? Hostes totis adsunt viribus, jamque peditatus totam hanc complevit viam. Provolaverunt enim*

B

per silvam, & ad munitiones, ubi ventum est, nullis neque præsidiis neque custodibus repertis, quod nullæ ibi fierent propter locorum difficultates custodiæ, quandoquidem ab ea parte nulla subesset de hostibus suspicio, magna celeritate ad solum ingentem æquarunt aggerem, viaque patefacta, & peditatu præmisso, Vici ædificia hastis submissis occuparunt. Quibus auditis illico Franciscus converso equo celeri cursu castra petit, in quoscumque incidit, jubet, armis instruantur, & ad repagula velociter contendant, ne hostes patefacto aditu ob paucitatem repugnantium castra invadant, missisque hac illac frequenter per militum stationes nuntiis omnes iidem facere. Picinino autem,

C

qui in armis sed procul erat, quatuor ex suis ad se cohortibus celeriter accersitis cum reliquis ne loco discedat. Idem Conrado, Roberto, Moretoque mandat præ ceteris, qui proximi erant, sumptis armis nullo in cohortem coëundi ordine servato, eo accurrant. Eodem Alexandrum Sfortiam fratrem ingenti animo virum & rei militaris scientissimum, qui paucis ante diebus Pisauro ad eum venerat, Carolum Gonzagam, Mannum Barrilem, & Flaschum Girasium, qui pontem aditumque viribus obnixè servent, ne eo occupato in castra irrumpatur, mittit. Quare dum minutatim equites, nam nulli tum forte ibi pedites erant, ut sors tulerat,

D

eo loci se conferunt, ingens hostium globus armis sole repercussis miro splendore nitentibus è Vico in eam planiciem prodit, quæ inter Vicum ipsum & Fossam, de qua munitionum initio mentionem fecimus, quamque Tibertum minus providisse paulò ante diximus, interjacebat, tanta vi tantoque impetu & clamore, ut illis æquo loco minime resisti posset. Nam qui repagula transierant Alexander, Carolus, & alii admodum pauci, cùm hostium multitudinem sustinere non possent, repulsi terga dare coguntur tanto cum labore atque periculo, ut vix se intra munitiones recipere potuerint. Ex his Carolus ensis cuspide circa oculum vulneratus,

E

ubi in summo omnium salutem discrimine positam videt, suam & ipse in fuga salutem ponit. Itaque invalitudinis causâ ob acceptum vulnus, quod leve erat, discessum simulat, moxque cum paucis ex suis per media castra citato equo iter faciens non prius restitit, quam Mediolanum pervenit, Civitatique aut profligatum eorum exercitum, aut quin profligaretur, evadere non posse renuntiavit. Idem iis dixerat omnibus, qui ei Urbem properanti obvii fuerant. Mannus humi

(86) MS. sub Octavo Quadragesimo Quadringentesimo & Millesimo Dominicæ Nativitatis Anno; factoque &c.

A humi prostratus multitudineque obrutus capitur, & dum per agmen, cujus postremus ordo anterioribus non progredientibus haud procul castrorum munitionibus recesserat, ad Leonissani tabernaculum cujus erat captivus, perducitur, à singulis illudebatur turmis. Cui & Michaëlem primum & deinde Ludovicum: *tui sunt hodie victi fusique*, *Manne*, dixisse, illum verò magno animo magnaque voce respondisse ferunt: *quin vos potius, quippe qui eum in locum ducti estis, unde nisi diminuto capite, quod cito intelligetis, abire non liceat*. Pugnabatur igitur ad repagula fossamque castrorum, quæ nec profunda erat nec lata, utrimque acerrime. Operiebat nostros ingens velut grando telorum vis è labro fos-B sæ conjecta. Eques equitem infestis hastis aditu submovere innitebatur. Hostes defensoribus aditum nudare, & ferro viam aperire magno studio magnoque impetu contendebant. Nostri contra inter sese conglobati ne transeant; neve spatii quicquam in ponte occupent, summa vi pertinaciter repugnabant, nec ab ictibus ullis corpus excutiebant, nec ulla feroces vulnera subire recusabant. Sauciis prœlio discedentibus integri extemplo succedebant. Nemo erat, qui non apertissimè prospiceret, si is destitueretur aditus, è vestigio irrumpentibus hostibus castra simul cum milite prædæ ubique fore. Inter C ceteros eo loco strenuè pugnantes. Flaschus & Campanus quidam Ruffetus nomine semper ingenti animo summaque constantia adversùs hostem in fronte medii persistebant, & singularem virtutis operam edebant. Inter hæc Matthæus Campanus, ubi ad arma conclamari, & tumultuarie omnia in castris agi, & suos ad Forum Novum advenisse, & non longè à stationibus hostium abesse videt Cichum, qui in vestibulo erat portæ Oppidi, & hosti datas literisque mandatas conditiones, signo, quo Franciscus utebatur, obsignare firmareque parabat, jubet inde mox abire, seque futuræ calamitatis nescius ad erumpendum accingit. At in tanto hostium D impetu rerumque novitate quammulta Francisco erant uno eodemque tempore agenda. Milites alii accersendi, alii ad tuenda repagula cohortandi, acies instruenda, inclusorum eruptioni providendum, si quem hostes in fossa reperiant aditum, ne transeant, prohibendum. Quarum rerum majorem partem & temporis angustia, & inopinata hostium per eum locum invasio impediebant. Itaque inter tot difficultates magnitudo periculi fecit, ut cùm ante tentorium armis indueretur, vix thorace indutus, sic ut erat sine brachialibus, sine femoralibus, confestim equo arrepto ingenti spiritu magnoque corporis robore in eum locum advolaret, ubi E fortiter ad repagula pugnabatur. Quo ubi venit, dimicantes hortatur ad impetum hostium sustinendum, donec socii advenissent, qui cito adessent; ne aditum desererent, neve inde se repelli sinerent, in quorum virtute omnis omnium spes salutis sita esset. Nam si fossam hostes trajiciant, nulla sibi amplius neque resistendi uspiam, neque evadendi quoquam spes reliqua foret. Deinde dum hostes per fossæ labrum ad dexteram effunduntur, ipseque è regione contendit, agnovit cominus inter confertissimam hostium aciem Robertum Bodiensem armis equoque superbum atque jactabundum, & aditum præter ceteros in fossam quærentem, qui cùm dixisset: *O Comes Francisce non sine fervēti aqua hodie hinc es discessurus*, clara ei voce & ipse respondit: *Eo in loco es, Roberte, unde nisi facta tibi cum caupone epularum supputatione non es abiturus*. Et progrediens duas vidit cohortes ad se citato cursu venientes, quarum alteri Marianus Calaber & Turcus Fusiculanus, alteri Blasius Serranus præerant, viri fortes & longo rei militaris usu periti. Horum adventu Franciscus non parva est cura levatus, crevitque ei, atque elata est in animo virtus mirum quidem in modum. Præfecti viso duce alacriter: *O Imperator*, inquiunt, *bono lætoque sis animo. Hos hodie superabimus hostes*. Quibus ipse ait, non militibus ducem, sed duci milites confirmandos esse: *Sequimini me, & quod vobis dixero, facitote*. Cùmque eos ad alium quemdam ejusdem fossæ aditum, qui erat ad dexteram perduxisset, cujus hostes erant ignari, jussit in eos, qui è regione non longè aberant, strenuo atque ingenti animo impetum facerent. Jussit etiam uni ex iis, quos penes se habebat, ut iidem ceteris militibus, qui minutatim adveniebant, imperaret. Illi igitur in eam equitum alam, quæ erat ad dexteram fortiter facto impetu eos pedem referre coëgere. Quo factum est, ut multo magis quàm antea inter sese conferti hostes minus apti essent ad pugnam. Et cùm per idem tempus nostri undique non mediocri numero ad repagula advolassent, erant autem hostes ad sinistram militi nostro, pontem transilierunt, atque hostem non brevi spatio repulerunt, & ita duobus in locis fortissimè pugnabatur. Cùmque Franciscus eadem qua venerat, ad repagula reverteretur, quo inde hostes averteret, vidit inter equitandum inter se confligi hostium hastas, quæ confertim in se redactæ nemoris instar videbantur; & inter sese magna concussione turbari, quod tantus hostium numerus loco admodum angusto coactus esset, ut se explicare nullo pacto possent. Quod nullam ob aliam rem fieri animadvertit, quam ex animorum inconstantia ac metu, & confestim hostes superatos victosque esse inquit. Deinde ubi ad repagula ventum est, ut ordines fossâ per pontem superata in hostilem aciem impetum facerent, jussit. Qua re cùm ii viderent à duobus lateribus se urgeri ac majorem invadentium globum etiam atque etiam increbrescere, nec licere sibi ullo pacto procedere, quod usque adeo loco brevissimo inter sese conferti essent, summo terrore perculsi atque exanimati terga repente vertunt, funduntur, fuganturque præcipites, adeo ut fugientium pecudum instar viderentur. Quos nostri magis magisque urgentes pro libidine capiebant repugnante nemine. Et anteà quam pervenire fugiendo potuerint ad ea munimenta, quæ ut supra ostendimus solo æquarant, quo sibi ad invadendum expeditius foret iter, majore ex parte prostrati captique sunt. Cùm ea loca & angusta admodum essent, conglobatimque ipsi fugerent numero peringenti, ex quo alteris alteri erant impedimento. Quibus in locis quod reliquum erat ex tanta acie ita in captivitatem est actum, ut ex iis qui versùs Forum Novum fugam arripuissent, vix quampaucissimi evaserint.

ferint. Inter eos autem capti sunt Gentilis Leonissanus, Robertus Bodiensis, qui ambo equis descenderant, armaque exuerant, quo eis expeditior fuga esset. Qui quidem ubi ad Franciscum confestim perducti sunt, eos imperator collacrymantes præ dolore intuitus humanissimis verbis consolatus est, & ut bono essent animo hortatus spem injiciens, fore, ut in eos clementia & mansuetudine sua uteretur. Cùmque assiduè adventarent peditum ordines, qui cum Moreto erant apud Castellum, ut antea diximus, sistit imperator in ipso munitionum limine sua signa uno confertissimo stipata militum ordine. Jussitque & Alexandro & Guilielmo, ut curam & munitionum & signorum gererent, ne scilicet procederent longius, quo illi hostium ordines quotquot integri adhuc essent, si forte resumtis viribus nostros cœpissent urgere, ne iis liceret per eumdem locum rursus in castra impetum facere, cœptamque interturbare victoriam. Et quoniam plane animadvertebat, hostilem aciem superatam ac victam, alta voce permisit omnibus, ut hostes insequerentur, captivosque facerent, ita ut faciebant, rei militaris, vel nullo servato ordine, quem nec antea servare licuerat. Jussis tamen Ludovico Vermio, Christophoro Taurello, & Dulcio Anguillariano, ut ipsi etiam subsequerentur, & ne quid nostri temere agerent, providerent.

Post hæc autem citato equo perinde volans eo fertur, ubi Franciscus Picininus ceterique in armis locati erant pro Castelli præsidio adversùs hostium castra. Tum Picininus, qui secundis rebus præ animi livore subtristis erat conversus ait. *O Comes Francisce, nonne ego tibi hodie morem gessi? Nonne ordines illi mei tempestive tibi affuere? Certe*, hilari vultu respondit Franciscus, adjecitque, *hostes à Fori Novi latere & victi & capti sunt. Quare sine ulla cunctatione nobis eundum est, ut hanc quoque reliquam aciem victoriæ perinde atque extremam manum addamus, quæ ab hoc latere relicta est hostilium castrorum præsidio, ita ut ne quid reliqui hodie Veneto sit imperio.* Cui Picininus respondit: *Satis mihi hodie superque videtur gestum; quare meo judicio quiescendum potius est. Minime*, inquit Franciscus. *Non enim satis est vicisse, ni victoriâ utamur. Quare sequimini me omnes.* Itaque ad Castelli præsidium relicto Picinino, ceteri eum omnes secuti sunt Conrado ac Roberto jussis, ut quamprimum hostes invaderent. Qui parati in acie alii extra, alii intra munitiones nostros exspectabant. His autem invadentibus hostes, qui erant extra munitiones sese primo intra repagula recepere. Dein adversùs nostros tanto impetu incubueruut, ut eos non parvo spatio à munitionibus submoverint. Tum Franciscus his sistere jussis, imperat rursus Conrado & Roberto, ut in hostes cum suis ordinibus fortius irruant, hortatus enim Braccianos, ut eos quoque vehementius insequerentur. Quod facientibus nostris hostes ad repagula usque vertuntur in fugam. At illi rursus receptis animis aguntur in nostros, coguntque terga dare. Quod ubi animadvertit Franciscus, non potuit non aliquantulum animo commoveri in Braccianos, eosque ignaviæ accusare, quos hujusmodi culpæ auctores animadverteret, quandoquidem ipsi semper fugæ primi initium facerent. Quare facto iterum in hostes vehementiore impetu, eos intra repagula usque fusos fugatosque abegerunt. Ubi cùm se clausos munitosque continerent, videretque Franciscus haud facile factu fore, ut propter difficultatem munitionum & ingentem peditum manum, qui fossam tuerentur, repagulis potiretur, ut erat vir omni in re prudens, & rei bellicæ scientissimus alta voce inquit: *Quid agitis commilitones? Num scitis hostem ex altero latere & prostratum esse & victum, nostrosque castris potitos intra tentoria jam late versari, & impedimenta omnia ac tantas hostium opes certatim diripere? Agite igitur. Agite, fortius urgete, fundite. Vincite hostilem ignaviam. In castra etiam ipsi irruite, ne soli vos sitis tantæ prædæ & tantarum opum expertes.* Quibus dictis mirabile visu fuit, quanta cum animorum tum fiducia tum alacritate noster peditatus sese in fossam hostilem injecerit, confestimque aggere superato strenuo saltu intra hostium castra irruperit, disjectoq; aggere una cum portarum valvis ac prostratis repagulis nostro equitatui iter patefecerit (87). Hostes fuga salutem petunt. Collio, qui ut diximus illis ordinibus præerat, rebus desperatis atq; perditis, cum minime esset repugnare ausus, occultiore quodam calle ei soli & cognito & præviso fuga celeri Bergomum petit, relictis omnibus & rebus & sociis. Quid multis est opus? Nostri milites castrorum rerumque potiti tantam hostium manum captivam fecerunt, quantam voluerunt, cum ita essent illi omnes exanimati, ut ne minimum quidem repugnare auderent. Offenderunt autem Mannum Barrilem ex captivo & servo, ut antea diximus, & liberum factum & opulentum. Cum intra id tenorium non solùm quæ Gentilis fuerant bona, sed quicquid etiam pretiosius apud alios multos & ductores & milites eo custodiæ gratiâ convectum esset, cum sperarent rerum illarum domini fore, ut Mannus ex iis rebus sese in dominos liberalissimum redderet. Ex altero autem castrorum latere Michaël & Ludovicus Mantuanus quamvis ipsi fusi quoque fugatique essent, constiterant tamen in viam cum non mediocri suorum militum manu, erantque militi nostro impedimento, quominus expedite fugientes insequerentur. Sed cum à nostro peditatu, qui ex utroque latere in loca illa paludosa & arboribus consita magna vi lacesserentur, tamdem nostris à fronte equitibus audentius, invadentibus incumbentibusque, illi permultis equis à peditibus, quos diximus, interemtis, coacti sunt post desperatam salutem fœdissimæ fugæ se committere. Inter fugiendum autem post terga relicto ingenti militum numero, qui quo ipsi tutius evaderent, nostris essent impedimento, incidunt in Hermolaum Donatum, quem hortati sunt, ut se etiam fugiens sequeretur, ne caperetur ab hostibus. Quibus ille respondit, id minime facturum sese, quin mallet una cum signis divi Marci captum iri, quam turpiter salvum fieri. Scire enim sese, quæ esset passurus apud Senatum suum, si secus faceret. Et ita ut decreverat una cum Venetorum signis & captus est & ad Franciscum de-

(87) MS. Quo factum est, ut eodem pæne temporis momento & nostri intra castra irruerent, & hostes ipsa fuga dumtaxat salutem peterent. Collio &c.

deductus. Idem de altero legato Gerardo Dandulo accidisset, nisi relicto equo pedibus salutem quæsivisset, quippe qui à Francisco sibi metueret plurimum, non solùm quod in Placentina oppugnatione ei ictu bombardæ, quo equus transfossus est, molitus necem esset, sed etiam quia cum superiore tempore Cremonæ fuisset, eo missus à Venetis, quo Urbem illam adversùs Philippum tutaretur, insidias tetenderat, & ut à Francisco ad Venetos deficeret, ut demonstratum est, nihil omiserat. Nec tamen effugit omnino, quin inter fugiendum non longe à Crema Oppido caperetur à Braccianis. Castra igitur hostium sunt omni ex parte in nostrorum potestatem acta direptaque. Milites alii in castris, alii fugientes ab insequentibus nostris capti quampaucissimi incolumes aufugere; & hi quidem majore ex parte inermes, ac pœne nudi, equis prope omnibus amissis. In his vero insignes militum ductores capti sunt cum alii multi, tum Guido Rango & Jacobus Gotholanus. In ipsis autem hostilibus castris bombardæ ingenti magnitudine sunt repertæ numero sex, & aliquanto minores ad triginta. Quarum assiduis ictibus nostri milites vel in castris ipsis agitabantur, lædebanturque ad interitum usque. Palustrorum autem carrorumque incredibilis numerus. Vini reique frumentariæ & aliarum hujusmodi rerum copia maxima, ut nihil omnino deesse videretur non modò ad victum, cultumque humanum, sed ne ad delicias quidem. Auri vero argentique & pretiosissimæ supellectilis tanta vis, ut incredibile dictu sit. Quid multis? Nemo omnino ex nostris militibus est inventus ad ipsos usque calones & lixas, qui ex hostili præda non redditus fuerit opulentus. Cum tanta autem & tam inaudita rerum omnium præda ad vesperam nostri in castra redeunt non minus onusti omnes quam æti, & ita sane hostium spoliis atque opibus onerati, ut incedere vix possent. Erant omnia & carminum & ludorum, ut in hujusmodi rebus secundissimis fieri solet usque adeo plena, ut præ nimia lætitia animi relaxati vix compotes sui essent. At Franciscus maora quædam animo versans dispositis excubiis ac procubitoribus non secus ac si hostis integer esset, ut prudentis Imperatoris est, diem opperitur, quo cum primum illuxerit, Oppidum primo vi potiatur, dein ad Brixiam exercitum agat. Sed nulla vi, nullo impetu opus fuit. Nam simul cum duce ultro sese ei oppidani dediderunt. Præerat præsidio, ut demonstratum est, Matthæus Campanus. Is captivus & actus cum suis omnibus & militibus & rebus non parvi pretii, quas omnes inter eos Franciscus distribuit, qui Oppidum, ne qui intus erant, in castra adversus nostros erumperent, obsederant, nec hostilis prædæ participes esse potuerant. Reliquis peditibus armis spoliatis missisque factis, Matthæus solus servatus est. Numerus autem tam peditum quam equitum, qui in utroque exercitu fuere hujusmodi est repertus. In nostris castris pedites ad tria millia, equites ad duodecim millia fuisse exploratissimum est. In hostium exercitu pedites ad quinque millia, equites ad duodecim millia & quingentos, ex quibus omnibus pedites ad unum usque & capti & spoliati. Ex equitibus vix quingenti ac mille fugêre, quorum equi præ nimio labore ac cursu magna ex parte interiere. Qui vero equites in captivitatem venere, hi armis omnes equisque nudati imperatoris jussu dimissi sunt. Paucis admodum utrimque desideratis. Existimavit enim Franciscus non esse rem tutam, ut tanta hostium multitudo inter nostros, qui minore essent numero, versarentur, neque etiam tot hominum millibus unum in locum coactis commeatus suppetebat. Itaque illis omnibus abire jussis, soli ductores ipsi ac legati retenti sunt. Jacobus Gotholanus, qui sese dediderat Guilielmo Montisferratensi, ab eo propter veterem amicitiam, ut clam è castris fugeret, exoravit. Guido Rango, Gerardusque Dandulus, quos Franciscus Picininus captivos haberet, ab eodem ut Mediolanensibus gratificaretur, mittuntur Mediolanum. Gentilis & Robertus, & cum his Hermolaus Donatus jussu Francisci missi sunt Cremonam. Matthæo Campano libere abeundi venia concessa. Fuit hæc profecto victoria & tanta & tam illustris, ut ante multa etiam secula nulla in Italia fuerit audita vel major vel præclarior. Cujus rei gratia, uti par erat, supplicationes Mediolani cum mirabili omnium lætitia & gaudio totum triduum celebratæ sunt. Sed cum plerique alii de exercitu ductores eo die & fortiter se gessissent tum non mediocriter claruit inter pugnandum prudentia atque virtute Taurellus, qui firma atque conferta cum subsidiariorum manu usque uno in loco seorsum à pugnantibus imperatoris jussu sese continebat, iis assidue auxilium ferens, qui à prementibus hostibus pedem referre cogerentur, neque ulla spe prædæ ductus, eodem se semper reciperet, rursusque nostris fugientibus aut laborantibus subsidio esset in tempore. Quæ quidem res non parum profuit ad expeditiorem victoriam. Cum omni autem in re summa admiratione digna fuerit semper singularis ac pæne divina Francisci virtus, tum maxime eo die, quo tantus, tam firmus, tamque munitissimus hostium exercitus eum inopinato esset adortus, neque perterritus est, nec animo commotus, id quod plerisque omnibus usuvenire solet. Sed constans & omni ex parte compos sui ea omnia ex tempore incredibili quadam celeritate & providit & obivit, quæ à prudentissimo & fortissimo duce & providenda sunt, & gerenda. Quo factum est, ut longe majore cum laude & gloria tanta victoria sit potitus, quam si prius omnia & excogitasset, & multo consilio providisset. Nec tamen defuere, qui ei victoriam tanta virtute partam falsis criminibus polluere conarentur. Repertæ enim sunt litteræ calumniatorum quorumdam & invidorum hominum, quæ nunc ad hos, nunc ad illos per Italiam clam totam pugnæ summam, ac primam victoriæ laudem Picinino ascriberent. Et mentientes hæ quidem, cum affirmarent, nisi opportune & in extremo discrimine ordines quatuor è suis laboranti Francisco subsidio misisset, actum fuisset eo die & de ipso imperatore & de universo Mediolanensium exercitu, quippe quem nihil hujusmodi opinantem planeque imparatum ac pæne nudum hostes adorti essent. Quod ubi Franciscus rescivit, ut erat vir ingenti atque ex-

excelso animo, subrisit tantùm, nec re verbo ullum edidit indignationis ulciscendæque calumniæ argumentum, cum apertissime constaret, sero eos ordines & jam fere partâ de hoste victoriâ eo loci accessisse.

Explicit Liber Decimustertius.

INCIPIT LIBER DECIMUSQUARTUS.

AT Mediolanenses profligato penitusque deleto apud Caravagium Venetorum exercitu, castrisque direptis, victoribus omnia prona & aperta fore rati, diversa diversi consilia animo agitare cœperunt. Mittuntur postridie in castra octo cum his mandatis tum publice tum privatim datis ad Franciscum legati, ut quod deinceps bellum gerendum esset, id pro suæ Civitatis voluntate & Reipublicæ commodo gereretur. Quod erat maxime, ut pars major exercitus in Laudenses, reliqua in Bergomenses confestim traduceretur. Ejus legationis Franchinus Castillioneus Jurisconsultus, magnique consilii vir, Vitalianus Borromæus, & Theodorus Bossius principes fuere. (88) Hi Centurionibus Præfectisque militum, ac reliquis Ducibus in concionem accersitis de tam ampla atque memorabili victoria gratulantur. Deinde summis cujusque virtutem laudibus extollunt, gratiasque Francisco in primis & ceteris ingentes agunt. Præterea ex omnibus singillatim in ea prosequenda victoria sententiam exquirunt. Itaque alii in Bergomensem, alii in Laudensem, alii ut erant antea edocti, bipartitis copiis in utrumqae agrum ducendum esse exercitum censent. Franciscus variantibus sententiis, *posteaquam,* inquit, *ex hoste victoriam consecuti sumus, ea deinceps ratione bellum gerendum censeo, ut illud maxime vel negligentiæ vel socordiæ vel imperitiæ crimen, nescire victoria uti, fugisse videamur, quod sæpe multis hactenus ascribi solitum meminimus. Itaque peroptimum mihi videtur, ut bellum quod debinc Mediolanensis Populus adversùs Venetos gesturus est, ultra Olium amnem intra ipsa hostium præcordia geratur. Quod ex ea re multa ac maxima & ad augendum victoriæ nomen & ad bellum ipsum conficiendum commoda consequemur. Exercitus siquidem alienis sumtibus alienisque opibus aletur. Reliquiæ hostium, si quæ sunt, fugabantur. Populi qui ad eam oram Venetis parent, dum in trepidatione versantur, dumque Venetæ fractæ sunt vires, facile in deditionem adducentur. Nec deest nobis animus, & obsidere Urbem Brixiam integro exercitu, & circumjacentibus Oppidis in fidem acceptis acriter oppugnare. Quam si omnes eo animo ad oppugnandam fueritis, quo vos futuros spero, non dubito, quin brevi in potestatem redigamus. Quod si Brixiensem tantummodo agrum subjugaverimus, quis hodie neget, non tam Laudenses quam Bergomenses undique interclusos, solis dumtaxat epistolis in Mediolanensium manus deventuros? Sed si secus fiat, quid Veneti in bello possint, quam sint eorum facultates amplissimæ, quantis affluant pecuniis, quos tota hæc Longobardiæ provincia superioribus bellis sæpe experta est, Mediolanenses verò contra quam sint omnibus pœne rebus inferiores, & quamdiu tantam belli molem laturi sint, nemo est vestrum qui non aperte intelligat. Quibus ex rebus si Brixiam Veneti belli sedem cum adjacentibus Populis à præsentis belli impetu liberam servaverint, eos propediem non minus refecturos quam coacturos exercitum, & non minus Laudem quàm Bergomum magnis auxiliis in fide contenturos ante oculos proponere debetis.* Facto dicendi fine, Vermius primo, deinde Carolus & Taurellus subsecuti non modò comprobant Francisci consilium, sed magno etiam opere laudant. Idem faciunt insurgentes plerique alii, quos & prædæ cupiditas, & imperatoris auctoritas, & oratio à priore sententia revocarat. Sed quoniam Brixia cum universo ejus agro ex fœdere, ut initio ostendimus, Francisco debebatur, si quo pacto durante ejus cum Mediolanensibus stipendio è Venetorum manibus eriperetur, Picininus (89) qui permoleste ferret, si ea Urbs in Francisci potestatem perveniret, Brixiense bellum, quibus potest, rationibus impugnare contendit. Verùm advocato rursus in proximum diem concilio, post multas ac varias concertationes vicit tamdem Francisci sententia. Itaque decretum est, ut omnis exercitus in Brixiensem agrum deducatur, præter Vintimillianum & Sanctoseverinates cum suis aliisque perpaucis copiis, quibus Laudensis belli summa tradita est. Dum hæc apud Caravagium aguntur, quod tridui post prœlium novissime factum mora fuit, permulti ex Brixiensibus municipibus ad Franciscum veniunt, sese ei municipiaque atque oppida dedentes. Admirantur deinde tantum exercitum fugatis dissipatisque hostibus tamdiu iisdem castris cunctari. Damnant majorem in modum eam tarditatem. Hortantur rogantque, ut omni sublata mora se cum exercitu in suos fines transferat. Res Venetas magna in trepidatione atque tumultu versari. Brixiæ tam celebris tamque præclaræ Urbis potiundæ occasionem ei hoc tempore oblatam haud esse prætermittendam demonstrant, cujus oppugnandæ atque obtinendæ gratiâ se cunctis in rebus adjumento futuros ingenti quodam animi fervore pollicentur. Horum frequens hominum concursus singularisque erga Franciscum voluntas non modò illius judicium confirmavit, verumetiam plurimum auxit. A Caravagio igitur movet, & unis castris in Brixiæ fines traducit. Picininus suis apud Trivillium relictis,

(88) MS. Quippe qui in sua Civitate magna tum auctoritate habebantur. Hi non minus centurionibus præfectisque equitum, quam belli ducibus in concionem accersitis, de habita ex hostibus tam ampla, tamque insigni atque memorabili apud nostros, ceterasque nationes victoria, Franchino dicente, absentibus atque ac præsentibus gratulantur &c.

(89) MS. & qui suæ parti favebant, ab Arasmo præsertim doli auctore, & aliis quibusdam Civibus edocti, qui permoleste &c.

lictis, Mediolanum proficiscitur. Ejus profectionis causam esse, pro componendis suis cum Mediolanensibus negotiis, proque pecuniis expetendis simulat. Is dum ibi moratur, privatim civibus nonnullis ex primatibus persuadet, ne Franciscum Sfortiam majoribus quam esset viribus atque opibus in Longobardia augeri patiantur. Quod si permiserint, eos ipsos suae libertati excidium paraturos. Proinde cavendum praecipue in praesentia, ne Brixiam praesenti Venetorum clade territam obtineat. Videri sibi nunc expetitae jamdiu pacis cum Venetis tempus venisse, quam si vellent, facile honestis conditionibus à victis impetraturos. Quod etsi Arasmo & civibus iis, qui cum eo sentiebant, mirum in modum placebat, tamen Gibellina adversante factione eam rem neque in consilio deferre, neque in vulgus recenti victoria erectum disseminare audebant. Picinini fratres ad Venetos secretò nuntium mittunt, qui Nicolai Guerrerii interventu referat, se eodem erga Venetam Rempublicam esse animo, quo fuisse saepe intellexerunt. Et quamquam Mediolanenses nunc victores nihil de pace cogitare videantur, tamen si pacisci cum iis voluerint, non dubitare, quin à se facile & ad pacem firmandam & ad foedus percutiendum adducantur. Hi post haec, etsi natu major se copiis omnibus in exercitum propediem rediturum promiserat, tamen expetentibus ipsis cum à Mediolanensibus Laudensi bello praeficerentur, se in Laudenses Urbis oppugnandae causa contulerunt. Ea de re Franciscus certior factus vehementer animo commotus est. Quod etsi satis antea Picininorum perversam erga se voluntatem animadverterat, tamen non credebat de iis, quae ad Caravagium communi omnium consensu decreta fuissent, Mediolanenses quicquam se vel invito vel inscio mutaturos. Eodem quoque tempore allatae sunt ei literae ab Arasmo ad Vitalianum scriptae, humi dum forte excidissent, repertae, in quibus erat scriptum; ita cum ducibus ageret, ut exercitus omnino plures in partes divideretur, ne Franciscus eo diviso Brixiam aggredi auderet. Quibus ex rebus etsi manifestius Picininorum perfidiam cognoscebat, & Mediolanensium mens quorsum intenderet satis perspiciebat, nihilo tamen secius coepto in itinere pergit. Et haec quantumcumque dura, haud sibi molesta esse simulat, omnia sua incommoda pro Mediolanensium commodo aequo se animo laturum. Interim Salernitano cum duabus turmis praemisso, omnes non tam Bergomensis & Cremonensis quam Brixiensis agri municipes, qui Benacum usque Lacum & Mincium amnem incolunt, & Venetorum parent imperio, oppidis arcibusque praeter Asulam & Lonadi Arcem receptis, quatuor dierum mora in deditionem accepit (90). Eo tam felici & incredibili rerum successu Franciscus majore animo ad suscipiendam Brixiae oppugnationem confirmatus, ad duo passuum millia à moenibus castra locat, perspectoque Urbis situ, biduo post propius admovet, & à duabus tantummodo partibus, quae in plano sunt, ob ambitus magnitudinem

A circumsedet. A reliquis partibus interclusis undique aditibus millibus passuum tribus ab Episcopi Porta, montanisque arcibus ne quid eo vel commeatus importetur, vel auxilii mittatur, excubitores praesidiaque ponit. Jacobus Gottholanus cum quingentis circiter equitibus ex iis, qui à Caravagina clade Venetis superfuerant, & peditibus mille ei Urbi praesidio relictus, levia raro interdiu, saepius verò noctu proelia committebat. At dum ea, quae munitissimae Urbis oppugnationi necessaria videntur, Franciscus magno studio conquirit, non tam Picininorum quam Mediolanensium dolos multo etiam apertius cognoscit. Nam cum amicorum legatorum-

B que suorum literis, quos Mediolani, Ferrariaeque apud Leonellum Estensem habebat, tum etiam certis quorumdam ex hostibus nuntiis certior fiebat, Mediolanenses ad praefectos, primariosque obsessae Urbis Cives literas dedisse, quibus illos ne se Francisco dedant, neve timeant, sed in pristina Venetorum fide persistant, adhortabantur; quod de pace cum Venetis agerent, essentque propediem praesenti eos obsidione liberaturi; cum exercitum aut in hiberna confecta pace, aut si in bello persequi perseveraverint aliò transferendum constituissent. Accessit ad id quoque inopinatus in castra Antonii Porri Mediolanensis legati adventus, qui explica-

C bat, quod cogitantibus saepe numero Mediolanensibus de bellicis rebus, quibus gravi & intolerabili prope sumtu premerentur, non videbatur eam Urbem nisi longa obsidione subigi, vincique posse, cum & loci natura & fossa, insuper muro, milite, & Populo superioribus bellis, armis, laboribusque assueto omni ex parte esset quammunitissima, & commeatu etiam refertissima. Ex quo fieret, ut frustra exercitus ibi esset plures etiam menses futurus. Quare castra mutanda, & copias ultra Mincium in Veronensium fines traducendas esse Mediolanenses judicare dicebat. Quod ut efficeretur, instare non ces-

D sabat, cum maxime progrediendo Brixia suis etiam incolis undique circumsessa post terga relinqueretur, & nutantibus Venetorum rebus Veronenses, qui moleste illorum dominationem ferre videbantur, jugo Venetae servitutis excusso ad eum defecturos sperari posset. Praeterea Guilielmum, reliquosque singillatim Mediolanensium ductores secretò admonebat, ut suos paulatim milites in Laudenses transmitterent, causamque transmittendi hanc esse palam praedicarent, quod pecuniae inopiâ in castris amplius perseverare non possent. Haec pro Reipublicae Mediolanensis commodo ni faciant, stipendia in posterum minus habituros.

E Quibus auditis, Franciscus quae de Mediolanensibus adversum se quotidie sibi enunciabantur dissimulans, legato sic respondit, se Brixiam omni ex parte permunitam non diffiteri. Sed si Mediolanenses quemadmodum & jure foederis obstringebantur, & paulo ante per suos legatos ad Caravagium confirmarant, concessas sibi copias, si non omnes, saltem eas, quae in praesentia secum erant, ad Brixiae oppugnationem militare voluerint, non dubitare omnibus obsessis itineribus,

(90) MS. Quorum Urbes & propter agrorum magnitudinem ac fertilitatem, & Populorum multitudinem & rerum opulentiam singulae singulam provinciam continere videntur. Eo igitur tam felici &c.

bus, omnibusque ad oppugnandum rebus comparatis, quin haud multo tempore vel voluntaria deditione, vel metu, vel vi tamdem ea Urbe potiretur. Nec in Veronenses trajiciendum censere, Brixiâ post terga in hostium potestate relictâ, quæ adeo dediticios solicitare & infestare quotidie armis posset, ut rursum in Venetorum fidem redire cogeret. Esse præterea omnia adhuc circa Mincium Oppida partim in Venetorum, partim in Ludovici Mantuani Principis manu, qui nisi consentiat, commeatuque exercitum juvet, nihil in regione ea profici posse, cum redeundi duo inter flumina itineribus undique interclusis nullus exercitui aditus pateret. Interea Veneti post acceptam Caravagiensem cladem, nihil earum rerum omittere constituunt, quæ obsessarum Urbium saluti conducerent, quibusque præsertim Brixiæ laborantis periculo maturius occurri posse arbitrarentur. Quare confestim Pasqualem Maripetrum, qui postea eorum Reipublicæ Princeps fuit, & Jacobum Antonium Marcellum in Veronenses ad colligendum resarciendumque exercitum legatos mittunt. Hi Pischeriam profecti, quod est Oppidum Veronensium in ipso prope Benaci Lacus ostio situm, unde Mincius amnis initium facit, & id quidem munitissimum, belloque gerendo in regione peropportunum, ubi jam Michaël cum paucis constiterat, copias omnes ita ut erant, inermes eodem convenire jubent. Has ingenti celeritate velut in summo rerum suarum discrimine nullis parcendo impendiis reficere ex integro contendunt. Triremes quatuor, quas in eo loco exædificatas habebant, summa festinatione instruunt. Quibus frequenti navigationum cursu Castella, quæ circa Lacum eumdem adhuc in fide perstiterant, in officio continebant, & quæ defecerant, in pristinam fidem revocabant. Quemcumque militum numerum, modò ex usu sit suo, omni ex parte conducunt. Magnum Civitatibus, quas ultra Atesim obtinent, delectum imperant, & quantas possunt, pedestres copias undique cogunt. Ad Florentinos præterea, & propter veteris amicitiæ officia & propter societatis jura mittunt imploratum auxilium. Qui forte sub idem tempus eo bello, quod Alphonsus Rex per annum jam exactum terra marique intulerat, liberati, tribus armatorum hominum millibus eos juvare constituunt. Nam profligato, ut demonstratum est, apud Casale Majus Philippi exercitu, Alphonsus ex Campano agro movens, Tibur per hyemem cum paucis copiis venerat eo quidem consilio, ut vere primo contracto exercitu ad ferendam laboranti Philippo opem se accingeret. Et quamquam eo usque discessum moratus erat, ut prius è vita Philippus emigraret, quàm Romano agro excessisset, tamen conata adversùs Florentinos perficere constituit. Itaque cum in Senenses per autumni tempus magnis copiis pervenisset, moxque Florentinorum fines invasisset, depopulatus ab ea parte agros cuncta ad ipsam usque Florentiam militibus longe lateque pervagantibus præda, igne, ferro, devastavit, ac tumultu terroreque ingenti involvit. Florentini autem quod eos potentissimus hostis imparatos adortus esset, cum nihil hostile mortuo Philippo vererentur, Frederici Feretrani Urbinatium Comitis primum, paulo deinde post Sigismundi Malatestæ, qui per idem tempus ab eo Rege desciverat, adventu, se per eam hyemem ægre tutati sunt. In proximum verò annum facta jam in campis pabuli copia, Rex è Senensibus ubi hyemarat, eduxit, confestimque Plumbinum Oppidum sane insigne & bello gerendo accommodatum terra marique in numero pæne exercitu circumsedit spe brevi seu per oppugnationem, seu per obsidionem ejus potiundi; hac potissimum ductus causa, ut in ea ora maritima stationem portumque suis aliquem ex utriusque Siciliæ, citerioris Hispaniæ, & Sardiniæ regnis ad eum navigantibus pararet, quo tuto flectere, commeatusque ad alendum exercitum deferre, exponereque possent. At cum totam ibi æstatem Oppidum summa vi tormentorum oppugnando pluribus tentatis sæpe pugnis devicta etiam hostium classe consumsisset, exercitu prope gravi tabe & summa pabuli inopia confecto, obsidionem tamdem solvit. Et qua venerat discedens, Sigismundo & Frederico ducibus infesto exercitu agmen à tergo lacessentibus in Senenses se recepit, moxque mari delatus in suum proximæ Siciliæ regnum velut Etruria pulsus victusque rediit. Soluti igitur eo bello Florentini, recuperatis omnibus fere Oppidis, quæ hostis superiore anno occupaverat, Sigismundum cum duobus equitum millibus, & Gregorium Anglarensem cum peditibus mille, magna celeritate Venetis auxilio misêre. Itaque Michaël ac legati resumtis paulatim viribus per montes pedestribus copiis nullo intermisso tempore obsessis auxilium ferre contendunt, Ludronensibus violata factæ nuper deditionis fide secum conspirantibus. Ceterum Pasqualis Maripetrus alter ex legatis cum ab superiore tempore cum Francisco inchoatam amicitiam quamvis tum esset suæ patriæ hostis, nonnihil tamen mutuâ benivolentiâ ab eo impetrari posse confideret, eidem, Angeli Simonetæ usus opera, qui apud eum gratia & auctoritate plurimum poterat, ut in antiquam Venetorum amicitiam redeat, multa pro ejus commodo atque gloria proponendo ac pollicendo, multa quoque de Mediolanensium in eum perfidia demonstrando, persuadere conatur. Hæc Francisco sæpe animo volutanti multa quotidie occurrebant, quæ non modò eum adhortabantur, ut suæ suorumque saluti prospiceret, verumetiam plurimùm incitabant atque impellebant Quod Mediolanenses mortuo Philippo illius imperium, quod ad se jure optimo pertineret, temerario quodam impetu occupassent, cum memoria teneret vigesimo jam anno exacto, dum apud eumdem Philippum mereret, ultro se ab eo adoptatum, Blancâ filiâ unicâ sibi in matrimonium datâ. Quod non multo anteaquam ex humanis emigrasset, universum, quod in longobardia possidebat, imperium ita ab eo publicis documentis sibi concessum constaret, ut post ejus è vita decessum donationis jure succederet, quamvis in ipso prope mortis furore, sicuti principio demonstravimus, aliter suis rebus disposuisse diceretur, variis varia circumferentibus. Quod plane animadvertebat Mediolanenses eam, quam sibi per Philippi obitum libertatem vindicarant, tum propter incredibile odium graves intestinasque dissensiones, quæ quo-

quotidie inter eos oriebantur, tum etiam propter regendi administrandique imperitiam non diu retenturos, & exinde tam celebre imperium tamdem in Venetorum manus, nisi quis obstaret, deventurum. Dum in his cogitationibus versatur, fit multis modis certior, summa festinatione inter Mediolanenses Venetosque de pace secretò agi, & petentibus Venetis Picininos simulata in castra profectione cum his mandatis venturos, ut deinde si voluntarie obsidionem solvere recusaret, Brixiam ingressi circumsessis civibus præsidio pro Venetis essent. Accedebat ad hæc & liberorum amor & cura & non injustus dolor, & assidua Blancæ conjugis querimonia his eum verbis tum coram tum literis sæpe solicitantis. Paternas opes adeo injuste à multis direptas atque possessas sibi ipsis & posteris jure debitas, ejus virtutis esse, & officii ab injuria vindicare. Domum vicecomitum prostratam atque pæne extinctam sublevare. Paternum regnum ab interitu eripere, nec pati eo sese & filios ullo pacto defraudari. Postremo numquam se animo lætari aut conquiescere posse, donec se patria extorrem & paternis bonis spoliatam videat restitutam. His rebus diu multumque cogitatis, non amplius sibi cunctandum putavit tam imminenti & suæ suorumque vitæ & fortunarum omnium discrimini occurrere. Itaque per eumdem Angelum Simonetam cum Venetis Pasqualis eorum legati interventu, de pace ac fœdere agere cœpit. Qui etsi cum Mediolanensibus de componendis inter sese rebus assidue tractabatur, tamen cum plurimum vel voluntariam Brixiæ defectionem, vel proditionem timerent, præsertim cum quod in primis de Picininis sibi præstari petierant, ob Mediolanensium cunctationem, qui nisi Laude recepta, militem nullum ab ea obsidione abire statuissent, pro temporis angustia minime confici posse viderent, ad eam sane cum Francisco concordiam, quando maxime in lucro esset, propensioribus animis devenerunt.

Summa autem pacis initæ percussique fœderis hæc fuit. Ut pax primum & amicitia inter Venetos & Franciscum Sfortiam perpetua sit. Captivi utrimque in libertatem reddantur. Universa tam Brixiensis quam Bergomensis agri Oppida, quæ Franciscus eo bello cepisset, Venetis restituat. Crema & cetera Transadduanorum Oppida præter Pandinum, quod Laudensis esset agri, & Sanctoseverinates jure possiderent, Venetorum. Reliqua Oppida atque Urbes, quas Philippus in ipso ejus obitu possidebat, Francisci sint, utque eas facilius assequi valeat, quatuor equitum & duo peditum millia suo sumtu Veneti intra mensem post ictum fœdus ei auxilio transmittant, tria & decem insuper aureûm nummûm millia singulis mensibus dependant. Quæ quidem auxilia tamdiu Veneti Francisco præstare debeant, quoad Urbe Mediolano potiatur. Deinde verò in amicitia & societate inter sese vivant, societasque eo jure maneat, ut alter alterius hostes in hostium & amicos in amicorum numero habeant. Veneti Franciscum, Franciscusque Venetos, ut rerum postularet conditio, pace ac bello juvent. Rebus per hunc modum compositis atque firmatis, quæ solis Alexandro ac Dulcio & perpaucis quibusdam cognitæ erant, operæ pretium

A fore Franciscus existimavit, rem omnem exercitui aperire. Quare omnibus in campum convocatis, ita ex equo locutus est. *Arbitramus, duces optimi, & vos ceteri commilitones, futuros nonnullos, qui non sine admiratione audiant, quæ nunc in medium referemus, perinde ac rem novam & inopinatam. Sed ubi causas atque rationes diligentius cum mente versaverint, non modò desinent mirari, sed potius damnabunt nimiam cunctationem ac patientiam nostram, qui tamdiu cunctantes eorum insidias atque perfidiam æquo animo pertulerimus, de quibus optime meriti sumus. Non enim vos latet, quo in statu Mediolanensium res essent, quo tempore mortuo Philippo Duce, patre soceroque nostro ex Picentibus in Galliam cisalpinam revertimus: cum*

B *Veneti occupatis finitimis & opulentissimis Urbibus Placentia ac Laude, captisque universis pæne municipiis & oppidis Mediolanensis agri, ita Urbem ipsam undique fere clausam tenerent, ut vix tuto cuiquam portas egredi liceret. Nec estis obliti, quanto cum labore Medio[...]sium copias, quæ sub Philippo meruerant, minutatim circumquaque dispersas, & ob confertissimos hostium exercitus ita territas, ut necubi consistere auderent, unum in locum coëgerimus, & eo firmaverimus robore, ut non modò hosti resisterent, sed terrori essent: ut qui jam plurima pro libidine occuparant, facilioraque reliqua sibi omnia ac prona fore putabant, in rerum suarum veni-*

C *re dubitationem cœperint. Parma ex ipso itinere nostro Mediolanensibus societate & amicitia conjuncta est. Sanctum Columbanum citato agmine omnium primum recepimus. Deinde Placentiam circumsedimus in maximis rerum omnium, ut nostis, difficultatibus. Urbem sane non peditatu modò & equitatu, sed rebus iis omnibus munitissimam, quæ non tam ad repugnandum quam ad oppugnandum satis essent superque futuræ. Quanto autem cum capitis nostri periculo, & vos omnes, & nos ipsi in ea oppugnatione expugnationeque fuerimus, egregie meministis: cum ex nostris militibus non pauci ceciderint, & bombardulæ ictus, quem insidebamus, equum repente transfoderit, parumque à nostra nece defuerit.*

D *Expugnavimus pro divina clementia Urbem opulentissimam, & Venetorum cunctis viribus, quæ ei præsidio erant, superatis, in prædam ingenti virtute diripuimus. Qua quidem una victoria tantum terrorem Veneto militi injecimus, ut consistere eo Anno nusquam auderet. Cum verò tantam Urbem cum universo ejus agro Mediolanensium ditioni adjecerimus, qua illi in nos gratia sunt usi, ea fuit, quod insidiari nobis, & clam alia atque alia tentare cum Venetis in perniciem nostram numquam desierunt. Loquimur autem & querimur non de universa Mediolanensi Civitate, sed de nonnullis & perpaucis Civibus, qui cum semper & nomini nostro infesti fuerint, & fortunæ nostræ inviderint, ipsis*

E *auctoribus, cum multitudo principum consilia sequi soleat, has in nos instructas, quas intelligitis, insidias, apertissime cognovimus. Quæ autem hoc Anno deinde à nobis gesta sunt, universa cognovit Italia. Nam quibus stipendiis, quibusve commeatibus aciem primo ex hibernis in Transadduanos eduximus, nemo est vestrûm, qui ignoret, cum per Mediolanenses nummos aureos Rhenenses militibus singulis singulos tantummodo dare licuerit. Reliqua impensa nostra fuit, quantamcumque præstare valuimus. Quo autem studio, quibusque innixi viribus præter Caravagium totam eam Mediolanensi Populo regionem recupe-*

ravi-

ravimus, vos ipsi testes estis, qui laborum socii semper mecum fuistis. Post hæc ingentem ac potentissimam Venetorum classem, quæ universam prope, ut ita dixerim, cisalpinam, transpadamque regionem infestabat, vastabatque ad Casale Majus mirabili nostra industria invitis fere omnibus non fudimus solum sed concremavimus, & ne id quidem sine maximo nostrorum civium Cremonensium detrimento. Obsedimus postremo Caravagium eorum jussu, & re frumentaria, & militum præsidio, & rebus omnibus munitissimum. Et ita obsedimus, ut nos ipsi quoque illorum negligentiâ & avaritiâ, quemadmodum vidistis, non minore periculo quam obsessi laboraremus: cum è conspectu hostes castra sua multo quam nostra rebus omnibus munitiora atque formidabiliora firmassent. Sed nostra tamdem diligentia, labore, atque tolerantia vobis adjutoribus, fortissimeque pugnantibus, & hostium exercitum delevimus, & Caravagium deditionem facere coëgimus. Hanc ob tanta beneficia nobis gratiam homines omnium ingratissimi retulerunt, ut scelus scelere in nostram calamitatem accumularent, obliti in rebus Venetorum secundissimis & suis ærumnosissimis, nostrâ operâ & industriâ, quinetiam impensâ rem prope perditam restituisse, & transpadana Oppida atque Urbes sibi stipendiarias fecisse. Pacisci enim usque adeo cum Venetis studuerunt, ut erepta nobis Cremona & Papia, non modò nos è Longobardia pellerent, sed quoad ab eis fieri posset, è medio quoque tollerent. Pepigeramus autem cum Mediolanensibus, ut Brixia, quam obsedimus, nostra foret, ubi venisset in deditionem. Cujus obsidendæ gratia profligatis ad Caravagium hostibus, universi exercitus milites nobiscum perseverarent, excepto dumtaxat Antonio Crotonis Marchione, qui cum suis & aliis perpaucis copiis ad Laudem obsidendam mittendus erat. Nos verò cum in Brixiensem agrum Urbem hanc oppugnaturi proficisceremur, Franciscum Picininum, qui nos sequi debebat, ab expeditione nostra averterunt, & ut Laudem peteret, jusserunt. Cumque intelligerent propediem Brixienses cives in nostram venturos potestatem clam literas dederunt ad Antonium Martinengum, ad Petrum Advocatum, & ad nonnullos primarios Cives, quibus eos monebant, ut reliquos Cives adhortarentur, ne quid fœderis nobiscum inirent, sed in Venetorum fide persisterent, quod brevi cum Venetis non pax modò futura esset, verumetiam societas, & perpetua amicitia. Idque ut facilius efficerent, miserunt nuper ad nos, ut vidistis Antonium Porrum legatum, qui ineptis quibusdam ac puerilibus mandatis nobiscum ageret, ut Brixia relicta obsidione, in Veronenses copias traduceremus, cum Urbe Verona in deditionem recepta nullus foret reliquus de Brixia potiunda labor. Nec legatus ipse, quemadmodum scitis, umquam cessavit vobiscum agere, ut paulatim missis trans Adduam militibus in agrum Laudensem, nos tamdem omnes solos desereretis, quo ita destituti omnino copias hinc adducere cogeremur. His igitur cognitis atque patefactis dolis & insidiis cum apertissime perspiceremus, eos nihil aliud quàm perniciem & exitium nostrum cogitare, rebus nostris prospicere non amplius nobis cunctandum putavimus. Habuimus necessariam & honestissimam salutis nostræ rationem. Nam ne ipsi vobiscum unaque cum uxoribus, liberis, & fortunis omnibus per illorum scelus atque perfidiam periremus, ita nuper cum Venetorum Senatu pacisci coacti sumus, ut perpetua invicem pace, societateque & amicitia firmata, nobis auxilio sint futuri ad vindicandum nobis Longobardiæ imperium, quod Philippo Duci in ipso ejus obitu paruerat, quod nobis hereditario jure debetur. Et ut intelligatis rem non fictam esse, aut simulatam, omnium primum Urbs Laudis, quæ nunc à Mediolanensibus obsidetur, atque oppugnatur, cum eo pervenerimus, aut miserimus subsidio ex nostris aliquos, nostra continuo erit. Itaque ut bono lætoque animo nobiscum sitis, vos etiam atque etiam hortamur, si vultis tot tantorumque laborum, & periculorum, quæ frustra pro Mediolanensibus subistis, digna à nobis præmia recipere. Quanto enim ampliores erunt facultates nostræ, tanto in vos esse benigniores munificentioresque poterimus. Id quod tum nostro ingenio quamlibentissime facturi simus, tum etiam pro tot tantisque difficultatibus, quas nobiscum una pertulistis.

Hac oratione cum singulari quadam ac plane imperatoria & vocis & vultus dignitate habita, tantus repente & tam lætus omnium clamor sublatus est, ut nemini prorsus ex tanta multitudine quicquam respondere licuerit: sed omnes confusis vocibus rogare, ut confestim se novæ expeditioni adversùs fidefragos, & ingratos accingeret, cùm dicerent, eum fecisse quamoptime, & pro jure atque æquitate, ne diutius in tanto suorum beneficiorum cumulo tantam hominum ingratitudinem pateretur. Tot enim tantaque pericula, quæ Mediolanensium causâ subissent, longe ea libentius pro tanto imperatore forent toleraturi, in cujus salute ac fortuna sua & salus omnis & res secundæ positæ essent. Facto dicendi fine, Petrus Cotta legatus, qui paulò ante cum Aloysio Bossio collega hæc eadem planius à Francisco cognoverat, Mediolanum celeriter profectus, quæ nuper in castris facta essent, Civitati renuntiavit. Postridie autem Franciscus Sfortia castra ab eo loco movet, & relictis Brixiæ finibus toto exercitu magnaque omnium alacritate per Soncinates Mediolanum versùs ire contendit. In itinere Ludovicum Vermium, Carolum, Guilielmum Taurellum, & reliquos Mediolanensium ductores, quos ad Brixiam socios habuerat, sibi asciscere, & multis per Alexandrum fratrem singillatim propositis præmiis jurejurando obstringere nititur. Interim Mediolanenses Laudem facta civium deditione in potestatem cum Arce acceperant. Et Franciscus Picininus Jacobo fratre cum suarum copiarum parte trans Padum in Placentinos misso, cognito Francisci motu & repentino adversùs Mediolanenses adventu cum residuo copiarum Laudem ingressus, Adduam, ne ab hoste superaretur, custodiri tuerique conabatur. Hæc Laudensium rerum in ipso prope suscepti belli initio, Brixiaque recessu, commutatio. Quamquam Francisci animum primo nuntio graviter perturbarat, quod eam Urbem, uti demonstratum est, Veneti, missis cum mandatis jam nuntiis, ubi eo vel ipse vel ex suis aliqui venissent, ei tradi jussissent. Quæ res & ad superandum flumen Adduam, & ad invadendos terrendosque ea parte primo impetu Mediolanenses plurimum profuisset, tamen mutato trajiciendi fluminis & ineundi belli consilio, haud longe à Castello Leone castra ponit, militibusque nonnullis, quos ingenio callido, & regionis peritos noverat, man-

mandat, ut fluminis ripas diligentius specularentur, locumque ubi pons secreto construi possit, deligerent, delectumque confestim referrent. Praeterea Marco Leoni ex praefectis peditum viro forti atque impigro dat negotium, ut naves interim, quae faciendi pontis causa Cremonae erant paratae, locum ad quemdam non procul ab eo flumine carris noctu deveherentur. Dum haec aguntur, sex à Mediolanensibus cives missi ad eum legati veniunt. Quorum primi Bartholomaeus Moronus, & Jacobus Cusanus Jureconsulti fuere. Hi data loquendi copia haec suae Reipublicae nomine verba fecere. *Ut primum ex Petri Cottae legati reditu Populus Mediolanensis te à sua amicitia discessisse, tantosque motus ita repente & inopinato à te agitari, simulque causas cur id feceris, teque deinde ad inferendum bellum properare intellexit, quantam omnium animis admirationem quantumve dolorem is injucundus insperatusque nuntius attulerit, haud facile verbis exprimere possemus: cum tota Mediolanensis Civitas, quae paulo ante ob res te auctore atque duce prospere gestas, in summa felicitate atque laetitia erat, hoc tam acerbo nuntio ita gravi vulnere affecta est, ut ex maximo gaudio in summum moerorem & lacrymas conversa sit. Proinde nos ad te missi sumus, ut hanc, quam in nostram Rempublicam videris suscepisse indignationem, ex animo deponas, & optimam multorum erga te voluntatem, & non paucorum, si qui sunt, peccatum metiri velis, cum affirmare se posse Civitas nostra dicat, nihil earum rerum in te commisisse, de quibus te quamgraviter queri ex suo legato nuper audivit. Propterea te oramus, & quanto majore possumus studio obsecramus, ut nullam velis Populo Mediolanensi injuriam, nullumque maleficium inferre. Arma non in eos, qui tui sunt, sed in communes hostes exerceas. Et si quid à Mediolanensibus velis, tuum erit postulare, quia nulla in re quoad fieri possit, Civitas nostra tibi deerit. Atqui si ita tibi omnino in animum induxisti, ut conata contra Mediolanenses perficere intendas, te rogamus, ut nostris saltem ducibus nostrisque copiis, quae in tua sunt potestate, Mediolanum redire libere permittas.* Quibus Franciscus ita respondit. *Si Mediolanenses, vel potius qui Reipublicae summam tenent, recte memoria repetissent, quomodo mecum egerint, posteaquam in Longobardiam ex Picentibus redivimus, sane neque hanc rerum novitatem tantopere admirarentur, neque hos motus ita, ut exposuistis indignos censerent, & si dolebant, se non immerito dolere judicarent, cum quemque malefactorum conscientiam accusare aliquando & deflere oporteat. Nam si quid Mediolanensibus adversi accidit, non id aliena sed eorum culpa accidisse, quisque justus rerum aestimator intelliget.* Quin etiam comperiet Francisco non tam de illis querendi, quàm dolendi coram Deo immortali atque hominibus, & suae suorumque saluti consulendi causam jamdiu fuisse justissimam. Quod ut apertius ostenderet, eadem à se in Mediolanenses collata beneficia, easdemque sibi illatas à Mediolanensibus injurias recensuit, quas paulò ante ad Brixiam exercitui commemoraverat. Adjecitque ne hoc quidem Mediolanensibus esse mirandum, si à vulgi inscitia, si à multitudinis ingratitudine, si à civium nonnullorum ex civitatis primoribus perfidia, qui suae perniciei semper studuerant, se eripuerit: (91) quo tum principes Braccianarum partium fautores suis saepe sermonibus nominabat. Quam quidem rem non sponte sed invitus necessarioque coactus fecerat. Addiditque praeterea Oppida atque Urbes universas, quibus imperasset Philippus, tum donationis tum hereditario jure ad sese conjugemque & liberos suos spectare. Quae quidem omnia jure sibi debita, si sibi nunc armis, quando aliter nequeat, vindicare conetur, se nemini injuriam facere. Duces autem & copias eorum, quae apud se essent, in castris ulla vi teneri, cum iis Mediolanum vel aliò si se conferre voluerint, liceret. Postremo etsi injurias ulciscendi tempus facultasque adesset, tamen se eas, quaecumque essent, oblivioni mandaturum, & leniorem quàm opinarentur in Mediolanenses futurum; cum ea esset sibi omnino voluntas, multis potius ignoscere, quam de paucis vindictam sumere, & mallet omnes quàm partem amplecti. Interim exsequentibus imperata missis, Ernestes & Honofrius fratres ex nobili Biboaqua familia, sed diu Verona patria exules, Machasturnam Arcem Francisco se tradituros peramice ac peropportune pollicentur. Quam quidem Arcem à Philippo dudum dono datam trans Adduam in ipsa fluminis ripa sitam possidebant, locum sane cum ad necessitatem tum ad securitatem construendi in eo flumine pontis aptissimum. Ea autem re nuntiata Franciscus gravi transeundi fluminis sollicitudine levatus statim Salernitano mandat, ut sumtis iis equitum peditumque cohortibus, quas usui sibi fore putaret, eo advolaret, Scaphisque trajecto amne in Arcem praesidium imponeret. Deinde adductis navibus, pontem in Addua aedificandum Castellisque ab utraque ripa muniendum summa diligentia celeritateque curaret. Post haec Hermolaum Donatum, Gentilem Leonissanum, Robertum Bodiensem, ac ceteros captivos, qui uti supra ostendimus, in Cremonensi Arce custodiebantur, ad se adduci jubet, eosque benigne & perhumaniter exceptos armisque & equis donatos ad Venetos remittit. Per eosdem dies Carolus Gonzaga cum ducentis & mille circiter equitibus, quingentisque peditibus ab exercitu per noctis silentia ignorantibus ceteris discedit, quod paulo longius à reliquis tendebat, & ad municipia quaedam, quae in agro Cremonensi Olio propinqua, & Mantuano agro finitima possidebat, concitatis equis sese recepit. Duo haec adversa & laudis amissio, & Caroli fuga, cum eodem fere tempore, & in ipso suscepti belli initio accidissent, permultorum in castris virorum insignium animos perturbarunt, & moeror non mediocris omnem paene exercitum occupavit. Suspicabantur enim qui Francisci praesertim commoda cupiebant, ne ceteri qui sub Mediolanensibus meruerant, Caroli sequerentur exemplum. At Franciscus animo semper infracto omnes, ut bono sint animo, hortatur, cum neque se dubitare multis de causis affirmaret, quin tamdem justitiae favente Deo, coeptum jam bellum eum esset finem ha-

(91) MS. Quorum Vitalianum Borromaeum, Arasmum Triultium, Innocentium Cottam, & Antonium Sextum, Braccianarum partium suis saepe sermonibus principes designabat. Quam quidem rem &c.

habiturum, quem ipsi optarent. Hæc & hujusmodi incommoda, quæ haud nunc primum sustinere didicisset, fructus esse demonstrat, quos sæpe solet & fortunæ acerbitas & varii bellorum casus afferre. Sed eos invicto esse A animo perferendos, nec decere viros fortes in bello ulla adversa fortuna deterreri aut frangi, cum nihil sit aut tam arduum aut tam durum, quin virtute & tolerantia superari possit.

Explicit Liber Decimusquartus.

INCIPIT LIBER DECIMUSQUINTUS.

Ponte ex sententia in Addua confecto, Franciscus toto exercitu, non ut hostis, sed ut amicus in Laudensium fines transit, atque apertis undique belli gerendi itineribus, ea solertia omnia peragit, ut nihil quod ad res conficiendas attineret, memoria, consilio, animo omitteret. Primum omnium Mediolanensium ducibus atque præfectis secretos custodes ponit, ut quid agant, quidve loquantur, ab his quotidie cognoscat. Trans Padum certos mittit nuntios Johannem Anguissolam Comitem ex præfectis equitum, Antonellum Ruffum, & Jacobum Palmanum Placentia oriundos familiares suos, qui Placentinos, quos Mediolanensium dominationem ægre ferre sciebat, ad deditionem solicitarent. Classis insuper partem, quæ Papiæ, ut ostendimus, asservabatur, celeriter armari jubet, flumen Padum custodiri, hostes ultro citroque transitu prohiberi, & magnam commeatuum copiam ad alendum exercitum Papiæ comparari. Post hæc Aloysium Bossium Mediolanensium legatum, qui nondum ab exercitu abierat, cum sibi haud licere diceret, nisi à sua Republica jussus, inde discedere, humaniter admonet, ne post hac in suo exercitu pergeret immorari. Hortaturque præcipue, ut cùm Mediolani esset, Theodoro fratri propositis præmiis suaderet, ut ejus necessarios partium suarum faceret, optimatiumque deinde civium voluntatem sibi, quoad possint, reconciliarent, Civitatis utilitatem privatis affectibus anteponerent, publicis rebus non domesticis commodis prospicerent. Et quod erat maximum, id re omnium incolumi sponte facere maturarent, quod vitare non possent, quodque tamdem, si bello & armis contendere velint, magnis omnium incommodis, magnisque sumtibus vi essent facturi. Se interim Mediolanensibus nullum maleficium inferri passurum. Quod si in eorum fucatæ libertatis tuendæ pertinacia persistere, & bello secum decertare maluerint, ne mirarentur Mediolanenses, si aliter in eos statueret, quod certe invitus faceret. Hæc omnia Christophoro Bravo Parmensi legato communicat, qui paulò ante in castra venerat à Parmensibus missus, ut quo ipse animo in posterum erga eos futurus esset, cognosceret. Parmenses hortatur, ut Mediolanensium partes posthac relinquant; sese sibi veteris amicitiæ memores amico amici jungant. Sed si qua honesta causa in præsentia id sibi minus facere videretur, ne interim se bello implicent, neve ulla re Mediolanenses, ad versùs quos bellum gesturus esset, juvent. In pace cùm possint vivant, familiariter admonet. Præterea quoniam ad alienam opem

B nutriendi exercitus causâ sibi confugiendum erat, quandoquidem suæ vires facultatesque diuturnis multiplicibusque attritæ sumtibus nequaquam tales essent, ut tanto exercitui necessaria suppeditare posset, cùm hactenus magis veteranum exercitum benivolentia quàm opum beneficio in officio continuerit, neque novos milites spe futuri commodi diu in fide retinere posse confideret, ad Florentinos & Cosmum Medicem omnium in Italia ea tempestate ditissimum & magnæ in sua patria auctoritatis Civem, deinde ad Genuenses, quibus per id temporis Janus Fregosus magni animi vir erat in ea Republica Princeps, cui superiore Anno Drusianam
C filiam ex concubina susceptam despondera, & ad Leonellum Estensem hæc eadem ipsa nuntiatum mittit. Petitque ab iis pro conjunctionis & antiquæ amicitiæ jure longo servatæ, ut se in tanto bello juste necessarioque suscepto aut pecunia aut copiis juvent, beneficiumque quod ab iis accepisset, numquam intermoriturum demonstrat. Ad Venetorum postremo legatos, qui Brixiam jam redierant mittit, ut promissæ destinatæque ex fœdere auxiliares copiæ ad se celeriter mitterentur. His rebus constitutis, biduo posteaquam flumen trajecerat ad Casale Posterlengum vicum profectus ibi castra firmat, ut ex eo loco Placentinis rebus, quas solicitantibus nuntiis magno motu teneri audie-
D bat, deditioni faciendæ adjumento esset. Dum hæc geruntur, Jacobus Picininus, qui Burgonovo paucis ante diebus se incluserat, cognito Francisci in Laudenses transitu, omnibus copiis ingredi Placentiam statuit trepidam, ac factionibus variis laborantem Civitatem in potestatem acceptam facile in fide continere, & milites ibi alieno sumtu per hyemem alere posse arbitratus. Itaque instructo agmine, citato gradu eo proficiscitur, Urbemque introire multis artibus contendit. At Cives id maxime veriti, quod Jacobo jam erat in animo, cunctas Urbis portas claudunt, atque ei introire conanti, qui ad latæ Viæ portam mane appulerat,
E respondent, nequaquam se illum tot armatum stipatumque copiis introducturos. Quod ubi Jacobus præter spem evenisse videt, relicto Burgonovo Florentiolam, quæ tunc Oppida in Piccininorum erant potestate, ad multam noctem se recepit. Postridie ejus diei Franciscus cum ad visendam classem, quæ nuper Philippo Eustachio præfecto è Papia solverat, & è regione Placentiæ in Pado ad anchoras steterat, cum paucis se contulisset, fit ex ea Urbe frequenter certior, totam Civitatem jam metu liberatam, rerumque novarum cupidam in armis atque tumultu versari, civibusque primariis amissis

din

A diu multumque sollicitatis, reconciliatisque omnium fere animis, rem esse jam ad recipiendum eum inclinatam. Quare nec multo post, cum ibi adhuc esset, ad Urbem accersitur. Qui etsi à plerisque haud tuto consilio ei se genti milite præsertim inermem committere posse prædicebatur, quam superiore Anno tam insigni & memorabili calamitate affecisset, tamen eorum civium fide fretus, qui ad id eum hortabantur, quorum inter ceteros primi erant Johannes Anguissola, & Comes Manfredus Landus, Anguissolæ & Landæ factionis principes, de quibus maximè benemeritus esset, mox flumine Galeonibus trajecto Urbem magno omnium consensu & lætitia ingreditur: atque in forum usque perductus, qua venerat, eo consilio mox regreditur, ut postero die eo rediret, & ita cum paucis inermibus eodem postridie reversus majore civium municipumque numero, majoreque plausu & lætitia excipitur, atque consalutatur. Quo facto divique Antonii Arce cum Urbicula recepta, Cives pro more exhibitis portarum clavibus, nullis petitis conditionibus sese ei atque Urbem dedidere. His confectis rebus Franciscus postéaquam Thomam Tebaldum Bononiensem Civitati, & Salernitanum cum equitibus sexcentis militum præsidio præfecit, in castra jam vespere remigravit. Placentinis rebus per hunc modum bidui spatio compositis, ne in iis locis exercitus per cibariorum inopiam Laudensibus in hostium potestate constitutis diminueretur, ita Papiam visum est Francisco propius accedere, ut inde commeatus sine periculo abunde in castra importari possent. Ob eam rem inter Papiensem Mediolanensemque agrum ad Lardiracum Vicum ducit, Papiæ terga, Mediolano frontem vertens. Ceterum ex itinere fratres tres Sanctoseverinates liberis uxoribusque Mediolani relictis, cum octingentis circiter equitibus ad eum velut futurum Mediolanensium Ducem & Principem nullis neque impetratis neque postulatis rebus deflectunt. Cui libero sese animo permittentes, brevem hanc publice orationem habuere. Se non spe præmii, sed veteri à parentibus inchoata necessitudine ductos conjugibus, natis, bonisque omnibus in hostium manu dimissis, ad eum venisse, cum non post partam de Mediolanensibus victoriam, quam Deo propitio haud ei defuturam sperarent, secundis rebus & in magna opum affluentia ad eum confugere, sed dum ipse in laboribus periculisque versetur, suo beneficio, si quid erat, adjuvare, & secum utramque fortunam experiri constituerint. Quibus Franciscus acceptis gratias egit, gratissimumque sibi esse, & eo maxime tempore jucundissimum eorum adventum demonstravit, contraque beneficii adeo se gratum ac memorem futurum, ut optime id collocasse re ipsa intelligerent. Et quoniam Guilielmiana, Vermianaque res nondum erat jurejurando & scriptis firmata legibus, quod Guilielmus nisi impetratâ Alexandriâ, quæ res erat Francisco admodum ingrata, negotium suum scriptis transigi nolebat, quodque Vermius, quamquam se eidem morem gesturum, & quæcumque vellet sine pretio facturum affirmabat, tamen id, quo minus scripto exstaret fœdere, rem ex die in diem ducebat, decrevit duobus his ducibus Franciscus priusquam in Mediolanensium fines progrederetur, causam suam modeste aperire, hortarique eos, ut id à se vellent, quod esset & illis petentibus honestum, & sibi non difficile concessu donanti: quem semper essent re præsertim Mediolanensi parta & liberalem & munificum benemerentes habituri, ac eo quidem munificentiorem, quo sese sibi æquior secundiorque fortuna ostenderet. Quare Vermius deditis eo maxime tempore Placentinis, in quorum finibus multa prædia & castella possidebat, quæ eum res potissimum adhuc suspensum tenuerat, omnibus prætermissis conditionibus sese libere Francisci arbitrio permisit. Sola re stipendii lege sancita, uno hoc tantummodo addito, facileque impetrato, ut Antonia unica ejus filia Sfortiæ Francisci filio ex matre eadem, qua Drusianam habuerat, suscepto, nubilibus advenientibus annis matrimonio jungeretur. Itaque & Vermii & Guilielmi res Alexandriâ per feudum concessâ uno atque eodem tempore composita est. Et ob id Franciscus maxima cura liberatus, liberiusque procedere posse ratus, circa Kalendas Novembres ad Casolatum Vicum movit.

Jam hyems maturescere, & continuus exercitum imber labefactare graviter cœperat. Quamobrem Franciscus, qui nulli rei magis in bello, quàm quod posset non solùm à ceteris incommodis, verùm & ab hyemis imbriumque calamitate milites servare studebat, non tentoriis aut factis ex tela tegminibus, sed tecto deinde uti constituit, cum id præsertim habitâ à regionum peritis agrorum ratione, qua maxime sibi eundum putabat, facile fieri posse intelligeret. Nam regionem eam omnem, quam veteres Insubriam appellaverunt, quamque ab una parte Alpes, quibus à Germania & Gallia Italia sejungitur, & tres inclyti amnes Padus, Addua, & Ticinus à tribus reliquis partibus claudunt, vicis, villis, tuguriisque frequentibus, & feracibus insuper agris refertissimam reperiebat, & usque adeo iis omnibus rebus munitissimam quæ ad hominum jumentorumque usum pertinent, ut non mediocri admiratione teneretur. Et quod sæpe dicere solitus esset, memoriâ repetens, cum à Messanæ freto ad Taurinos usque montes universam prope Italiam tum pace tum bello peragrasset, nullam aliam Mediolanensi patriæ Laudensium Papiensiumque inter eos amnes adjunctis finibus conferendam vel vidisse, vel audivisse asseveraret (92). Copiis igitur per proxima ædificia dispositis quæ & frumenti & ceterorum cibariorum plena erant, cum parum seu nihil suarum rerum Mediolanenses in loca tuta pro temporis angustia conferre potuissent, Rosatum, Binaschum, & Clarella, permittentibus sese primo

(92) MS. Nam si quæ erant aliæ in Italia provinciæ agrorum feracitate insignes, non omnibus iis tamen rebus, quibus ipsam abundare constabat. Quo fiebat, ut ea ipsa Insubriæ provincia & agri ubertate, & ædificiorum frequentia, & Populorum multitudine inclyta, jure meritoque cum ad ceteras res, tum maxime ad alendos exercitus longe reliquas antecellere judicari posset. Totis igitur cohortibus per proxima &c.

mo adventu municipibus, à Mediolanensibus descifcunt, & vagantibus deinde per patentissimos campos longe lateque militibus, omnia in prædam agi, ac tumultu & pavore ingenti misceri cœpta. Quod ubi animadvertit Franciscus, pro ejus prudentia atque mansuetudine regionem præsertim improvisam adortus alia ratione vincendi quam impetu, & belli immanitate in Mediolanenses uti constituit. Proinde edici tubarum præconio jubet, ut nemo miles neque Mediolanensem civem, neque municipem, neque villicum agrive cultorem, neque pecus ullum caperet, neque ædificia incenderet. Et si quid esset in prædam abductum, mox dimitteretur. Huic edicto suspendii pœnam constituit. Eo consilio & humanitatis artibus contra multorum sententiam tentandum prius censebat, an sibi reconciliare Nobilium mentes & Plebem allicere posset. Postero autem die, quo hæc gesta sunt, Binaschi Arce in Mediolanensium fide permanente Franciscus relictis in stationibus impedimentis sic eo cum exercitu proficiscitur, ut vel metu vel vi & oppugnatione Arcem in potestatem redigat. Priusquam à Francisco toto agmine Binaschum ventum est, magna equitum peditumque levis armaturæ multitudo præcesserat, Arcemque circumdederat. Illiusque defensoribus permulti ita acriter sunt interminati, ut si quod telum dejecerint, quemquamve percusserint, graves pœnas gravesque cruciatus essent daturi. Itaque quamquam Arcem altissimus murus, altissima fossa, altissimaque aqua cingebat, & præsidio, cibariisque satis abunde à Mediolanensibus provisum fuerat, tamen ut erat Præfectus bellicæ artis ignarus, sic iis auditis vocibus, & per campos tot armatorum hominum millibus prospectis obstupuit, simulque animo defecit, & protinus suos à telorum conjectu prohibuit. Quod cum intueretur Franciscus propius ad fossæ marginem accedens; *Nisi hanc mihi*, inquit, *Arcem nunc, præfecte, tradideris, nulla mora erit, quin eam hastis, ensibusque omissis, tormentis, quæ non longe structa sunt, præcidamus, expugnemusque, in qua nunc tibi tam tutus videris eminere. Et quanto nunc sis excelsior, tanto fies inferior, simulque isti, qui tecum sunt, omnes in fossam præcipites concident*. Quo dicto præfectus & præsentia imperatoris, & comminatione perterritus, Jacobum Lonatem ex propinquitate agri sibi familiarem vocat, eoque deprecatore usus, orare obtestarique cœpit honoris causâ tantum sibi temporis dari, quo hæc Mediolanensibus nuntiare, responsumque ad diem posterum exspectare possit. At Franciscus ubi hominem ita attonitum, perterritumque videt, multo se quam prius acriorem iratioremque ostendit; & clara rursus voce. *Quid tempore, quid Mediolanensibus ad hæc opus est? Si nunc, nunc, inquam, Arcem non dederis, nemo te hodie præter Optimum Deum meis è manibus eripiet*. Ita bonus ille vir his verbis fere exanimatus inclinavit, Arcemque continuo tradidit. Qua recepta, & præsidio imposito, mox receptui cani jussum, & in castra reditum est. Quibus confectis rebus, Jacobus Cusanus, Georgius Lampugnanus juris periti, Petrus Cotta, & Paulus Amico, (93) impetrata fide publica cum iisdem fere mandatis in posterum diem ad Franciscum legati veniunt, cum quibus ad Castellum-Leonem legati priores venerant. Et facta exponendi potestate duo priori tantummodo legationi addiderunt; unum quod Mediolanensis Populus quamquam de ejus in Laudenses transitu audierat, nequaquam tamen suum exercitus imperatorem tam aperte bellum sibi illaturum credere potuerat, nisi post recentem Placentinorum, & proximam Mediolanensium municipum ad eum defectionem. Quamobrem cum ipsum ex defensore apertissimum sibi hostem factum Mediolanenses viderent, maximo in mœrore atque fletu totam Civitatem versari dicebant; rogare ab inferenda injuria desisteret, infensumque in ipsos animum deponeret, & si quid eos vellet, re publica incolumi peteret, quod facile esset impetraturus. Alterum si nulla amplius spes paci, si precibus nullus omnino apud eum locus relictus esset, Mediolanensium copias, quas secum adhuc ducebat, remitteret. Ei legationi Franciscus per eamdem quoque orationem respondit, per quam priori responderat. Seque nemini injuriam facere dixit, si id quod jure suum esset, ab occupantium manibus eripere conaretur, & à nonnullorum præsertim tyrannide, qui suo nomini suæque dignitati inimicissimi semper fuissent, semperque suæ & suorum perniciei minus merito studuissent. Copias autem, quas etiam suas Mediolanenses appellabant, nulla vi, nulla arte suo in exercitu teneri. Nam sic iis, qui in castris remanserant, Mediolanum redire, si vellent, licebat, quemadmodum ceteris licuerat, qui jam ut viderant, eo incolumes rediissent, ejusque rei Georgium Annonensem Præfectum esse testem. Qui ubi de suo ad Mediolanenses reditu sermonem fecit, statim sibi duabusque simul turmis discedendi è castris potestatem impetrasset. Hæc etsi satis Mediolanensibus ex legatorum reditu nota fore arbitrabatur, tamen Mediolanum quoque legatum suum mittere constituit, qui Populo quod legationi utrique non tam responderat, quàm demonstrarat, atque proposuerat, ipse coram referret. His responsis Mediolanum legatis redeuntibus plerique de exercitu milites cupiditate prædæ inducti obvii fiunt, eosque bonis omnibus exuunt. Quod ubi Franciscus accepit, rei indignitate commotus, quod in suo maxime prope conspectu facinus tam indignum contra jus gentium, contra fidem publicam in legatos homines perditi admisissent, eo loci celeriter equo defertur, & quot ex iis comprehendi possunt, ad se perduci jubet: quorum anctoribus fune strangulatis, reliquos legatorum precibus vita condonat. Deinde legatis ipsis, quod ex amissis rebus repertum est, restitui; quod defuit, de suo resarciri mandat. Eo Mediolanum legatorum reditu quamquam nonnulli cives, qui tum in Republica plurimum poterant, ardentissimo Franciscum odio insequebantur, Nobilitatemque ac Plebem miro studio in eum quotidie concitare non cessabant, tamen cognita in Civitate tum in omnes tum præcipue in Mediolanenses Francisci liberalitate atque mansuetudine, & ingenti virtutum suarum nomine, ita pro repentina rerum novitate pars major Nobilitatis

(93) MS. sua in Civitate viri primarii.

tis Plebisque in eum reconciliata videbatur, ut non ingrata Civitati ejus dominatio, ubi de dedenda Urbe ageretur, futura putaretur. Qua quidem in re Benedicti Reguardati, ut paulo ante ostendimus, legati eo à Francisco missi oratio disertissima, quam in Ducali Aula ad Populum habuerat, plurimorum mentes confirmarat. At Georgius Lampugnanus, quem supra in legatorum numero fuisse diximus, summæ audaciæ & temeritatis homo id repente suggestum ascendit, unde Benedictus descenderat, & temeraria ac perniciosa oratione ita differuit, ut omnia perturbaverit, mutaveritque, & omnium voluntates paulo momento à Francisco averterit. Nam inter reliqua dictu nefanda, his verbis vultu voceque vehementi usus est. Præstare inquit hoc tempore Mediolanensibus pro communi libertatis salute omnia dura omnia extrema pati, quàm in hominis teterrimi potestatem devenire, ipsum, uxoremque, quos fœdis sæpe nominibus appellabat, tanti principatus fastigio indignissimos esse. Multos Franciscum habere fratres, plures filios, complures utrimque propinquitate affinitateque conjunctos. Horum quemque dominum sibi futurum, quorum tyrannide insatiabilique avaritia multis variisque sumtibus Populum Mediolanensem continenter fatigari, & varias in partes distrahi, foret necesse. Liberos non parentum, non cognatorum arbitrio, sed eorum præscriptu nutui tradi oportere, nuptas innuptasque in stupra in adulteria trahi, rapi. Civium bona aut jure aut injuria auferri, publicari, Præterea dirutam & ad solum eversam Jovis Portæ Arcem publico sumtu atque sanguine instaurari. Quin etiam uxores filiosque ulciscendæ injuriæ causa ad cementa lapidesque importandos cogi.

Quibus dictis multitudo ignara, quæ naturâ magis impetu, quàm ratione movetur, mox ira furoreque incensa multa per Urbem insolenter ac temere dicta jactare cœpit. Nam alii per contumeliam in Franciscum graviter invehunt, alii alia per longa mendacia fingentes multa ei vitio tribuunt, & adeo multis irarum ministris intemperantes animos concitantibus in eum exarserunt, ut quamvis antea, ut demonstratum est, optima de ipso in Civitate opinio haberetur, nemo tamen illum postea ausus sit nisi per ignominiam appellare. Deinde ad rei bellicæ studia conversis omnium animis, Magistratus, qui Reipublicæ summam tenebant, Franciscum Picininum in Urbem cum copiis introducunt. Item Carolum Gonzagam, qui sese eis auxilio affuturum pollicitus erat, accersunt, Populoque universo ducem moderatoremque præficiunt. Milites tam ex perfugis quàm ex popularibus, quod aliunde conducendi facultas erat nulla, mercede conducunt. Vintimilianum Modoëtiam præsidio mittunt; Abiatum, Bustum Arsitium, & Canturium, quæ sunt Oppida circa Mediolanum, Urbem etiam Comum, ac Novariam, quo majore possunt militum ac pilulariorum numero, quorùm Mediolani infinita erat pæne multitudo, muniunt. Præterea ad Fredericum Tertium Romanorum eo tempore Regem, qui postea Romam profectus, Imperator appellatus est, ad Alphonsum Regem, ad Ludovicum Sabaudianorum Ducem, implorandæ opis causâ legatos mittunt. Ad

A Carolum verò Francorum Regem, ad Ludovicum ejus primogenitum Delphinum Viennensem, & ad Philippum Burgundionum Ducem literas exarant, quibus de eo bello, quod sibi à Francisco inferebatur, certiores faciebant. Et multa Regibus velut ab oris Italiæ longo intervallo remotis Petro Candido Viglebiense dictante, per impuram ac nefariam rerum narrationem summi viri dignitatem polluere, multorumque criminum falsò incusare conabantur. Nam Mediolanenses, qui tunc maxime Rempublicam gubernabant, dum non tam nostrorum quàm externorum Principum animos suæ partis facerent, & ad præstanda sibi belli auxilia adducerent, & in

B Franciscum omnium odia concitarent, ejusque nomen ubique gentium celebre, conviciis & calumniis obscurarent, pro veris falsa in vulgus disseminare, literis nuntiisque mandare non pudebat. Hæc ubi tot tantaque ignobilium publicanorumque maledicta Franciscus cum ex multis è Mediolano venientibus, tum ex literis eisdem, quæ interceptæ, & ad eum mox delatæ fuerant, rescivit, nihil pensi habuit, eumque illorum esse morem dixit, qui in bello viribus diffisi, ad maledicendi artes, fictosque dolos plerumque confugiunt. Quas ob res aperto deinde Marte Mediolanenses undique urgere premereque constituit. Et Abiatum primo circumsedit,

C quod ut prædiximus Oppidum valido Mediolanensium præsidio tenebatur. Id tormentis adortus magnaque in muros triduo patefactâ ruinâ, oppidanos de deditione tentare cœpit. Quibus nequicquam respondentibus quamquam suapte natura miserorum omnium & illorum præsertim calamitatem, quibus ipse ac posteri essent imperaturi, invitus videbat, tamen quia ea se celeriter obsidione solvere cupiebat, & in novo bello milites aliquo prædæ emolumento reficere opportunum judicabat, Oppidum expugnare diripereque constituit. At Blanca conjux, quæ Papiam nuper venerat, obsessos frequentibus nuntiis commendat. Commendationis causa hæc fuit,

D quod ab ipsa infantia cum matre Agnete eo usque ibi educata fuerat, quo viro tradita est. Diligebat propterea Abiatenses, & veteris consuetudinis & familiaritatis memor non mediocriter. Quare Franciscus uxoris precibus sententiam expugnandi Oppidi mutat, servandosque omnino, ac inscitiæ ignoscendum dicit. Proinde admoneri rursus de deditione oppidanos mandat, ne Oppidi expugnationem expectare, neve militum sævitiam experiri velint. At illi rei bellicæ ignari in sua pertinacia ac temeritate persistentes, velle se Mediolanensibus fidem servare dicunt. Quo responso illico exercitus omnis fervere, & omnes prædam prædam concla-

E mantes, ardere cœperunt. Concurrit ob id Francisci injussu eo loci, ubi in Oppidum patebant aditus, ingens gregariorum militum multitudo. Qua re animadversa mittit Franciscus eo quamcelerrime Dulcium Comitem, qui cunctos inde milites submoveat. Sperabat enim Abiatenses perspecto quanto in periculo versarentur, sese suæ fidei extemplo permissuros. At Dulcii adventu cum per inducias à telorum conjectu desitum esset, clamat de muro oppidanus quidam ad alteram esse Oppidi partem eundum, qua maxime tumultus aberat. Ibi adesse, qui de deditio-

 ne

ne conveniant. Qua voce dum eo Franciscus proficisci maturat, ita Mediolanensis quidam è muro in eum pilulam contorsit, ut si posset, euntem vita spoliaret. Quod sceleratam pilularii mentem haud fefellisset, nisi forte venabulum pilulæ ictum excepisset, quod lato ferro miles quidam circa ipsum pedes inter ceteros sedulo gradiens, cui Johanni Grandi nomen cognomenque erat, gestabat. Quare magis atque magis irritatis militum animis ad periclitantium prædam frequentius conclamatur. Franciscus impavidus eo ire, quo cœperat pergens, non nunc sibi moriendum fuisse ait; qui cum ad destinatum locum pervenisset, neminemque comperisset, molestius id sane sibi esse dixit, quam quod modo pilularius egisset: cum irridere eum homines perditi & dementes, ac ex die in diem Oppidi deditionem ducere viderentur. Hæc Franciscus etsi nonnihil detrimenti atque ignominiæ sibi afferre videbantur, tamen conjugis causâ æquo animo ferebat. Jubet proinde rursus neminem Oppidi mœnibus appropinquare, Abiatensibusque prædici, se non posse plurimum non admirari, quod in tanta adhuc etiam insania perseverarent, cum, ut facile animadvertere potuissent, nisi ipse milites prohibuisset, jam in Oppidum nullo labore irruissent, & omnia intus in prædam vertissent, & ob id vellent quamcelerrime eorum saluti consulere. Quod si diutius in sua pertinacia permanserint, postridie prima luce in eos esset exercitui potestatem facturus. His oppidani tandem verbis permoti, ac in se reversi, postero die ante lucem primam sese atque Oppidum dedidere. Arx quoque tormentorum metu post biduum nullo negotio à præfectis tradita. Dum hæc ad Abiatem geruntur, Franciscus, cui non minori cetera erant curæ, quæ bello gerendo sibi incumbebant, quàm præsens Oppidi oppugnatio, eum ruptis pluribus locis aggeribus fluvium à suo decursu avertendum curavit, qui ex Ticino amne tractus manu alveo facto Mediolanum influit. Avertendi fluvii causa fuit, ut earum potissimum devehendarum rerum facultas Mediolanensibus adimeretur, quæ maxime ad vitæ usum pertinerent. Nam ea omnibus erat opinio, sublato fluvii ejus decursu ad summam propediem cibariorum inopiam Urbem deventuram. Quod etsi difficultatem Civitati non parvam afferebat, magnumque omnium animis ipso rumore atque aspectu pavorem incutiebat, tamen hominum ingenia ita effecerunt, ut longe aliter evenerit, quàm fuisset plurimorum exspectatio. Nam cum Magistratus imminentissimis prope difficultatibus celeriter occurrisset, facilius quàm & ipsi etiam putarant, fluvii incommoda perferebant. Perquisitis enim civium singulorum horreis, in quibus magna frumenti vis inventa est, quicquid ab ejus, cujus erat, usu superesse reperiebatur, ut emendi indigentibus foret facultas, in forum statuto pretio vendendum deferri jubebant. Præterea avulsis ex monumentis, murisque urbanis molaribus silicibus, tot per Urbem pistrina constructa sunt, ut satis præsenti molendi usui necessitatique provisum videretur. Per hunc modum Magistratus à tumultu & querelis multitudinem continere, ac spe futuri auxilii in dies nutrire cona-

A bantur. Sub idem tempus Jacobus Antonius Marcellus Venetorum legatus cum duobus peditum millibus exercitui se adjunxit, his cum mandatis suo à Senatu missus, ut copiæ, quas secum duceret, & quæ submitterentur, ejus imperio parerent, ipse verò Francisci imperata faceret. Paulò deinde postea duo alii ab eo Senatu Pasqualis Maripetrus, de quo supra diximus, & Ludovicus Lauredanus viri sane utrique patricii & in sua Civitate primarii ad Franciscum legati mittuntur, qui de rebus inter sese sancitis feliciterque ab eo deinde gestis congratularentur, & conventa coram confirmarent. Sub eosdem fere dies Matthæus Campanus ex auxi-
B liaribus Venetis ducibus unus cum quingentis equitibus per Placentinos Papiensesque, quod Marcellus paulò ante fecerat, in finitimos Novarienfibus agros pervenit, ac per ea loca considere jussus plerisque aliis auctus copiis, & Lumellinæ partes à crebris hostium incursionibus tuebatur, & bellum Novariensibus ipsis acriter inferebat. His rebus peractis, Mediolanumque omnibus iis, qui Abiati Oppido & Arci præsidio fuerant, remissis, quos tutelæ gratiâ Franciscus ipse duo passuum millia à castris eduxerat, ad Lignanum Vicum ducit, hospitiisque per proxima ædificia copiis singillatim dispertitis, castra locat. Postridie cum paucis Bu-
C stensium munitiones, quorum Oppidum non longe aberat, exploratum proficiscitur, & naturam situmque loci conspicatus eo animo in castra regreditur, ut in proximum diem toto exercitu ad expugnandum Oppidum reverteretur. Quod etsi nullo negotio eo cum venisset, capi posse perspexisset, cum neque muro neque fossa, sed solo vallo, & eo quidem pertenui & vetustate collapso muniretur, ea tamen quæ insecuta est nocte, Oppidani summo periculo excitati atque territi, missis in castra ad Franciscum nuntiis salutem misericordiamque suppliciter exorant. Franciscus enim qui suo ingenio ma-
D gis ad clementiam & mansuetudinem quàm ad crudelitatem propensior erat, re facile à se multis maxime deprecatoribus impetrata, eos ad deditionem accepit. Quo recepto Oppido, magnus fuit non tam municipum quàm nobilium sese dedentium concursus. Ex his Philippus Maria Vicecomes Gasparis filius ejus, qui olim apud Philippum potentissimus fuerat, & omnibus consiliis præfuerat primùm, & item ceteri ex Vicecomitum familia, qui municipia & Arces in ea regione permultas obtinent, & Castellionei cum Arce, ac Varisini sese Francisci fidei ultro permisere. Canturio deinde admotum, quod cum in editiore sit loco positum, à peditatu circumsederi Franciscus jussit, statio-
E nibus equitatui ad collis radices distributis. Et quamquam id Oppidum & muro & non invalido militum præsidio defendebatur, tamen triduo peracto dirutis tormentorum impetu ab uno latere mœnibus pactione obtinuit. Interim impedito circa Canturium exercitu Franciscus Picininus, qui ut demonstratum est, Mediolani se continebat, Papiensem agrum ab ea parte, quæ Mediolanum spectat, invadere consilium inivit, accessum eo regressumque tutissimum sibi futurum arbitratus, diem noctemque unam Mediolano abesse posse providisset, priusquam

quam adoriri eum hostes possent. Vintimiliano igitur cum equitatu sibi addito per noctem Mediolano discedit, & ad eum locum extra Parcum ante solis ortum pervenit, quem ad Duas Portas appellant, millia passuum duo ab Urbe Papia distantem. Hac portis apertis Parcum ingressus, magnum inde pecorum numerum abegit, quem eo Papienses, ubi nihil hostile futurum putabant, paulo ante contulerant. Picininus prædâ gravis Mediolanum rediens, Clarellam deflexit, castellumque ex improviso adortus, summa vi expugnare contendit. Sed resistentibus fortiter incolis, cum præsertim à Conrado Foliano, qui Binaschi cum præsidio relictus fuerat, à tergo lacesseretur, timore perculsus, ne propinquus hostis maioribus copiis augeretur, de media nocte relicta castelli oppugnatione ad Claræuallis Monasterium, ubi se tutum fore sciebat, divertit.

Per eosdem dies Briancini, qui Briancium Montem inhabitant, & omnes qui circa Larium Lacum usque Comum incolunt, missis legationibus sese Francisco & fortunas suas omnes præter Leucenses communi omnium consilio & præcipua quadam benivolentia dediderunt. Idem fecere Franchinus Ruscha, Luganenses, & qui Verbanum Lacum circumsedent, præter Aronenses, Anglerienses, & ceteros, qui Vitaliano parebant, præterque Comenses, & Bellincionenses, qui omnes potius belli difficultates pro Mediolanensium Republica perferre, quàm Francisci imperium subire constituerant. Lanzalotus Vicecomes præterea, qui municipia quædam cum Arce non ignobili trans Ticinum in Novariensibus possidebat, facta deditione, hoc idem facere vicinis persuadet. Itaque ejus exemplo atque hortatu Olegini, Gelatenses, Tricatenses, & Cerranenses, qui non longe ab ejus fluminis ripa sunt, ad Franciscum de Oppidorum traditione legatos miserunt. Dum hæc aguntur, Alexander ex Alexandria familia eques Florentinus, qui in sua patria & nobilitate & auctoritate post Cosmum præstabat, ad Franciscum legatus venit. Hic primùm ei de tanta ad suam gloriam suasque fortunas rerum accessione gratulatur. Deinde refert, quod si Populo licuisset Florentino, præstitisset utique ei id, quod necessitudinis inter utrumque diuturno usu continuatæ jus postulabat; quandoquidem ipsum suæ universæ Civitati non minus copiis, quàm pecunia, uti petierat, juvare mirum in modum placeret. Verùm recens ac periculosum Alphonsi Regis bellum, quod Florentina Republica biennio fere perpessa fuerat, fecerat, ut gravibus attrita sumtibus, & non mediocriter insuper ære alieno pressa, ne dum amicitia conjunctis, & de se benemeritis, sed ne sociis quidem de publico quicquam præstare posset. Sed quod sponte in præsentia poterat, quæ res ceteris præclarior erit existimanda, suum erga eum optimum animum pollicebatur, seque ea de causa ita ad illum esse missum, ut numquam quoad liceret, ab ejus exercitu discederet, donec Longobardiæ imperio potiretur: ut Florentini etiam Populi legati præsentia susceptum adversùs Mediolanenses bellum non tam probaretur, quàm conficeretur. Franciscus qui Florentinos & Cosmianam præsertim factionem, quæ in Civitate principatum obtinebat, maximi peculii loco semper habuerat, & illorum amicitiam & auctoritatem eo maxime tempore plurimi faciebat, & sibi conjunctam servare magnopere cupiebat, legatum perbenigne suscepit, seque non dati auxilii excusationem bono animo accipere ostendit. Hoc successu rerum Franciscus majora bello gerendo negotia agitare animo cœpit. Et cum ex iis locis propediem sibi discedendum esset, exercitusque aut in Comenses aut in Novarienses ducendus videretur, quorum Urbes, uti demonstravimus, non exiguis hostium copiis tenebantur, utraque potius eo tempore sibi obsidenda esset, cum suis Venetorumque belli ducibus communicat. Ac re diu multumque in concilio discussa, eadem omnibus tamdem sententia fuit, ut in Novarienses primum exercitus traduceretur. Quod Comenses adeo undique interclusi relinquebantur, ut ad victoriam deesse non possent. Novariensibus verò, quorum Urbem Amadeus Sabaudianus Ludovici Ducis pater summo studio occupare conabatur, plures patebant aditus. Quare Franciscus dat Bartholomæo Gadio Cremonensi viro impigro negotium, ut in Ticino navibus, quas è Papia subvexerat, pontem ædificandum curet, quo celeriter confecto exercitum traducit. Novariamque profectus, ac suburbiis primo impetu expugnatis, Urbem à partibus pluribus obsidione circumvallat. Cives de deditione continuo admonet, quod nisi ante diem posterum fecerint, se eos postea oppugnaturum, neque nisi capta Urbe milites à prœlio & expugnatione revocaturum, dicit. Quod afferat detrimenta direptio, quot mala exinde in Urbe præsertim nobili & opulenta proveniant paucis ostendit, proximam Placentinorum cladem commemorans. At illi, quoniam de communi omnium salute agebatur, rem inter se consultaturos, ejusque voluntati satisfacturos perhumaniter responderunt, qui cum se omni auxilio destitutos viderent, & Urbem imparatam fossis repletis, mœnibusque undique fere & vetustate & negligentia collapsis atque dirutis, à tanto hostium impetu tueri posse diffiderent, emissis biduo, posteaquam eo ventum est, legatis sese atque Urbem Bartholomæo Vicecomite Præsule præcipuo deditionis auctore Francisci fidei permisere. Qui nec multo post Urbiculam & Arcem, & universa Novariensis agri municipia atque oppida partim civium operâ, partim metu in potestatem accepit, præter Romagnanum, quod Oppidum Taurinensium, Sabaudianorumque delectus, qui ad tria hominum millia conficiebat, Ludovici jussu paucis ante diebus occupaverat. Horum Præfectis Franciscus per tubicinem enuntiari jubet, quamprimum Oppido abire maturarent; Cives Novarienses, quos per injuriam comprehensos in vincula conjecissent, libertati restituerent. Deinde ut ipse universis sui exercitus militibus præceperat, ne ullam trans Siccidam Vercellensibus, Taurinensibusque injuriam, nullumve maleficium inferrent, ita & ipsi erga Novarienses reliquosque suos citra eum amnem facerent, cum de iis maxime rebus, quas Philippus Dux in ipso ejus obitu possidebat, nequicquam ad Ludovicum ullo jure pertineret.

neret. Siccidam utriusque fines longo usu dividere, quem quidem amnem, si vicinitas, si amicitia inter sese servanda erat, quam ipse non modo inviolate sanćteque servare, sed augere etiam constituerat, nisi amice transire liceret nemini. Hæc si neglexerint, se nulla mora exercitum in eos missurum. At cum Oppido excedere Sabaudiani recusassent, & ut natura Gallorum est, superbe nimium respondissent, Franciscus, qui & pro rerum suarum salute periculosum judicabat, & pro sua dignitate sibi ferendum non putabat, ut gentis ejus nomen eo Oppido occupato in suis finibus inveterasceret, Ludovicum Vermium cum parte exercitus eo confestim proficisci jubet. Is ubi ad locum ventum est, Oppidum circumquaque aggreditur, & summa vi, summaque celeritate expugnare contendit. Hostes primum Vermii impetum ingenti animo sustinent. Sed ingruentibus à fronte non minore animo Sfortianis militibus, ita ut nullum resipiscendi illis tempus daretur, languescere animis atque ægre resistere cœperunt. Itaque vi nostri Oppido potiti, bona mox diripiunt, paucis utrimque desideratis. Sabaudiani verò simul cum oppidanis in captivitatem abdućti, non multo tempore tanta se pecunia redemerunt, ut non mediocri universo fere exercitui emolumento fuerint. Dum hæc in Novariensibus geruntur, Derthonenses orta inter eos dissensione duas in factiones dividebantur, cum alteri Francisci Sfortiæ, alteri Mediolanensium partes sequerentur.

A Ob id plerique ex primatibus Sfortianæ factionis cives conjuratione inter sese facta ad Franciscum rogatum mittunt, ut si eam Urbem cuperet, si civium nominis dignitatisque Sfortianæ amantissimorum salus sibi curæ esset, non cunctaretur præfectum de exercitu aliquem haud magna manu in suos fines transmittere. Quod illius ope Urbem jamdiu sui amantissimam è perditorum quorumdam adversæ factionis manibus facile liberari posse, & in ejus potestatem continuo transferri confiderent. Re à Francisco cognita, mittitur eo confestim Moretus Nazarius cum equitibus quingentis, qui ab amicis nulla cunctatione introductus, facta ubique per B regiones Sfortiani nominis conclamatione, Urbem paucis resistentibus obtinuit, nec multo etiam labore Urbiculam, & Arcem paucos intra dies adjutoribus civibus recepit. Viglebienses item ejecto ex Oppido Taurinensium præsidio, quod non multis ante diebus accersiverant, ultro sese dediderunt. Quorum exemplum mox Salenses secuti, missis in castra legatis, Francisci imperium subiere. Alexandrini præterea, quorum ad Urbem Scevam Curtem legatum adhortatoremque Franciscus miserat, sese Guilielmo cum toto agro, invita tamen factione Guelfa subjecerunt, præter Boscenses, qui Franciscum sæpius precati, ut se atque Oppidum C in suam fidem reciperet, & non alienæ traderet potestati, aliquamdiu pertinaciter obstiterunt.

Explicit Liber Decimusquintus.

IN-

INCIPIT LIBER DECIMUSSEXTUS.

A Nter hæc Petrus Maria Ruber & vetere amicitia & novo stipendii jure Francisco obstrictus ad eum scribit, secum Parmensis Urbiculæ præfectis, qui de Garimberta familia, & de sua erant factione, ita egisse, ut si ad obtinendam Urbem copiæ mitterentur, liberum esse sent aditum in eam habituræ. Quod ubi rescivit Franciscus, mox ad eam rem conficiendam Alexandrum fratrem delegit. Is posteaquam navi per Padum in Parmenses ad Petri Mariæ muuicipia delatus est, Salernitanum, qui in Plancentinis erat, ad se confestim venire jubet. Franciscus autem ea re, quod magni esset momenti cum Jacobo Antonio Marcello Veneto legato communicata, B sic cum eo efficiendum curat, ut ex auxiliaribus copiis, quas Veneti submissuri essent, Bertoldus Estensis Thaddæi filius adolescens, & Jacobus Gotholanus cum octingentis, Christophorus Tolentinas cum totidem, & Johannes Comes Romanus cum quingentis equitibus ex Brixiensi agro ad Alexandrum celeriter proficiscerentur. Sed fortuna, quæ humana consilia in iis maxime rebus, quæ in bello per proditionem aguntur, fallere plerumque solet, negotii eventum negavit. Nam dum Marcellus ea de re Venetum Senatum certiorem reddit, interceptæ sunt in itinere ab hostibus literæ seu dolo seu temere Tabellario commissæ, & Mediolanum perlatæ, & inde statim ad Parmenses transmissæ. C Re Magistratui patefacta extemplo comprehendi præfectos, & in eos animadverti decernitur. Sed illi per amicos clam edocti, ad Petrum Mariam profugerunt. Ea re per hunc modum prodita Alexander spe Urbis propositâ viâ potiundæ derelictus, Fillinum concessit, copiasque eo undique ad inferendum aperte Parmensibus bellum convenire studebat. His de causis Parmenses amittendæ libertatis timore ad Jacobum Piccininum, qui uti ostendimus, Florentiolæ se continebat, auxilia rogatum mittunt. Is Parmensium rerum novitate lætus, non modò nuntiis pro D eorum Reipublicæ salute omnia se facturum respondet, sed etiam hostem ubicumque esset adoriendum, Parmensibusque finibus expellendum magnopere hortatur, seque ad eam rem conficiendum totis viribus eumvellent affuturum. Parmenses consilio Piccinini probato, Carolum Campobassum, qui impetrata à Francisco ad Apulos Alphonsi Regis jussu redeundi facultate discesserat, ex itinere avertunt, mercedeque conductum Populo ceterisque militibus, quos in Urbe habebant, præficiunt, aliosque insuper stipendio conducere, & intra mœnia accersere die noctuque non cessant. Dum hæc geruntur E Piccininus alter, quem ad Claræ Vallis Monasterium se contulisse diximus, quoniam hostem devictis Novariensibus, Transpadanisque rebus pacatis, in Mediolanenses propediem rediturum existimabat, Melenianum omnibus copiis se reduxit, ut quod adhuc sibi Mediolanenses negaverant, inde Laudis ingrediendæ Urbis modum tentaret, opportunitatemque nactus arriperet; cum neque in eo loco unde discesserat, amplius consistere auderet, neque si in Urbem reverteretur; diu ibi manere posse putaret, veritus, ne propter frumenti omniumque ferme rerum inopiam tot in dies per Urbem à suis rapinæ committerentur, ut in eos Populi tumultum aliquando concitarent. Carolus verò cum Mediolani esset, ac trepidare vacillareque Civitatem videret, ad vindicandum sibi Urbis dominatum consilium init, non quod eam adversus tantas hostium vires diu tueri ac in potestate retinere posse confideret, sed quod pro ejus commutatione se aut Cremonam, aut aliquod dignum à Francisco præmium consecuturum speraret. Itaque perpaucorum civium operâ magnam plebis partem, & nobiles nonnullos ita sibi conciliarat, magnis ad liberandam bello patriam auxiliis magnisque præmiis propositis, ut nihil fere deesset ad capessendam Urbis dominationem, nisi ut eam percurreret, ejusque nomen invocaretur, & palam consalutaretur. Jamque ob id supellectilem sibi cariorem domo efferri, ac suscipiendorum amicorum causa epulum parari jusserat. At hæc ubi Theodorus Bossius & Georgius Lampugnanus intellexerunt, qui non tam patriæ, quàm sua causa eos semper acriter oderant, quos in Civitate novis rebus studere audiebant, omnia per Urbem perturbare, Civiumque animos ad communem libertatem servandam tuendamque confirmare conantur. Quamobrem Carolus capitali eos deinceps simultate insecutus, non prius destitit, quàm non modò suam, sed multorum etiam civium injuriam ultus est. Summa eo tempore Reipublicæ penes Nobilitatem Gibellinæ præsertim factionis erat. Sic igitur Carolus secretò egit, ut in Guelfæ factionis cives principatus, & rerum publicarum administratio deduceretur. Nam qui sibi obstiterant, Gibellinæ tantummodo partis erant. Deinde Theodorum & Georgium proditionis insimulat. Quæ cum animadvertissent Gibellinorum principes conjurationem inter sese iniere, quorum primi Vitalianus, Theodorus, & Gregorius fuere. Hi communicato sæpe inter se clanculum consilio omnia prius tentare atque experiri constituerunt quàm pati, ut vel in popularium manus devenirent, & fortunarum simul & vitæ discrimen subirent, vel à Reipublicæ administratione omnino abdicati in exilium mitterentur, aut patria pulsi extorres per alienas sedes vagari cogerentur. Summa autem conjurationis fuit, ut si fieri posset, Urbs civibus assentientibus Francisco traderetur, iis ab eo conditionibus impetratis, quæ Reipublicæ usui essent, cum ipsis præsertim tribus & aliis perpaucis civibus data esset publico decreto potestas, ea omnia inquirendi atque agendi, quæ libertate incolumi rebus publicis salutaria viderentur. Sin verò ob varias multiplicesque hominum voluntates id minus effici posset in Urbem per Novam Portam, quæ in eorum erat potestate, introduceretur. Itaque hæc per nuntium secreto Theodorus Francisco significandi negotium suscipit, persuadetque ei, ut propius quamcelerrime Urbi appropinquet. Landrianum Vicum castris idoneum locum docet. Vintimilianum prætera, quem ejus dignitatis & fortunæ studiosum invenisset, stipendii fœdere sibi obstringere

gere

gere hortatur. Quibus cognitis rebus Franciscus negotio Vintimilliani ex Theodori sententia composito, è Novariensibus in Mediolanensem agrum trajecit, & ad Landrianum castra posuit. In itinere autem Vintimillianus, qui uti constitutum erat, è Moguntia cum quingentis circiter equitibus quadringentisque peditibus discesserat, Mediolanum se accersitum simulans, exercitui factus est obvius, & magna omnium lætitia exceptus se agmini inseruit. Posteaquam in Mediolanenses reditum est, & copiis paulo minus quatuor passuum millibus ad Picinini hiberna propius accessum, plerique ex Bracciano equitatu ad Franciscum transfugere cœperunt, quorum inter reliquos Andreas Landrianus Mediolanensis equestri turma stipatus advenit. Ejus frater Antonius paulo ante Picinino invito ducentis cum equitibus Mediolanum redierat, neque inde ad eum amplius reversurus, neque jussis obtemperaturus. His destitutus fratribus Picininus, quibus ob præcipuam & antiquam eorum & Francisci fratris in Braccianos fidem vivo Philippo multa & ardua credere atque committere sæpe solebat, magna suspicione teneri, magnoque urgeri metu cœpit, ne à militibus ceteris paulatim desereretur. Nam præter quod de suorum fuga dubitabat multis de causis tam propinquis hostibus summum in periculum se deductum videbat. Quod frumenti inopia premeretur, & in dies magis pressum iri perspiceret. Quod ubi erat non sine manifesto omnium discrimine manere diutius posset. Quod locum quo se reciperet præter Mediolanum habebat nullum, & eo, ut demonstratum est, per hyemem redire nolebat. Sed pro ingenii calliditate per hunc modum his se difficultatibus liberare excogitavit. Ad hostem eo consilio transire confugereque constituit, ut exacta hyeme rursus ad Mediolanenses reverteret. Qua quidem re cum his qui summam Reipublicæ privatim eo tempore in Civitate obtinebant, communicata, de pace atque fœdere secretò cum Francisco agere cœpit. Multam se operam vel de adducendis ad voluntariam deditionem Mediolanensibus, apud quos & auctoritate & gratia plurimum se posse ajebat, navaturum, vel armis in potestatem redigendis conaturum pollicitus. Quæ cum accepisset Franciscus, etsi antiquo credendum hosti omnino non judicabat, cujus anteactæ vitæ mores voluntatemque, qualis erga se esset, multis argumentis satis perspectam habebat, tamen ad subjugandos Parmenses & ad terrendos coërcendosque undique pro sententia Mediolanenses, magno sibi usui futurum existimabat, si Picininus uterque à Mediolanensibus desciscentes sibi adjungerentur. Itaque ea re in consilio deducta, facileque ab omnibus probata, Picininos certis de stipendio legibus sibi obstrinxit. Ut autem infirmos dubitantesque facilius in officio contineat, affinitatis nexu & argento percussum jam fœdus confirmat. Nam & Drusianam filiam mortuo Jano Fregoso, cui eam primum, uti demonstravimus, desponderat, Jacobo fratri in matrimonium se daturum promisit, & grandi insuper pecunia utrumque donavit.

His confectis rebus Picininus ad Franciscum se contulit, ut eum consalutaret, & conventa sua præsentia confirmaret. A quo

A pro ejus in omnes consuetudine benigne honorificeque exceptus, his verbis audientibus permultis usus est. Se non sponte sua sed necessitate coactum, ad eum venisse; quicquid promisisset, inviolate præstiturum, & pro ejus amplitudine non se operam modo daturum, fortunasque omnes expositurum, verùm etiam nulla umquam pericula recusaturum. Ad hæc Franciscus minime se dubitare respondit, quin fidem esset servaturus, & quod ejus fuerit officii diligenter obiturus. Proinde eum bono esse animo hortatur, quod ita secum & cum Jacobo fratre esset acturus, ut eos in filiorum loco se habere plane intelligerent, cum nulla præsertim inter Nicolaum patrem, eosque, & se capitalis alicujus injuriæ causa, sed æmulatio tantummodo quædam virtutis & gloriæ, & rerum bellicarum contentio intercessisset. Quod ea benivolentia, qua eos prosequi instituerat, & recens affinitatis conjunctio tollere omnino abolereque debebat. Non defuerunt tamen eo die, qui Francisco suaserint, ut aut interfici, aut comprehendi Picininum juberet. Et inter ceteros patrandi facinoris concitatores Mannus Barrilis, & Flascus plurimum institerunt. Cum non suspicari se modò, sed exploratum habere dicerent, Picininum & propter invidiam & vetus odium, quo in Sfortianos Bracciani semper exarserunt, nequaquam diu fidelem, sed rursus ei hostem, & Mediolanense bellum ejus causa durius diuturniusque futurum. Nam nemo erat, qui nesciret, Picininum ipsum suo magno periculo ductum; quod & ipsemet testatus erat ad eum venisse, quandoquidem milites sui aperte dicerent, nisi eorum saluti consulere maturaret, illum aut caperent, captumque ad hostem ducerent, aut omnino desererent. Et ob id ubi per tempus sibi licuerit, ad Mediolanenses rediturum, aut mali aliquid in eum moliturum se non dubitare. Quibus ita Franciscus respondebat, se emori malle, quam tanti sceleris noxam subire, ut hominem scilicet interimi statueret, qui sese ejus fidei commisisset. Quinimo se ita in ipsum habiturum decreverat, ut se de eo benemerente ubique gentium in eum potius quàm in se culpa rejiceretur. Nam siquid jure etiam merito in illum acerbius statuisset, non ejus peccato, sed malivolentia & iniquitate factum omnes putarent. At Picininus eodem die Melenianum reversus, cum jam Alphonsum Regem de his rebus, quas cum Francisco egerat, sui purgandi causa certiorem facere instituisset (juvabat enim Rex ipse Picininos eo tempore pecunia multum, & Mediolanenses cum sponte sua, tum Jacobi Triultii eorum legati opera, ad retinendam libertatem assidue & hortabatur, & se ad præstanda ipsis auxilia non defuturum pollicebatur) Franciscum Assisinum familiarem suum, qui superioribus noctibus una cum Luchino Palmerio equitum præfecto magnæ apud eum auctoritatis viro de fœdere transegerat, Neapolim mittit; qui Regem edoceat, se, quamvis ad extremam inopiam redactus ad hostem transisset, tamen neque ab ejus gratia, neque à Mediolanensium amicitia discessisse. Quod egisset, suorumque salutis causa egisse. Sed cum primùm vere novo pabuli copia, & abeundi facultas affuerit, ad Mediolanenses redi-

rediturum. Utque Assisini celerior & sine suspitione esset profectio, Perusium usque negotiorum conficiendorum gratia eum mittere simulat, literasque publicas gentibus commendaticias à Francisco impetrat. Interea conjurati Mediolanenses, & Carolus nuntium de dedenda Urbe, deque publicis privatisque conditionibus clanculum in castra ad Franciscum mittunt. Quorum postulata cum ille accepisset, duriora nimis atque difficiliora judicavit non minus ea, quæ privatim, quam quæ publice postulabantur, admiratusque petentium arrogantiam simul & avaritiam, cum his responsis nuntium remisit. Si à Mediolanensibus honesta petantur, se iis facilem liberalemque futurum. Nam si eorum postulatis assentiatur, non eos ipse, sed ipsi eum vicisse viderentur. At illi privata & innata quadam habendi cupiditate flagrantes constituerunt inter sese, quo magis pro eorum voluntate res conficerentur, de Urbis deditione differendum, & nunc Franciscum ut propius ad Urbem toto exercitu accedat, nunc ne irritatus Populus arma in se capiat, ut ubi esset, paulum etiam resideat, literis nuntiisque crebro hortabantur. Dum res per hunc modum ex die in diem ducitur, cives factionis Guelfæ principes, & Carolus, qui incredibili Gibellinos simultate insequi jam cœperant, & Mediolanensium dominationem adversæ præsertim factionis opera in Franciscum transferri permoleste ferebant, Gibellinos à Reipublicæ administratione cives abdicare consilium inter sese ineunt, causasque conquirere student, quibus in eos Populum concitent. Qua in re affuisse fortuna videtur, cum per eos dies acciderit, ut interciperentur epistolæ notis quibusdam seu caracteribus scriptæ. Quibus ad Magistratum continuò perlatis, & in Latinas literas traductis, plane perspectum est, epistolas ad Bossios à familiari fuisse scriptas, quem ipsi apud hostem secretò morari jussissent, nec minus de iis omnibus, quæ cum eo conjurati agerent, compertum. Quibus cognitis & Magistratus ipsi & Guelforum principes, hac sibi in adversarios animadvertendi occasione oblata, quos tam infenso servabant animo, illos mox comprehendendos, mortique tradendos constituerunt. Sed pertimescentibus prope omnibus, qui id consilii dederant, ne quis forte in capiendis civibus in Urbe tumultus orirecur, quod multas cognationes, clientelasque habebant, placuit: ut extra Urbem conjurationis principes comprehenderentur. Et ob id Theodorum, Georgiumque facinoris, dedendæque Urbis auctores pro Reipublicæ commodo ad Fredericum Romanorum Regem legatos mitti oportere simulant. Sed dum ipsi eorum viaticum mandataque parant, Comum præire hortantur. At illi etsi eam, quam possunt morandi causam innectere conabantur, cum itineribus undique hostibus interclusis non posse sine manifesto suæ salutis periculo jussa facere assererent, tamen sese libertatis principum voluntati obtemperaturos dicunt. Interim ædes defensoribus, propugnaculis, armis, cibariisque communiunt, ut si qua in se vis fieret, tamdiu sustinere impetum possent, quoad vel ab amicis, quos intra Urbem paraverant, vel à Francisco Sfortia per Novam Portam subveniretur. Sed principes iidem, qui omnem illis morandi viam adimere maturabant, id se præsidii missuros dicunt, quo facile Comum perducerentur. Hi, quod erant magnopere veriti, suum ita repentinum ab Urbe discessum rursus multis argumentis recusare conantur. Sed Carolus doli conscius, eos ad profectionem hortatus, certam salutem pollicetur. Itaque illi Caroli fide freti, dum per noctem Comum ire credunt, Modoëtiam perducuntur. Quo ubi ventum est, mox ab iisdem Caroli militibus, qui in itinere eis præsidio fuerant, retinentur. Georgius mox obtruncatur, caputque Mediolanum defertur. Et quo magis qui suæ erant factionis perterreantur, cunctis spectaculo datur. Theodorus in carcerem conjicitur, ac variis ab eo cruciatibus, quid sibi cum hoste negotii fuisset, quidve cum civibus suæ conjurationis consilii iniisset, exquiritur. Quot autem Mediolani ex sua confessione conjurationis participes reperiuntur, tot retineri à Magistratibus jubentur; quorum ex numero fuere Jacobinus Bossius, Ambrosius Cribellus, Johannes Caymus, cum Francisco filio, Marcus Stampa, Job Orumbellus, & Florius Castronovates, qui publico damnati judicio omnes capite obtruncati sunt. Ceteri verò alii Papiam, & in proxima municipia, quæ in hostium erant potestate. Alii in castra ad Franciscum profugerunt. Ex eo numero Johannes Castronovates Florii frater fuit, quem postea Franciscus ac deinceps insecuti Principes ob fidem & probitatem & continentissimos mores in magno honore habuerunt, & in rebus suis plurimum usi sunt. Horum autem aliorumque permultorum, qui Francisci dominationem putabantur affectare, bona partim publicantur, partim prædæ popularibus conceduntur. Complures præterea Gibellinæ factionis nobiles Comi, Aronæ, Taurinique proscribuntur. Vitalianus verò metu territus, magna stipatus armatorum comitum manu ex Urbe fugiens Aronam se recepit. Itaque per hunc modum omni Reipublicæ administratione ad factionem Guelfam, deinde ad Plebem deducta, Johannes Ossona plebeus, infimique mercatorii ordinis, qui magnæ per id temporis inter populares existimationis habebatur, & Johannes Applanus Tabularius, duo sane in Civitate homines audaces & temerarii, atque omnium confidentissimi, Ambrosii Triultii, & Innocentii Cottæ, duorum ex nobilitate audacissimorum virorum consilio atque opera Civitatis totius imperii summam in se transtulerunt. Pecuniam, frumentumque ad alendos in Urbe milites per metum perque vim à Gibellinis dumtaxat civibus omni immanitate extorquendo cogunt. Praeterea qui nisi per contumelias convitiaque Franciscum Sfortiam appellaverit, capitis pœnam publico edicto constituunt. Urbem se tamdiu liberam servaturos dicunt, quamdiu per publicas domesticasque facultates posse confiderent, quam ad rem nihil se omissuros, nihilque intentatum relicturos pollicentur. Et ubi succumbendum fore animadverterent se, vel Turcarum Regi, vel Dæmoni potius, quàm Francisco patriam dedituros vulgo affirmante prædicare quotidie non intermittunt. Ex quo factum est, ut omnia intra Urbem pro duorum aliorumque pau-

paucorum Civium libidine ac furore administrarentur. Quæ quidem res factionis utriusque nobilibus quiete & bene vivere cupientibus tantum terroris intulit, ut & loqui pœne, & in hominum prodire conspectum auderet nemo.

Explicit Liber Decimussextus.

INCIPIT LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

INterea Alexander copiis omnibus, quas ad eum Franciscus submiserat, non longe à Fillino coactis, & per propinqua ædificia distributis Parmensium fines atque Urbem crebris incursionibus infestabat. Quod cives variis continuisque belli detrimentis attritos, & subortam præsertim inter eos seditionem gravi amittendæ per proditionem libertatis timore concussos ad deditionem propediem redigi posse sperabat. Jacobus verò Picininus re composita cum Parmensium Magistratu è Florentiola movens cum omni suo equitatu peditatuque in Parmensium fines Januario mense pervenit. Ubi coactus vi frigoris copias omnes suas, id quod Alexander etiam fecerat, per convicinos Vicos ac Villas secus Tarum flumen dispartitur, Stephani sibi atque Angeli Sanctovitalium municipio delecto, jubetque quamprimum ii omnes ad se irent, quos Placentinis oppidis imperarat, quæ ei fratrique parebant, & ut iidem ipsi Sanctovitales de hominibus suo juri subjectis facerent, quotquot arma ferre possent, itidem mandat. Cum enim per exploratores didicisset, quibus in locis dispartiti hostes constitissent, animadvertissetque faciles ad eos invadendos aditus fore, ad diem tertium contractis equitibus peditibusque Parmensium, instituit eam hostium partem primo adoriri, quæ Fillino longius abesset, ac reliquos deinde turbatos atque dispersos fortiter insequi. Id enim eo se facilius præstiturum arbitrabatur, quod se numero militum hostibus superiorem intelligebat. Itaque de propinqua victoria minime dubitabat. Quibus de rebus cum reddidisset Parmenses certiores, & quid facto opus esset edocuisset, ii Picinini consilium perlibenter admittunt, pollicenturque ad tubæ sonitum se præsto fore cum expeditis hominibus duobus millibus & amplius. At Alexander, ubi de Picinini adventu in loca proxima didicisset, quæ non longe à suis aberant passuum decem millibus, communicato confestim consilio cum Venetarum virium præfectis statuit in diem posterum cum hoste manum conserere, ne si diutius cunctaretur, contractis Parmensium copiis difficilius ac periculosius prœlium foret, cum sibi multo minores adesse copias adverteret. Itaque Salernitanus, qui paucis ante diebus eo venerat cum equitibus circiter sexcentis ad Tarum mittitur, quo è loco oblata occasione irrueret. Nam Parmæ quæ gererentur, Petrus Maria explorandi negotium ultro jam susceperat, quippe qui futurum recepisset, ut nihil Parmæ ageretur, quod ipse minus per suæ factionis homines cognosceret, adeo ut quotiescumque in suos illi erumperent, satis intercederet temporis ad colligendas copias constitutum in locum. Is autem Vicus erat Colliculus nomine, qui militum inter se stationes dirimebat. Unde provisum fuerat, si interdiu ab hostibus fieret impetus bombardarum ictuum, sin fortasse noctu, ignium significatione res omnis indicaretur. Evenit autem ut eodem die ac temporis fere momento utrique inter se hostes adoriri constituerint, quid alteri in alteros molirentur ignari. Picininus ad diem pugnæ dictum inter duos amnes Parmam & Tarum non longius mille passibus ab ipsa Urbe Parma sub lucem Parmensibus copiis adjungitur, quibus, ut supra ostendimus, præerat Carolus Campobassus. Picinino equites erant mille, pedites ad quingentos supra mille. Parmensibus equites circiter octingenti, pedites supra duo millia. Quibus viribus adversus hostes propere contendens ad Colliculum vicum pervenit. Quo in loco Gotholanus, atque Bertoldus, hostium adventu de improviso cognito, se fuga Fillinum recipiunt, à quibus Alexander de hostium eruptione certior factus evestigio bombardarum significatione suos admonet, nuntiisque subinde citatissimis rem omnem edocet, jubetque, ut omnes continuo non Colliculum sed Fillinum concedant. Ceterum Picininus, ubi Colliculum ventum est, Fasianum Balneatem ex equitum præfectis ad eos insequendos cum delectis equitibus levis armaturæ ad ducentos confestim mittit, Carolumque, ut antecursoribus subsidio esset, cum equitatu peditatuque Parmensi per campestrem planiciem submittit. Jubetque peditatum suum per editum collem, qui Fillino ad dexteram Colliculum usque adjacet, adversùs hostem proficisci, seque cum equitatu mox subsecuturum dicit. Fasianus & Carolus non prius citato cursu insequi hostem destitere, quam Fillinum proxime adeo contendissent, ut ex Oppidi muro conjecta tela exciperent. At Alexander hoc tam improviso hostium impetu circumventus, utpote qui ex Petro Maria, ut is ante pollicitus fuerat, de ea Parmensium eruptione nihil præsenserat, milites suos ob paucitatem paulisper à pugna continuit. Sed ubi eos redintegratis animis audentiores factos animadvertit, instructa acie agit in hostes tanto cum animorum & corporum robore, ut eos facile ab Oppidi muro submoveret, repelleretque. Pugnatur dein levi prœlio, ut vicissim nunc Parmensium nunc Alexandri milites pedem referant, fitque creber utrimque cursus recursusque. Ita enim & Alexander, quoniam ceteros milites exspectabat, qui jam continenter adventare cœperant, suisne longius ab Oppido progrederentur, jusserat. Hostes autem quod nec ipsi minus Picininum præstolabantur, Alexandri equitatum quam longius poterant, abducere ab Oppido studebant. Interim Salernitanus, ubi per exploratores de Picinini discessu è Fontanellati Op-

Oppido cognovit, idque per bombardarum strepitum certius didicit, citato cursu ad eumdem Vicum Colliculum agitur, quem cum ab hostibus occupatum inscius offendisset, repente pugnam conserere cogitur, & intra ipsam hostium aciem dexter irruit. Tum Picininus ubi ab ea parte, qua minime verebatur, advertisset se lacessi, veritusne major esset hostium manus, mutato ex tempore consilio aciem omnem in unum Salernitanum ab Alexandro convertit. At ille ubi se hostium numero longe imparem videt, paulatim ultra fossam quamdam propinquam se recipit, utpote qui Picinini impetum diutius sustinere non posset, ea autem fossa cum transiri nisi solo aditu nequiret, hunc ne occuparetur ab hostibus fortiter servare instituit. Quare militibus suis omnibus jussis, ut eo loco consisterent, ac summa vi & virtute invadentibus resisterent, atque repugnarent, ne amisso aditu confestim omnes in hostium potestatem devenirent, atrox illic prœlium pertinaxque committitur aliis transire fossam conantibus, aliis alios transitu prohibentibus. Dum hæc geruntur, & Picininus cum omni fere equitatu à Salernitano distinetur, Alexander cohortibus accersitis omnibus Fillinum, ut ante dictum est, illisque instructis, facta illico pugnandi potestate, acriter strenueque hostes aggressus, eos primo impetu haud difficulter fudit, fugavitque captis equitibus ad quingentos. In quibus fuerunt illustriores Fasianus, & alii militum præfecti complures, peditatu omni circumquaque in fugam verso, & ne mediocri quidem cum fugientium cæde. Carolus cum reliqua manu se fugæ committens Parmam concessit. Quibus rebus cognitis perterritus metu Picininus, cum non sibi certandum diutius, sed repente prœlio excedendum constituisset, die noctuque continuato itinere ex suis sex, ex Salernitani verò militibus sexdecim captis Florentiolam se recipit. Postero die ex literis Francisci Picinini fratris de iis certior factus, quæ ille cum Francisco Sfortia nuper convenerat, ab omni injuria ac maleficio se continuit. At Alexander post victoriam cum militem videret captivorum multitudine impeditum, atque ingenti onustum præda, & cum itinere tum multo magis prœlio fatigatum, videretque equos non mediocri numero alios interemtos, alios confectos vulneribus, ab insequendis hostibus prohibuit. Cumque receptui canere jussisset, copias omnes reduxit in stationes. Paucis post diebus Petri Mariæ opera cives nonnulli Parmenses, qui Rubram factionem sectabantur, rursus de ea Alexandro tradenda porta conspirant, quæ Sancti Barnabæ dicitur. Hac igitur porta invadendæ Urbis consilio inito ad constitutum diem eo se Alexander cum exercitu confert. Conspirantes autem, priusquam Urbi copiæ appropinquassent, portam ceperant, ac munierant. Qua quidem re audita tumultu exorto per universam Civitatem ad portam è vestigio factus est concursus. Hinc telis scalisque & omni sagittarum nimbo ex occupatorum manibus portam recuperare Populus omnis anniti, portæ autem defensores, quo tutiores se redderent, ipsius portæ cataractam demisere. Qua quidem re factum est, ut oppugnatores excluderentur, & irruentibus à turri lapidibus facile inde pellerentur. Alexander ubi pervenisset ad locum, unam Salernitani turmam cui Gaynus vir manu promtus & animi corporisque robore excellens præerat, portam subire, Urbemque invadere jubet, & ut reliquæ singillatim subsequerentur, imperat. Equites imperata facturi ad portam irruunt, sed cataractæ impedimento iter in Urbem occlusus est. Qui enim erant è loco superiore, diu ac multum cataractam enixi ad se tollere, vix tantum è solo sustulerunt, ut homo procumbens humi, se intra portam reciperet, cum neque viribus neque ullo humano ingenio ob diuturnam ejus usus intermissionem sublimius attolli umquam posset. Quare militibus hac transire nequeuntibus, Gaynus & perpauci, qui erant anteriores, equis descendunt, cataractamque subeuntes in Urbem penetrant, futurum opinati, ut quod ipsi fecissent, reliqui quoque facerent. Sed subsequentibus nullis haud difficulter capiuntur. Gaynus cum sociis tribus vulneribus pluribus acceptis concidit. Quod autem alius nemo equo descenderit, id fuit in causa. Equites gravis armaturæ, quoniam essent ceteris omnibus nudi copiis, non poterant non vereri, ne circumventi atque oppressi popularium virium multitudine facile perirent. Ceterum pugnatum est ab albescenti die ad vesperam usque; cum re tamdem desperata Alexander non sine magno incommodo atque periculo ibi pernoctandum animadverteret, abessetque à castris, unde discesserat decem millibus passuum & amplius, exercitum eo reducere curavit, & id quidem non parvo inter proficiscendum accepto detrimento. Nam cum propter viarum angustias, quibus vix singuli facere iter poterant, eruptione subita ab hostibus facta, & tum à tergo tum à lateribus catervatim Populo invadente impedirentur, equites circiter centum desiderati sunt. Ex reliquis vero equi non parvo numero partim aut interemti aut vulnerati, At Parmenses ubi Alexander à mœnibus se avertit, portam è vestigio subeuntes ingrediendi regrediendique aditu occupato, flammisque subjectis facile præstiterunt, ut qui portæ turri potiti fuerant, omni se destitutos auxilio intuentes, ne repugnantes quidem in eorum irent potestatem. Hi postridie ejus diei post multos ac varios cruciatus necati sunt. Quos autem cives ejusdem conspirationis Civitas conscios novit, comprehendi jussit. Inter quos fuit Antonius Bardo vir sane ingenti animo, & auctoritate magna in Rubra factione, ejusque conspirationis plane princeps, ac Francisci Sfortiæ in primis studiosus. Is autem Johanne Zabolo, & Aloysio Bravo importunius urgentibus, publico damnatus judicio ad prætorii fenestram suspensus laqueo vitam finivit. Hi enim duo ex Sanvitali erant Corrigianaque factione, utraque Rubris adversa, & Francisco per id temporis maxime inimica. Quamobrem ut antea numquam destiterant aliis atque aliis calumniis Antonium illum suspectum reddere Magistratibus, non difficulter hac oblata occasione eum perdiderunt. Reliqui verò cives qui capti sunt, alii servati, alii morti traditi, prout vel magnitudo delicti, vel pecuniæ vis potius, aut cognationis conjunctio patiebatur.

His rebus cognitis cùm putavisset Franciscus majoribus quam antea viribus Parmenses urgendos, Bartholomæum Collionem, quem Veneti pro fœderis jure auxilio miserant cum equitibus duobus millibus, peditibus quingentis ex hibernis accersitum, ad id bellum proficisci jubet. Is per Cremonensem agrum facto itinere Padoque superato, ubi evestigio eo pervenisset, non amplius mille passus à Parma Urbe castra posuit. Et ita durius quam umquam antea, ac periculosius vexati Parmenses tot hostium copiis, ubi se gravissimis detrimentis affici vident, & intestinis præterea seditionibus agitari, & ad hæc Picininorum, in quibus spem maximam collocarant, destitui auxilio, nec quo se verterent, ad sustinendam tuendamque libertatem intelligerent, Leonello Estensi tradere Urbem constituunt. Is enim ejus Urbis dominatum velut hereditario quodam jure, quo pater Nicolaus eam possederat, jam antea post Philippi obitum per Sanvitalium factionem omni studio industriaque sibi vindicare curaverat. Sed cum per eos dies Leonellus Venetiis negotii sui gratiâ moram faceret, Parmenses ejus fratri Borsio, qui Regii agebat, & quid ipsi consilii cepissent, & quid facto opus esset: per nuntios ostendunt. Qua quidem de re Leonellus ex fratre certior factus, quid sibi animi esset, cum Veneto Senatu communicat, oratque ut ejus voluntate liceat sibi Parmenses in deditionem accipere, aut si secus animati fuerint, ipsi malint imperio suo addere Parmenses quam pati, ut iis Franciscus Sfortia potiatur. Quibus Veneti auditis, Leonello jusso è Curia secedere, ubi de re diligentius consultassent, tamdem accersito Leonello, in hunc modum per Franciscum Foscarum eorum Ducem respondent: *Nihil apud nos, Leonelle Marchio, antiquius est, nihil usitatius, nihil sanctius, quàm fidem integram, inviolatamque præstare. Quod & de Parma, & de ceteris Ducatus Mediolanensis, & Urbibus, & Oppidis, & locis cum Francisco Sfortia convenimus, id servemus necesse est. Proinde neque Parmam ipsi volumus, neque in tuam ire ditionem patiemur. Quinimo rem nobis gratissimam feceris, si qui tecum sentiunt. Parmenses adhortabere, ut se quamprimum dedant Francisco Sfortiæ*. Quod ubi Parmenses per Leonelli nuntios didicissent, reliqua spe omni destituti, continuò ad Alexandrum de deditione legatos mittunt una cum postulatis. Quos Alexander per benigne honorificeque excepit, & postulatis omnibus comprobatis, Parmenses hortatus est, ut ea de re ad Franciscum fratrem legatos mitterent. Ipse confecto Parmensi bello, copiisque relictis Pisaurum negotii sui causâ revertitur. Dum hæc in Parmensibus geruntur, perturbatis ut supra memoravimus Mediolanensium rebus, de quorum deditione sperabatur, Franciscus acriore quàm principio statuisset, Mediolanenses bello vexandos coërcendosque decrevit. Quare ut commeatu prohiberet, movet universis copiis Landriano in proximos Urbis Vicos ac Villas hoc pacto cohortibus distributis. Jussit enim Franciscum Picininum cum Bracciana manu, & plerosque milites suos Meleniani & in Monasterio Vici Baldonis, Pischeriæque stationem habere. Antonium autem Vintimilianum, ac Michaëlem Pedemontanum, Veneti peditatus præfectum, & peditum auxiliarium partem in Claræ-Vallis Monasterio, quod reliquum erat hyemis hibernare, & ab ejusmodi propinquis locis Urbem die noctuque hostili incursione vexare. Utque idem facerent Guilielmus, Vermiusque, ac Dulcius, & Moretus inter viam Ticinensem, & fluvium eum, qui ex Ticino Mediolanum defluit, imperavit. Idem etiam facere jussi sunt Robertus unà cum Francisco & fratribus Sanctoseverinatibus è Vico, Monasterioque Badagii. Sibi verò Franciscus ipse ac veteranis turmis suis Moiragum Villam, quæ Mediolanum, Binascumque ad viam interjacet, delegit stationi. Is enim locus ita universis copiis divisis æquus erat, & quasi medius, ut eodem fere temporis momento, cùm opus esset, omnes in unum possent convenire. Cetera autem multitudo ita sese inter hos fines munitionibus cinxerat, ut ab omni nocturna hostium incursione quamtutissima redderetur. Nam de diurnis nullus erat metus. Jusserat enim Franciscus finitimis Populis, ut eos magno numero ad se mitterent, qui materie & aggeribus loca hibernantium militum circumvallarent, quo tutiores essent ab omni eruptione. Quibus stationibus ita dispositis, & die noctuque ad Urbem circumquaque incursantibus, cœperunt Mediolanenses ita urgeri, ut mœnibus egredi auderet nemo; præsertim quod ex sex Urbis ipsius portis quinque omnino intercluderentur ab hostibus. A Picinino & Vintimiliano Romana & Orientalis. A Sanctoseverinatibus, & qui cum his erant, Vercellensis atque Comensis. Ab ipso Francisco Ticinensis. Itaque solus ejus portæ aditus, cui nomen est Novæ, relinquebatur quasi liber ab hostibus. Nam & si septima alia est porta, cui Tonsæ est cognomentum, quia tamen longe minorem quàm ceteræ portæ singulæ Populi numerum complectitur, Orientali adjungitur. In quas quidem sex portas omnis Mediolanensis Civitas dividitur. Singulæ verò portæ per Tribus, à quibus universa Civitas regebatur, & per suffragia singulis duobus mensibus per id temporis Magistratus creabantur. Et quamquam Francisci permagnus erat exercitus, velut qui quinquaginta passuum millia frequentibus interjectis spatiis occupabat, hæ tamen copiæ, quas memoravimus, non satis visæ sunt, quæ Urbem undique clausam ac solicitam redderent. Sed ne Novæ portæ egressio libera omnino relinqueretur, in hunc modum à Francisco provisum est. Monasterium, quod Crescentiagium appellant, abest ab ea porta non admodum longe. Id tametsi fossa & muro satis erat tutum, vallo tamen atque aggere, quo munitius esset, circumdedit. Ei munitioni præfecit Johannem quemdam natione Hispaniensem cum peditibus sexcentis virum sane tum rei bellicæ peritum tum industria præstantem, & in ipsum Franciscum fide & observantia singulari. Hoc igitur modo circumquaque dispositis copiis crebræ quotidie incursiones fiebant, pugnabaturque acerrime ad ipsa usque suburbia, quorum ambitus ad septem millia passuum complectitur. Quin ipsa quoque suburbiorum fossa militum virtute superata ad urbana usque mœnia manus conserebatur. Quas ob res Carolus Gonzaga, quem rebus suis Mediolanensis Populus perinde atque belli

belli ducem præfecerat, veritusne Civitas tanta mole pressa ob civilem discordiam tumultuaret, & ita in Francisci deveniret potestatem, capto ex tempore consilio, quo rebus suis prospiceret, & Francisci animum sibi reconciliaret, clam nuntiis frequentibus de his omnibus, quæ in Urbe gerebantur, & quæ essent Mediolanensium consilia, eum quotidie edocebat, hortatus ut potentiore manu ad Ticinensem portam accederet. Futurum enim sperare sese, ubi coram aspiceretur à Populo, Kalendis præsertim Martiis, quo die abjecti nonnulli, & humillimæ sortis homines, summum Magistratum erant inituri, ut Populus tanta indignitate commotus eum in Urbem introduceret. Nam cùm Populus molestius ferret, quod Johannes duo Ossona, & Applanus, obscuri perditissimique homines jam plures menses contra jus ac fas & Civitatis instituta eum magistratum continuassent, decreverat, ut singulis duobus mensibus novi delecti Capitanei (hoc enim vocabantur nomine) summæ Reipublicæ præessent. Franciscus igitur iis Caroli adhortationibus adductus, prudenter dispositis copiis è regione Urbis potentissimis præsidiis, cùm semel & iterum ad eam usque portam cum expedita fortissimaque manu frustra impetum fecisset, ubi nihil eorum, quæ prædixerat Carolus factum iri animadvertisset, re infecta in castra revertitur. Nec tamen defuit, quin in magnæ perfidiæ suspicionem Carolus venerit, & ne id quidem sine magno suo suorumque periculo atque detrimento. Nam cùm novissime ad Kalendas Martias Franciscus in ejus portæ suburbiis constitisset, dum nonnullæ pedestres pugnæ ad ipsam Urbis fossam consererentur, opperireturque si quis fortasse in Urbe tumultus fieret, vox quædam extemplo in Populum oritur, Caroli equites, qui ad Romanam portam in armis erant, ad hostes transfugere. Quo factum est, ut illi repentino Populi tumultu ac furore capti verterentur in prædam. Ceterum postridie re diligenter cognita, ubi intellectum est, eos equites carere culpa, & libere missi sunt, & quæ ablata fuerant, restituta. Per hos autem dies advenere Parmensium legati ad Franciscum, quorum principes fuere Aloysius Bravus, & Johannes Zabolus. Hi Civitatis suæ nomine postularunt, rogaruntque, ut quæ jam cum Alexandro convenerant, ab ipso quoque Francisco approbarentur. Ex quibus quidem conventis quamquam erant permulta, quæ neque ab Alexandro fuerant concedenda, neque à se probanda videbantur, ea præsertim quæ ad vectigalia pertinerent, tamen ne videretur detrectare, quæ frater promisisset, eo maxime tempore, quo summam ejus belli omnem in conficiendi celeritate multis de causis positam esse judicabat, singillatim omnia, quæ legati postularant, confirmavit. Legatos igitur ipsos perhumane liberaliterque exceptos illosque præter ceteros quos modò commemoravimus, Aloysium Bravum, & Johannem Zabolum ei & amicis suis maxime omnium infestos ex inimicis amicissimos sibi redditos Parmam remisit. Quibus cum Johannem etiam fratrem eâ gratiâ proficisci jussit, ut Urbis imperium suo nomine acciperet. Nam Parmenses in illam usque diem neminem ex

A

B

C

D

E

Sfortianis Urbem ingredi passi fuerant, opperientes, ut quæ postularent, à Francisco approbarentur. Itaque cum alacres lætique Parmenses Urbem tradidissent, Franciscus ceteris copiis in Mediolanensem agrum transire jussis, Manfredum ac Gibertum fratres Corrigianos, quos modò stipendiis conduxerat, itemque Ludovicum Malvitium, & Petrum Mariam in Parmensibus regionis tuendæ gratiâ remorari voluit, & cum his quoque Nicolaum Guerrerium ex familia Tertiorum. Quem tametsi ab ipsa usque adolescentia inimicum sibi infestumque cognoverat, & omnibus in rebus adversum, tamen ad sese in ipsius Urbis deditione adeuntem continuò, ut erat ingenio clementi atque liberali priorum injuriarum oblitus, & familiariter exceperat, & amice, adeoque benigne, ut non ei modo sed Tertiis cunctis, quibus odio incredibili semper fuerat, omnia, quæ possidebant Municipia & Oppida, Vicos, Castellaque liberalissime confirmaret, utque bono animo essent, & quamoptime de se sperarent, hilari facie juberet. Possidebat autem Nicolaus ipse in Parmensibus Guardasonum atque Colornium. In Placentinis verò Castellum Novum. Quæ quidem Oppida & munita admodum erant, & ad detrimentum Parmensibus inferendum accommodata plurimum. Per id quoque tempus Franciscus cum expedita manu Castellatium aggreditur, quod est Monasterium haud procul Mediolanum situm valido circumdatum muro, & altissima fossa lataque munitum, & ea quidem aqua admodum plena. Distat autem à Ticinensi porta mille circiter passus. Huic præsidio præerat Thomas Dalmata cum firmissimo peditum præsidio. Hoc igitur Monasterium cum obsedisset, dispositis in murum tormentis, intrà spatium horarum quatuor & viginti in deditionem accepit. Ejus obsidionis rumor cum apud Mediolanenses increbruisset, catervatim universus pæne ex Urbe Populus laturus obsessis auxilium erumpit. Cui festinantius iter facienti fit obviam Franciscus, omnesque repugnantibus fere perpaucis primo congressu vertit in fugam tanto impetu & terrore, ut plerique interficerentur. Aliique permulti vulneribus confoderentur, interciperenturque. Nam palantes fusique reliqui sese intrà suburbia ædium frequentia Urbisque muro tutati sunt. His rebus gestis, ubi præsidio imposuisset Castellatio delectos pedites ad quingentos, jussit ceteros omnes suas in stationes redire.

Agebat sub idem tempus Mediolani Maria Philippi Mariæ uxor & Amidei Sabaudianorum Ducis filia, mulier profecto & pudica & proba & moribus modestissimis, ob idque Reipublicæ Mediolanensi non cara modò sed etiam venerabilis. Hæc sive ingenii sui acrimonia, seu patris Amidei consilio, clam primo cum primoribus quibusdam Civibus, deinde palam cum universis Magistratibus agere cœpit, ut ad patris, fratrisque Ludovici auxilia confugerent. Ita enim fore, ut & Franciscus Sfortia sua spe atque ausis falleretur, & ipsi quam inierant, libertatem maxima sua cum gloria tuerentur. Non difficulter mulier suam in sententiam trahit homines non tam libertatis quàm rapiendi cupidos, præsertim cum Franciscus totius Populi odium in se eo maxime concitasset, quod

Vene-

Venetorum ope tantum imperium appeteret. Sunt enim in Venetos Mediolanenses naturâ semper odiorum flammis vehementer exæstuantes. Confirmabatur autem quam Maria spem Mediolanensibus dederat frequentibus nuntiis, qui tum à patre Amideo, tum à fratre Ludovico tamquam ejus visendæ gratia Mediolanum ventitabant. Jamque eo res erat adducta, ut ictis inter Mediolanenses Sabaudianorumque Ducem fœderibus de proximis auxiliis spes haud dubia afferretur. Nam ut sunt illi more Gallorum, & mendaces & leves, ad sexaginta millia equitum parata esse jactabant, quæ propediem superatis alpibus non Mediolanum modò omni obsidione liberarent, sed omnes etiam Francisci, Venetorumque conatus eorum finibus pellerent, omninoque perderent. Ejusmodi pollicitationum inani spe arrecti Mediolanensium animi, multo quam antea pervicacius libertatem amplecti, ac fovere instituerunt, & in dies magis magisque in Franciscum odiis irritantur. Quæ ubi is audivit, statuit omnium primum per Mediolanensem quemdam Mediolanensium Magistratibus aperire, quàm sua illos spes & opinio falleret. De vanis Sabaudianorum pollicitationibus atque auxiliis monens atque adhortans, ut ex Civibus certos, quos magis fidos habeant, in Sabaudiam usque mitterent, qui viderent vera ne essent, quæ à vanis gentibus jactarentur. Se enim paratum esse, qui tutum atque expeditum iter præberet illis advenientibus copiis. Quod si offenderint, à Sabaudianis sese deludi atque decipi, eos commonere, cohortarique, ne se ipsos universamque Rempublicam perditum eant. Indignum enim & nefarium esse, Urbem tam pulcram, tam præclaram, tam opulentam obstinata paucorum pervicacia ad ultimam perniciem exitiumque redigere. Numquam enim ab infestanda Urbe agroque vastando se cessaturum, donec justa sperataque victoria potiatur. Non enim eos ignaros esse oportere, sibi omni jure Mediolanensium imperium spectare, nec defuturas sibi ab eam rem, quam inierat obeundam, neque opes neque auxilie, cum non solùm ipse suis viribus valeat, sed Venetos quoque & Florentinos & Genuenses habeat perpetua societate conjunctos. Quare etiam atque etiam animadverterent, ne scientes videntesque extremam sibi calamitatem & excidium parent. Fuit is nuntius à solis duodecim viris, qui summæ Reipublicæ præerant, sine ullis arbitris auditus, jussusque ne quid eorum, quæ sibi retulisset, aliis enunciaret. Verebantur enim si ea quæ nunciabantur apud Populum increbruissent, ne seditio in Civitate ac tumultus excitaretur. Ceterum cùm enixius urgere Mediolanenses Franciscus instituisset, sciretque ab ea Urbis parte, quæ Modoëtiam prospectat, quotidie ab iis mitti nuntios ac literas, & in Vercellensium usque fines, eodemque itinere in Urbem frequenter frumentum aliaque cibaria importari decrevit, quantum in eo esset, eam illis facultatem adimere. Abest autem Modoëtia à Mediolano passuum millia decem. Jussis igitur ceteris in suis manere stationibus, ejus conficiendi negotii præcipuam curam mandat quatuor his ducibus, Francisco Picinino, Aloysio Vermio, Antonio Vintimiliano, ac Dulcio: quibus etiam addidit Christophorum Taurellum, & Matthæum Campanum, relictis tamen in stationibus, qui ad tantum conficiendum negotium minus utiles videbantur. Hi Modoëtiam profecti, ejus oppugnationi accinguntur. Ambitus autem ejus Oppidi est ad duo passuum millia. Quod & muro & fossa idonee munitur. Habet præterea arcem duplici munitione distinctam, estque id Oppidum ab ea parte, qua Mediolanum prospicit, eo munitius, quod Lamber fluvius medius interfluit. Quibus ex rebus, cùm Oppidum hæ copiæ circumsedere undique minus possent, quod ad tantum ambitum non sufficerent, constituunt duces à duobus tantum lateribus oppugnare. Picininus eam partem sibi deligit, quæ ad dexteram est, & ad orientem spectat solem, quo illac neque ingrediendi nec egrediendi facultas ulla hosti relinqueretur. Alteram verò partem quæ ad sinistram jacet, & occidentem prospectat, reliqui duces & asservandi & oppugnandi Oppidi munus sibi assumunt, & ad lapidis fere jactum prope Oppidi fossam tabernacula firmant; quibus in locis tria magnæ molis tormenta, quæ assidue moles in muros torqueant, munitissime firmant. At Picininus non prope Oppidi fossam, ut ceteri fecerant, castra locat. Sed stationes ponit in Vico, cui Sanctæ est cognomentum, abestque à Modoëtia mille circiter passus. Aloysius ac socii reliqui ad oppugnationem conversi, murum æquare solo omni studio annituntur. Itaque factum est, ut ob crebros ac terribiles tormentorum ictus permagna muri pars eversa facilem ac pæne sine periculo militibus in Oppidum præberet irruptionem. Dum Oppidani in tanto discrimine fortunas suas atque salutem omnem pendere perspicerent, ac matresfamilias, mulieresque fere omnes in forum jam convenissent, quæ flentes & miserabili cum ejulatu orare obtestarique non cessarent, ne se destituerent, quin potius communi omnium incolumitati prospicerent, neque se paterentur fœdæ hostium prædæ immanitatique permitti, ii propere quanto in periculo res suæ positæ essent, ad Mediolanenses significatum mittunt, affirmantque, ni insequenti nocte tanto discrimini occurratur, se cogi omnino deditionem facere. (94) His rebus Mediolani cognitis, vehementer civium animi & commoti sunt, & perturbati, velut qui intelligerent, quàm grave incommodum extremumque discrimen subituri essent, si id Oppidum patiantur in hostium manus devenire. Quare publico omnium consensu decernitur ferendum ea nocte auxilium. Carolus igitur Gonzaga, & Michaël Taurinensis, qui paulò ante ad Mediolanenses transfugerat, cum expedita ac multa equitum peditumque manu, & non mediocri Mediolanensium multitudine eo celeriter cum his mandatis mittuntur, uti omnino Modoëtiam ea parte ingredi studeant, qua Picininus castrametabatur. Ita enim fore, ut oppidanos omni obsidione liberos redderent. Id autem eo consilio à Mediolanensibus jussum est, quod & consulto Pici-

(94) MS. Itaque precari, obsecrareque, ut quamprimum tantæ rei indignitati, tantoque periculo prospiciant, considerentque quam sit & miserum & ærumnosum, se se, fortunasque suas omnes cum liberis atque uxoribus in hostium devenire potestatem. His rebus &c.

Picininus longius abesset ab Oppido, facileque passurus, ut laborantibus succurreretur. Ita enim curaturum sese, clam cum Mediolanensibus egerat: quippe qui permoleste ferebat, id Oppidum in Francisci pervenire potestatem. Quamobrem Carolus relicto ad lævam Lambro, & itinere celeriter confecto, excubiisque interceptis, Modoëtiam omnibus copiis tutò pervenit, Oppidumque ingressus per noctis silentium ignaris hostibus cum magna civium lætitia in foro consistere omnes jubet. Deinde præfectis equitum ac peditum convocatis, quid sibi sit consilii exponit. Non videri sibi eruptionem in hostes faciundam, sed Oppido potius continendas copias, cum tutius esse duceret, sine cujusquam periculo obsidionem solvere, quàm per dubium pugnæ eventum cum hostibus confligere. Non enim dubitare se hostes ultro, cum primùm de suo adventu persenserint, præ formidine inde abituros. Id vero Carolus propterea suadebat, quoniam sibi ab Francisco plurimum metueret, cum non esset oblitus ab eo se paulo ante transfugisse, suoque discessu Sfortianis rebus non parum detrimenti attulisse. Quamobrem si fortunæ iniquitate sui succumberent, & ipse in hostilem manum incideret, id quod sæpe usuvenire solet, ut qui se victoriam in manu habere putent, vincantur interdum, fiantque captivi, actum de se fore judicabat. Nondum enim ipse quicquam de Picinini cum Mediolanensibus conspiratione didicerat. Nam ii propterea nihil communicarant cum Carolo, quod nossent eum & Picininum jam dudum inter sese mutuis odiis decertare. At præfecti legatique Mediolanensium rejectâ Caroli sententiâ censent in hostes confestim erumpendum. Ita enim & Reipublicæ commodo & cujusque tum honori tum virtuti consuleretur. Quod si secus fieret, non imprudentiæ solùm & ignaviæ ab omnibus ascriberetur, sed dolo malo atque insidiis factitatum omnes arbitrarentur, præsertim cum ipsi & numero militum & opportunitate loci & occasione temporis essent quàm hostis superiores, velut qui & incautus & inermis & somno occupatus esset. His dictis incensi cum essent militum animi, ab omnibus conclamatur, è vestigio oportere in hostes erumpere. Quo factum est, ut omni mora sublata à duabus portis citato agmine impetus fieret. Harum altera in machinas, altera in Aloysii & Dulcii stationes adversùs castra facilem præstabat invasionem. Decreverant autem & ignem jacere in tabernacula, & omnia clamoribus, missilibusque terrere. Hoc igitur pacto prima luce, facta eruptione Mediolanenses magnis animis ac viribus Sfortianos, qui nihil horum timebant, adoriuntur. Quo tempore Vintimilianus, ad quem tormentorum cura atque custodia delata fuerat, improviso atque repentino tumultu excitatus non modò non defecit animo, sed eo quo fuerat loco constitutus, fortiter constanterque persistens tantam hostium vim non sustinuit solùm ac repressit, sed ita in fossam usque, murumque rejecit, ut & in Oppidum regredi coëgerit, permultosque captivos fecerit, ac ex suis nonnullos, qui pro tormentis stantes primo congressu fuerant comprehensi, recuperaverit. At verò cum ab inferiore castrorum parte nullum spatium daretur Sfortianis, quo in aciem se colligerent, & tabernacula subjectis ignibus uno fere tempore totis castris conflagrarent, quod idcirco facillimum factu fuerat ob varios ventorum flatus, qui passim in tabernacula, quæ ex arida materie constructa erant, repente flammas inferrent, perturbati Sfortiani, ac diutius resistere nequeuntes palantes funduntur, fuganturque. At Vintimilianus, qui ab ipso pugnæ initio de improviso hostium adventu, eruptioneque subita Picininum per nuntios fecerat certiorem, eumque propere affuturum arbitrabatur, nec cedebat loco, & acriter atque ingenti animo hostibus repugnabat, operamque dabat, ut tormenta inde sublata longius subducerentur. Ceterum ubi diutius prœlii molem sustinuisset, & Picininus nusquam appareret, videretque fusis atque fugatis reliquis, totum certamen in se conversum, suos verò alios captos, alios certatim capi, coactus est tamdem confertim invadentibus hostibus non mediocri cum periculo ex eorum se manibus eripere, & ita se Canturium cum paucis recepit. Qui verò ex ea pugna superfuere, hi castris exustis, impedimentisque amissis, omnibus tormentis in hostium potestate relictis, in hiberna se contulere. Campanus Caratum, qui proximus Vicus erat, confugit. Nam Mediolanenses Caroli jussu neque insequi Sfortianos, nec ab Oppido longius progredi ausi sunt. Picininus integris copiis suis omnibus Melenianum regreditur. In eo prœlio intercepti sunt equites ad trecentos. Aloysius verò ac Dulcius pridie ejus diei cum ad tormenta præsidia tenerent, plumbeis pilulis per id ferme temporis, & iisdem fere locis, secundùm genua graviter vulnerati, huic prœlio non modò præesse, sed ne interesse quidem potuerunt. Dulcius paucis post diebus vehementissimo vulneris dolore confectus ex nervorum contractione, quem spasmum medici vocant, Papiæ diem obiit. Aloysius autem Papiam delatus, ex eodem vulnere ita gravi ac diuturna ægrotatione pressus est, ut à castris plures menses abesse cogeretur. Carolus post fugatos hostes, Modoëtiacis omni solutis obsidione, eodem die Mediolanum omnibus copiis, prædaque revertitur.

His rebus prospere gestis elati Mediolanenses confestim omnes Castellatium, quod Franciscus, ut prædiximus, paucis ante diebus in deditionem acceperat, facto ab universo Populo concursu expugnatum eunt. At Franciscus de iis omnibus, quæ ad Modoëtiam gesta sunt, Mediolanique gerebantur, propere certior factus, neque eo accepto detrimento, neque tanto Mediolanensium motu animo frangitur, quin iis omnibus accersitis copiis, quas ad Moiragum continebat, Mediolanum versùs ire contendit. Quod ubi Mediolanensibus est renuntiatum, è vestigio relicta Castellatii oppugnatione, palantes in Urbem refugiunt. Per hunc modum repressis Mediolanensium animis, quos recentis victoriæ insolentia extulerat, quod ob acceptam apud Modoëtiam calamitatem Sfortianos stationibus destitutis longe ab Urbe abituros arbitrarentur, Franciscus longe majore studio militibus jubet; ut & ordines servarent, & iisdem hibernis consisterent, eosque omnium primum equites

tes omnes, qui prœlio Modoëtiaco equis fuerant armisque denudati, curat resarcire atque reficere. Nec minus reliquo exercitui prospicit, ut cum primum pabuli copia daretur, ex hibernis educi posset. Interea Picininus, qui simulandi atque dissimulandi artem satis probe calleret, biduo post prœlium Modoëtiacum Brocardum Persicum Cremonensem, hominem sane versuto subdoloque ingenio, sui de his, quæ acciderant, purgandi causâ ad Franciscum mittit, eumque præterea hortatur, ut rursus cum pabuli tempus affuerit, Modoëtiacos obsideat, oppugnationisque ejus summam fidei suæ industriæque committat. Nec enim se diffidere futurum, ut quodcumque ea pugna detrimentum & ignominiam accepisset, maxima sua cum gloria ulcisceretur. Numquam enim ab ea oppugnatione discessurum se, nisi re optime confecta. Franciscus etsi Picinini dolos atque insidias manifeste callebat, tamen dissimulandum putavit, ut eum pro rei magnitudine gratia ac beneficentia in officio contineret. Quare non solùm ejus purgationem admisit, sed etiam de obsidenda Modoëtia postulatis assensus, quæcumque oppugnationi necessaria videbantur, parari mandat. Et quoniam fuerant amissa tormenta, alia tria nequaquam amissis deteriora, quæ Cremonæ asservabantur, quo Picinino in tempore præsto essent, Meltium devehi jubet. Dum hæc in Mediolanensibus geruntur, Veneti novo refecto coactoque exercitu Transadduanam oram invasere. Hæc enim ut supra docuimus, Venetis ex conventis debebatur. Eorum autem militum, quos ad id belli contraxerant præter eos, quos auxilio ad Franciscum miserant, ad sex millia numerus fuit. Exercitui Sigismundum Malatestam, qui æstate superiore, uti demonstratum est, in Etruria pro Florentinis adversùs Alphonsum Regem bellum gesserat, Veneti repudiato propter senium Michaële Attendulo duce, cum summa imperii præfecerant. Ut ea autem regione facilius celeriusque Veneti potirentur, Franciscus, ut erat in eos animo non benivolo minus quam grato, Sacramorem Vicecomitem, virum & genere clarum, & acrem ingenio, clientelis, cognatione, & necessitudine apud Transadduanos auctoritate pollentem, eo proficisci imperat, Transadduanis persuasurum, ut se Venetis dedant, eorumque jussis pareant. Qua quidem persuasione nullo negotio Trivillianos Veneti, Caravaginosque, & reliquos oram Transadduanam incolentes, Cremensibus dumtaxat exceptis, intra paucos dies in deditionem accepere. Nam Cremenses cùm essent Oppido tutissimo, quod ab uno latere palude muniti sunt, à reliquis tribus muro fossàque latissima aquis repleta cinguntur, habebantque præterea cum grandem popularium numerum, tum firmissimum militum præsidium, cùm in Mediolanensium fide persistere decrevissent, hos tamdem Veneti quàm angustius possunt, castris circumsedent. Frequentibus deinde turribus ligneis, & omni tormentorum machinarumque genere enixius pertinaciusque aggressi, Oppidum oppugnant. Oppidani suspectis factionis Guelfæ civibus ejectis ex Oppido, cum ea militum manu, cui Gaspar Vicomercatus pro Mediolanensibus præerat, qui jam

A pridem sub Francisco meruerat, factis in hostes crebris eruptionibus, demum bombardarum spiramenta ferreis clavis obstruunt, turres incendunt, munitionesque ceteras evertunt; quibus rebus fiebat, ut longe graviora ea essent detrimenta, quæ obsidentibus Venetis, quam quæ obsessis Cremensibus inferebantur. Nam quoque fere die tam è muris & munimentis, quam per frequentissimas eruptiones hostes quamplurimi aut interficiebantur aut vulnerabantur. Itaque factum est ut vastatis omnino Venetorum munitionibus, quas grandi impensa & maximo labore construxerant, dies permulto oppugnationes intermittere cogerentur, &
B modò alias atque alias munitiones instaurare, modò longius ab Oppido castra ponere stationesque locare. Inter hæc quotidiana detrimenta Andreas Dandulus, qui apud Sigismundum legationem pro Venetis gerebat, ad Franciscum rogatum mittit, ut pro suæ Reipublicæ commodo iis sibi rebus adesse velit. Ad Transadduanum bellum conficiendum, Cremensesque subjugandos, quibus eum plurimum abundare nosset, opus esse certo equitum ac peditum numero & fabris ad construendas machinas. Ejusmodi rebus Venetum exercitum propter calamitatem apud Caravagium acceptam maxime carere. Franciscus continuo & fabros, quos petierat pro rei necessitate idoneos, ad eum
C transmisit, & equites sexcentos Manfredo ac Giberto Corrigianis ducibus, quos paulò ante in Parmensibus conduxerat. Hujusmodi suppetiis exercitus Venetus, qui pæne erat exinanitus, instauratus est. Sub idem tempus Ludovicus Sabaudianorum Dux firmata, ut supra ostendimus, cum Mediolanensibus societate, improvisum repentinumque Francisco bellum à duabus partibus intulit. Delectu enim ex universo Regno habito in Lumellinæ regione, & in Novariensium finibus cuncta turbavit. Johannes Compesius, qui auctoritate & gratia apud Ludovicum ipsum & Sabaudianos plurimum valebat, huic bello præpositus magna evocato-
D rum equitum manu ex Urbe Vercellensi Novariam noctu proficiscitur. Distant hæ inter sese Urbes ad decem passuum millia. Eo ubi perventum est, continuo milites remotis equis ea parte muros majoris Arcis, quam Urbiculam vulgo appellant, scalis appositis ascendere adoriuntur. Hunc enim locum pluribus ante diebus quamdiligentissime explorarant, tantoque silentio id per nocturnas tenebras factitarunt, ut ex improviso excubitoribus interemtis, prius mediam fere Arcem occuparent quàm ejus Arcis custodes somno excitarentur. At cùm primum Guido Assisinus, & Lucas Dalmata peditum
E præfecti, quibus ejus Arcis custodiendæ cura data erat, muros magnamque Urbiculæ partem ab hostibus teneri senserunt illico sumtis armis clamoreque sublato cum paucis admodum, hostem invadunt. Nam plures mortis metu perterriti alii diffugerant, alii delituerant. Horum primo aggressu hostis, qui se jam Urbicula potitum arbitrabatur, paulò reprimitur, repelliturque. Quod præfecti, ubi sunt conspicati, audentius redintegratis viribus hostem acrius premunt, atque insequuntur, hocque audacius faciunt, quod qui diffugerant, atque delituerant, posito metu pro-

prodierunt in pugnam. Hostes verò noctis opacitate impediti clamoribusque perterriti, & obliti quà murum ascenderant, dum per Arcem passim errant, funduntur, sternunturque. Ita brevi momento (95) milites mille & amplius, qui sustulerant se in Arcem, quos ipse Compesius ex omni suorum numero delegerat & animi & corporis robore præstantes, pedites nostri vix ducenti solis pæne clamoribus perterritos verterunt in fugam, aliis captis, aliis interemptis, aliis vulneratis. Hostes spe Urbis potiundæ destituti, posteaquam agrum sunt depopulati, villis, vicisque quotquot in itinere offenderunt, igni ferroque vastatis, virisque ac mulieribus per omnem crudelitatem trucidatis, cùm nulli neque ætati, neque sexui pepercissent, eo tamdem, unde discesserant, rediere. Quæ barbarorum & immanium hominum sævitia tantum Novariensibus, reliquis terrorem intulit, ut nonnulla per eam regionem Municipia atque Castella vel urgente nemine Sabaudianis se dediderint. Franciscus vehementer commotus, quod Ludovicus qui cùm in hanc diem pacate amiceque vixerat, nulla lacessitus injuria, & ne bello quidem indicto, repente adeò adversùs se arma movisset, & tantum incommodi detrimentive intulisset, cùm etiam Populi Taurinensibus finitimi, ob eos Sabaudianorum motus per frequentissimos nuntios ac literas postulatum auxilium misissent, ut eorum saluti celeriter prospiceret, Christophorum Taurellum cum sexcentis & Angelum Labellum cum trecentis equitibus transmittit in Lumellinam. Conradum verò fratrem & Salernitanum cum equitibus mille atque quingentis Novariam confestim jubet proficisci. Iis mandat, ut donec majoribus augerentur copiis, quas propediem esset submissurus, ne ullam hostibus pugnandi potestatem facerent, sed Municipia atque Castella Taurinensibus propinqua tuerentur, ne ab incursionibus hostium adversi aliquid paterentur. Ad Amideum præterea, qui se, ut prædiximus, adhuc Felicem Romanumque Pontificem scribebat, & à suis appellabatur, legatum mittit Johannem Albonesium civem Papiensem, qui diceret, se plurimum admirari, & permoleste ferre, quod ejus filius Ludovicus, quo tempore amicissime cum eo viveret & mutuis utriusque Populi commertiis uterentur, nulla intercedente injuriarum causa, nullo belli neque jure neque more servato, hostiliter in se arma moverit, & Novariensium Papiensiumque fines incursationibus, populationibusque vexaverit. Quod Urbem Novariam per dolos atque insidias capere tentaverit. Exploratissimum autem habere, ea omnia non filii Ludovici sed ejus consilio & opera constituta esse & perpetrata. Quod adversùs Mediolanenses bellum Franciscus intulisset, nihil ad eum pertinere; suo Franciscum jure uti. Quod si Mediolanensibus novo occultoque junctus fœdere auxilio esse voluerat, honoris sui fuisse, ut res suas non ita temneret, aut saltem quod magnos principes decet, antea bellum indiceret. Se tamen eum hortari, rogareque, ut à suscepto abstineat bello, & copias à maleficio & injuriis revocet. Omnia municipia atque castella, quæ injuste accepisset, restitueret, damna, quæ intulisset, reficeret. Ita se cum illo & firmam habiturum amicitiam & perpetuo servaturum. Sin bellum quàm pacem maluerit, intelligat, se Venetorum Florentinorumque amicorum auxilio facile omnem propulsaturum injuriam. Bellumque injuste illatum pro divino judicio constanter fortiterque ulturum. Ad hæc Amideus, ut erat versuto callidissimoque ingenio, ita respondit. Se iis rebus animum mentemque adjecisse, quas Christianæ religioni ac Romanæ Ecclesiæ dignitati profuturas arbitrabatur. (96) Omnem patrimonii sui, ditionisque administrationem Ludovici filii curæ, potestatique cessisse. Eum cum pro Sabaudianæ Domus dignitate à firmata nuper cum Mediolanensibus societate discedere nullo pacto liceat, rem omnem bello persecuturum, nec ullam esse causam, quare ea sint restituenda, quæ filius diebus superioribus armis cepisset. Ita enim se à majoribus suis didicisse, ut quod semel Sabaudiani Principes adepti sint, non modò non restituerent, sed alia potius atque alia ab iis accipere consuevissent, qui pacem secum futuram cuperent. Quo responso Franciscus vehementius irritatus, majoribus copiis adversùs Sabaudianos bellum gerere statuit. Cogitanti autem quam ex suis potissimum ductoribus ei bello præficeret, ultro sese Jacobus Picininus, qui nondum ex hibernis discesserat, per Dominicum Pisaurensem jurisperitum offert, inquiens se jamdiu vehementer cupere, ut aliquo egregio facinore exploratissimum ei reddat animum suum. Quare cum ea sit oblata occasio, petere ac rogare, ut sibi Sabaudiani belli summam committeret, (97) admonuitque si vellet bene suis rebus consultum esse, ne cum Francisco Picinino fratre ullo pacto se conjungat. Quæ cum Francisco non solùm grata esset oratio; sed probaretur etiam plurimum, per Antonium Guidobonum, qui apud Franciscum Picininum suo jussu agebat, petit ab eo, ut æquo animo ferat, id bellum petenti tantopere fratri demandari. Picininus qui jam clam, ut superius demonstravimus, de fuga cum Mediolanensibus convenerat, Francisci postulatis nullo modo assentiendum putat. Brocardumque ad eum ob eam causam mittit, Is enim omnia Picinini consilia ac negotia & tene-

(95) MS. Et brevi momento partim capiuntur, partim occiduntur, partim se se è muro saltu dejiciunt, ita ut perpauci vix evaserint. Ea enim est natura Gallorum, ut alacriter bella suscipiant, prociterque prœlia ineant. Sed ubi constantius repugnantes offenderint, tamquam viribus enervati, animis quoque deficiunt. Sustulerant se in Arcem milites, quos ipse Compesius &c.

(96) MS. Cujus jam pluribus ante annis, quod universo terrarum Orbi perspicuum erat, Basileensi Concilio & electus & declaratus fuerat Pontifex; & ob id omnem patrimonii &c.

(97) MS. Facile enim futurum sperare, ut brevi de Sabaudianis, & maxima cum ipsius Francisci gloria victoriam reportet. Adjecitque, si vellet &c.

tenebat, & administrabat. (98) At Franciscus, tametsi Picininum perfidiæ suspectum haberet, tamen cum animadverteret eum à suæ mentis instituto abduci non posse, statuit in eam rem nihil amplius agere, quod illius animum offenderet, quin potius gratificari omnia, quæ illi libuissent, quo nulla intercessisse causa videretur, qua quicquam adversùs se Picininus posset expostulare. Ceterum quod pro tempore tutius consilium A visum est, Jacobum Padum in Mediolanenses transire, & Franciscum fratrem sequi jussit. Præterea quo utrumque magis sibi conciliaret, Drusianam filiam, uti promiserat, Jacobo despondit, Quæ cum nondum esset matura viro, thorum in aliud tempus reservavit, præsertim cum omnia sibi duriora viderentur, neque nuptiali digna jucunditate, priusquam Mediolanensium potiretur imperio.

(98) MS. Hic igitur cum hujusmodi mandatis ad Franciscum proficiscitur, exponitque laturum se nequaquam æquo animo, ut frater à se cum exercitu segregetur. Non decere, ut paternæ copiæ, quæ utriusque ductu gubernan- B dæ essent, inter se dividerentur. Quod si fieret, non parum de ea auctoritate, quam à patre Nicolao unam duo fratres accepissent, diminutum esse videbat. At Franciscus &c.

Explicit Liber Decimusseptimus.

IN-

INCIPIT LIBER DECIMUSOCTAVUS.

INter hæc Bartholomæus Collio Sabaudiano bello à Francisco præficitur. Is suis copiis in Novariensem agrum profectus, reliquos equitum præfectos, qui Novariæ consederant, sibi addidit, quibus copiis aucto exercitu, vix dum ad Siccidæ fluminis ripas pervenerat, cum Municipia, Castellaque omnia, quæ paulo ante pavore territa sese hosti dediderant, sine ulla pugna recepit, Casali Beltrando dumtaxat excepto. Quod ubi pertinacius in Sabaudianorum fide persistere videt, expugnare adortus est. At Casalenses initio pugnæ territi, & ad sanitatem reversi, deduntur ipsis cum uxoribus liberisque incolumibus, bonis autem prædæ militibus concessis. Præterea Albertus Pius Carpensis, quem Leonellus Estensis Marchio per eosdem ferme dies cum equitibus octingentis, trecentisque peditibus pro vetere hospitio ac necessitudine ad Franciscum auxilio miserat, eodem submittitur. Cis flumen Siccidam autem positis castris Conradus ac ceteri duces, Collione excepto, Vercellensium agros ad ipsas usque Urbis portas quotidianis exagitabant ac populabantur incursionibus. (99) Collio Jacobi Antonii Marcelli jussu à fluminis transitu, & ab invadendis Ludovici finibus abstinebat, cum diceret Marcellus eam esse Veneti Senatus mentem, ut quod Francisco stricto fœdere promisissent, ad Mediolanensium usque deditionem servaretur. Neque enim ullo jure obstringebatur, ut extra ejus imperii fines, quod vivus Philippus possidebat, cuiquam bellum inferret. Quare neque Vercellensibus neque Taurinensibus ullam per suos injuriam inferri permittebat, vel ea maxime ratione, quod Venetis semper cum Sabaudianis Principibus permagna fuisset necessitudo, & quandoque etiam societas. Quare non per auxiliares Venetorum copias, sed per reliquos milites in hostium fines assidue fiebant incursationes. Qua difficultate pressi hostes, relictis Novariensium finibus, Vercellas sese & in proxima ei Urbi municipia recepere, cum interdum tamen in Novariensem agrum populaturi discurrerent, mox unde digressi fuerant, re infecta magna celeritate reverterentur. Et quoniam sciebant Venetis militibus non licere amnem Siccidam transire, præliandi quandoque Sfortianis militibus potestatem faciebant, ut tamen ne horæ quidem spatium ullo in loco dimicaturi consisterent, veriti Italicam tum constantiam, tum calliditatem; quare nolebant aut superari virtute aut insidiis circumveniri. Erat autem eorum omnium numerum ad sex equitum millia, in quibus merebant (100) sagittarii ex eo genere Belgarum, quos hac tempestate Picardos appellant, ad facinus omne promtissimi atque vitæ prodigi. Nostri cum trans amnem neque æquo neque iniquo loco cum hostibus pugnare possent, quoniam ii in proxima castra semper citato cursu sese reciperent, cogitaverunt eos citra flumen allicere. Idque fieri posse existimabant, si dissimulato pu-

A gnandi studio negligentius sese intra dies aliquos stationibus continerent. Ita enim fieri posse, ut decepti hostes & citra & ultra flumen petulantius se inferrent. Quibus consiliis ita constitutis, hostes, ut sunt homines leves, cœperunt alacrius frequentiusque non modò transire amnem, Novariensem agrum populaturi, sed nostros perinde atque socordes pugna lacessere, neque parva quadam manu, ut ante, sed cunctis viribus se in oculos inferre. Hæc ubi singulis fere diebus geruntur ab hostibus, evenit tandem, ut dum Compesius amne superato adversùs nostros ire contenderet, Collio, atque Conradus de illius adventu ab exploratoribus facti

B certiores, tempestive copiis eductis ei celeriter occurrunt, ac priores hostium à fronte adoriuntur, primoque impetu fundunt, & in fugam vertunt: illosque alacrius insectantes equites ad quadringentos cepere, Compesio etiam intercepto. Reliqui salutem sibi cursu propter Urbis propinquitatem pepere. Quibus de rebus prospere gestis ubi Franciscus ex Conradi literis intellexit, quamprimum ad se Compesium adduci jubet. Quo cum non sine magna animi indignatione, de Ludovico Duce questus est, qui præter omne humanum jus atque officium sibi tam insignem intulisset injuriam. Deinde post triduum ad Collionem, à quo esset interce-

C ptus, remisit cum non vulgari commendatione, ut in ejus redemtionis causa, quoniam esset nobili loco, se humaniter mansueteque gereret. Clanculumque per nuntium addidit, non videri sibi hominem, quantum ex ejus sermone atque præsentia animadverterat, ea prudentia qua dicebatur. Itaque se minime dubitare, si ceteri Gallorum duces similes forent, celerem de iis futuram victoriam. Post id prœlium hostes amisso duce ab amnis transitu desistere constituerunt. At nostri cognita hominum vanitate longe majore animo ac studio Vercellensem agrum vexare ex integro cœperunt,

D quibus cum permulti etiam Collionis milites sive injussu seu ejus voluntate accensi prædandi studio mixtim incursabant. Dum hæc in Novariensibus geruntur, tempus educendorum ex hibernis militum jam adventarat, & pabuli copia erat in campis. Franciscus tum Guidoboni, tum aliorum plurium frequentibus literis, ac nonnullis etiam nuntiis, qui clam veniebant è Mediolano, de Francisci Picinini perfidia & cum Mediolanensibus conspiratione cognoscit, sitque de ejus, quam parabat, fuga quotidie certior. Erant insuper non pauci ex ipsius equitum ductoribus, quos ejusmodi doli ac fraudes non latebant, qui se hominem interfecturos pol-

E licebantur. Franciscus graviter commotus non satis compertum habebat, quid consilii capere oporteret. Nam si eum transfugere sineret, intelligebat, præsentibus rebus non parum detrimenti allaturum. Sin eum interfici juberet, aut quod factu erat facillimum, captivum faceret, verebatur infamiæ notam, ne

(99) MS. Distabat autem is locus, ubi castra à Collione posita erant, à Vercellis Urbe duo circiter passuum millia. At Collio &c.

(100) MS. Belgæ sagittarii, viri non minus audaces ac feri, quam sagittandi peritissimi. Erant autem hi, quos hac tempestate &c.

ne id fecisse diceretur, quod ex factione Bracciana, & Nicolai Picinini filius esset. Et eo magis animo angebatur, quod neque ejus perfidiam per aliquas illius literas posset ostendere, aut ullis testibus confirmare, quos in sua haberet potestate. Hæc igitur cum diu ac multum secum animo agitasset, tamdem potius consilium visum est rem dissimulare, & quemvis eventum potius exspectare, quàm ulla ratione in Picininum animadvertere. Itaque Modoëtiacæ obsidionis deditus curæ, quam, ut prædiximus, ipsius Picinini hortatu, cum primum per tempus liceret aggredi constituerat, ut ei Oppido propinquior esset, è Moirago ad Figinum Vicum cum exercitu movit. Deinde paucis post diebus Guilielmo, cui octo cohortes erant, & alias ipse duodecim addiderat, quas simul cum Picininis ad res conficiendas delegerat, diem dicit, quo die ad Modoëtiam omnes conveniant. Hi ut erat imperatum statutum in locum cum venissent, Franciscus ut in locandis castris, distribuendisque in singulas cohortes stationibus præesset, ipse quoque eo contendit, quippe qui nullis parcens laboribus, sua quæque negotia & cognoscere semper, & disponere singillatim volebat. Nec enim quæ administrare per sese conficereque posset, aliorum curæ committere umquam consueverat. Guilielmo ea Oppidi pars obvenit, quæ citra Lambrum ad occasum prospectat. Picinino eadem illa, quam superiore obsidione consederat. Itaque universæ copiæ in bina sunt castra distributæ, quæ Oppido ac Lambro flumine, ut supra commemoravimus, inter se dividebantur. Horum alteris Guilielmum Franciscus, alteris Picininos præesse instituerat. Hic dum stationes in eas cohortes singillatim partitur, Picininos aut saltem eorum alterum exspectabat, qui non amplius mille passus ab Oppido longius instructa acie constiterant. Nec aliquid de firmandis ad Oppidum castris ad Franciscum petitum miserant. Horum ubi non modò adventum, sed ne etiam nuntium cunctando diutius Franciscus videt, admiratus cum paucis ad Picininos ire contendit. Quo iter liberius faciente Albertus Scottus Placentinus magna prudentia vir (101) Marcellum legatum adit, docetque nequaquam probari sibi Francisci ad Picininos accessum, neque sani esse consilii, ut eorum se fidei atque potestati committat. Quod si fecerit, se de ejus vita plurimum dubitare. Legatus quæ acceperat à Scotto repente in ipso fluminis transitu Francisco ad aurem refert, rogatque, ut ab ea se profectione contineat. Qui cùm id consilii probasset, à Picininis iter avertit. At posteaquam videt Franciscum minime ad se iturum, Picininus natu grandior protinus ad eum pergit, ceterum eo vultu, qui non obscure mentem exulceratam declararet. Erat enim facies tota rubore perfusa, & quod antea numquam consuevit, summa cum veneratione Franciscum medium complexus deosculatur, petitque ut proximam noctem dumtaxat liceat suis militibus, ubi tunc essent commorari, cùm diceret proculdubio futurum, ut propius universas copias Oppido admoveret. Ea re haud difficulter impetrata Picininus ad suos, & Franciscus in stationes apud Figinum revertitur. Et Bartholomæo Gadio imperat, ut quæ ad Oppidi oppugnationem paraverat, eo conferri curet. Utebatur enim Franciscus hominis hujus opera plurimum, quod & fidelem sibi, & ad capessenda imperia ingenio alacrem, & ad res conficiendas diligentissimum cognovisset. Præterea ut Modoëtiam propius accederet, in Vicum Bollatum, qui ab eo Oppido abest circiter quinque passuum millia, cum reliquo exercitu ad septimum Kalendas Majas concedere, ibique ad rem usque confectam habere castra instituit. Quo in loco ordinibus singulis, quos eo ad diem constitutum ex hibernis convenire jusserat, stationes distribuerat. Is dies ubi affuit, erat enim biduo post Dominicam Resurrectionem, Picinini cum omnibus copiis, Guilielmo, ceterisque militibus inscientibus, sub lucem portis patefactis, Modoëtiam ingrediuntur. Nam ii, ut omnem fidei pudorem neglexerant, & jusjurandum, Deumque contemserant, ut fraudem novo scelere cumularent, in reliquos etiam quos ea fuga territos arbitrabantur, confestim erumpere constituunt. Idque in primis natu minor Jacobus instare non cessabat, quasi non satis id esset facinoris, quod perpetrassent, nisi cumulatiore quodam scelere illustrarent. Et quamvis feratur fratrem natu majorem idcirco effrænatæ fratris cupiditati assentire postea noluisse, atque omnes eruptiones prohibuisse, quod malefacti conscientiâ remorderetur, tamen, ut plurimi sentiunt, & hi maxime qui universo consilio non modò interfuerant, sed etiam præfuerant, non ductus ille sceleris pœnitentia eam eruptionem compescuit, sed quod Guilielmum instructa acie esse conspiceret, quodque reliquos non ita, ut frater existimabat, imparatos essent offensuri. Futurum enim verebatur, si hostes aggrederetur, ne tantisper eorum impetum sustinerent, quoad à Francisco suppetiæ mitterentur, qui eo die castra moturus esset, & Modoëtiam propius accessurus, ne plus incommodi sui acciperent quàm Sfortianis inferrent. Guilielmus hac Picininorum fuga cognita, suos omnes quammaturrime armari, & in acie consistere, sarcinas colligere, & eas ad majora Francisci castra præmittere jubet. Et ne sua inde discessio fugæ similis videretur, paulatim instructo agmine ab Oppido amovet, & Franciscum versùs ire pergit. Ad quem brevì cum universis copiis incolumem se recepit. At Picinini eodem die cum equitibus ad tria millia & peditibus mille distributis cunctis in ordines duos ac viginti Mediolanum concesserunt, ubi magno ab omnibus applausu & gratulatione excepti sunt. Horum adventu Mediolanenses rati fore, ut perbrevi curriculo ab eorum finibus hostes extruderentur, multa contra Franciscum acturos sese jactare, minarique cœperunt. Inter quos tumultus & animorum ardorem Castellatium Monasterium propinquum Urbi, ut ostendimus, quod præsidio peditum circiter centum servabatur, postero die à Mediolanensibus populariter expugnatur. Eo recepto murus quo veluti propugnaculo circumdabatur, solo æquatur.

At Franciscus cùm omnia ad oppugnationem

(101) MS. & in patria suæ factionis princeps.

nem in Bollato Vico parata essent, jamque dies advenisset, qui erat dictus profectioni, quæ ad Modoëtiam gesta sunt, crebris rumoribus accipit, sed illis quidem variis, cum alii Guilielmum cum ceteris cohortibus, quæ cum eo erant, fusum fugatumque esse nuntiarent, alii incolumes esse omnes. Erant nonnulli, qui Franciscum Piciniunm dumtaxat Modoëtiam intrasse dicerent. Nam Jacobum fratrem eum sequi noluisse, & ita extra Oppidum in armis esse. Quod autem de Jacobo ferebatur ea ratione non incredibile Francisco visum, quod paucis ante diebus non recte ille de fratris animo sentire videbatur, idque non dissimulanter enarraverat. Quibus rumoribus nuntiisque perlatis, fit continuo concursus undique non mediocris ad Francisci prætorium. (102) Quid tamdem aut de profectione aut de cunctatione decerneretur. Ille tametsi graviter commovebatur, tamen cùm ea ipsa hora celebrationi Divinæ Hostiæ interesset, non modò pedem sed ne faciem quidem aut vultum mutare visus, Sacramenti celebrationisque exitum exspectavit. Cùm interea certiores nuntii supervenissent, (103) omnium primum Blancam Mariam uxorem Papiam, unde proximis diebus venerat, redire jubet. Deinde re in consultationem acta, legato, Venetisque, ductoribus, & aliis compluribus videbatur unum in locum universum contrahendum exercitum, ne pluribus in locis per stationes divisis copiis aliqua exercitus pars à Mediolanensibus ea Braccianorum elatis accessione detrimenti aliquid acciperet. Sed Franciscus longe aliter sentiebat. Nam ne videretur id à se non consilio, sed metu potius hostium factum, & ita Mediolanensibus animi augerentur, & auctoritati suæ non parum detraheretur, milites omnes jubet in suas redire stationes. At quoniam ea Picininorum fuga permultos adeò terruerat, ut præsentibus rebus diffidere viderentur, ut bono animo sint, omnes accommodata oratione cohortatur. Brevì enim provisurum sese, ut & Picininos suæ pœniteret perfidiæ, & Mediolanenses intelligerent per eorum accessionem longe se esse pejore conditione quàm antea fuissent. Ceterum ne interea offendantur incauti, sed assidue sint parati, omnes admonet. (104) Additque retardari paulùm posse de Mediolanensibus victoriam, sed minime auferri. Et longe tutius rebus suis ac satius esse, Picininos manifestos habere hostes, quàm familiares inimicos; quod posteaquam ii venissent in partes suas, secumque mererent, secreta cum hostibus persæpe habuissent colloquia, & quæ cum ipsis communicarat, ea illos nota hostibus fecisse omnia. (105) Inter hæc laborantibus diuturna obsidione Cremensibus, & in desperationem propemodum adductis, Mediolanenses idoneum tempus nacti subsidii illis ferendi, dant Picininis, Caroloque negotium, ut

A quammaturrime Cremensium periculo occurrant. Hi triduo post eam à Francisco fugam coacto equitum peditumque exercitu, quantum ex suis Mediolanensique Populo majorem cogere potuerunt, Cremam per Laudenses quamcelerrime proficisci contendunt. Melenianum inter eundum omni militum præsidio destitutum, Arcemque paucis defensoribus munitam facile occupant. Id enim Oppidum Franciscus Picininorum fidei ante commiserat. Neque post eorum fugam ob continuam imbrium magnitudinem, quibus itinera circumquaque per id triduum intercluderentur, ei rei potuerat providere. Dum hæc geruntur, Sigismundus, Venetorumque legati, qui Cremam, ut demonstravimus, manu valida oppugnabant de Picininorum defectione, deque Mediolanensis exercitus motu à Francisco certiores facti, continuo solvunt obsidionem, seque ad Fontanellam recipiunt. Municipium est in Cremonensium finibus non longe ab Olio situm flumine. Ea liberatis obsidione Cremensibus, Mediolanensium duces cum accepissent Franciscum movisse, & ad Melenianum recta contendere, diurnis nocturnisque non rectis sed obliquis secundum Adduæ ripam itineribus, Mediolanum dum repetunt, Meltium propinquum Adduæ Oppidum omni vacuum præsidio inter proficiscendum recipiunt cum iis etiam bombardis ac reliquo apparatu, qui ad expugnationem Modoëtiæ in eo Oppido servabatur. Franciscus his rebus cognitis, non amplius cunctandum ratus, quo Melenianum quamprimum recuperet, exercitum omnem contraxit. Est enim id Oppidum & ad bellum producendum & ad Mediolanensibus nocendum aptissimum. Eo ubi perventum est, primo impetu Oppidum capitur, eaque usus misericordia, qua semper consuevit, Oppidanos à militum sævitia servavit. Nam mulieres una cum liberis in Arcem confugerant, quam ipsam, quoniam valido Mediolanensi præsidio tenebatur, iis tormentis aggressus, quæ è Papia nuper devehi jusserat, non prius ab opera destitit, quàm turres duæ solo æquatæ, ac muri, qui turres intercederent, diruti prostratique sunt. Et quamquam altitudo fossæ Lambri oppletæ aqua Arcem à vi nostrorum tutam admodum reddebat, tamen post diem sextum, ex quo ea primo oppugnari cœpta est, in hanc deditionis conditionem cum Arcis præfectis deventum est. Nisi ad triduum id auxilii Mediolanenses tulerint, quo vel pellerentur obsidentes, vel abire cogerentur, præfectis ipsis sociisque omnibus cum rebus suis incolumitate servata Arx Francisco dedatur. His rebus constitutis, datisque obsidibus, Mediolanenses de omni re per nuntium præfectorum certiores facti, decernunt summo omnium studio atque consensu de subsidio mittendo ad Arcem conservandam. Itaque Kalendis Majis quo die hora

(102) MS. Omnes enim rem admirantes ierant audituri; quid tamdem &c.

(103) MS. qui & utrumque Piciniunm fugisse declararent, & Guilielmum detrimenti nil accepisse. Quod ejus rei paulo post Guilielmus etiam ipse suis & literis & nuntiis confirmavit. Franciscus igitur iis rite peractis, quæ ad Divinum cultum pertinebant, & quæ de Picininis ferebantur, diligentius cognitis, omnium primum &c.

(104) MS. Addebatque id à se bellum adversùs Mediolanenses susceptum, Picininis cùm illis sentientibus, quibus rursus etiam adversantibus, sibi non minus quàm antea bellum id pro sua confecturum sententia. Retardari enim paulum posse &c.

(105) MS. Quæ cum dixisset, & omnes verbo paruissent, triduum in iisdem stationibus resedit. Inter hæc &c.

A hora vigesima Arx tradi Francisco debebat, Francisci Picinini Carolique ductu equestres omnes pedestresque copiæ Urbe mane egrediuntur instructa acie in quemdam usque locum pugnaturæ progredientes, qui locus à Meleniano sex passuum millibus aberat. Quo ubi ventum est, consistere jussis omnibus, Luchinus Palmerius cum equitibus perpaucis levis armaturæ, quid agant hostes exploraturus mittitur. Neque duces, nisi re de hostium motu cognita longius agmina progredi permisere. Quod & Franciscum tantæ multitudinis impetum exspectaturum non putarent, & ob eam rem sine Mediolanensium periculo, ceterorumque labore Arcem liberatum iri judicarent. Erat Mediolanensium, qui in Aciem prodierant, numerus ad triginta millia, in quibus erant ex juventute Mediolanensi, qui libertatis studio ultro ierant, millia viginti. Deinde ex peregrinis copiis bello exercitatis equitum sex millia. Et quoniam Picininus cum Francisco manum conferere plurimum formidabat, quominus multitudinem bellicæ artis ignaram cum prudentissimo atque fortissimo imperatore, ac robustis exercitatisque militibus conferret, arte, astutiaque opus esse ratus, Leonem quemdam Luchini commilitonem proximo vesperi ad Franciscum ire jusserat. Qui ut ei notus ac familiaris clam secretoque enuntiaret, postridie ejus diei prima luce se pro Arcis salute cum potentissima & peregrinorum militum & Mediolanensium manu adversùs eum iter facturum, & cum eo omnino congressurum; moneretque Mediolanensium copias constare ex sexaginta hominum millibus, præter equites ac pedites peregrinos. Præterea Guilielmum cum majore Mediolanensium Magistratu jam secreto de fœdere egisse, hostemque ei in ea pugna aperto marte futurum, & cum pugnare acies cœperint in Sfortianos arma conversurum. Id sibi sole clarius compertum esse. Verùm quia pro sua in eum benivolentia moleste admodum ferret, si quid ei calamitatis acciderit, monere eum, ut suæ salutis haberet rationem. At Franciscus, qui quorsum hæc Picininus nuntiaret, pro hominis ingenio satis superque calleret, pauca nuntio respondit, se pro eo quod in se ostendisset studio, habere Picinino gratias. Quod autem cum tanta copiarum multitudine sua esset castra invasurus, id sibi quamgratissimum esse, quoniam quò plures forent, eo majorem victoriam consecuturus esset, majorque militibus suis diripiendi copia offerretur. De Guilielmo satis se provisurum respondit. Ceterum quominus laboret cum tanta copiarum multitudine se non modò non exspectaturum, sed ultro potius iturum obviam. Verùm quoniam per speculatores ea omnia didicisset, quæ hoc biduo Mediolani gesta sunt, omnem undique militem coëgerat, Papiensibusque delectum imperarat. Postero verò die, ubi de Mediolanensium motu intellexit, ea re lætior prima luce omnes in armis esse, in acieque consistere, & qua hostes venturos arbitrabatur, præruptum iter ad tria millia passuum & amplius sterni, instaurarique jubet. Interim rumor vagatur, & assidue magis magisque increbrescit, ita esse Mediolanensem aciem instructam, ut singuli singula gererent Sclopeta, genus sane tormentorum terribile admodum atque exitiale, foreque Mediolanenses ipsos, qui primi pugnam inirent, ad millia sexaginta. Quæ quidem vox adeò crevit, ut omnium ferè militum animos ingenti terrore prostraverit. Quod ubi animadvertit Franciscus, veritusne ejusmodi opinio mali quicquam afferret, ducentos ex omni equitum numero delegit, qui tum magno rei militaris usu, tum æque animi virtute atque viribus corporis in primis excellerent. His duas in turmas distributis Guilielmum præesse voluit, quem, ut reliqui ordines subsequerentur, jussit. Utque his in advenientes hostes impetum faciat, & nullo dato repugnandi spatio eos

B urgeat, insecteturque, mandat. Erat, ubi hostium adventum exspectare statuerat, campestris quædam planicies pro situ loci satis ampla, equitatuique nostro æqua sane atque percommoda; & nostrorum quidem equitum numerus ad millia circiter decem, peditum verò ad tria millia. Nam evocati propter angustiam temporis fuere circiter noningenti. Hunc in locum universam prœlii summam trahere constituit. Edocetque, ne quid pilulariis consistendi spatii dent ad Sclopeta in eo prœlio instruenda. Præterea capere neminem, sed omnes potius qui frontem ostenderint tamdiu ferro excipere, donec

C vertantur in fugam. Hunc denique ordinem servatum iri sonitu tubarum edicit, eâ pœnâ additâ, ut qui secus fecerit, securi percutiatur. Idque propterea factum est, quod pilularios complendi tormenti pulvere, ejusque accedendi facultate ademta, inutiles omnino ac velut inertes pecudes fore judicabat, præsertim quod eos omnes ignavos reique bellicæ imperitos, eosdemque inermes esse cognosceret. Quibus prioribus fugatis profligatisque haud verebatur, quin reliqui continuò terga darent, & pro se quisque fuga salutem peteret. His rebus ita constitutis, & præsidio castris relicto, ad duo passuum millia progreditur. Deinde exercitum

D agmine longo consistere, ac neminem ex suo ordine excedere, Guilielmoque, ubi hostes nostris appropinquaverint, jussa facere imperat. Ipse regressus singulos equitum ac peditum ordines, quos propinquiores quam par esset, videret, ita æquo inter se spatio instruit, ut impedimento sibi esse non possint. Præterea ad timorem pellendum, remque intrepide gerendam, cum transfugis Braccianis, quos sæpe magna sua cum gloria vicissent, manus conserturos esse, eosdemque nunc cum vulgo molli ignavoque pugnaturos commemorat. His atque aliis adhortationibus confirmatis militum animis omnes uno atque eodem ore nomen Sfortia-

E num lætis vocibus conclamantes, sese aut morituros eo die, aut victores illum in Ducale Mediolanensium solium posituros affirmare non desinunt. Cùm verò ad novissimum ordinem, qui à castrorum munitionibus paululum aberat, pervenisset, magnam hostium manum trans Lambrum, qui ad dexteram relinquebatur, iter facere, qua illis facilior pateret in Arcem aditus, in vulgus effertur. Quam quidem rem facilem factu fore arbitratus, ei præsidio cui Sanctoseverinates præfecerat, numerum opportune celeriterque auxit. Nam illos ad eam partem reliquerat Ar-

Arcis custodiendæ causâ. Hæc posteaquam Francisco pro temporis angustia satis ex sua voluntate provisa sunt, ad priores ordines confestim revertitur, ubi cùm multa ac varia de Mediolanensium adventu rumor afferret, mille circiter passus cum paucis progressus adversùs hostes ita ex captivis quibusdam comperiebat, tribus adhuc passuum millibus illos ab eo distare, qui locus ad Sanctum Julianum dicitur. Quod ubi principio constiterant hostium duces ex eo loco longius progredi minime auderent. Hæc dum Franciscus de hostibus cognoscit, captivis mandat, Picinino enuntient, se quemadmodum pridie ejus nuntio prædixerat, tribus passuum millibus cum exercitu ei obviam venisse, seque ubi constiterat, horas etiam duas & ipsum & universam Mediolanensium multitudinem, quantacumque tamdem ea foret, perlibenter præstolaturum.

At Marcellus legatus & ingenti animo & summa prudentia vir, qui eo die à mane ad meridiem usque, quacumque Franciscus ierat, nusquam deseruisset, & quicquid egerat, memoriæ mandasset, ipso absente ita locutus est. Non posse satis non admirari ejus viri incredibilem sapientiam, inauditam animi magnitudinem, singularem in moderando instruendoque exercitu peritiam, incomparabilem in deliberando ingenii acrimoniam, maximam in conficiendo celeritatem, & ad hæc summum quoddam & admirabile in eum militum studium atque observantiam. (106) Itaque ab eo usque tempore duo cum animo volutare visus est. Unum quidem si hoc tam amplum opulentumque Mediolanense imperium Venetis tam finitimum in unius Francisci Sfortiæ bellicosissimi, & ingentis spiritus viri potestatem deveniret, id Venetorum ditioni periculosum fore & perniciosum in primis, quod eo comparato, minime illum quieturum, minimeque ab eorum depressione temperaturum putaret. Alterum verò illud erat, quod non absurde cogitabat, si Mediolanenses in sua permanerent libertate, futurum tamdem aliquando, ut eos Veneti sibi submitterent. Quibus submissis reliquis quoque totius Longobardiæ Urbibus potirentur ac facile deinde futurum, ut universæ imperarent Italiæ. Itaque hæc & alia hujusmodi cum privatim ad familiares & amicos suos Venetias frequenter scriberet, paulo post eadem Senatui persuadere per literas ac nuntios nititur, eumque monere, ut publico prospiceret commodo. At Picininus & Carolus ubi per exploratores, quæ à Francisco gerebantur, cognoscunt, non mediocri timore perculsi, ne à nostris circumvenirentur, de reditu in Urbem inter sese agere cœperunt. Quod ne metu fecisse viderentur, suos ante præstitutum tempus Arcem Meleniani hostibus tradidisse simulandum atque promulgandum esse constituerunt. Itaque suis quibusdam exploratoribus, qui eadem ipsa hora à Sfortiano exercitu redierant, quæ sint palam renuntiaturi, ostendunt. Hi non secus atque edocti sunt, publice omnibus declarant, frustra eo die Mediolanenses in aciem prodiisse, cum Arci, cui auxilium ferre conarentur, custodibus ipsis permittentibus nocte superiore hostes præsidium imposuissent. Quam rem duces ipsi molestissime ferre simulantes, Arcis præfectos vehementer accusabant. Quod si eam ad præscriptam diei horam servassent, & illos omni obsidione liberassent, & hostes, si essent exspectare ausi, fudissent fugassentque. His denique fictionibus ac mendaciis credita re ignaram multitudinem copiasque omnes in Urbem reduxere. Quod Franciscus ubi rescivit, revertitur in castra, & Arcem, ut ante convenerat, recepit, ac in iisdem castris aliquot etiam dies manendum existimavit, quod Mediolanenses animadverteret ulla sua neque mansuetudine neque vi, sed fame inediaque potius vinci oportere. Qua ratione ductus segetes, quæ in agris adhuc essent immaturæ, ita succidendas esse censebat, ut nihil ex his frugum percipi posset. Huic autem succisioni segetum per ea loca ubi exercitus sederet, pabulatores satisfacturos arbitrabatur. Sed quoniam Mediolanenses circa Urbem ipsam amplissimos possident feracissimosque agros, (107) sola equitatus pabulatione succisio integra fieri non poterat, idcirco magnum succisorum numerum ex Novariensibus atque Papiensibus accersere decreverat. Quod celeriter fecisset, nisi inopinata Viglebiensium defectio, de quà paulo post dicemus, consilia ejus interturbasset. Inter hæc cum Vercellensium Novariensiumque finibus nostri cum Sabaudianis, uti demonstratum est, continenter bellum gererent, Sabaudiani Burgi-Manerii Oppidi potiundi spe ducti, copiis omnibus prima luce per montis radices à nostris quamlongius possunt eo proficisci contendunt. Ita enim quibusdam cum oppidanis egerant, cum primum ad Oppidum adventassent, idque expugnare simulassent, ut omni mora sublata Oppidum eorum traderent potestati. Hi cum ad locum pervenissent deque nostrorum militum adventu adversùs sese per exploratores didicissent, statim re oppidanorum dimissa in eos se convertunt. Conradus enim & Collio eodem etiam die assumto equitatus peditatusque delectu Municipium quoddam nomine Carpinianum recuperaturi exierant. Quod quidem municipium cum non longe à Burgo-Manerio situm esset, de ea hostium profectione certiores facti propius accedere, seque prœlio committere ob paucitatem etsi non audebant, tamen quia intelligebant, ubi minus id facerent, actum esse de Oppido, quod ejus rei, ut Sabaudianis magno usui, ita rebus Sfortianis ob Oppidi opportunitatem & incommodo foret & detrimento maximo, statuunt omnino prœlii tentare fortunam. Quare ubi utrique exercitus inter proficiscendum mutuo sese conspexerunt, Conradus atque Collio ad pugnam in aciem sese instruunt. Hostes citato cursu confertissime simul ac ferociter feruntur in nostros. Qui etiam ipsi intrepide animoque ingenti eos excipiunt. Atrox committitur prœlium. Hostes quotquot ex nostris intercepissent, confestim galeâ detractâ immani Gallorum more crudeliter jugulant. In eo numero fuerunt ex Collionianis equitum præfectis Henricus

(106) MS. qui nulla umquam in re, quominus ei pareant, vel contradictione utantur, vel cunctatione. Itaque &c.

(107) MS. Quæ quidem Urbs, ut supra docuimus, longo ambitu continetur.

ricus Zambra. Ex Jacomatianis equitibus Christophorus Salernitanus, viri & animi & corporis robore præstantes. Hoc impetu facto unum in locum Sabaudiani celeriter coëuntes in orbem sese constituunt, ac inter se alter alteri terga vertentes, faciem nostris ostendunt. At eorum sagittarii equis amotis, hisque ad proxima religatis arbusta ante equites dispositi, stipites præacutos confertim defigunt in terram. Qui quidem stipites funibus inter se devincti veluti sepem ac repagula efficiebant, quibus ipsis instar valli circumsepti atque muniti arcus exercebant, & creberrime sagittas in nostros conjiciebant. Erat ubi pugnare cœptum est planicies satis magna, & utriusque copiis ad dimicandum equestri prœlio aptissima. Sabaudiani per hunc modum sese continentes loco minime discedebant, sed quid nostri acturi essent, circumspicere videbantur. Causam verò quod hostes in orbem se collegissent, hanc fuisse postea cognitum est ex iis ducibus, qui fuerunt intercepti. Silva erat post nostrorum terga & ingens & densa: ob quam quidem rem inter eos orta est suspicio, quod admirarentur paucitatem nostrorum militum & eam quidem sine vexillis ullis. Nostris enim & copiarum partem & signa militaria in stationibus reliquerant. Quare Italicam illi in bello calliditatem, ac rei militaris peritiam plurimum metuentes, magnum ea in silva cum vexillis militum numerum in insidiis locatum suspicabantur, & ne si nostros insequerentur sine ordine effusi patefactis deinde insidiis circumvenirentur, optimum factu existimabant, si ab insectatione nostrorum sese continerent. At nostri primo hostium congressu perturbatis disjectisque ordinibus duas in partes divisi sunt. Alii timore perculsi atque exanimati vel nullis insequentibus hostibus fugæ turpissimæ ita sese dedere, ut non prius destiterint, quàm Novariam pervenerunt, nostrosque pulsos omnes atque superatos Civitati renuntiarunt. Conradus, Collio, atque Salernitanus cum tanto periculo positam rem viderent, quid consilii capiundum foret, non satis ob temporis angustiam perturbationemque animorum poterant decernere. Cum enim inopinato in prœlium devenire cogerentur cum hostibus longe majore numero velut qui plures essent quingentis equitibus supra tria millia, nostri verò ad summum non plures duobus millibus, peditibusque sexcentis, non poterant eam rem non ægrè & permolestè ferre. Querebatur præter ceteros mirum in modum Collio, quod diceret, Conradi hortatu se eum in locum adductum, unde sine imminentissimo suo, ceterorumque discrimine se eripere nullo pacto posset. Idque ob eam rem accidebat, quod non immemor superioris pugnæ, quæ apud Boscum cum Francis commissa est, id teterrimum prœlii genus insuetumque apud Italos non poterat non admodum perhorrescere. Denique re inter nostros consultata pro tempore diligentius, quo majore interjecto conatu facilius ac tutius hostium impetus sustinerent, omnes equestres copias duos omnino in ordines partiuntur, & quamvis si cum exercitus incolumitate excedere prœlio possent, id pro rerum præsentium necessitate optimum fore omnes judicarent, tamen ad

A eam rem conficiendam cùm inter se ipsi duces ac milites longe dissentirent, diutiùs quàm casus exposcebat consultatio dicebatur. Nam alii Salernitanusque præcipuè non absque manifesta omnium calamitate atque insigni ductorum ignominia id fieri posse asserebant, præsertim cùm perspicere viderentur quanta formidine tenerentur hostes. Itaque rem propria virtute definire oportere, & communi omnium saluti dignitatique consulere. Alii verò, Collioque in primis, fortunam non esse tentandam argumentabantur, sed consilio saniore communi omnium incolumitati prospiciendum, illudque sibi factu optimum videri, ut cùm jam dies occideret, noctis interventu se ab hostibus

B sine periculo dirimerent. Dum in hac duces disceptatione tempus terunt, ecce mille circiter hostium equites à reliquis disjunguntur, & alteram nostrorum cohortem, cui Salernitanus præerat, confertissima acie aggrediuntur, quos nostri equites ad pugnam parati sive pudore seu metu ducti secundum hunc, quàm priorem illum hostium impetum audentius ac fortius excipientes sustinuerunt, eosque confestim fractis utrimque hastis ad suos rejecerunt. Salernitanus hoc altero facto impetu, tamquam majore quodam animi ardore incensus, hæc voce clara locutus est. Non esse amplius consultatione

C opus, sed pugna ac viribus uti oportere. Quibus dictis suos quisque hortari, ut cum hoste animo constanti congrediantur, & in omnes, quos ceperint, ea utantur lege, qua ipsi primi in nostros usi fuerunt. Ad hæc etiam admonere, ne quis terga daret, quod si quis fecerit, illum in hostium numero habendum esse. Addere præterea si in eo prœlio moriendum foret, ad eos maxime pertinere, ut pro Italorum militum honore, pro rei militaris, Franciscique Principis dignitate, proque sua ipsorum laude, ne inulti omnes occumberent. Hæc ubi dicta sunt, primo à peditibus nostris jussu ducum equi ii omnes, quos arbustis sagittarios revinxisse

D diximus, celeriter abducuntur. Deinde ab equitibus magno impetu à duabus partibus, in quas distributos ostendimus, in hostes advolantibus strenue prœlium acerrimeque conseritur, simulque continuo terribilis quidam tubarum sonitus atque virorum altus clamor exoritur, hostes contra fortiter resistentes nequicquam cedere, neque ex agmine, orbeque discedere. Itaque nostri illorum timore animadverso, magis atque magis redintegratis viribus, & hastis iterum innitendo fractis, cominus eos gladiis urgere faciem jugulumque, qua minus armis transalpinorum more tegebantur, ferire ac interimere, pedites hinc atque illinc equos virosque

E hastis longioribus percutere, transfodere, atque occidere non prius destiterunt, quam per hunc modum rem impigre constanterque gerentes, pluribus ex hostibus interemtis, aliis ex orbe vivis abstractis, superatos victosque omnes tamdem fuderunt, & in fugam turpissimam conjecerunt. Fugientium major pars à nostris equitibus intercepta, quorum in numero Jacobus Celandus, & Jacobus cognomento Abornates equitum præfecti exstitere. Gaspar autem Verasinus, qui post Compesii captivitatem imperii summam in exercitu obtinebat, & ii simul qui à cæde

à cæde & à nostrorum captivitate superfuerant, noctis beneficio adjuti, & locorum trans Siccidam flumen propinquitate citatis equis vix tamdem evaserunt. Occisorum tam nostrorum quàm hostium numerus, magnus fuit, sed longe major hostium. (108) Postridie ejus diei Romanianum ac reliqua municipia, quæ hostes in Novariensibus obtinebant, in nostrorum potestatem ultro redierunt. De qua quidem victoria cum illico Conradi literis Franciscus certior factus esset, etsi ejusmodi nuntio non mediocri jucunditate affici debebat eo præsertim tempore, quo videbatur ejus res paulo habere deterius, tamen ut erat animo ingenti & moderato, neque se extulit gaudio, neque lætitiæ modum, ut solent plærique ulla ex parte excedere visus est. Itaque dilucide in se ipso ostendit, quod assiduo sermone dicere consuevit. Neque secundis rebus nimiam capiendam esse lætitiam, nec ægritudinem in adversis; utrumque enim & mulierum esse & puerorum in utraque fortuna aut efferri animo aut frangi (109). Solùm cum de hac novissima Novariensi pugna sermo haberetur, ait, se multo plus & auctoritatis & commodi ex hostium fuga ac pœne internecione, quàm ex recenti Piciniriorum fuga detrimenti aut incommodi accepisse. Post hæc omnes hostium duces, qui ex eo prœlio servati captique fuerant, data reliquis captivis ad suos libera redeundi facultate, jussit ad se adduci, ac præter eorum opinionem humaniter excepit, atque post biduum fide præstita necubi posthac sibi bellum inferrent, ad suos reverti permisit. Quo factum est, ut ex eo die neque Sabaudiani, neque Taurinenses nostros fines infestare sint ausi. His rebus gestis, Viglebienses veterem Mediolanensium amicitiam studiumque secuti, recento Francisci præside ad eos desciverunt, moxque milites circiter mille ex omni Mediolanensium Braccianorumque robore delectos tanto & tam communi animorum ardore in Oppidum receperunt, ut nemo pœne fuerit, qui non ex his aliquem penes se haberet, suoque sumtu alere contenderet. Colles, Arditiosque deinde insignes eo oppido familias, eorumque clientes ex factione Gibellina, quos & haberent suspectos, & eam rebellionem ægre ferentes animadverterent Mediolanum relegaverunt, gravi indicta pœna, ni eo se quamprimum transissent. Hi edicto audientes cum essent à nostris in itinere intercepti, statim Francisci jussu in libertatem sunt restituti. Viglebium est in agro Papiensi Oppidum non longe positum à

A flumine Ticino, quod cetera omnia Lumellinæ Oppida atque municipia tum munitione tum Populi multitudine antecellit, estque omnium in ea regione & auctoritate & opibus primum.

Hi Mediolanensium aucti fretique præsidio, confestim de improviso finitimorum agros depopulari, ædificia incendere, ac omnem denique Lumellinæ agrum die noctuque adeo perturbare exagitareque cœperunt, ut maximum Papiensibus, qui eam regionem incolerent, & Novariensibus qui eorum fines attingerent, terrorem injicerent, maximumque tridui fere spatio detrimentum inferrent. Gambalotum verò municipium illis finitimum B maximeque invisum præter Arcem, in quam municipes confugerant, milite nullo defendente expugnarunt, atque incendio concremarunt. Quæ cum Franciscus tum crebris multorum literis tum nuntiis didicisset, ac omnes fere partium earum Populi ad eum singillatim ac frequenter postulatum auxilium misissent, quo longe lateque vagantes hostes ac rebelles non reprimi modò, sed opprimi etiam atque deleri possent. Quamvis per id temporis invitus è Mediolanensium finibus discederet, Ticinumque trajiceret, tamen (100) intellecta periculi magnitudine permotus, cum universo movere decrevit exercitu adversùs Viglebienses eo consilio, ut iis vel C voluntate redactis in suam potestatem, vel vi expugnatis, in Mediolanenses quamcelerius posset ad frumenta, ut constituerat, succidenda reverteretur. (111) Itaque in omnibus Oppidis atque municipiis, quæ in Mediolanensibus obtinebat, & armis servari posse videbantur, præsidio imposito, castra à Meleniano, ut instituerat, movit, & ad Ticini usque ripam celeriter contendit. Dat Marco Leoni & Bartholomæo Cremonensi negotium pontis navibus illis sternendi, quas eo è Papia paulo ante subvehi jusserat. Quem quidem Pontem tanta celeritate atque diligentia confici mandaverat, ut intra triduum exercitus universus in Viglebienses traduci D posset. Quod sane opus ex sententia perfectum foret, nisi quod dum ea conquiruntur atque parantur singula, quæ præter naves ad construendum pontem erant necessaria, tam ex imbre continuo repente exorto, quam ex solutis alpium nivibus tanto aquæ cumulo, tantaque illuvione flumen excrevit, ut quoniam ad octingentos circiter passus in latitudinem alveo exisset, naves non satis essent ad perficiendum pontem, neque ad supplementum aliæ sine multo temporis intervallo comparari poterant. Quapropter mutato consilio

(108) MS. Id quod ab iis paulo post cognitum est, qui ad sepelienda cadavera eum in locum accesserunt, quique suos eo planius cognoverunt, quod hi more Gallorum interioribus tunicis, quas Camisias nuncupamus, utuntur longioribus, & subligaculis nullis. Nostri autem secus. Post eam verò victoriam postridie &c.

(109) MS. sed constantiam semper potius atque moderationem servari oportere. Ad hæc nec etiam quæ pro optatis contingerent, magis extollenda, nec quæ contra acciderent, minus vera, quàm essent, renuntianda. Quod suo quidem tempore à plerisque per Italiam belli ducibus, & præsertim à Braccianis usitatum esse cognoverat. Hæc autem non arte quadam, ut vulgo solent, sed multarum rerum usu, & sua consuetudine non commemorare solum, sed magna cum laude servare didicerat. Quare cum de hac novissima &c.

E (110) MS. tamen ut huic tam insperatæ rerum novitati occurreret, visum est ei, non cunctari oportere ad opem laborantibus ferendam. Quare intellecta &c.

(111) MS. Quod ea sede Mediolanensibus parta, quæ ad bellum gerendum erat peropportuna, ni inde illi depellerentur, universam regionem, quæ intra duos amnes Padum atque Ticinum interjacet, si quotidianis excursionibus atque maleficiis vexaretur, cum diu bellum perferre non posset, in hostium manum esse venturam intelligebat. Et ubi id accidisset, quantum in detrimentum atque periculum res adduceretur, facile perspiciebat. Itaque &c.

filio locum nactus, ubi minus pateret flumen, qui non longe abest à Papia, ubi ad Parasaccum dicitur, pontem ab utraque fluminis parte ligneis columnis atque festucis, ubi major aquæ vis & altitudo erat, exædificari navibus jussit. Interim ea in quem nuper de Guilielmo venerat suspicio plurimum augetur. Quamobrem etsi illud quod post Viglebiensium defectionem de ejus à castris discessu acceperat, falso enuntiatum existimabat, cum nihil omnino ab eo perfidiæ committi posse putaret, de quo benemeritus plurimum esset, tamen ubi multis indiciis, & his quidem minime vulgaribus idem magis magisque confirmatur, negligendum non putavit, neque exspectandum, ut superato Ticino tum demum rei præsentis magnitudini consuleret. Enuntiabatur enim, & id quidem à quibusdam ex Guilielmi domesticis affirmabatur, hoc ei esse in animo, ubi cum exercitu Franciscus in Viglebienses trajecisset, vel impetratâ vel ne ab eo licentiâ, primum in Montemferratum transire, deinde in Alexandrinos ad opprimendos subjugandosque Boscenses contendere: Qui quidem, ut supra ostendimus, obstinatius bellum sustinentes ei sese permittere noluerant. Ex quo Guilielmus non poterat non suspicari tametsi falso, quin Boscenses unius Francisci consilio atque opera pertinacius adeo tamdiu permansissent. Affirmatur præterea eumdem Guilielmum, ubi ad ea loca se recepisset, suas continuo copias eo contracturum, futurumque ut si ad Franciscum se reversum simularet, grandem pecuniam postularet, & alia insuper duriora efflagitaret, quæ negata si fuissent, sibi liceret dicere, se liberum jam esse, ac nihil omnino Francisco debere. Hac igitur re communicata cum paucis, atque multam in disputationem deducta, diligentiusque discussa eadem fuit omnium communisque sententia, ut priusquam flumen transiret, Guilielmus quamhonestius fieri posset, retineretur. Quod Marcello legato non placuit solùm, sed ut celeriter conficeretur, multis rationibus persuadere nixus est. Idem quoque præ ceteris Andreas Biragus, qui à Philippo Maria Duce usque hominis ingenium novisset, multis argumentis & confirmavit, & necessario ita fieri oportere demonstravit. At Franciscus quamquam ad eam rem invitus adducebatur, tum quod Guilielmum diligebat plurimum, & magno præterea sibi usui in bello gerendo ejus præsentiam esse intelligebat, tum quia omnes injuste illum fuisse retentum arbitraturos divulgaturosque existimaret, tamen præteritorum malorum nequaquam oblitus, quæ sibi partim incredulitate partim clementia nimia & mansuetudine sua obvenerant, memoriter in medium referens, quantum detrimenti extremique discriminis rebus suis intulissent Talianus Forojulianus, Troilus Rossianensis, Petrus Brunorius Parmensis, aliique plerique, qui ex humili loco cum ad non exiguam rei militaris dignitatem pro singulari suo in eos studio atque gratia evasissent, immemores beneficiorum, ingratissimi homines & deserverunt eum, & ad hostes inimicissimos transivere, novissimus tamdem hisce rebus permotus reliquorum retinendi Guilielmi consilium comprobat. Nec enim commemorare etiam destitit, & id quidem cum maxima animi

A perturbatione, proximas Braccianorum insidias ac fugam. Ad hanc rem conficiendam Robertus Sanctoseverinas deligitur. Is cùm forte animi relaxandi gratiâ Guilielmum postridie ejus diei Papiam profecturum intellexisset, ei se eadem ratione comitem pollicetur. Quod Guilielmus libenter placideque admittens, Roberto comite Papiam proficiscitur. Quo cùm venisset, eodem usus comite in Arcem pergit, Blancam Mariam visendi & salutandi gratiâ; paulòque post cùm esset discessurus, modestissimè retinetur, custodibusque adhibitis demandatur, ut eum perhumaniter & perbenigne custodiant. Quo servato, equitibus ejus qui in castris reperti sunt, jussis à Francisco, ut exercitum sequerentur, bona Guilielmi omnia integre &
B pro ejus voluntate servantur. Alexandria quoque cum Alexandrinis omnibus & Oppidis & municipiis ejus nomine teneretur, nihilque omnino de suo ac si ipse adesset, immutari Franciscus imperavit. Persuasis etiam Boscensibus, ut Bonifacio Guilielmi fratri sese dederent, qui longo tamdem bello defatigati, Franciscique etiam hortatu adducti paruerunt. His rebus confectis, & ponte intra octo dies perfecto, Franciscus in Viglebienses copias traducit. Oppidum, quod in planicie positum est, circumsedit. E regione murorum tormenta disponit. Castella tabula-
C torum quinque ex trabibus sexquipedalibus confici jubet. Collionem cum iis omnibus copiis, quibus in Novariensibus adversùs Sabaudianos, ut demonstratum est, bellum gesserat, eodem accersit, præter Albertum Carpensem, quem suis cum militibus adversùs Taurinenses commorari imperaverat. Deinde omni tormentorum genere Oppidum oppugnare aggreditur. Et quoniam sulphureum pulverem, ut vocant, obsessos ita defecisse cognoverat, ut neque bombardis neque pilulariorum tormentis ad lædendos depellendosque hostes uti omnino possent, vigiles ponit, ne quid in Oppidum importari, neque ex hostibus ingredi quispiam possit.
D Turris quædam ac murus, qui ab utroque erat latere, creberrimo tormentorum ictu in fossam ruinam ingentem traxere. At defensores contra trabibus aggeribusque & fimo locum continenter munire, patefactosque aditus obstruere. Horum omnium principes erant Jacobus Reatinus, & Henricus Caretus cognomento Armiger, & Rogerius Gallus, viri profecto acres, & rerum bellicarum peritissimi. Quorum Jacobus & Henricus equestribus, Rogerius verò pedestribus copiis præerant. Hi oppidanorum cognita voluntate, omni studio atque cura elaborabant, ut & Oppidum in Mediolanensium fide continerent, & hostes eo saltem usque distine-
E rent, quoad Mediolanenses frumenta, quæ jam maturescere cœperant, percipere, & in horrea comportare possent. Viglebienses enim malefactorum conscii, & ob id Francisci clementiæ omnino diffidentes, extrema constituerant potius quæque perpeti, quam rursus in Francisci redire potestatem. Itaque omni arte & industria ea Oppidi pars quæ oppugnabatur, munitior pæne ab interiore loco quàm reliquæ partes efficitur. Franciscus Oppidum non multo labore obtineri posse arbitratus, cum minore exercitus parte illud primo expugnare tentavit. Sed ubi eo die à no-

nostris negligentius ægriusque oppugnatum, & ab hostibus acriter repugnatum vidit, & id quidem ex confecto ad munitionem recenter opere factum, quo ingressus nostris perdifficilis reddebatur, milites ab oppugnatione revocavit. Et structum ab obsessis aggerem enixius bombardarum ictibus percuti prosternique jubet. Quod hostes animadvertentes, super aggerem latiores saccos lana refertos, cujus magna inter oppidanos vis erat, imponunt. Hisque ictus facile sustinentibus contorti lapides nullo accepto detrimento rejiciebantur. At Franciscus, qui ab ea obsidione propediem dissolvi, & in Mediolanenses quamprimum redire in animo habebat, rursus accuratiore studio, majoreque conatu Oppidum expugnare, atque in prædam vertere decernit, pugnæque diem dicit. Qui dies ubi advenit, milites omnes gravis armaturæ in novem divisos ordines jubet in armis esse. Ita enim si primo aut secundo impetu aut tertio Oppidum expugnare non posset, ad postremum tamdem, defensoribus lassitudine vulneribusque confectis, illud obtinere non dubitabat. Primos igitur invadere Oppidum imperat, quam certa multitudo tam inermis quàm levis armaturæ per cuniculos, quibus tuto ibatur ad fossam, subsequitur. His laborantibus alios subsidio submittit. Ita enim singillatim ordini deinceps ordo succedens suo fungebatur officio. Præterea qui in Oppidum irruperint, penetraverintque, iis nummos aureos centum primo, quinquaginta secundo, tertio autem quinque & viginti pretium statuit. Qua in re Donati Mediolanensis juvenis quidem præstantis, & rei militaris non imperiti opera atque industria singularis multum proderat. Quippe thorace armatus cum calipporum ordine, quibus præerat, eam interdiu effodiendo ab ima fossa versus instructum ab hoste aggerem non sine magno suo sociorumque discrimine viam fecerat, ut aggeris usque verticem tutò iretur. Et ne obsessi, ubi pugna conferebatur, occurrere eo omnes auderent, undique Oppidum lacessi atque oppugnari jubet. Ex quo fiebat, ut pluribus in locis occupati impeditique oppidani distinerentur, & ita minor esset repugnantium numerus.

At ex adverso hostium præfecti per muros quidem oppidanos, militum verò delectum per aggerem disponunt, qui Oppidum undique à nostrorum ingressu tuerentur. Mulieres ac ceteram inutilem multitudinem ad subministrandas in aggere repugnantibus res necessarias constituunt. Nam virgines ac viri religioni dediti omnes erant in Templis precibus ac lacrymis Deum deprecantes, ut à calamitatis cladisque periculo Oppidum servaret. Ceterum nostri milites imperata facientes, impigre atque ingenti animo aggerem conscendunt. Sed repugnantibus hostibus, sacrisque imaginibus, Sanctorumque Reliquiis oppositis in Oppidum continuò irrumpere prohibentur. Itaque hastis comminus atque ensibus utrimque res geritur. Nostri præcipuè ex occulto grandibus saxis, cinere, calce, aquisque ferventibus confligantur, trabibus insuper dejectis ad imam usque fossam præcipitantur. Præcipites quoque illos agentes, quos ipsi ruendo offenderent. Cùm per hunc modum diu fortissimè & asperrimè utrimque pugnatum esset, ac soli octavi & noni ordinis milites integri superessent, tum Franciscus revocatis paululum à pugna nostris, hostes qui super aggerem armati offerebantur, jaculis, sagittis, ac pilulis ex castellis ubi præsens aderat, & ad hæc bombardarum ictibus frequentius percuti jubet. Quo factum est, ut quotquot apparebant, vulnerarentur, & ita pugna cogerentur excedere. Quare cùm ex denis quibusque militibus vix duo integri ad repugnandum superessent, is qui oppugnabatur locus, defensoribus vacuus destituebatur. Quod partim vulneribus confecti, partim longo fracti, debilitatique labore, prœlio excesserant. Eoque res tamdem adducta est, ut mulieres etiam ipsæ, sicuti postea cognitum est, ultro arma sauciorum cruore infecta, cristatasque galeas in extremo Oppidi salutisque periculo induerent, ac militum loco succederent, nec secius operam pugnando navarent, ac robustissimi quidam milites. Et usque adeò strenuè & alacriter rem gerebant, ut non sine magna admiratione videri possent adhuc integri esse hostes, perinde ac si deesset nemo tamquam hi novissimi etiam viderentur, qui se primum ad aggeris defensionem obtulissent. Postea verò quàm per horæ spatium id in aggerem hostemque egit, quod satis ad transcendendam obsessorum munitionem usui fore visum est, per ordinum eorum milites, qui nondum in pugnam prodierant, certamen multo prioribus acrius vehementiusque instaurat. Ii enim tanto impetu mox ad aggerem pugnam inierunt, ut nonnulli ex anterioribus strenuo saltu saccorum objectu superato hostibus ipsis admiscerentur, quorum inter primos fuit eques quidam Epyrota, quem cognomento Albanensem Grandem nominabant, vir fortis in primis & audax. (112) Sed cùm inter hæc tam per Oppidum, quàm per castra clamor esset sublatus, nostros intra Oppidum penetrasse, totis ex castris milites nostri eo concurrere, Oppidani verò per muros dispositi fugere, & quod mirabile dictu est, nostros etiam funibus adjuvantes intro recipere, & cum his tum de rebus familiaribus, tum de salute sua suorumque agere. Ceterum cùm in aggerem tanta multitudo militum conscendisset spe diripiendi Oppidi, ut spatium nulli referendi pedem relinqueretur, accidit, ut ex centurionibus quidam inter eam, quæ cum oppidanis verborum habebatur contentio, stipite ictus pulsusque caderet ex aggeris summitate. Cujus casu tanta est repente facta nostrorum militum ruina, ut ipsorum acervis fossa repleretur, & alter obrutus ab altero necaretur. Quæ quidem res ita & nostris animum minuit, & hostibus addidit, ut nemo amplius auderet in aggerem ascendere. Nam adeo erant omnes pæne confecti cadentium ruinâ, & alii collisi lapidibus, & alii permulti calce atque cinere obruti, ut exanimati & visum amisisse viderentur. Quo factum est, ut nostri milites propeomnes religionis metu perculsi, Oppidum divino quodam Numine defensum atque

(112) MS. Qui tamen subsequentibus nullis sive territis formidine, sive vi depulsis, capiuntur. Sed cum &c.

atque servatum opinarentur. Quod ubi Franciscus animadvertit, jussit, in stationes redirent omnes, postero die Oppidum expugnaturus. Satis enim superque eo die exercitum laborasse judicavit, cum horas continenter octo acerrime pugnatum esset. Quibus quidem certaminibus ex oppidanis multi interierunt, è nostris verò vulnerati nonnulli, desiderati autem pauci. Sed oppidani ac præfecti, quod omnes essent ob diuturnum pugnandi studium mirum in modum defessi, viderentque permultos vulneribus confectos, priusquam Sol occideret, sibi ipsis diffisi sunt de Oppido in diem posterum defendendo. Itaque Salernitani interventu de deditione agere cœperunt. Quam quidem rem cum Franciscus in consultationem posuisset, voluissetque quid quisque sentiret intelligere, diversæ fuere sententiæ. Præfecti militum fere cuncti suadebant, contendebantque, ut Oppidum omnino diriperetur. Ita enim habiturum Franciscum deinde milites universos ad bellum longe paratiores alacrioresque. Quod si secus fieret, eos propter accepta incommoda ac vulnera ægre & iniquo animo rem laturos. Marcellus, Collio, & Salernitanus tametsi militum cupiditati necessitatique indulgere non inutile putabant, tamen Francisci commodo, cujus gratia bellum gereretur, quam privato cujusquam emolumento potius ducti, ab omni rapina abstinendum, Oppidumque servandum esse censebant; quod Francisci clementiæ atque misericordiæ omnibus esset exemplum, & postridie ejus diei cum expeditis atque integris copiis in Mediolanenses ad succidenda frumenta jam prope matura reverti liceret. Nam si direptio illa concederetur militi, quam plures in Oppido dies vel invito ipso terendos esse, atque ademtum iri frumenti succidendi facultatem. Quæ res quantum detrimenti præsentibus rebus esset allatura, neminem esse, quem lateret. Quibus omnium sententiis diligenter consideratis, Franciscus Viglebienses humaniter & perbenigne in deditionem accepit, ea tamen conditione, ut quam Arcem post ducis Philippi obitum demoliti fuerant, sua ipsi impensa instaurarent reficerentque: utque duodecim circiter ex oppidanis, qui defectionis auctores fuissent, sibi dederentur. Quos acceptos paulo post in Papiensem Arcem in carcerem conjecit. At ubi nox facta est, repente in castris tumultu exorto omnis gregaria multitudo partim sua sponte, partim hortatu jussuque dominorum, quibus ea deditio esset molestissima, confertim ad aggerem concurrit, enititurque vi Oppidum ingredi atque diripere. Sed militum præfecti atque oppidani à Francisco facti ea de re certiores, facile impetum omnem sustinuerunt. Franciscus ipse vehementissime indignatus celeriter eo contendit, multitudineque illa gregaria ab Oppidi muris quamprimum amota, non tam ipsos ministros, quam eorum dominos acerbissime increpat. Quod cum tamdiu in eorum fuisset potestate & ingrediendi & diripiendi Oppidi, dum ab hoste occuparetur, ea tum re neglecta, nunc tamdem cum in fide receptum est, spreta sua tum dignitate tum imperio tantum facinus perpetrare sunt ausi. Compositis per hunc modum Viglebiensium rebus, Franciscus magno stratorum numero coacto, in Mediolanenses revertitur ad succidendum secandumque frumentum. Sed dum hæc apud Viglebium aguntur, Picininus natu major exercitu bipartito ad Seprensem regionem infestandam à Mediolanensibus mittitur. Ita enim fore arbitrabantur, ut Franciscus ea re cognita, à Viglebiensium obsidione discederet. Illius adventu Castellum Sancti Georgii, quod Oldradus Lampugnanus exædificaverat, primo impetu capitur sine ullo prorsus labore dedentibus sese custodibus. Deinde Castellioneorum Arx occupata, quam à Branda Castellioneo Cardinali viro sane clarissimo, & in Ecclesia Romana magnæ auctoritatis cum ad Gentilium suorum commodum tum ad sui nominis memoriam celebritatemque conditam eorum fidei Franciscus permiserat, atque mandarat. Cum his Varisini, Luganenses, & ceteri Lacum Verbanum incolentes præter unum Franchinum Rustcham ad Mediolanenses illico defecerunt. Ad hæc Briancini quoque, & qui citra ultraque Larium Lacum incolunt, solis Leucensibus in fide persistentibus eadem conspiratione ad hostes desciverunt. At Vintimilianus, qui stationem Canturii habebat cum & literis & frequentibus nuntiis permultisque pollicitationibus propositis, quo ad Mediolanenses rediret, frequenter sollicitaretur, nullo responso dato novissimos nuntios capi jussit. Qui ad Franciscum perducti ejus jussu statim laqueo gula fracta vitam finiunt. Carolus autem Gonzaga, Picininusque natu minor Papiensium agros cis Padum vexatum depopulatumque mittuntur, qui per Laudensium fines iter facientes Villanterio municipio inter proficiscendum occupato atque incenso eam omnem regionem, quam Campaniam vocant, gravissimis maleficiis detrimentisque affecerunt. Quas ob res etsi inter Viglebiensem oppugnationem frequentioribus quotidie nuntiis ac literis à Papiensibus certior fiebat, sollicitabaturque Franciscus, ut palantibus hostibus ac suorum calamitatibus periculisque occurreret, tamen quoniam intelligebat, aliud Mediolanenses nihil magis desiderare, quam ut ea Viglebienses, qua vehementius premebantur, obsidione aut liberarentur omnino, aut saltem levarentur, neque solvere obsidionem, neque diminuere exercitum voluit; quod minime dubitaret, se recepto Viglebio, & incursiones omnes non difficulter repressurum, & amissa quæque recuperaturum. Per eosdem dies Albertus Carpensis, quem adversùs Taurinenses cum suis copiis relictum ostendimus, cum à Leonello pecunia nulla juvaretur, ad Ludovicum Sabaudianorum Ducem se transtulit. Quod Franciscus ubi rescivit, quamquam animo primis nuntiis non in eum potuit non commoveri, tamen ubi secum animo volutasset, quanta in bello Sabaudianorum esset tum ignavia tum inopia, non multi eam rem faciundam existimavit. Sed priusquam in Mediolanenses rediret, Sanctoseverinates dumtaxat cum equitibus mille Novariæ præsidio reliquit. Nam posteaquam Sabaudiani hostes in Novariensibus à nostris fusi profligatique sunt, ex eo tempore neque invadere Novariensium, Papiensiumque fines, neque ullam nostris aut vim aut maleficium inferre sunt ausi.

IN-

Explicit Liber Decimusoctavus.

INCIPIT LIBER DECIMUSNONUS.

PEr idem tempus municipia nonnulla atque Oppida, quæ paterna hereditate Picinini in Placentino agro possiderent, post eorum ad Mediolanenses defectionem statuit Franciscus in suam redigere potestatem. Quamobrem collectis trans Padum pedestribus evocatorum, copiis adjunctis præterea equitibus ad octingentos, quibus Johannes Comes Romanus, & Petrus Maria Ruber, ac Thomas Tebaldus Bononiensis legatus præerant, Castellum Arquatum, ut obsiderent, jussit. Quod quidem Oppidum cum esset muro cinctum militumque præsidio, quibus Marchesius Varisinus & Johannes Pazalia præerant egregie munitum, oppidani dies aliquot obsidionem pertulere. Sed ubi tamdem nullam spem relictam sibi auxilii cognoscunt, Varisino retento sese atque Oppidum tradidere. Nam Pazalia præfectorum negligentia cum suis omnibus se Florentiolam recepit incolumem, quod erat alterum Picininorum Oppidum à Castello Arquato non amplius quinque passuum millibus. Quam quidem rem ubi Franciscus cognovit, non mediocriter præfectos, legatumque accusavit, quod Florentiolæ oppidanos animadverteret eo fretos præsidio duriores ad deditionem fore. Eodem tempore Angelus Sanvitalis, qui jamdiu Braccianos secutus tamdem domum se receperat cum equitibus circiter sexaginta, injussu Francisci inscientibus suis ad Braccianos desciscens è Fontanellato se noctu Florentiolam contulit, & oppidanos, ut in fide officioque persisterent hortatus, ac multa pro eorum salute curaturum se pollicitus, Oppidum ingenti omnium studio animique ardore munire aggreditur. Dum hæc geruntur, Peregrinates, Burginovenses, Vicolenates, se ultro nostrorum potestati permisere. Ita Florentiola dumtaxat in Picininorum potestate relinquebatur. Et quoniam pro magnitudine belli conficiendi equitatus erat minore numero quam par esset, Johannem Tolentinatem Nicolai filium generum suum, qui in Etruscis pro Florentinis meruerat, cum equitibus sexcentis conduxit, addito etiam Alexandro fratre, apud quem summa esset ejus gerendi belli. Is enim antea, ut ostendimus, confectis rebus Parmensibus Pisaurum reverterat. Alexander igitur ex Pisauro accersitus, cupiens fraternæ voluntati quamprimum obsequi, magnis itineribus ad Florentiolam cum pervenisset, contractis undique viribus, ad Oppidum exercitum admovit. Sed cum deessent bellica instrumenta ad Oppidum expugnandum, vastationes dumtaxat succisionesque segetum ad perterrendos oppidanos quotidie fiebant. Ceterum ubi quadraginta jam dies obsidionem oppidani pertinacius sustinuissent, neque interea temporis subsidia ulla aut ab Alphonso Rege, ut assidue Picinini falso pollicebantur, nec aliunde mitti posse sperarent, vel ipsis invitis militum præfectis de deditione agere cœperunt, duas tamen postulantes conditiones, unam, ut dierum quatuor ad deditionem faciendam mora intercederet, quo Picininis & rerum suarum difficultatem ostenderent, & ab iisdem responsum acciperent. Alteram ut iis militibus, qui apud se fuerant præsidio constituti, impune liceret abire. Quibus rebus facile impetratis, & quatuor dierum peractâ morâ, ii sese continuo atque Oppidum dediderunt. Militum autem præfecti ad Picininos redire prohibiti, abeundi aliò data facultate, cum suis militibus per agrum Parmensem in Reginorum fines incolumes concesserunt. Angeli verò bona Stephano ejus sobrino à Francisco dono concessa sunt. Per idem etiam tempus præter omnium opinionem novum bellum exoritur in Parmensium finibus. Nicolaus enim Guerrerius, de quo superius fecimus mentionem ad Alphonsum defecerat. Hic tametsi in deditione Urbis Parmæ perhumaniter atque perbenigne Francisco usus fuerat, utpote non veterum solùm sed recentium etiam injuriarum oblito, tamen quia antiquo odio eum insequeretur, nullo pacto æquo animo pati poterat, Parmenses ejus parere imperio. Itaque non destitit credulo Regi persuadere, ut si Mediolanensibus auxilio esse vellet, Parmenses bello lacesseret. Duo enim in Parmensibus esse Oppida Guardasonum, atque Colornium, situ loci & arte hominum permunita, quorum inter fines positam esse Parmam Urbem. Hujus hortatu facile inductus Alphonsus mittit ea in Oppida pedites circiter octingentos, qui duobus à lateribus Parmenses incursionibus atque maleficiis vexarent. Deinde Eustorgium Faventinum stipendio conductum cum equitibus quingentis ac mille quingentisque peditibus eadem belli gerendi ratione in Æmiliam proficisci jubet. His rebus Alexander cognitis exercitum in Guardasonates celeriter traducit, Corrigianosque fratres cum equitibus mille, quingentisque peditibus Francisci jussu, quem antea de his omnibus certiorem fecerat, sibi adjungit. Nam hi posteaquam à Cremensium obsidione simul cum Venetorum exercitu discesserant, in Cremonensibus ad id usque tempus consederant. At cum Eustorgius per Bononiensem agrum in Mutinensium fines jam pervenisset, Alexander, qui & hominis ingenium perpulcre calleret, & à Francisco fratre admonitus esset, nuntios rogatum mittit, ut veteris consuetudinis atque amicitiæ, qua Sfortiani semper cum Manfredis conjunctissimi exstitissent, memor esset, nec enim par esse novos amicos & peregrinos veteribus anteponere, quod certe sine magna injuria nullo pacto fieri posset. Quod si ulterius progredi destiterit, hoc ejusmodi beneficium fore, quod nulla prorsus deleat oblivio; ejus esse humanitatis atque officii, ut aliquibus excogitatis honestioribus causis, in Flaminiam redeat, neque se infestum viro præstet amicissimo, & quo pacto causæ reditus excogitentur, eum pro magnitudine ingenii sui summaque prudentia facile tenere. Id ut faceret, majorem in modum rogare, cum nihil neque accommodatius præsentibus rebus, nec sibi aut utilius aut gratius quicquam præstare posset. Eustorgius ad hæc invitum se id bellum tantumque itineris suscepisse, sed tuen-

tuendorum militum necessitate coactum, quod eos suo sumtu alere non posset, ab Alphonso stipendii conditionem accepisse: causas verò vel non progrediendi ulterius, vel in Flaminiam redeundi honestissimas justissimasque habere; præsertim quod stipendia sibi constituta, sine quibus bellum geri non posset, minime solverentur. Ceterum unum sibi maxime necessarium, ut tantum sibi pecuniæ quamprimum mitteretur, quod in aliquod tempus ad milites in officio continendos satis foret. At Franciscus Eustorgii mente cognita, quo is in ea confirmaretur sententia complura aureûm nummûm millia ei dono statim mittit. Quibus ille acceptis nihilo diutius cunctatus in Flaminiam rediit. Quapropter Guardasonates ea spe destituti, paucis post diebus sese Alexandro dediderunt. Quod Nicolaus ubi cognovit, non amplius Colornii sibi exspectandum existimavit, & ne timore suis relictis fugere videretur, Mantuam sibi proficiscendum esse dicit, quo antea & uxorem & reliquam inutilem familiam miserat, ut regia inde subsidia contenderet. Itaque relicto Colornio, quod erat satis valido peditum equitumque præsidio munitum, non sine multis lacrymis Mantuam profugit. Alexander Guardasonatibus in potestatem acceptis, post impositum in Arce præsidium, in Colornienses traductis copiis Oppidum munitissimis castris circumsedit. Dum hæc geruntur Raymundus Anichinus natione Brutius, vir sane & virtute & rei militaris scientiâ pollens, ab Alphonso Rege quingentis cum equitibus in Nicolai Tertii auxilium missus in Reginorum fines pervenerat. Is ubi ab Alexandro Colornienses obsessos intellexit, eam rem dolenter accepit, quod animadverteret se regiis amicis in tanto salutis periculo sine certa sua calamitate opem ferre non posse. Ceterum non prætermisit, quin tentaret nonnullos ex militibus suis in Oppidum per nocturnas insidias transmittere. Quod cum sæpius frustra tentasset, ob eas, quas circum Oppidum Alexander disposuisset, excubias, ab eo se omni conatu continuit. Nec destitit Alexander non graviter commoveri in Leonellum Estensem, qui contra jus belli & præter eam, quæ illi esse debebat cum Sfortianis necessitudinem, liberum Raymundo non solùm per suos fines transitum, sed in iis commorandi etiam facultatem præbuisset. Sed ne impune id Raymundus tentasse videretur, eum sumta exercitus parte per noctem adortus, primo congressu repugnantibus fere nullis fudit, fugavit, castraque incendit. Non multo post Colornienses militum præsidio servato, & se simul & Oppidum Alexandro permisere. Pacatis per hunc modum Parmensibus, Placentinisque rebus, magna sua cum laude Alexander huic bello per eam æstatem finem imposuit. Interea Franciscus utroque Picinino, Caroloque Gonzaga universis copiis re infecta Mediolanum reversis, post peractas frugum succisiones Castellum Sancti Georgii, de quo supra verba fecimus, totis viribus circumsedit. Id enim & muro & fossa ac multo Mediolanensium milite muniebatur, eoque confluxerat magnus hominum, jumentorumque numerus cum multa agricolarum finitimorumque supellectile. Verùm ubi triduum & telis & tormentis undique oppugnatur, obsessi demum præsentis periculi magnitudine perculsi, pace atque misericordia exorata, Francisci sese arbitrio & clementiæ tradiderunt. Quos ille, ut erat ingenio miti & mansueto, ab omni illæsos detrimento injuriaque servavit. Quo recepto mox Castillioneorum Vicum, qui inde non longe admodum abest, in prædam vertit, & Arcem, quæ Mediolanensium præsidio tenebatur, deinde bombardis aggressus, post diem quintum, ex quo die cœpta est oppugnari, in deditionem accepit. Varisini terrore permoti in fidem redeunt. Luganensibus verò pervicacius in hostium fide persistentibus Robertus Sanctoseverinas atque Vintimilianus cum armatorum millibus circiter quatuor adversùs eos mittuntur. Hi cùm primum Luganensium fines ingressi sunt, Franchino Ruscha sibi adjuncto, Johannes Nucius Cremensis, qui pro Mediolanensibus, præfectus apud illos erat præsidio constitutus, Comum illico refugit. Nostri præfecti fusis incolis omnibus atque disjectis, & magna pecorum vi abducta, omnes Vallis illius Populos, qui paulò ante ad Mediolanenses defecerant, in Francisci redire potestatem compulerunt.

Inter hæc Kalendæ Juliæ advenere, quo die Mediolanenses pro Civitatis more eum erant declaraturi Magistratum, qui primus est in Republica. Nam superioribus sex mensibus contra instituta legesque Civitatis Johannes Ossona, cujus ante meminimus, inter ceteros temeritatis suæ collegas insolentissimè arrogantissimèque præfuerat, qui cùm omnia pro animi libidine & impudentia regeret, unus omnium confidentissimus & erat & habebatur. Ob eamque rem ii omnes, qui bene vivendi ratione ducebantur, ac præcipue Gibellini atque nobiles incredibili eum odio prosequebantur. Quo factum est, ut communi quodam bonorum Civium consensu & ipse & Johannes Applanus, homo versutus & callidus, qui in eodem fuerat Magistratu collega in ea mutatione in vincula conjicerentur. Nam qui novus successerat Magistratus, etsi utramque factionem sequebatur, nobilitati tamen præcipuè favebat, cujus Magistratus principes Guarnerius Castillioneus, Petrus Posterla, & Galeotus Tuscanus, viri sane primarii. Hi plura in eo Magistratu pro Civitatis salute atque dignitate sunt aggressi; erantque quamplurimi in ea sententia; ut Civitatis imperium ad unum Franciscum Sfortiam deferretur. Sed nemo tamen inventus est, qui id in publicam concionem referre auderet: quisque enim tumultuantis vulgi sævitiam formidabat, quin potius Henrico Panicarolæ, qui per id temporis Venetiis negotiandi gratiâ agebat, publico est consilio mandatum, ut Venetum adeat Senatum, ac multis propositis pollicitationibus roget obtesteturque, ne qui uni omnium Italorum libertatem adamant ac tuentur, patiantur Mediolanensem Rempublicam sua ope atque opera à Francisco Sfortia subjugatum iri. Is quæ jussus est, diligentissimè peregit. Nam sæpius modò palam modò clam in Senatum admittebatur. Seque ad Francisci Foscari sapientissimi & invicto animo Principis pedes quamhumillime projiciebat, & ut erat homo callidus,

dus, sublatas manus ad cœlum tendens ingemiscere, flere, ac prolixa implorare oratione, ne amplius Franciscum Sfortiam suis & copiis & pecuniis adjuvent, quin potius Mediolanensem Rempublicam amplectantur, quod si fecerint, perpetuo fore Mediolanenses Venetis patribus deditissimos. Quo quidem sermone flexis ac delinitis Venetorum animis, quatuor Senatusconsulto Cives deliguntur. His data potestate, ut eum secretò audiant, & audita Decemviris renuntient. Inter hæc ex castris Marcellus quoque legatus tum literis, tum nuntiis & Senatum publicè, & amicos privatim facere certiores non desinit nulla neque ratione, neque vi fieri posse, ut Mediolanensium ditione Franciscus potiatur. Universum enim Populum incredibili in eum malivolentia atque odio exardescere, & ob id extrema omnia malle perpeti, quàm eum admittere Dominum. Itaque commemorare atque hortari, ut publicæ utilitati consulerent. Quare Henrico Panicarolæ ex sententia publica est responsum ab Urbe ne discedat. Diem enim ad deliberandum se quamprimum sumturos. Ceterum Franciscus Seprensibus confectis rebus, ac Vintimiliano cum equitibus mille, quingentisque peditibus Canturii relicto, è Castillioneorum Vico in Laudenses proficisci contendens post quinque dierum iter ad Sanctum Angelum pervenit. Id Oppidum inter Papiensium, Laudensiumque confinia positum est, & ad Lambrum pertinet amnem. Muro ac fossa peregregie cingitur, nec invalido Mediolanensium præsidio custodiebatur. Quod dum castris circumdare instituit, in his locandis Manno Barrili, qui trecentos ductabat equites, trans Lambrum facere stationes obvenerat: Hic thorace armatus, ac sublimi vectus equo in ipso fluminis transitu equi potus causâ constitit. Gurges erat ad lævam ob proximum molendinum altissimus, rapidisque vorticibus æstuans, quo in loco equus demissis ad aurem usque habenis, dum paulatim adverso flumine incedit, in gurgitem minime provisum ita præcipitanter obruitur, ut uterque una ex omnium oculis subito evanuerit. Ipse tamen equus caput continuo aqua extulit, & Mannus quoque apparuit capite in aëra manu sublata, tamquam hoc signo opem & auxilium peteret, cum repente vortices rursus equum sessoremque absorbuerint, equus mox in proximam fluminis ripam evectus est. At Mannus & armis simul & ætate gravis, qui jam annum ætatis ageret septuagesimum, in gurgitis imo retentus mortem acerbissimam oppetiit. Ita vir & genere clarus, & bellicis rebus insignis, qui tot jam annos neque gladiis neque sagittis neque jaculis ullis perierat, hac obscura indignaque via excessit è vivis. Franciscus ubi cognovit, ægerrime molestissimeque affectus, ad fluminis vadum celeriter contendit. Et quoniam aliud majus officium viro optime de se merito præstare non poterat, exanimum corpus ex aqua ejus jussu erutum, ut est intuitus, non potuit se à lacrymis Princeps humanissimus ac gemitu continere, quod eum amisisset virum, quem & fidissimum sibi semper & rerum suarum omnium ab ipso usque Sfortia patre studiosissimum perspexisset, nullumque umquam per omnem ætatem neque laborem neque periculum sua causa detrectasse. Accedebat ad rem, quod secum animo repetebat Princeps virtutis amantissimus idemque gratissimus, quanta ille semper in omni sermone gravitate uteretur & comitate, utpote ob miram ingenii dexteritatem non minus ad omnem dicendi elegantiam, quàm ad vitæ actionem mirum in modum accommodatus, quanta rerum priscarum, historiarumque memoria, ut omnia ante oculos habere videretur. Quæ secum Franciscus recensens, & querebatur acerbissime ejus casum, & quod nullum adhuc dignum suis virtutibus à se beneficium accepisset, quod in eum se propediem collaturum statuisset; cum Castellum Novum in Placentinis municipium, quod Nicolai Guerrerii fuerat, ei dono dandum designasset. Verùm quod in eum humanitatis gratitudinisque officium præstare potuit, id egit. Nam postridie ejus diei eadem qua hora perierat, cadaver ejus Papiam deferendum curavit funere quam honorificentissimo celebrandum. Quod ut rite majorique pompa fieret, Robertum Sanctoseverinatem & alios plerosque exercitus primores eodem misit. Sed ut eo, unde diverterat, nostra referatur oratio, cum oppidani de auxilio ad se mittendo diffiderent, post biduum sese atque Oppidum ipsum Francisco dediderunt. Arcem tormentis adortus ea post biduum, quo cœperat oppugnari, honesta pactione potitus est. Deinde ad eam Mediolanensis agri regionem se convertit, quam Martesanam appellant. Cumque per Laudenses iter faceret, fit ab Antonio Cribello certior, qui Arci Pisleonis Oppidi præerat, & ab Ugolino ejus fratre majore natu, qui eodem nuper è Mediolano clam confugerat, constituisse sese ejus potestati Arcem tradere. Itaque rogare, ut ad se continuo fidos aliquos mittat, quibus cum ea de re agant. Quo nuntio accepto Franciscus, ne quid cunctationis hujusmodi rei fieret, apud Laudem Veterem stativa posuit. Intelligebat enim hujusmodi deditionem esse longe magis necessariam & ad bellum maturius conficiendum, & ad Mediolanenses suam in sententiam traducendos, quàm aliam rem ullam, quæ in Mediolanensium esset potestate, cum Adduæ transitus vel Arcium vel Oppidorum præsidio maxime custodiantur, quibus ereptis, omnis subsidii spes Mediolanensibus auferebatur. Inter reliquos autem ejus fluminis transitus Pisleo magnæ est æstimationis atque momenti, & ad nocendum & defendendum in primis accommodatus. Est enim id Oppidum in Cremonensium finibus ad Adduæ ripam positum ingenti murorum & altitudine & latitudine à Philippo Duce conditum, fossa insuper maxima aquis repleta à tribus partibus. Nam reliqua pars flumine ipso ad murum præterlabente abluitur, quod quidem Oppidum Arcem habet mirabili ædificio structuraque permunitam, quæ in ipsam vergit fluminis ripam. Nam in altera quam trans Adduam in Laudensium finibus ripa est, & si longe minore est ambitu, ipsa tamen & loci situ & artificio tutissima est. Has inter Arces pons est ligneus, qui ab utraque custoditus Arce, iter præter mœnia transeuntibus præbet. Franciscus igitur ea re plurimum lætus, Johannem Caymum virum Mediolanensem sibi fidissimum

eo

eo celeriter mittit. Qui gratias ipsis fratribus ingentes agat, & ad eorum postulata quæcumque ea tamdem essent, re ipsa satisfacturum sese polliceatur. Huic Antonius, quod Francisco de Arce nomine suo esset denuntiatum, id se jampridem in animo habuisse, sed amorem fraternum fuisse in causa, ut ea res in illum usque diem esset retardata, ne quid mali in fratres Mediolanenses cum in eorum essent potestate perpetrarent. Sed cum his in præsentia frater insperato ad se venisset, quod ante de Arce instituisset, nunc perlibenter velle conficere. Itaque se Francisco non solum tradere eam Arcem, verum etiam liberos atque ipsam vitam pro ejus commodo atque gloria, si opus fuerit, expositurum. Ita (113) Arces post eum diem Francisci nomine ab iisdem fratribus tenebantur, eamque curam omnem pro ejus voluntate atque jussu gerebant. Et quoniam equites ad quingentos, & pedites circiter trecenti eo à Picininis præsidio missi in suburbio Oppidi stationes faciebant, petierunt, ut eorum capiendorum Francisco ipsi cura relinqueretur, quo oppidani possent in fide contineri. Quare à Francisco Roberto è castris clam cum equitibus mille & totidem peditibus misso, ac ex omni Cremonensi Civitate delecta juventute postridie ejus diei prima luce facto impetu illi capti sunt universi, ac bonis spoliati omnibus. Oppidani uno eodemque consensu se cuncti Francisci fidei tradidere. Ob eam rem Cribelli fratres & municipiis sunt ac pecunia largiter donati, ita ut ex parva facultate ad magnas opes fortunasque evaserint. Franciscus post ea motis castris ex itinere, Meltium in deditionem accepit, municipibus ultro per nuntios crebro claves afferentibus ac pacem miseri cordiamque orantibus. Tertio verò die ad eum Vicum pervenit, cui Mercato est cognomentum. Quem ipsum ceterosque Vicos atque agrum omnem levis armaturæ militibus permissa licentia, ubi vertisset in prædam, locis opportunis stationes posuit. Ejus autem depopulationis duplex fuit causa. Prima quia plerique defecerant ad Mediolanenses, ac pertinacius repugnarent. Altera, ut cæteri eo adducti exemplo facilius sese dederent. Erat etiam quiddam tertium, quod ea universa regione æstate proxima nullam passa segetum succisionem frumenta omnia in loca tuta incolæ congesserant, exercitusque universus frumenti inopiâ maxime laboraret. Iis autem, qui capto Vicomercato in Templum confugerant cum uxoribus ac liberis, universaque substantia misericordiam sublato clamore implorantibus liberrime ignovit, atque omnes in deditionem acceptos ab omni vi, atque maleficio prohibuit. Briantini præterea crebris vexati excursionibus in ejus redire potestatem. Eodem etiam tempore Vintimilianus è Canturio movens, eos omnes Populos, qui circum Larium Lacum incolunt, in Vallem Tellinam usque ita incursionibus assiduis contrivit, ut rursus ad Francisci imperium coacti reverterint. Soli Comenses inventi sunt, & Urbi Como finitimi, qui in Mediolanensium fide perstiterint.

Ceterum ut exercitus, qui jam prope erat exinanitus à quotidianis & laboribus & incommodis, utque languentia plurimorum corpora curarentur, Franciscus dies plures dedita opera his in locis castra habuit. Nam mensibus proximis morbida ac pestifera quædam febris graviter adeo exercitum presserat, ut quibuscumque in locis castra locata essent, in iis plurima militum corpora fuerint humata; magnusque insuper ægrotantium numerus per Oppida proxima curandæ valitudinis causa dimissus, in quibus fuerunt ex iis plures, quorum Franciscus operâ & ad suæ rei familiaris & corporis curam plurimum uteretur. Sed præcipue ex iis militibus, quos Veneti auxilio miserant, permultos vis morbi absumsit, permultosque castra relinquere coëgit. In quibus fuit Tartalia Tergestinus vir fortis, & apud Venetos existimationis non vulgaris, qui Papiæ, quo vectus est, diem obiit. Ibi præterea Christophorus Tolentinas, & Jacobus Gotholanus gravi diuturnaque valitudine impediti totam fere eam æstatem consumserunt. Per eosdem quoque dies Aloysius Vermius, qui ob acceptum apud Modoëtiam vulnus, uti supra ostendimus, exercitui diu interesse non potuerat, ubi paucis ante diebus in castra rediit, vehementissimis febribus correptus, Meltii, quo valitudinis curandæ gratia delatus fuerat, vitam cum morte commutavit. Quibus ex rebus Franciscus in summo etiam dolore cum esset, adversa tamen omnia quæcumque acciderent, æquo fortique animo ferens, nullum tempus prætermittebat, neque ad bellum gerendum neque ad cetera, quæ usui essent providenda. At posteaquam satis pro temporis angustia exercitum recreatum refectumque videt, Cassianum ducit, & Arcem, quæ in ipsa Adduæ ripa loco editiore posita est, & pontem habet, quo flumen jungitur, magnis viribus obsidet. Quam bombardis adortus, quod firmissimo Mediolanensium præsidio defenderetur, post quintum diem, quo eo ventum est, in deditionem accepit. Hæc dum aguntur, Sigismundus contractis Venetorum viribus rursus in Cremenses conversus, ad duo passuum millia ab eo Oppido constiterat. Idque omni ex parte summa cum diligentia die noctuque vexare non desistebat, quod eo studiosius curabat, quoniam intelligeret, se Venetis nihil facere posse neque gratius, neque jucundius, quàm ut Crema eorum cederet potestati. Quapropter Carolus Gonzaga à Mediolanensibus Laudem mittitur, qui suis copiis in duas partes distributis, & Laudem simul, & Cremam defenderet, atque in fide & officio contineret. Ad hæc paucis post diebus novus is Magistratus, cui commissa est summa Reipublicæ pro Civitatis more Mediolani diligitur, cui Magistratui, qui proximis mensibus præfuerant, tumultuose adeo ex eo deponuntur, ut quisque fuga saluti suæ consuleret. Quorum inter ceteros Petrus Posterla per amicorum ædes clanculum Urbe egressus in castra ad Franciscum confugit. Galeotus verò Tusca-

(113) MS. omnibus, si opus fuerit objectare periculis, & id se maximi, immortalisque beneficii loco habiturum. Quæ quidem omnia Ugolinus frater coram confirmavit. Et sic clam Johanni dixit, fratrem suo maxime hortatu post ejus adventum id cepisse consilii, ad Arcemque Francisco tradendam. Sed suo ad eam rem hortatu, à se fuisse persuasum. Ii denique fratres ita cum Johanne egerunt, ut Arces post eum &c.

scanus, qui graviter adeo ex pedibus laborabat, ut neque fugiendi, neque alicubi abdendi sui potestatem haberet, à plebeis quibusdam facinorosissimisque hominibus in inferiore Ducalis Curiæ area, quæ est media inter duas, facto impetu interficitur, ejusque ædes continuo à tumultuosissima multitudine diripiuntur. Eadem quoque homines perditissimi temeritate ac sævitia post biduum in Antonium Silvaticum usi sunt, virum sane facilem & perhumanum, ac nulli culpæ obnoxium, cujus etiam domus mox direpta est. Is enim Magistratus quasi totus ex Guelfa factione constabat, ac Plebis studia magno animi ardore sequebatur. Et utrumque Johannem Offonam & Applanum eodem die quo delectus est, missum è carcere fecit, multisque in rebus eorum temeritate furoreque utebatur, cum ipsi quoque ex ipsorum duodecim numero essent. Statuitque in primis ne quis aut Francisci Sfortiæ, aut Blancæ Mariæ nomen, nisi per contumeliam ac dedecus, usurparet; si secus quis fecerit, nece plecteretur. Panicarolam præterea, qui, ut demonstravimus, Venetiis erat, frequentissimis edocebat literis, ut de pace ac societate apud Venetos ageret, iisque affirmaret, numquam fore, ut Mediolanenses Franciscum Sfortiam in Dominum acciperent. At ille imperata quamlibentissime obibat, non solùm quod se patriæ satisfacturum intelligeret, verumetiam quod ex ea re permagna se præmia & à Mediolanensi Republica, & à Senatu Veneto consecuturum speraret. Ceterum Carolus Gonzaga, ubi de Galeoti cæde cognovit, gravi dolore iraque commotus, quod eo viro familiarissime semper usus esset, statuit eam rem nequaquam inultam relinquere. Quamobrem in Mediolanenses vehementissime inflammatus, nec minus in Picininos, quos sciret ejus scelerati facinoris non conscios modò, sed etiam auctores exstitisse, quo pacto id ulcisceretur, animo volutabat; præsertim cum existimaret id facinus ob eam potissimum causam perpetratum, ut sibi injuriam facerent. Erat enim inter eum & Picininos quædam rei militaris æmulatio, quæ utrimque in acerrimum odium emerserat. Videre insuper videbatur, nequaquam diutius Mediolanenses tantam belli difficultatem molemque perlaturos. Quare in reliquum tempus consulens rei suæ, ut Francisci animum suo sibi beneficio reconciliaret, ea omnia consilia, quæ ad consequendum Mediolanense imperium profutura videbantur, huic per Franciscum Capram tum fidissimum sibi, tum Francisco ipsi apprime familiarem patefaciebat. Quod ut apertius intelligeret, addebat, Urbem Laudem atque ejus Arcem, quas in sua haberet potestate, & ad eum jure pertinere cognosceret, se illi propediem traditurum, idemque esse facturum de Crema Oppido, ubi copiarum suarum partem haberet præsidio. In suo autem deinde fore consilio sive Cremam sibi ipsi servaret, seu Venetis traderet, quamquam videri sibi Oppidum ipsum adeo opportunum nullo pacto Venetis tradendum; cum exploratissimum diceret se habere, cum primum Veneti id Oppidum acceperint, non modò illum deserturos, sed bellum etiam inita cum Mediolanensibus societate illaturos. Et quoniam nosset in se Franciscum beneficentissimum fore, duo ab eo petere ac rogare; unum ut pars quædam Cremonensis agri municipiis suis finitima sibi concedatur. Alterum ut ceteris ejus ducibus honorifice adderetur. Quibus rebus cognitis, Franciscus ingentes agit Carolo gratias. Quæ offerebantur, jucundissimo admittit animo, seque ita in eum gratum fore pollicetur, ut collati beneficii memoriam nulla umquam delere posset oblivio. De agro Cremonensi nihil licere sibi in quemquam transferre, cum & Cremona, & Cremonensis omnis ager sit ex dotali jure Blancæ Mariæ uxoris suæ. Ceterum esse Derthonam Urbem, quæ & pluris faciunda esset, & eam se libentius ac liberius concessurum. Quod autem ad honorem & dignitatem attineret, eum se habiturum in præcipuo suorum ducum numero, & pecunia item non exigua ad se suasque ornandas copias donaturum. Quibus conditionibus Carolus acceptis continuo se indignatum in Mediolanenses ostendens, nequam adversùs se conflaret infamiæ notam, relicta Laude in sua se municipia, quæ possidebat in Cremonensibus, Francisci etiam voluntate recipere instituit, unde paucis post diebus cum suis copiis eo consilio in Mediolanensium fines reverteretur, ut Francisco ipsi se adjungeret. Et quamvis jam cautum erat per Mediolanenses, ne ulli neque Sfortiani, neque cum illis sentientes admitterentur in Urbem Laudem, tamen sic egit, quo cautius ac tutius promissa perficerentur, ut communicato cum Cæsare, Landulfoque Burrhis fratribus, qui Arci præerant, negotio atque consilio, præsidium centum à Francisco delectorum peditum è castris noctu missum in Arcem reciperetur ea lege, ut pro Francisci voluntate illa in fide servaretur. Quibus rebus perfectis nonnullos ex Civitate utriusque factionis fide & auctoritate præstantes viros, quibus & ipse plurimum fideret, & cum Venetorum imperium tum Mediolanensium jugum permolestissimum esset, rem omnem, ut gesta erat, edocuit, & honestissimas causas, quibus adductus ad id venisset, ostendit. Quod ubi omnes uno eodemque consensu non probassent solùm, sed maximas ei gratias egissent, quod suo consilio atque ope è tetra atque immani Mediolanensium tyrannide eriperentur, communi sententia constituerunt, ut cum primum ex Urbe Carolus abiisset Francisco accersito sese atque Urbem dederent. Interim Veneti neglecto atque contemto, quo Francisco erant obstricti fœdere, Senatusconsulto decernunt, neque in bello amplius pro Francisco perseverandum, neque stipendium in reliquum tempus ei solvendum, sed de pace potius cum Mediolanensibus agendum, & quod Henricus potissimum contendebat, novo fœdere societatem ineundam. Quamobrem Pasqualem Maripetrum, & Ursatum Justinianum nobilitatis Venetæ viros gravitate & auctoritate insignes idcirco ad Franciscum legatos mittunt, quod eos illi novissent amicissimos & multa familiaritate conjunctos. Legationis summa hæc fuit, ut Franciscus sese posthac ab omni vi atque maleficio in Mediolanenses abstineret. Sed ad pacem mentem animumque converteret. Nec enim dubitabant Franciscum pro animi sui modestia honestas conditiones admissurum, addiderantque, ne legati prius è Francisci castris discederent, quàm vel adhortationibus,

bus, vel terrore eum ad pacem induxissent. Verùm dum legati iter faciunt mandata exsequuturi, Veneti certiores facti ex literis Marcelli, quo cum Franciscus consilia semper omnia communicare consueverat, & de Arcium Pisseonis, Cassianique accessione, & de rebus cum Carolo transactis, confestim ad eos scribunt, ut mitius ac humanius jussa referant, veriti ne si acerbius, ut jusserant, mandata explicarent, Cremensium deditio interturbaretur, cum iis in potestatem redactis, liberius possent atque licentius imperata perficere. Ceterùm Franciscus ubi de legatorum adventu cognovit, suspicatus eos id, quod erat, allaturos, putavit nequaquam permittendum, ut in exercitum ii venirent, quod animadverteret eorum adventum rebus suis secundissimis non parum detrimenti allaturum; cum fieri nullo pacto posset, quin rumor de pace continuo & apud universum exercitum, & apud hostes ipsos increbresceret, de quibus potiundis indubitata esset exspectatio. Itaque per nuntios hortatur rogatque legatos, ut in Ripalta Transadduanorum Oppido, quod & tenebatur à Venetis, & à castris non amplius aberat septem passuum millibus, præstolarentur, ubi longe commodius quàm in castris possent hospitari, eo se in diem posterum profecturum dicit. Cum igitur eo proficisci omnino instituisset, consilium à suis omnibus improbatur, ferebaturque molestissime, ac multis ipse cum lacrymis orabatur, & obsecrabatur, ut paulo maturius consultaret, & quo pergeret, & quorum se fidei potestatique committeret. Nec sane hi absurde eum monere videbantur, quem non sine manifesto vitæ periculo viderent in Oppidum Venetorum proficisci, quos ab ejus amicitia atque fœdere rumor jam increbruisset discessuros; quin potius ejus esse & dignitatis & salutis, ut legatos circa flumen accerseret, ubi tuto esset & sine ulla suspicione eos auditurus.

Hac Franciscus suorum opinione atque metu cognito, ita loquutus est. Non se adeò rerum ignarum esse, nec ita mentis atque sensus inopem, ut eo temere concederet, ubi aliquod suæ vitæ periculum imminere posse intelligeret. At scire se Venetis patrium esse morem ac legem, ut nemo omnino neque Legatus nec Magistratus audeat quicquam vel aggredi, vel tentare injussu Senatus, si quid etiam offerretur, quod maximam foret Reipublicæ vel utilitatem vel gloriam allaturum. Certo autem scire se nihil legatos habere in mandatis, quo in sese manus injicerent, cùm non modò nulla ratione prænoscere Senatus Venetus potuisset de suo trans Adduam transitu, sed nec etiam tam subitæ infamique perfidiæ se obnoxium facere auderet. Quod si etiam legati certiorem fecissent Senatum Venetum de ejusmodi suo transitu, & ille omni divino jure, humanoque contemto, aliter esset animatus, tamen priusquam vel exiret ex Oppido nuntius, se cum suis omnibus citra flumen esse rediturum. Quibus dictis quemadmodum constituerat, cum paucis ad Ripaltam de improviso legatos adit. Ad quos ubi ventum est, hilari eos complexus facie vultuque perjucundo post pauca humanitatis benivolentiæque verba, ut quid haberent amanter hortatus coram exponerent. At ii quod ad se ita familiariter accessisset, quandoquidem dicerent, sui fuisse muneris non ibi eum exspectasse, sed adiisse potius, non modò tantam ejus humanitatem atque modestiam admirari, sed summis efferre laudibus, quod & in Senatum Venetum tam egregia fide honorificentissimoque studio uteretur, & legatos etiam quamornatissime exciperet, ita ut plane obsequentissimus, amantissimusque Divi Marci filius & dici posset & judicari. Deinde paucis Senatus jussa in hunc modum exponunt. Cogitanti sæpenumero consultantique diligentius Veneto Senatui de rebus bellicis multa de Mediolanensi hoc bello fuisse renuntiata, quod periculosius atque diuturnius quàm omnium fuisset opinio, produceretur, & ejus tamdem aliquando confectio tum dura nimis tum difficillima ac pæne supra humanas vires fore videbatur. Quapropter cum de pace agendum existimasset, cogitationes suas omnes atque consilia ea legatione significare ipsi statuisse, cum ejusmodi præsertim pacis conditiones aspernendæ non essent. Ceterum se cum iter huc facerent, res multo secundiores offendisse, quàm Venetiis ferebantur. Proinde se non de pace amplius tractandum sed perseverandum potius in bello conficiendo censere. Quare quæ sibi Senatus modò cum eo agenda censuisset, ea omnia ipsius voluntati permittere, qui posteaquam de ejus rebus prospere gestis certior factus est, non mirabili solùm lætitia gaudioque afficiatur, sed etiam plurimum congratuletur, horteturque, ne punctum quidem temporis prætermittat, quominus tantum tamque diuturnum bellum conficiatur. Ad hæc Franciscus respondit. Se cum antea semper tum maxime hoc tempore cognovisse florentissimum Venetorum Senatum omnibus fane in rebus ceteras Italiæ amplissimas Respublicas fide, integritate, justitia, ac omni denique virtute anteire. Quamobrem etsi quorumdam literis ac nuntiis illum acceperat à vetere amicitia atque icto fœdere discessurum, numquam sibi tamen persuadere potuisse, præstantissium illum ordinem quicquam constituturum, quod vel à justitia honestateque abhorreret, vel sui auctoritate majestateque indignum posset à quoquam judicari. Nec enim se latere, esse quosdam animis adeo exulceratis, ut belli conficiendi facultatem in summam vertant difficultatem, & id quidem de nonnullis aliis Italiæ Principibus sentire, & de quibusdam etiam Venetis Civibus, qui pensi decorique obliti, permoleste ferentes Mediolanensium Principatum in suam, ut justum est, devenire potestatem, iis quotidie rebus maxime studeant, quibus præsentis belli confectio differatur, interturbaturque. Verùm minime se dubitare, quin justissimus Venetorum Senatus cùm pro antiqua necessitudine, tum pro mutua officiorum magnitudine, fœderisque jure inviolata fide conventis sanctissime insistat, præsertim cum bellum ipsum jam pro suis optatis ad exitum sit prope perductum. Quæ à Mediolanensibus enim secus Adduam oppida atque municipia tenebantur, quæ quidem Mediolanensium ipsorum in eo flumine portæ sunt, præter Laudem, Tricium atque Bripium à se esse recepta omnia, eodemque modo quidquid trans Padum Ticinumque jaceret, in sua esse potestate. De Laude Urbe quid actum esset,

eos

eos non latere, ac Bripium ipsum brevì futurum sperare sese, ut in suam redigat ditionem. Reliqua hæc sola Tricii Arx, quæ etsi est munitissima, tamen cum ulteriorem Adduæ regionem Bergomenses incolant, qui Venetorum parent imperio, detrimenti sibi nihil inferre posset. Quibus rebus ita constitutis, quamfacillime effici, ut Mediolanenses undique interclusi, & omni denique auxilio ac re frumentaria commeatuque carentes brevissimo temporis curriculo ita fame atque esurie premerentur, ut ad deditionem vel inviti cogerentur. Quamquam id eos ultro facturos non dubitaret, cum mutuis inter se factionibus ac seditionibus quotidie digladientur. Facto sermoni huic fine, & Franciscus illico in castra, & legati Brixiam redeunt. At Ursatus Venetias revocatur. Pasquali, quoniam Francisci amicissimus habebatur, ob idque rebus gerendis interesset, ne Senatus injussu Brixia discedat, imperatur. Postridie ejus diei Franciscus, ut quod reliquum erat, de Laudensibus rebus conficeret, castra movens ad Vicum Culturanum, qui Meleniano proximus est, pervenit, ubi nactus idoneum castris locum stationes ponit. Inter hæc Carolus, ut fuerat constitutum, Laude, Cremaque relictis cum omnibus copiis in Cremonenses proficiscitur. Cremenses verò Caroli præsidio destituti ab exercitu Venetorum continenter acerrimeque vexati adhortationibus etiam Gasparis Vicomercati, qui Oppido præerat, ad Franciscum legatos mittunt, eum multis orantes precibus, uti & se & Oppidum in deditionem accipiat, secumque animo diligentius accuratiusque cogitet, quantum commodi ejus rebus Crema sit allatura, ubi eam in suam acceperit potestatem. Quantum etiam incommodi atque detrimenti si in Venetorum devenerit ditionem. Apud omnes enim rumor jam vagabatur, futurum, ut Veneti eo accepto Oppido, Mediolanensium partes tutelamque susciperent. Quibus Franciscus ita respondit, nullo pacto quod orassent, licere à se exorari, idque ob conventa, quæ inter se ac Venetos intercesserant. Dolere tamen majorem in modum ob singularem suam in eos benivolentiam, quod Cremensium desiderio satisfacere non posset. Quicquid enim Venetis promisisset, id cumulatissime observare, neque ulla sui emolumenti ratione ab ea sententia animum abducere statuisset. Quod si in amicitiæ conjunctionisque officio Veneti perstiterint, id quod ipse minime dubitabat, se beneficium beneficio cumulaturum. Sin minus perstiterint, ac defecerint, malle se deferendæ amicitiæ, violandique fœderis ab illis quàm à se causam initiumque profectum ab omnibus intelligi. Postero die sumto equitatus peditatusque delectu, & castris Collionis curæ mandatis ad Laudem pergit. Quo ubi ventum est, mille ab Urbe passus castra ponit. Quo ipso die à Laudensibus Civitatis primores mittuntur ad eum legati, qui postulatis omnibus liberalissime impetratis, & sese & Urbem quamliberrime dediderunt. Tum Franciscus Urbem ingressus cum summa omnium lætitia cunctis civibus deposcentibus confestim enuntiari jubet Arcis præfectis, ut Arcem quamprimum dedant. Quod ni fecerint, se omni prorsus mora sublata eam se militibus expugnandam diripiendumque traditurum. At præfecti, ut fuerat ex composito constitutum, Arcem illico dediderunt. Sfortiani pedites, qui intro, ut prædiximus, recepti fuerant, in castra per noctem redierunt. Arasmum vero Triulcium Urbis ejus præfectum, quem suis rebus adversarium semper norat, ac sibi vehementer infensum, civibus non negantibus retineri, & ad se perduci jubet. Qui ubi in conspectum venit, pauca trepidans ac pavens cum sui ipsius tum Ambrosii fratris purgandi causa locutus est. Ambrosius enim Braccianas & ipse partes secutus apud reliquos Mediolanenses, præsertim eos, qui ejusdem erant factionis, omnem ipsius Francisci, & qui cum eo sentirent causam & oppugnaverat semper, & in eam usque diem acerrime oppugnaturum sese non dissimulanter præseferebat. Sed Arasmi purgatione nequaquam admissa, eum Papiam agi, & in Arce diligenter custodiri Franciscus jubet. Interea Cremenses & Francisci responso & Laudensium deditione admoniti, cum sese Venetis dedidissent, Gaspar Vicomercatus legatorum jussu detentus, ubi bonis omnibus esset exutus, in libertatem demum restituitur. Mox Culturanum Franciscus regreditur, ubi continuo quæ deinde belli gerendi foret habenda ratio cum suis Venetorumque legato consultat. Quibus omnibus visum est, ut cunctis viribus Mediolanum propius peteretur, ac Populus ipse Mediolanensis & propinquius lacesseretur & acrius. Quibus quo major terror incuteretur, in ipsis suburbiis & ad portas usque castra firmarentur. Quod prope exploratissimum omnibus videbatur, cum in suburbiis conspiceretur exercitus, fieri haud posse, quin brevì & in Civitate dissensio, & in Populo tumultus exoriretur.

Quibus rationibus adductus Franciscus militem continuò undique contrahit, evocatque in castra. Permulti enim in hiberna concesserant. Alii valitudinis curandæ, alii reficiendi & plerique sui ornandi causa. Caroli insuper adventum instare, & magnam frumenti commeatusque vim nullo tempore interjecto comparare summa diligentia curat. Præterea ad equites mille ex transfugarum numero conducit eorum præsertim, qui rei militaris peritissimi videbantur. Singulis enim fere diebus Bracciani milites complures turmatim ventitabant in castra, quos ad hostium vires diminuendas suasque augendas perhumaniter accipiebat atque libentissime, eosque liberalissime pecuniis donabat. Coacto igitur exercitu, eoque magno equitum aucto numero, ubi comparasset dierum octo res necessarias, ad expeditionem in Mediolanum copias agit, dieque tertio ad Vicum Lambratum pervenit, qui paulo minus ab Urbe duobus passuum millibus distat. Quo in loco campis patentibus castra disponit, permagno in latitudinem spatio occupato, ex quo loco totum triduum quotidiana prœlia nunc equitatu nunc peditatu ad orientalem ipsius Urbis Portam conseruntur, & eo idcirco levia, quod à Picininis fratribus, qui & militibus & Populo præerant, parce admodum pugnandi facultas offerebatur. In quibus sane prœliis multi sunt ex nostris crebritate pilularum vulnerati, intercepti autem perpauci. Inter quos Flaschus, qui cum esset in Urbem actus, pro-

tinus in castra remittitur. Neminem enim ex militibus Sfortianis Picinini fratres in Urbe retineri patiebantur, veriti ne quid insidiarum captivi in Civitate molirentur, aut etiam qui ex suis caperentur, quod persæpe accidebat, conjicerentur in vincula. Interim verò à speculatoribus Franciscus, quos suburbiorum fossas ac munitiones, quæ ab Orientali ad Comensem portam continentur, exploratum miserat, fossam esse transgressu facilem cognoscit. Ceterum ob constructum nuper cespitibus aggerem in suburbia irrumpi non posse, neque eas esse stationes, ut sint admodum pertimescendæ; extra Urbis muros civem Mediolanensem vigilare neminem. Milites verò perpaucos ad tuendas munitiones pernoctare, nec Urbis portas ante solis ortum reserari. His rebus cognitis, post diligentem consultationem æquatasque vias, qua iter erat facturus post triduum ante lucem instructo exercitu eo proficisci constituit, atque fossarum aggerem demoliri, & ita occupatis suburbiis, castra inter Orientalem Novamque portam firmare, contraque utramque fossas atque aggerem summa celeritate extruere, quibus Mediolanenses ceteri, qui in Urbe erant, à repentina eruptione prohiberentur. Quæ quidem omnia ante lucem se perfecturum confidebat. Itaque de octava noctis hora, nam æquinoctium erat, è stationibus copiis eductis, omnes in aciem stare jubet. Cùm igitur ad locum ceteri omnes convenissent, solus Collio cum auxiliaribus copiis, quod aliquanto abesset longius à reliquis copiis diutius quàm par esset, profectionem remoratur. Dum multis à Francisco nuntiis ad veniendum solicitatur, & ille contra nonnullos se exspectare equites qui abessent à castris respondet, dies illuxit. Nec prius copiis reliquis jungitur, quàm sol exoriretur. At Franciscus etsi ea mora vehementius in Collionem commotus erat, quod solùs suis invadendæ Urbis consiliis obfuisset, tamen neque ullum perturbationis signum ostendit, neque quod animo decrevisset, intentatum reliquit. Nam cùm primum ad exteriorem eam fossam, quæ inter Novam, Comensemque portam interjacet, cunctis viribus pervenit, anteriorum ordinum equites jussi equis descendere, fossamque eam superare, quæ ad Bossiorum Molendinum dicitur, hi facile prætergressi objectum aggerem, qua minor est altitudo, summo conatu cum maximo omnium clamore occupare contendunt. Ceterum ubi ea, quæ inter utramque portam spatia ædificiaque sunt, ingenti Populi ac militum multitudine referta prospiciunt, qui omni telorum genere eminus & cominus repugnarent, nemo è nostris fuit tam audax sibi confidens, qui pedem ultra aggerem transtulerit ob frequentissimos missilium, catapultarum, pilularumque ictus, qui ex aggeris speculis torquebantur in nostros, adeò ut nemo è regione diutius uno in loco consistere auderet. Quo fiebat, ut crebro sclopetorum ingentique strepitu incredibilis mortis terror invaderet, & caliginosa fumosi veluti fulguris magnitudine aër ipse obscuraretur, confertissimisque ictibus pilularum solo undique repercusso sublatus fumi globus cœlum ex oculis tolleret, adeò ut longè terribiliora quàm essent omnia viderentur. At Franciscus intrepidè nulli neque labori nec vitæ cedens discrimini, modò huc modò illuc pergens, quæcumque pugnæ atque victoriæ usui esse possent, dicto citius providebat. Atque inter ipsos pugnantium ordines circumquaque se offerens, ne loco discederent, monebat, hortabatur, imperabat, ægriusque dimicantes graviter increpabat, ut iis qui in fossa aggereque constiterant, ubi opus foret, subsidio laborantibus advolarent. Dum verò supra duas horas in hunc modum pugnatur, è nostris multi affecti vulneribus cœpere prœlio excedere. Inter quos Bosius Sfortia Francisci frater in latus dextrum pilulæ vulnere gravissime accepto in castra delatus est. Ceterum posteaquam & qui certabant propius conari frustra, & qui aliquanto etiam eminus pugnabant, sauciari Franciscus videt, receptui cani, ac milites à pugna revocatos redire in castra omnes jubet. Nec poterat cum suis familiaribus non sæpius dolere, quod unius Collionis culpa certam ad obtinenda suburbia victoriam amisisset. Itaque non modò non suspicari, ut antea sed exploratissimum habere cœpit, ob aliam nullam causam Bartholomæum ea cunctatione ad profectionem usum, quàm ut Veneti Senatus mentem edoctus à Marcello legato interturbata suburbiorum occupatione, Mediolanensium deditionem in dies duceret. Quam quidem rem Petrus etiam Posterla, qui non multis ante diebus mortis metu, ut supra ostendimus, ex Urbe fugiens in castra se receperat, satis superque affirmabat. Nam cum ad illum usque diem cum aliis undecim Reipublicæ summæ præfuisset, & quæ Henricus Panicarola de pace deque Venetorum auxiliis ad Mediolanenses scripserat, & quæ in accipiendis conditionibus pacis Mediolanenses ad eum rescripserant, memoriter omnia tenebat. Quibus rebus Franciscus admonitus cum videret maximo in periculo suas res positas, putavit nihilo diutius cunctandum, quoad duæ potentissimæ Respublicæ in suam calamitatem ac perniciem conjungerentur. Quin potius omnibus elaborandum innitendumque & artibus ac viribus, quibus brevì Mediolanenses in suam potestatem redigeret. At verò cum his rebus diligenter & accurate operam daret, maximeque studeret, ut suburbiis noctu potiretur, à Petro quodam natione Pannonio equitum præfecto Rabothi Landechi Germani operâ, qui quidem ambo superioribus annis ab eo ad hostem transfugerant, clam duo ad se venerunt, nuntiaruntque, si mille aureos nummos ab eo acciperent, statuisse suburbii aditum Orientalis portæ, cui ipsi præerant, ejus tradere potestati. Quo nuntio Franciscus in non mediocrem potiundi suburbii spem adductus, pecuniâ, quam illi petierant, comparatâ post biduum ejus diei adire cum exercitu capereque suburbia decrevit. Sed interim accidit, ut non minus eo in capiendis suburbiis consilio falleretur, quàm priore. Redditæ enim sunt postero die Bartholomæo literæ, quibus à Senatu Veneto jubebatur, ut una cum præfectis suarum cohortium militibus reliquis apud Marcellum legatum relictis, ipse quamprimum in eorum fines concederet. Is imperata faciens, clam repentini discessus causâ Francisco enuntiatâ noctu castris excedit, & in Transadduanorum fines

fines contendit. Deinde Marcellus militum primoribus edicit, ne ullam prorsus Mediolanensibus injussu suo injuriam inferant. Nam Veneti cum primum venisse Cremenses in ditionem suam intellexerunt, repente omni divino humanoque jure una cum fœderibus neglecto, cum Henrico de pace, uti antea constituerant, secretissime convenerunt. Deinde ubi paucis post diebus Franciscum ad Urbem Mediolanum castra moturum cognoverunt, continuo omnibus iis belli ducibus, quos ei antea auxilio miserant, per literas jubent, ut relictis uno tempore copiis in locis ubi essent, in suos fines remigrarent, militesque reliquos paulatim postea ad se traducerent. Pasqualem verò Maripetrum, qui, ut diximus, Brixiæ exspectabat, ad Franciscum cum publicis mandatis redire imperant. Is festinantius confecto itinere in castra eodem ipso die adventavit, qui ad capienda suburbia dictus fuerat. At Franciscus qui jam ad Marcellum diverterat, ubi de Pasqualis adventu cognovit, quamprimum ad eum venit ea auditurus, quæ Veneti Senatus nomine afferret. Non enim subvereri non poterat, ne quid quod sibi esset incommodaturum, ejus tam celer apportaret adventus. Ejus legati hæc fuit oratio. Se sui Senatus jussu celeri venisse itinere, quòd ita rei magnitudo exposceret. Itaque se brevì explicaturum, quæ jussus fuerat. Cum diu ac multum de Mediolanensi hoc bello Senatus ipse diligentius cogitasset, quo si quid ad breve conficiendum suppeteret, id omne suppeditandum curaret, comperit multis de causis id diuturnius in dies difficiliusque futurum, neque fieri posse, ut ulla impensa aut temporis longitudine ad speratam victoriam perduci queat. Et id quidem cum propter Mediolanensium pervicaciam; (114) tum verò propter pabuli inopiam, cum ita esset totus Mediolanensis ager diuturnitate belli omnibus prope rebus consumtus, ut diutius in his locis tantus exercitus esse non posset. Propter hæc Venetorum ærarium adeo esse exinanitum ob multos gravesque sumtus mari terraque, ut neque sibi neque copiis ipsis, quas in castris ejus auxilii causa habebant, stipendia in reliquum tempus pendere possent; neque ipsis solis eas vires esse, ut suo sumtu tot copias alere, & tantam belli molem diutius tolerare possent. Quibus difficultatibus adductum Venetum Senatum Rogatorum consulto quamvis invitum ad pacem cum Mediolanensibus devenisse. Ejus pacis, quæ ad eum pertineant, has esse conditiones, ut nullam deinceps Franciscus injuriam Mediolanensibus inferat. Quod est agri tria inter hæc flumina Padum, Adduam, atque Ticinum, præter Urbem Papiam ejusque agrum, Mediolanensium sit. Reliquas Longobardiæ Urbes atque Oppida, quas adeptus sit, & Philippus in suo obitu possidebat, retineat. Urbem Laudem, & quod reliqui intra ipsorum fluminum fines habet, Mediolanensibus restituat. Pacis probandæ dierum viginti Francisco spatium sit. Ad hæc legatus adjecit, non quia res ita esset, sed ut postea cognitum est, injiciendi timoris causa, Senatum suum cum Romano Pontifice societatis fœdus percussisse. Item Alphonsum Regem, Florentinum Populum, ac Sabaudianorum Ducem socios sibi ascivisse. Si pacis fœdera Franciscus probaverit, servaveritque, pacis fœderisque beneficio ei uti licere. Sin renuerit, Venetos sociosque pro Mediolanensium salute mox arma sumturos ac propugnaturos. Franciscus non sine ingenti perturbatione animi in hunc modum legato respondit. Non se ejus adventu tam injucundum tamque acerbum sibi nuntium afferri exspectasse, quo nihil gravius præter mortem eo tempore accidere posset, neque à Veneto Senatu, quem ita coluisset, atque observasset, uti omnem spem suam omnemque salutem in ejus firmissimo præsidio posuerit, in postremo victoriæ cursu se destitui existimasse, cum nequaquam ad credendam rem tam absurdam inducere animum potuisset. Proinde non posse non vehementer admirari, atque indolere, quod nulla justa causa illud in se actum sit, quod inhumanum, quod ingratum, quodque injustum per Orbem universum judicari apertissime liceat. *Nam quis erit posthac*, inquit, *qui negare audeat, non ab honestate, non à justitia longe Venetos defecisse? non nefarium non detestandum per omnem ætatem facinus admisisse? cum Anno nondum exacto, fœdere jurejurando sancito, eorum auxilio adversùs Mediolanenses bellum suscepisset, ita repente, ita de improviso ab iis non modò deseratur, sed novum adversùs se futurum bellum enuntietur, à quibus juvari maxime atque defendi, & ad principatus jura dignitatemque perduci oporteret.* Quas ob res etsi Venetorum Rempublicam, quæ & justitiam colere, & sui imperii amplitudinem gloriamque virtute hactenus terra marique auxisse prædicatur, ea in sententia mansuram nequaquam credere poterat, tamen rogare eum atque obtestari, ita suaderet suo Senatui, ut datam fidem, promissaque servaret, cum id præsertim ad Pasqualem ipsum maxime pertineret, cujus interventu transacta ea omnia fuissent. (115) Quod ob eas quas commemorasset difficultates bellum neque brevi tempore perfici neque longo sustineri, neque diu in his locis exercitus commorari posset, rem longe aliter esse ac ipse recitasset, demonstraturum se dixit. Quod sibi exploratissimum erat, eam inesse in Mediolanensi agro pabuli copiam, quæ non uni modò sed exercitibus pluribus diu abundeque suppeteret. Mediolanensibus præterea non eumdem in sustinenda libertate omnibus esse animum. Nobilitatem fere omnem ad eum Urbe recipiendum idem sentire. Solam esse Plebem, quæ rerum imperita & à nonnullis malis perniciosisque Civibus fucatæ & subdolæ libertatis studia obstinate sectantibus novis quotidie rebus vel somniis potius nutrita in adversam partem traheretur. Pecuniæ fateri neque magnam sibi copiam suppetere, neque omnino ad necessitates perferendas deesse facultatem, neque ob eam rem cum magis in militum benivolentia quàm in vi pecuniarum speret, suis rebus umquam diffidendum putasse, neque præsentis belli victoriam utcumque res habitura foret, desperasse. Quod impensam stipendiorum, quæ sibi

(114) MS. primum, qui malunt, ut ipsi ajunt, vel magno Turcorum Tyranno, vel Plutoni etiam ipsi, sese quàm Francisco Sfortiæ permittere; tum verò &c.

(115) MS. utque jurisjurandi religionem denique pro officio, pro Dei veneratione atque pietate Veneti inviolate sanctèque servandam meminerint. Quod autem ob eas quas &c.

A fibi quot menfibus jure fœderis perfolvat, minus fe Venetum Senatum in reliquum tempus laturum dixiffet, fe pofthac eam Venetis impenfam dono remiffurum, neque ex iis umquam pecuniis quicquam repetiturum. Copias dumtaxat, quas in caftris habeat, uti in fuo auxilio pergerent, fe majorem in modum depofcere. Quod fi etiam Senatui durum atque difficile videretur, fuoque ab exercitu fegregandas, & in eorum fines revocandas ftatuerit, id fe dummodo nullum fibi à Venetis bellum, nullave injuria inferatur, æquo animo paffurum proponit, quinetiam quæcumque promififfet, fe quoad in humanis ageret, integre Venetis præftiturum affirmat.

B Ad hæc legatus. Non effe Veneti Senatus confuetudinem, quod femel Rogatorum confilio ftatuiffet, retractare. Ex quo uti ejus voluntati fe Francifcus accommodet, hortatur, quandoquidem quod Senatus ipfe decreviffet, omnino confectum iri oporteat. Quibus dictis Francifcus fic rurfus refpondit. Si fenatus omnino ita ftatuerit, ita effici velit, cum nil aliud hæc fibi oratio poftulare videatur, quàm illud, quod dici folet, *fic volo*, *fic jubeo*, non effe verbis amplius contendendum. Utrum verò propofitas pacis conditiones accepturus fit an ne, diem fe pro rei magnitudine ad confultandum fumturum. Interim literæ ad Mediolanenfes perferuntur quibus

C fiunt à Venetis & ab Henrico de compofita pace certiores. Quo nuntio accepto, quod protinus fe eò bello liberatum iri exiftimabant, magna omnes lætitia replentur. Proinde ignibus, campanarumque fonitibus cum frequenti bombardarum, fclopetorumque concrepitu tota Urbe, & in his maxime locis, è quibus caftra profpiciebantur, conftitutis, tota Civitas per plateas, forumque effufa fummum in gaudium converfa eft. Nam partim ipfa animi voluntate, partim metu, ne allatum de pace nuntium dolenter ferre fufpecti efficerentur, omnes eodem vultu lætari videbantur, & nifi hoftes abirent, multa fe in eorum perniciem facturos

D jactabant.

Hæc ubi in caftra deferuntur, multa Venetos per opprobria Sfortiani milites appellare, eorumque copias, quæ in caftris erant, mox diripiendas dicere cœperunt. Francifcus ftatim ne quis ullam Venetis contumeliam ullamque eorum militibus injuriam faciat, capitali pœna præconibus pronuntiari jubet. Sed magna affectus folicitudine non amplius in iis locis commorandum putavit. Unius diei moram eo interponendam exiftimavit, ne fuus inde difceffus fugæ fimilis videretur. Nam cùm, fummum ceteris gerendis rebus ftudium omni tempore adhiberet, id maximè femper curæ habuit, ut ejus

E nomen non folùm invictum, fed & omni turpitudinis nota vacuum foret, quod fi belli gerendi auctoritatem augere non poterat, nulla re tamen malè gefta minuere volebat, nihilque quod vel ad ignaviam fibi vel ad imprudentiam afcribi poffet committere. Verebatur enim ne fi Mediolanenfes Venetis rebus elati in caftra eruptionem facerent, Veneti quoque milites, tum, ut eo quo tenebantur, metu liberarentur, tum prædæ abducti cupiditate in eum arma caperent, ita ut uno tempore non tam cum hoftibus, quàm cum amicis atque domefticis fibi confligendum foret. Eo igitur biduo exacto in Culturanum Vicum rurfus exercitum reducit, neque in tanta rerum commutatione animo deprimebatur, neque publicè ullam in vultu triftitiam oftendebat, fed animo infracto, quæ ufui erant, impigrè obibat. Quod profecto Marcellus, qui rerum admodum curiofus diligenfque fpeculator erat, plurimum admirabatur, ac fummam viri prudentiam animique magnitudinem in omnium confpectu laudare prædicareque non ceffabat. Ceterum in eo itinere hoc auxiliaribus copiis accidit incommodi, quod à noftris præter Francifci voluntatem & diffipatæ funt & rebus ferè omnibus uno tempore fpoliatæ. Ejus rei hæc fuit caufa. Nam fimul ac noftros infenfo in Venetos animo viderunt, territi quæque fibi cariora clam ad amicos comportabant, ut fi quid forte fibi eveniret adverfi, in tuto effent. Dein, ut fupra demonftratum eft, ducibus Venetis abfentibus in Tranfadduanos trajiciendum fibi conftituerunt, & paulatim ex itinere Ripaltam proximum Tranfadduanorum Oppidum profugere cœperunt. Quod ubi à nonnullis de exercitu animadverfum eft, continuo inter turmas de fuga clamore fublato imperatoris injuffu, omnes non modò, qui fugæ fe mandarant, fed qui in acie adhuc erant, comprehenduntur, armis, equifque exuuntur, impedimenta diripiuntur, magnufque fugientium numerus ad fluminis ufque Adduæ ripam infequentibus levis armaturæ militibus denudatur. Acceffit ad hæc quoque, quod cùm eodem die Matthæus Campanus ex Rofate, ubi præfidii causâ per eam æftatem fuerat, in Tranfadduanos iter faceret, pars militum longius à reliquis progreffa, hos in tumultus incidit, moxque in prædam verfa eft. Quod ubi intellexit Campanus, iter ftatim cum reliquis avertit, Mediolanumque fe recepit, dieque poftero, uti conftituerat, in Tranfadduanos profectus eft. At Francifcus, qui ut confueverat, cunctos militum ordines anteibat, ubi poft terga mifceri hæc cognovit, totumque deinde exercitum tumultuantem vidit, gravi incenfus ira plerofque non exiguæ auctoritatis viros, quos penes fe habebat, hac illac confeftim mittit, qui fuos à Venetorum militum injuriis prohiberent, atque erepta reftitui curarent. Ipfe ubi tumultus major eo celeriter defertur, ac magna claraque voce omnes graviter increpat, ejus adventu deprædantium temeritas furorque reprimitur. Ablata deinde non tam quæ reperta funt, reftituenda, quàm ea, quæ occultarentur, perquirenda diligentiffimè curavit, principefque admiffi fceleris comprehendi juffit, ac de iis, quo forent ceteris documento, fupplicium fumfit. Interim legati, ubi tot injuriis totque detrimentis Venetam aciem immerito affectam exagitatamque intuentur, graviter dolere, magnis vocibus queri, & infignem fuorum calamitatem lamentari non definebant. Quinetiam gravi metu perculfi, cùm non abfque Francifci voluntate id effe factum fufpicarentur, de propria falute jam dubitare cœperunt. Sed pofteaquam militum incolumitati celeriter ab eo provifum, ac in fontes graviter animadverfum eft, facile funt & dolore levati, & ea fufpicione formidineque liberati. Poftridie

die autem ejus diei Marcellus impetrata abeundi potestate omnibus Venetorum copiis, quæ nondum ab exercitu discesserant, per Laudensium pontem in Cremenses trajecit: quo cùm tutelæ gratiâ Franciscus, ne quam à suis injuriam milites Veneti acciperent, quinque à castris passuum millia processit. Is hesterno adhuc timore territus nullo intermisso tempore non prius ab itinere restitit, quàm Veneto exercitui, qui in Transadduanis erat, se adjunxit. Deinde & Marcellus ipse & Andreas Dandulus alter Venetorum legatus jussu Senatus distributâ non tam in eos, qui bello Mediolanensi versati bona amiserant, quàm in milites reliquos pecuniâ, ut omnibus rebus, quæ bello usui sint, se quamprimum resarciant, atque ornent, summo studio curare instareque cœperunt. Quod ubi Franciscus rescivit, nova est cura pressus, cùm satis apertè id futuri belli esse initium constaret. Simulare tamen quamdiu fieri posset cum Venetis, eosque in benivolentia continere, optimum esse judicavit. Quod si mensis mora intercederet, priusquam ab iis sibi bellum inferatur, ita se suis rebus consulturum confidebat, ut neque de ipsorum potentia multum sibi timendum foret, neque de obtinendis Mediolanensibus dubitandum. Proinde Pasqualem qui earum rerum causâ, quas Senatus illi conficiendas mandaverat, mansurum se in castris dixerat, apud se, quoad liceret, habere constituit. Venetias præterea Alexandrum fratrem, qui adhuc in Parmensibus erat, Angelum Simonetam, & Andream Biragum legatos mittit, qui eadem Senatui referrent, quæ ipse Pasquali respondisset. Et quamquam confirmandæ pacis potestatem dabat, tamen iis ita præscribit, ut nisi rursus ejus voluntate vel literis vel nuntiis ea in re cognita, ad probandam pacem nequaquam deveniant, sed à Venetorum tamen amicitia simulando quoad possint, non discedant. Quod cum magno à se Mediolanensibus reddendæ Laudis desiderio tenerentur, non difficile futurum arbitrabatur. Ceterum Mediolanensibus, Venetorumque legato assiduè enixèque petentibus (116) inducias dierum viginti cum haud mediocri Mediolanensibus ipsis detrimento futuras intelligeret, facilè à se impetrari permisit. Nam cùm per id temporis frumenti cibariorumque aliorum quidquam Mediolanum importare liceret nemini, ac exploratam se Mediolanenses pacem habituros, eaque propediem uti posse proculdubio sperarent, eos ferendi cupiditate ac necessitate per autumni tempus compulsos majorem tritici partem, quam proxima æstate perceperant, quamprimum agris consumturos non dubitabat. Exhaustis per hunc modum horreis, non multo post Mediolanensem Populum ad maximam annonæ penuriam calamitatemque deventurum judicabat. Nec eum fefellit opinio, quod firmatis pronuntiatisque utrimque induciis, tanto Mediolanenses serendi studio exarserunt, ut nihil sibi spe futuræ pacis præter paucorum dierum triticum reliqui fecerint. Interim cùm duæ omnino Arces ad Adduam positæ in Mediolanensium potestate relinquerentur, quarum altera Tricinum, altera Bripiensem, uti demonstratum est, in eo flumine aditum custodiunt, liberumque Venetis transitum ea Mediolanensibus auxilia ferre volentibus præbere eo tempore poterant, statuit Franciscus omni industria atque arte utramque hostibus transeundi facultatem præripere. Nam armis duobus locis uno tempore occupatus, Mediolanensium Venetorumque viribus non diu resistere posse intelligebat. Sed præstare plurimum sibi visum est, rem Tricinam, de qua jam cum Arcis præfectis agere cœperat, quos haud difficiles invenerat, quàm Bripiensem providere, cum neque Tricinæ expugnandæ Arcis tum propter loci naturam tum propter munitionis magnitudinem facultas aut tempus erat, neque quod apertissimos Tricini cis Adduam habent campos, eà transitu Venetorum exercitum prohibere posse videbat. Per Bripiensem verò ne transeant, aditum facile se armis repugnaturum confidebat. Dat igitur operam, per eos Arcis negotium confici, quos cum præfectis colloquendi causam habere cognoverat. Ejus Arcis cura Bonifacio, Ricciardo, Roberto, & Isopino, germanis fratribus ex Villana familia fuerat à Mediolanensibus tradita. Quorum familiaritate Johannes, Stephanus, Joffredinusque Marliani fratres per id temporis Meltii agentes plurimum utebantur. Ex quo ita factum est tam ipsorum quam Roberti Sanctoseverinatis, quem hac de re eo Franciscus secretò miserat operâ, multis propositis præmiis, ut Mediolanensium Venetorumque copias ea trajicere flumen conantes, dum bello certaretur, præfecti transitu prohibeant. De Arcis verò deditione nihil se præstare posse dixerunt, veriti ne quid Mediolanenses gravius in Ricciardum fratrem, qui pæne obsidis loco Mediolani distinebatur, ac in reliquam familiam propinquosque suos agerent. Quam tamen Arcem, se, ubi Urbe Mediolano potitus fuerit, mox dedituros pollicentur. Legati interim Venetias profecti, Senatum ad quæque Francisci postulata non inexorabilem modò comperiunt, sed ut initam à se cum Mediolanensibus pacem approbent, quotidie magna importunitate requiruntur. Illi qui nihil mandatorum præterire proposuerant, oportere se novum à Francisco habere præceptum, idque propediem exspectare respondebant. At Senatus, ubi diem ex die duci videt, legatis per quemdam cujus ipsi amicitia utebantur, enuntiari jubet, nisi pace probata nequaquam Venetiis esse abituros, quinetiam brevì in vincula conjiciendos. Qua re credita, Alexander quanto in periculo versentur, collegis demonstrat, utque incolumes abeant, pacem confirmandam persuadet. Quo facto statim noctu Venetiis discedentes celeri itinere Ferrariam perveniunt, moxque de iis Franciscum certiorem faciunt. Quæ ubi intellexit, vehementer indoluit, ac peracerbe Alexandro collegisque succensuit. Nec minus Pasqualis quod metu à mandatis excessissent, graviter incusabat. Is enim quamvis esset Venetus, suæque Reipublicæ legationis munere fungeretur, tamen id quod Senatus de pace cum Mediolanensibus egerat, &

(116) MS. Quam quidem rem Mediolanensibus, Venetorumque legato assidue enixeque petentibus, placuit ei inducias dierum viginti indicere. Quam quidem rem tum haud mediocri Mediolanensibus ipsis &c.

& à Francisco defecerat, semper eum quamgraviter incusabat. Senatoresque ejus pacis auctores maledictis insequebatur, quinetiam Franciscum uti in bello persequi perseveraret hortabatur, quod ejus prudentia atque virtute Venetis etiam invitis victoriam consecuturum speraret.

Explicit Liber Decimusnonus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUS.

CUm esset de pace Venetiis suis à legatis probata Franciscus certior factus, idque molestissime ferret, rem in consilio communicat. Qua diu multumque à plerisque è Papiensi Gymnasio evocatis in castra viris sane Civilis Pontificiique Juris peritissimis disputata, num jure eam pacem servare obstringeretur, omnium sententiâ legati graviter errasse accusantur, consentque peritiores, in manibus Francisci esse, an pacem servare velit, cujus approbationem & injussu suo, & metu legatorum factam plane constaret. (117) Itaque statuit aperto bello cum Mediolanensibus contendendum, & Venetis, si ferre iis auxilium conarentur, totis viribus obsistendum, quod non difficulter à se fieri posse intelligeret. Nam cùm unus omnino Bripiensis in Addua flumine aditus, ut supra ostendimus, in hostium potestate relinqueretur, facile se illos eo transitu prohibiturum, ac per eam hyemem Mediolanenses frumenti inopiâ in deditionem redacturum confidebat. Dum hæc aguntur, & dies induciarum prætereunt, & Franciscus Picininus morbo correptus Mediolani moritur, mortis hæc causa. Fugientibus singulis fere diebus equitibus permultis, nam turmatim, ut in superiore commentario docuimus, ad Franciscum confluebant, tanto dolore affectus est, ut in gravem incideret ægrotationem, qua ad hydropem postea incurabilem morbum deveniens, dies paucos supervixit. Ejus loco jure fraterno successit Jacobus Piccininus, Braccianorumque militum, qui Mediolani erant, communi omnium consensu curam suscepit, & à Mediolanensibus & ceteris copiis præficitur. Præstabat enim fratri & corpore & animi virtute plurimum, quod invalido ille & segni esset corpore, & animo ignavo, sed ingenio malo pravoque, ceterum in elargiendo liberalis. Jacobus verò parcus tenaxque habitus. Franciscus bellicis negotiis dies noctesque intendens, rursus omnibus ex partibus Mediolanenses quantum antea numquam lacessendos frequentibusque incursionibus infestandos jubet. Dein cùm intellexisset Sigismundum, Venetosque legatos, exercitum quem plures jam dies in Transadduanis habuerant, hibernandi causâ in Bergomensem, Brixiensemque agrum distribuisse, hiememque subesse videret, optimum fore judicavit, suum quoque exercitum, ut se à laboribus incommodisque aliquantulum reficeret, in hiberna dimittere. Itaque omnes copias partim per proxima Mediolano municipia atque oppida dividit, partim circa Adduæ ripam disponit. Aliquot in Briantinos mittit, quibus Johannem Sfortiam fratrem præfecit. Huic præcipue mandavit, ut omnes per aditum Bripiensem Mediolanum ire conantes transitu prohiberet. Quod si toto exercitu Sigismundum eo iturum cognoverit, eodem se confestim omnibus copiis subsidio accessurum affirmat. Ipse verò è Meleniano, quo se multis ante diebus contulerat, discedentibus copiis Laudem proficiscitur. Pasqualis legatus, ubi non amplius commorari sibi apud Franciscum licere videt, rursus eum, ut in bello persisteret, hortatus, tamquam is, qui male de Venetis sentiebat (nam neque se continere poterat, quin eos interdum homines diceret fustuario dignos) Venetias regreditur. Franciscus, cùm de alendo per hyemem exercitu cogitaret, comperit à remotioribus locis frumentum comparari oportere. Proinde magnam frumenti, ceterorumque cibariorum copiam tam ex Cremonensi, quàm Mantuano, Ferrariensique agro Laudem, qui locus visus est ad eam rem opportunissimus, flumine Pado Adduaque subvehi conferrique studet. Simulque dat operam, ne quid eorum quæ ad hominum usum pertinent, Mediolanum importaretur. Quæ sint insuper Venetorum consilia, qui etiam ipsorum ducibus ad ferendam Mediolanensibus opem sit animus explorare summa diligentia curat. Nam cùm in bellis gerendis adversariorum consilia præscire, atque antevertere, non perutile modò, sed necessarium judicaret, maximam per omne tempus ei rei operam atque curam adhibuit. (118) Reperiebat autem statuisse Venetos regionem eam omnem præter Papiensium agros, ad liberandos frumenti inopia & confinium angustia Mediolanenses, bello infestandam, ac è Francisci manibus eripiendam, quæ est inter Padum, Adduam, atque Ticinum posita. Quæ ut supra demonstravimus, icti nuper fœderis jure Mediolanensibus restitui debebat. Reliquis verò Civitatibus atque Oppidis, quibus Franciscus imperaret, nullam injuriam inferendam. Nam ubi eum in bello perseverare acceperunt, metuentes ne ipsis etiam invitis Mediolanensium imperio potiretur, non omnino ab ejus amicitia discedendum censebant, cum satis honori suo fecisse judicarent, si ea, quæ nuper Mediolanensibus promisissent, curarent. Ducibus autem Venetorum in concionibus quotidie versantibus, ut quo consilio præsenti Mediolanensium necessitati atque peri-

(117) MS. Itaque cum totus mente animoque opprimendis, subjugandisque Mediolanensibus insisteret, ei visum est, non amplius cum Venetis simulandum, sed aperto bello &c.

(118) MS. Neque cum de commodo, de honore, ac plerumque de communi salute certaretur, ulla ad eam rem conficiendam parsimonia utebatur. Nec animo conquievit, donec plane intellexit, statuisse Venetos &c.

periculo subvenire consulereque possent, decerneretur, reperit esse in animo, aut per Tricinum, aut Bripiensem aditum Adduam transire; magnam vim frumenti nullo tempore omisso comparare, & in Bergomenses comportari jussisse, quod transeuntibus ipsis cum exercitu Mediolanum statim importari posset, esseque ad eas res conficiendas non multis post diebus ex hibernis toto exercitu educturos. Præterea quo Venetorum viribus facilius resistat, & auxiliorum aliquid Mediolanensibus detrahat, conducere admodum existimavit, pacem & amicitiam cum Ludovico Sabaudianorum Duce firmare, quod ea firmata multum ex hostium auctoritate in ea præsertim Venetorum defectione diminutum, suæque additum existimationi fore intelligebat, & quas in Taurinensium frontibus copias reliquisset, ad se confestim revocare posse, neque quod ea de pace sibi proposuerat, difficile futurum arbitrabatur. Nam Ludovicus post acceptam Novariensem cladem neque fugatas denudatasque copias refecerat, neque novum delectum ad instaurandum bellum coëgerat. Et quamvis Albertus Carpensis ad eum profugisset, non tamen Francisci fines invadere ausus est, quippe qui suis diffisus viribus de pace magis quàm de bello cogitabat, sed tentare hostis animum, quem bello temere lacessiverat, erubescebat. Hæc cum ita essent, Bartholomæum Vicecomitem Novariensium Episcopum & Prætorem Johannem Angelellum Bononiensem ad eum de pace legatos mittit, qui cum ad eam rem & Amideum patrem & Ludovicum filium faciles invenissent, sic egerunt, ut pax & amicitia inter eos sit, & parti utrique quod altera in alterius finibus possideret, retinere liceat. Quibus ex conventis factum est, ut Oppida complura atque Castella, quæ in Philippi obitu Sabaudiani in Papiensibus, Alexandrinis, atque Novariensibus occuparant, possidentibus ipsis relinquerentur. At Franciscus etsi non absque magna offensione animi suis ex finibus ditioni alienæ quicquam suo consensu adjici patiebatur, tamen ut præsenti bello liberiore animo majoribusque viribus intendere posset, quæ legati transegerant, non improbanda putavit. Nam sæpe dicere solebat, prudentis esse in rerum humanarum casibus aliquid de suo interdum amittere, quod ex usu sit suo; & ad conficienda bella, quæ cum pluribus gerenda viderentur, non esse imperatori uno tempore cum omnibus contendendum, sed cum alio pacem ineundam, inducias cum alio faciendas, & bellum cum tertio gerendum. His omnibus confectis rebus tam, ut quid agerent hostes, facilius cognoscat, quam ut iis locis, quibus Adduam, ut supra ostendimus, transituros arbitrabatur, propinquior sit, Cassianum proficiscitur.

Dum hæc aguntur, Leonardus Venerius à Venetis Mediolanum legatus mittitur. Is cum nullo itinere eò se tuto conferre posset, ad Franciscum rogatum mittit, ut ejus sibi voluntate Mediolanum proficisci liceat. Franciscus etsi satis animadvertebat illum Mediolanensibus suasurum, ut se libertatemque tuerentur, ac multa magnaque Venetos pro eorum salute & ad propulsandos hostes propediem subsidia missuros, idque rebus suis nonnisi detrimentosum fore intelligebat, tamen hæc non multi existimans, ubi res non in legationibus mittendis, sed in viribus consisteret, peragere cœptum legato iter permisit; seque ei non ignorare, quid apud Mediolanenses acturus esset; neque vereri tamen sua præsentia diutius Mediolanensem Populum nutriri posse, ubi frumento non verbis egeat, renuntiari jussit. Per eosdem dies duos in Addua pontes Venetorum duces faciendos constituerunt, alterum sublicium apud Bripium, alterum lintribus apud Tricium, (119) ædificiaque insuper, quæ extra Oppidum sunt, fossa valloque munire cœperunt. Quibus de rebus cum esset Franciscus certior factus, cœpit de præfectorum Arcis fide subdubitare. Et ne ea, quæ circa Tricium fieri cœpta esset ab hostibus, munitio, ubi castra locaturos perspiciebat, perficeretur, celeriter obstandum putavit. Cum autem eas, quas Cassiani habebat copias eo mitteret, per præfectorum nuntios renuntiatum est, ne timeret quæ Veneti ad Tricium agerent; inanem eos laborem capere, propterea quod quæ pridem ei promisissent, inviolate servare statuerant. Qua quidem re cognita Franciscus bono animo esse cœpit, copiasque statim ex itinere revocare, neque hostes postea in opere persequentes turbari à suis permittere. Inter hæc Firmus Landrianus Mediolanensis Tricinæ alterius minoris Arcis præfectus, quæ trans Adduam pro ejus pontis tutela, de quo supradiximus, constructa fuerat, ad Franciscum de ipsius Arcis traditione clam mittit. Simulque proponit. consuesse singulis fere diebus Sigismundum, cui summa imperii bellique gerendi commissa fuerat, eo sese conferre ejus curandi operis studio, quod ad pontem & ad suburbia fieri mandaverat, quo una Leonissanus, Collio, Christophorus Tolentinas, Tibertus Brandolinus, Jacobus Gotholanus, ac Venetorum, Mediolanensiumque legati sæpe commeare solebant. Hos uno tempore Arcem ingressos, qua transire oportebat, nullo negotio comprehendi posse demonstrat. Verùm ad eam rem conficiendam peditum centum opus esse præsidio, quos ad eorum usque illo reditum abditos in Arce habere volebat. Franciscus centum delegit pedites, quos & fideles, & animo & corpore præstantes cognoverat. Quibus Marcum Leonem & Johannem Grandem Mediolanensem, viros fortes, & magnum rei militaris usum habentes præfecit. Hi ad Firmum per noctem proficiscuntur, & in Arce, ut erat constitutum, abduntur. Ubi cum triduum mansissent, ac duces simul, ut solebant, eo rediissent, ac eorum nemo Arcem ingressus esset præter Innocentium Cottam ex Mediolanensium legatis alterum, visum est eis Innocentium ipsum esse comprehendendum. Nam satis erat exploratum propter suspicionem, quam de utriusque Arcis præsidibus habebant, nullum ex ducibus ea rursus esse transiturum. Itaque Innocentius capitur, & ad Franciscum perducitur. Ex eo multa exquirendo de Mediolanen-

(119) MS. Quod eum Pontem, quem quondam ibi ingenti mirabilique structura ad Tricium Bernabos Vicecomes ædificarat, à Francisco Carmeniola fortissimo belli Duce, cum Arcem oppugnaret, rescissum fuisse constat, ædificiaque &c.

lanensibus deque Venetorum consiliis cognoscit, gravius in dies Mediolani frumenti penuria crescente Sigismundum intra dies paucos exercitum omnem jussisse ad Adduæ ripam convenire, moxque eo ponte, quem ad Bripium Veneti ædificarant, in Mediolanensium fines trajicere, ac sese cum iis copiis, quæ Mediolani erant, adjungere constituisse, & ob eam causam Innocentium ipsum communi Civitatis suæ consilio ad Sigismundum missum. Erat autem Innocentius Cotta eo tempore, & apud Mediolanenses, & apud Venetos magnæ auctoritatis, tum quod ingenio erat callido, & pro tuenda conservandaque libertate adeò graves fecerat sumtus, ut æs magnum alienum conflasset, tum quod nullis non tam diurnis quàm nocturnis laboribus parceret, nullumque periculum pertimesceret, tum etiam quod præter ceteros Mediolanenses Francisco ejusque nomini, atque conjugi acerrimum semper inimicum se per omnem contumeliam ostendisset; quod Braccianos pecunia, ope, opera, quantum pro facultate poterat, juvisset; quod parti Venetæ modestiore quodammodo favere non cessasset. Nam Mediolanenses suapte natura, uti prædiximus, Venetum nomen semper odere. Quibus in conficiendis rebus Ambrosium Triultium socium adjutoremque habuit. His cognitis Franciscus eum Laudensem in Arcem custodiendum misit. Et quoniam unum omnino Sancti Columbani Oppidum, quod est inter Papiensium, Laudensiumque fines positum in Mediolanensium potestate ea in regione relinquebatur, cujus Oppidi Arx, quæ munitissima est, non multo ante tempore Innocentii ipsius curæ commissa fuerat, non putavit Franciscus oblatam recipiendi Oppidi occasionem retardandam. Scripsit igitur Ciccho Simonetæ, quem Laude non tam rem frumentariam ac cetera omnia, quæ usui erant, curaturum, quàm ejus Urbis saluti provisurum reliquerat, ut Innocentio enuntiaret, nisi statim Arcem traderet, eo supplicio in fratris conspectu necaretur, quo latrones necari solent. Servabatur enim Arx à Lucio Cotta ejus fratre. Quibus verbis perterritus Innocentius fratri persuasit, ut nulla cunctatione pro suæ salutis commodo Arcem Francisco traderet. Lucius fraternæ vitæ periculo permotus Arcem dedidit. Per hunc modum Franciscus & Arce & Oppido uno tempore nulloque negotio potitus est. Cùm autem quæ ex Innocentii sermone de hostium consiliis intellexerat, & à plerisque aliis confirmarentur, statuit nulla cunctatione interposita reliquas copias, quas ex hibernis nondum eduxerat, quam propius posset, & apud se & apud Bripium cogere. Itaque partim in Briantinos proficisci, partim in Vicos Cassiano proximos convenire jubet. Nam etsi sub ipso hyemis tempore magnis continuisque frigoribus omnes afficiebantur, tamen ad gerendum cum Venetis bellum pro tam insigni paulò ante illata suo imperatori injuria nemo erat, qui non eo promte atque alacriter proficisceretur, ac frigoris incommoda, pecuniæ indigentiam famemque facile toleraret, non laborem quantumvis gravem fortiter sustineret. Cùm se præsertim pro sui ducis dignitate atque gloria pugnaturos non ignorarent, quem non secus atque vitam ipsam & colerent & observarent; jussit eos tamen milites in hibernis permanere, quos in Castella atque Oppida Mediolano propinqua distribuerat, qui Mediolanenses quotidie infestarent, ac ne extra Urbem vagarentur, & ne quicquam earum rerum importaretur, quibus eos prohibere possent, propemodum curarent. Deinde speculatores delegit certos, à quibus varias in partes dimissis de iis, quæ hostes agerent, fiebat quotidie certior. Nam & inter ipsos hostes eos habebat exploratores, quos nihil eorum fere consiliorum latebat. Nec multis post diebus ad vigesimam circiter diei horam renuntiatum est ei frequenter hostes omnibus copiis Bripium versùs maturare. Qua re cognita Franciscus accersitis quamprimum iis omnibus, quæ proximæ erant copiis rebusque opportune ad profectionem paratis de secunda noctis hora, quæ nox erat Natalis Domini, è Cassiano movet, totamque eam noctem non prius ab itinere destitit, quàm prima luce ad Calcum Montem pervenit, qui mons mille & quingentos circiter passus distat ab eo ponte, quem in Addua ad Bripium, uti demonstratum est, hostes confecerant, quo in loco Johannes frater & Vintimilianus cum reliquo exercitu in armis exspectabant. E regione verò Montis hujus Mons est alter multo editior, quem Sanctæ Agnetis appellant. (120) Is ad Adduam pertinet, & ab ipso ponte passibus mille non longius abest. Hi Montes quamdam inter sese convallem efficiunt, quæ à flumine initium facit, qua recta Mediolanum itur. Ex itinere autem cùm summum Montis jugum crebris magnisque ignibus collucere prospiceretur, percontanti Francisco causam, quæ tantos ignes excitaret, responsum est, fieri ab iis, quos Johannes ad muniendum custodiendumque montem misisset. Quo responso levatus metu, jucundo ac forti in hostes animo proficiscitur. Pertimuerat enim, ne ab hostibus capto monte ignes suscitarentur. Sed admodum brevis fuit usura falsi gaudii. Nam ubi Calcum venit, comperit montem non à suis, sed ab hostibus nocte eadem occupatum teneri; pedites tam qui ad radicem, aditumque, qui ad Adduam pertinet, quam qui dorsum Montis à Johanne custoditum defensumque missi fuerant, partim captos, partim fugatos ex improviso fuisse, omnemque Venetorum peditatum, cui præerat Matthæus è Sancto Angelo ad Vadum natus patriâ, flumen transisse, & in summo montis fastigio constitisse. Quare non minus universus exercitus, quàm Franciscus ipse gravissima solicitudine perturbantur. Accedebat ad id etiam, quod sole exorto totus Mons multitudine hostium compleri, & in eorum conspectu teneri cerneretur. Accusabat Franciscus peracerbe præfectorum in providendo negligentiam. Accusabat quamgraviter militum in repugnando inconstantiam atque ignaviam. Querebatur, quod ubi ante exploratam sibi de Mediolanensibus victoriam proposuerat, nunc se per ancipiti belli eventu decertaturum videbat; quod eo res erat ob montis amissionem ad-

(120) MS. propterea quod in ejus vertice constructum est Templum suo nomini dicatum. Is ad &c.

adducta, ut in maximo esset periculo posita, propterea quod is mons editissimus est, ascensuque difficilis, collesque habet plures, qui multas in partes in Briantinos vergunt: unde & infestare regionis homines, cùm Vicos locis patentibus cohabitent, & depopulari eorum agros facile hostes poterant, seque cum Mediolanensium copiis non multo labore conjungere. Quibus ex rebus animadvertebat non diu regionem in fide contineri posse. Quæ cùm solicitantibus undique hostibus deficeret, ei necesse erat iis omnino locis excedere, omnemque Briantinorum oram in hostium potestate relinquere. Sed omnia prius experiri ac perpeti volens, milites exhortatus, statuit tentare fortunam, si hostes, qui montem tenebant depellere posset. Itaque Robertum Sanctoseverinatem & Honofrium Ruffaldum Senensem cum sex turmis ac peditatus parte eo celeriter proficisci jubet, & quid fieri velit, ostendit. Interim renuntiatum est, qui jam toto exercitu ad pontem convenerant, flumen transire cœpisse simulque eodem tempore, qui sub monte erant, magnis clamoribus in vallem descendere aspiciebantur. Franciscus equites atque pedites delegit, quibus tantummodo curæ laborique foret, ita hostes è monte venientes reprimere, ut non modò in planicie consistere, sed ne pedem firmare, aut fines attingere possent. Deinde partem equitatus adversùs eos, qui flumen transierant, immisit. Animadvertebat enim aperte hostibus esse in animo iis sese, qui montem tenebant, adjungere, & inter planiciem montisque radices iter facere, atque hoc modo auxilia, quæ è Mediolano exspectabant, sibi adsciscere. (121) Hostes qui pontem transierant, cum nostrorum impetum diu ferre non possent, terga vertere coguntur, atque præcipites in fossas Arcis flumenque repelluntur, quibus Arx magno fuit adjumento. Nam permulti in nostrorum manibus remansissent, ni è muro telorum multitudine frequentibusque bombardarum ictibus defensi fuissent, quod propter aditus angustiam cuncti unum in locum ita se contulerant, atque glomeraverant, ut alter alteri impedimento esset. Qui verò è monte descenderant, itidem repulsi, ac unde digressi fuerant, redire coacti sunt. Robertus imperata faciens, longo circuitu arduoque tamdem ascensu montem superat, parteque jugi pæne sero repugnantibus hostibus vi potitur. Quo successu eos qui reliquam dorsi partem tenebant, lacessere urgereque cœpit. Hi ubi vident in montis planicie equitum furori resisti non posse, in culmen montis, quod est reliquis partibus eminentius, cursu se recipiunt, quo in loco, ut docuimus, situm est Agnetis Templum, ubi pro tempore satis se munierant. Hos nostri ad muros insequentes loci iniquitate expugnationi insistere non possunt, quod tum hastis cominus, tum eminus lapidibus atque jaculis de superiore loco à tanto peditum numero conjectis adeo conficiebantur, ut necessario pedem referre, & paulo longius abire cogerentur. Pugnatum est in hunc modum horas circiter duas, sed defessis omnibus Robertus occisis ex suis quibusdam, ac magna militum equorumque parte multis vulneribus confecta, prælium diremit, atque insequentibus nullis ad multam noctem in castra revertitur. Postero die itidem & ad pontem & ad montis radices hostibus ad Mediolanenses transire conantibus, nostris, ne transeant prohibentibus, pugna crebro conserta est. Ex quo plures jam noctes atque dies utrique exercitus magno cum incommodo eo præsertim tempore in armis semper & in acie fuerunt.

Interea multis ad Franciscum nuntiis perfertur Jacobum Picininum totis Mediolanensium copiis magnoque insuper pilulariorum numero sibi addito Modoëtia exisse, quo paucis ante diebus accesserat, & Briantinorum jam fines attigisse eo consilio, ut postridie ante lucem hostibus, qui in montem erant, se adjungeret ab ea parte, quæ ad occidentem vergit, & à Calco longius abest. Ducebat Picininus equites ad quatuor millia, pedites totidem. Facto crepusculo ignium significatione, quæ de illius adventu renuntiata fuerant, confirmantur, quod jam Montem Veterem qui à tergo quinque passuum millia à Calco distat, Rogerius Gallus cum peditatus parte occupaverat, multosque ignes ad ostentationem excitaverat. Picininus cum equitatu ac reliquo peditatu in Vico, qui Casale dicitur, reficiendi paulisper exercitus causa restiterat. Franciscus convocato confestim concilio, quæ intellexerat, ostendit, proponitque non esse exspectandum, ut tantæ simul copiæ conjungantur, neque, ut dies veniat supersedendum. (122) Vintimilianus ante alios censet cum parte exercitus per noctis silentia esse adversùs Picininum celeriter eundum, & nulla cunctatione aggrediendum. Ad quam rem conficiendam sese ducem cum regionis itinera non ignoret, & imperatorem atque militem, cum certissimam exinde victoriam reportare non dubitet, pollicetur, & Francisco cum reliquo exercitu iisdem locis, ubi castra essent, consistendum, ut si hostes transire conarentur, eos transitu prohiberet. Hanc cum non multo sermone sententiam ceteri comprobassent, Franciscus (123) non parte sed toto exercitu in Picininum contendendum, & magnum in hostes impetum faciendum censet. Quo facto ex rebus duabus alteram futuram, aut se hostes profligaturum si exspectandi decertandique fortunam sibi elegerint, aut ita fugaturum, ut ne ad multos quidem dies tanto numero unum in locum colligi possent. Quare confecta, majore auctoritate, majoreque militum animo atque viribus eodem redire, & hostes si flumen interim transissent, adoriri posse demonstrat. Quod si duas in partes exercitus divideretur, non ita tuto tam propinquis hostibus, quemadmodum Vintimilianus consuluerat, fieri posse existimabat, propterea quod utramque & ad invadendum Picininum, & ad resistendum iis, qui in monte

(121) MS. At ubi ab equitatu nostro eò ventum est, mox prœlium committitur, pugnaturque fortiter utrimque. Verùm hostes &c.

(122) MS. Sed maturo rei magnitudini, futuroque periculo providendum; & quod consilium sit capiendum ex aliis singillatim quærit. Quibus dictis Vintimilianus &c.

(123) MS. qui ab eorum judicio maxime dissentiebat, novissimus inquit, se longe alio esse consilio, quia non parte sumta, sed integro exercitu in Picininum videbatur necessario contendendum &c.

te & trans flumen essent, propter copiarum paucitatem longe viribus imparem judicabat, atque ex eo non modo fortunas suas omnes, sed omnem omnium salutem summum in discrimen duci intelligebat. Hæc cum non minus prudenter quam fortiter proposuisset, mutato consilio ejus sententiam non solum Vintimilianus multa oratione confirmavit, sed omnes, qui aderant, optimam omnium judicarunt. De tertia igitur noctis hora Franciscus instructo exercitu, collocatis mediam inter aciem impedimentis, ac relictis uti superioribus noctibus fieri consueverat, quaque in statione ignibus accensis, ne ipsi hostibus qui in utrisque montibus erant, discessisse viderentur, in hostem magno silentio celeriter ire contendit. (124) Et quoniam ignes à pedestribus copiis passim ob ingentem vim frigoris accendebantur, jussit accensos statim extingui, & nullum de integro fieri, ne ignibus à montibus prospectis, quorum alter ad dexteram à Matthæo, alter ad lævam à Rogerio occupati relinquebantur, Picininus de ejus adventu quicquam præsentiret. Cum autem totam fere noctem iter fecisset, & aurora jam apparere cœpisset, & non longius passibus trecentis à Picinino abesset, captis ad seque perductis excubiis, hostes celeri cursu invadit. Magno sublato clamore, ædificiis incensis, multis captis, castra diripiuntur. Quo in prælio Franciscus primos inter pugnantes bis à suis derelictus est. Faciebant enim nocturnæ tenebræ, ut equites nostri subsistentibus ac repugnantibus interdum hostibus terga verterent. Qui cum ab eo nominatim fere omnes appellarentur, graviterque increparentur, pudore adducti in hostes vehementiore animo redibant. At Picininus, qui in postremo castrorum loco omnem suum equitatum locaverat, veritus id, quod accidit, exorto tumultu nulla mora sese suosque fugæ mandavit, & citato cursu Modoetiam refugit. Nostri capto dissipatoque peditatu ac equitatu, qui sub divi Ambrosii Vexillo pro Mediolanensibus merere dicebantur, Braccianos ad ipsum usque Oppidum persecuti ex iis multos interceperunt. Reverso multo jam die à fugientium insecutione equitatu, Franciscus, ut constituerat, unde discesserat, regrediens apud Veterem Montem castra facit. Quem montem, ut supra ostendimus, pridie ejus diei Rogerius occupaverat, seque calamitate ac fuga suorum cognita cum mille circiter peditibus ad Matthæum receperat. Dum hæc geruntur, Sigismundus metu profugisse Franciscum existimans, mane exercitum in Briantinos traducit, & in Calco Monte castra firmari jubet. Nam priusquam longius progrederetur, Picininum sibi adjungere volebat. Turrim deinde quamdam adortus, quam Johannes Calcus Mediolanensis in Francisci fide tenebat, expugnare innititur. At ubi profligatum fugatumque Picininum & Franciscum in se victore exercitu redeuntem intellexit, non tam acerbo dolore concussus, quam maximo timore perculsus, continuò incensis ædificiis copias trans flumen reverti, & Matthæum, Rogeriumque montem servare mandavit. Interim complures ex Adduana, Nava, Ripensi, Canali, & Isaacha familia, quæ omnes in Briantinis primariæ sunt, & Francisci ob egregiam eorum fidem observantissimi habebantur, ad eum veniunt rogatum auxilium, quod adeo ab hostibus de monte descendentibus non tam diurno tempore quam nocturno vexabantur, ut nisi ocius subleventur, depopulatis agris nihil sibi foret reliqui. Accedebat ad id etiam quod alterum in Addua pontem multis junctis naviculis ad Olginatum Vicum magna celeritate confecerant. Quare majore hostium numero pluribus ex locis premi atque exagitari in reliquos dies exspectabant. Quorum adductus oratione Franciscus, protinus Sanctoseverinates municipibus subsidio mittit, Barrhumque Montem, qui altissimus Ripensibus impendet, eodem tempore firmo peditum præsidio munit. In proximo autem die, quo Beatorum Innocentium solemnitas agebatur, Calcum regreditur, & ne frigoribus in reliquum tempus exercitus labefactaretur, in proximos Vicos copias distribuit. Deinde cogitanti assidue, quibus viribus quibusve artibus hostes è monte depellere possit, occurrit, unam esse omnino viam, qua in præsentia id quod tantopere expetebat, assequi poterat. Hostium in monte confidentium millium circiter quatuor erat numerus. Hi eo solo commeatu nutriebantur, qui à Sigismundo ex die in diem subministrabatur, & jumentis summa cum difficultate importabatur, & tanto hominum numero vix suppetebat. Ex quo si triduo intercluderentur, montem necessario deserturos intelligebat. Itaque visum est in primis Arcem, quam vulgo Ayronis appellant, expugnandam. Hanc enim hostes defendentibus nullis cum ad montis radicem, & ab Addua non longe posita sit, eadem nocte cœperant, qua aperto deinde itinere montem occupaverant, eamque valido præsidio diligentissime servabant. Huc loci montem ab ea parte petentibus necesse erat pervenire, iis præsertim, qui ab Olginato & Bripio veniebant. Ad hanc exercitus partem Franciscus expugnandam mittit, & cum à mane summo ad meridiem usque in hostium conspectu fortiter ac obstinate oppugnassent, tamdem expugnarunt, defensoribusque captis omnibus magnum fossorum numerum, qui eo muniendæ Arcis causa paulo ante venerant, abduxerunt. Ea Arce recepta, præsidioque imposito, hostes aditu intercluduntur, ac omni ex parte commeatu qui in monte sunt, prohibentur. Qui ubi se, quæ habebant, cibaria deficere vident, & à suis minus submitti posse intelligunt, desperata re, montem deserere constituunt. Rogerium, ut Venetos adeat legatos multis pollicitationibus Matthæus hortatur. Sed alio ille usus consilio, noctu cum iis omnibus quos è Mediolano secum duxerat, ad Franciscum transfugit. Matthæus insperatam Rogerii fugam ægre ferens, monte destituto per Olginati pontem, qui à Francisci stationibus quinque amplius passuum millibus aberat, ad Venetorum castra regreditur, pontemque ne in hostium manus deveniat, mox rescindi jubet. Horum fuga cum ad Kalendas Januarias contigisset, totus exercitus immenso gaudio atque lætitia repletur, propterea quod quanto graviore dolore montis amissio omnes

(124) MS. Et quoniam ingenti frigore euntes turbabantur, præsertim quum Luna sereno cœlo lumen affatim daret, ignes a pedestribus &c.

omnes affecerat, tanto majorem omnibus illius recuperatio voluptatem attulerat. Videbatur enim omnibus eo monte recepto, pulsis trans flumen hostibus, fugatoque uno fere tempore Picinino, jam victoriam, quam superioribus diebus prope desperaverant, deesse non posse (125). Franciscus Rogerium non tam verbis quàm re humaniter suscipit. Nam & pecunia donavit, & in reliquum tempus militiæ stipendio ejus fide ac virtute digno adjunxit. Mediolanenses præterea quos ad quingentos numero Rogerius ipse circa se famelicos habebat, largiter pascendos, & singulos aureo nummo singulo donandos mandavit. Mediolanumque uti sine ulla injuria redeant, permisit. Nec minus cum reliquis egit, qui in ea pugna intercepti adhuc penes milites redemtionis causa in vinculis retinebantur. Id hac potissimum egit de causa, ut non à se despici Mediolanenses, uti à nonnullis in vulgus disseminabatur, sed unice diligi viderentur. Quod non secus quam putarat evenit. Nam posteaquam populares in Urbem reverterunt, multa de Francisci clementia, de mansuetudine, de liberalitate, deque præcipuo in Mediolanensem Populum studio atque gratia certatim prædicare cœperunt. Et quamvis graviter à præsidibus Civitatis increparentur, perterrerenturque, tamen non destiterunt, quin ejus laudes ubique per Urbem referrent, & extollerent. Postridie complures Briantinorum primores ad eum veniunt gratulatum simulque pro ejus commodo fortunas, liberosque suos, ac sese ei pollicentur. Ne autem hostibus continenter in Vallem irrumpentibus exercitus quotidiano labore defatigaretur, neve diurna ac pœne frequenti ad arma conclamatione milites ad se armandos negligentiores & ad occurrendum, ubi opus esset, tardiores in dies efficerentur, conclamabatur enim non tam diu quàm noctu crebrius ad arma, statuit Franciscus hostibus citra Arcem progrediendi potestatem per hunc modum adimere. Collis ab ea Arce passibus quadringentis abest, & à Calco Monte mille amplius ad flumen usque continetur, tumulos quinque terrenos habens pari fere inter sese spatio distantes. In his singulis singula cespitibus ac fascibus castella ædificat. Interjacentia verò spatia aggere fossaque percludit. Eo opere perfecto, quod ad diem octavum, posteaquam fieri cœptum est, non sine magna difficultate atque contentione perfecerat (nam ei magna erat operariorum inopia, & hostibus nostros opere prohibere conantibus atrocia quotidie prœlia committebantur) castellis peditum delectorum præsidia imponit. Reliquæ autem munitioni armatos equitum ordines ad nocturnas vigilias agendas attribuit, qui impetum hostium, si vi transire conarentur, sustinerent. In his autem pugnis multi utrimque ceciderunt, plures verò aut pilulis aut sagittis vulnerati sunt, inter quos Roberto & si non lethaliter, graviter tamen brachium sagittâ transfixum est. Post hæc hostes non modo pugnandi potestatem non faciebant: sed ne paulum quidem præter Arcem prodire audebant. Ex quo ubi nostri

A cominus certare nequeunt, hostes ad ulteriorem fluminis ripam aliquando in acie consistentes pilularum tormentorumque ictibus ita cedere cœperunt, ut perpauci è regione juxta flumen simul esse auderent. Quo tempore accidit, quod cum Sigismundus, ducesque exercitus armati in concilio non longe à pontis ingressu de rebus bellicis agerent, Jacobus Gotholanus, qui superiore æstate apud Franciscum in exercitu fuerat, pilula ferrea ænea Colubrina emissa trajectus statim equo exanimis concidit.

Hæc cum ita per dies plures agerentur, hostes pro Francisci sententia distinebantur. Mediolani frumenti penuria majorem in modum in dies crescebat. B Quod cum Johannes Melcius, & Petrus Ozinus, Mediolanenses legati animadverterent, quod quotidie literis nuntiisque à Mediolanensibus edocebantur admonebanturque uti auxilia celeriter mitterentur, & frumentum importaretur, Sigismundum Venetosque legatos orare obtestarique non desinunt, quo Mediolanensium rebus in summo discrimine maturius consulant. Et quia eo quod cœpissent iter facere prohibentibus hostibus nihil proficere posse videbant, aliud Mediolanensibus ferendi auxilii consilium capiendum, aliam belli gerendi rationem habendam proponunt. Idcirco convocato concilio quærit Sigismundus ad ea, C quæ legati Mediolanenses postulabant, cujusque sententiam. Collio Bergomensis patriâ, multas non tam in Bergomensibus quàm in finitimis Civitatibus cognationes, clientelasque habens, montanasque regiones probe callens, proponit per loca superiora iter faciendum, & Lario Lacu superato in Briantinorum fines trajiciendum. Id non multo labore Urbe Como in Mediolanensium fide persistente fieri posse ostendit. Idque negotii sibi dari summopere expetit. Ejus consilium à cunctis probatur. Huic proinde pedestris exercitus cum parvo equitatu traditur. Is acceptis copiis per Sancti Martini Vallem, perque Leucensium fines D die tertio in Vallem Saxinam pervenit; quæ loca in Venetorum erant potestate. Deinde in ulteriorem Larii ripam descendit, moxque Mandellum, Bellanum, & cetera Castella, quæ circa Lacum sunt, dedentibus sese incolis, nullo negotio occupat. Johannem Nucium Comi residentem, & classem, quæ ibidem fuerat instructa, sibi adjungit. Picinino præterea, ut Comum proficiscatur, persuadet. Franciscus iis cognitis, Johannem fratrem cum turmis quinque peditatusque parte in citeriorem Lacus ripam mittit. Bellasii Montis dorsum, quod earum partium pro arce habetur, turmarum duarum præsidio munit, quibus Ruffaldus præficitur. E Interea septem ex Picinini equitum præfectis, qui ex primoribus erant, ad Franciscum secreto nuntios mittunt, qui non modò se ei atque suos dedituros pollicerentur, sed reliquos etiam Picinini equites, ubi facultas affuerit, invasuros, & ad internecionem omnes dissipaturos affirmarent. Hujus rei conficiendæ Luchinum Palmerium, Conticinum Carpensem, & Gerardinum Tertium, con-

(125) MS. Franciscus pro more suo de his rebus secunde gestis Deo Maximo gratias agit. Dein sacrificio Eucharistiæ celebrato Rogerium ad se vocat, & non tam verbis quàm re humaniter suscipit. Quod non modò in præsentia hominem de se præsertim benemeritum pecuniâ donavit, sed suo etiam in reliquum tempus &c.

conspirationis ejus principes curam suscepisse. Idque fieri posse ostenderent eo die, quo ipsi cum ceteris Braccianis copiis è Moguntia Comum proficiscerentur, quo non multis ante diebus Picininus à Collione accersitus cum paucis accesserat. De die autem, de itinere, deque auxilio, quod ab eo mitti oporteret, se illum certiorem facturos dicerent. Hæc cum Franciscus intellexisset, se præfectorum & postulatis integre satisfacturum, & auxilium missurum nuntiis respondit. Nec multis post diebus de media fere nocte fit à præfectis certior, se Picinini jussu omnibus copiis die postero Comum profecturos, & quamvis Luchinus abesset, quem propter suspicionem ad se Picininus evocaverat, rem nihilo secius, ut erat ante decreta, conficere sibi esse in animo, & rogare, ut octo solummodo turmas mitteret, quæ medio in itinere in occulto dispositæ, ubi opus sit facto, præsto adsint. Franciscus statim Salernitano, cui jam res omnis esset nota, quid fieri velit ostendit, simulque Vintimilianum, qui Canturii considebat, edocet, ubi opus esset, Salernitano subsidio sit. Salernitanus ad constitutum locum pervenit, & cum deinde acie instructa Picinini equitatum Comum versùs ire properantem intueretur, continuò ad Conticinum, Gerardinumque mittit (126). Hi seu quod facti pœnituisset, seu quod ob Luchini absentiam ad rem aggrediendam defecissent animo, nuntium comprehendunt. Quid ille retulerat, se ignorare dicunt, & licèt laqueo suspendendum pronunciabant, revinctum tamen ducendum jubent. Salernitanus interim Francisci imperio in acie milites magno silentio continebat, & quid acturus esset, à præfectis certior fieri exspectabat. Verùm ubi hostes certo agmine iter maturare, neque de negotio sibi quicquam renuntiari videt, omnem rei conficiendæ spem amittit, & cum multo esset numero hostibus inferior, in castra redire statuit. At Robertus Ursinus juvenis animo & corpore acer, manu promtus prœliandi occasione allectus, non potuit se continere, quin paucis cum equitibus novissimum hostium agmen lacessere, & paulatim crescentibus nostris confertas inter acies manus conserere inciperet. Ejus impetu hostes mirum in modum perturbantur, nec repugnant, sed celeriter ire contendunt. Quod cùm reliqui Stortiani viderent, data pugnandi potestate magno in eos clamore sublato advolant, impetumque à latere dextero faciunt. Idemque à fronte Vintimilianus facit. Quo impetu hostes funduntur, magnusque eorum numerus capitur. Reliqui Comum fugere cœperunt, quorum etiam magna pars cùm nostri eos cupidius insequerentur, intercepta est. At cùm prope parta ac explorata victoria esset, fortuna contrario eventu mutatur. Nostri ab iis, quos jam ceperant, capiuntur. Id ea accidit de causa, quod Salernitanus cum propter nostrorum paucitatem, tum etiam propter repentinam hostium fugam, nullum certum sibi præsidium fecerat, neque si voluisset, in sua erat potestate, cùm omnes prædæ cupiditate ducti injussu ejus in hostes provolassent. Et dum alii præda onusti manent, & quid de spoliis captivisque sibi

A agendum sit, deliberant, dum alii Canturium, & in proxima municipia divertunt, dumque alii non eo contenti quod adepti essent, amissis habenis fugientes insectantur, duæ hostium cohortes, quæ impedimentis fuerant præsidio destinatæ, à tergo supervenerunt, nostrosque palantes atque impeditos ita adortæ sunt, ut ab equitibus iisdem, qui equis gladiisque ereptis, pedes adhuc thorace armati fide, ut moris est, inter equites de captivitate data retinebantur, equos sive suos sive alienos extemplo conscendentibus comprehenderentur, & victores à victis captivis armis equisque exuerentur. Nam plures erant victi quàm victores. Multo major erat captivorum quàm possidentium numerus. Decem ad summum erant nostrorum B ordines, Braccianorum verò duo & viginti. Ex quo Vintimilianus desperatis omnino rebus Canturium cum paucis se recepit. Salernitanus in propinquiora municipia confugit. Picininus, qui, ut demonstravimus, Comi erat, ubi à fugientibus suis ea, quæ acciderant, cognoscit, continuo occurrens, quot ex nostris in itinere aut suos insequentibus, aut cum præda redeuntibus offeruntur, intercepit, Comumque perduci jubet. Hac victoria elati Mediolanenses universa quæ in Mediolanensibus municipia atque oppida Franciscus obtinebat, literis nuntiisque, ut C in fidem redeant, multis pollicitationibus solicitant, minisque terrent: propterea quod Franciscum eo detrimento accepto, & à bello discessurum existimabant, & Venetos propediem Adduam transituros non dubitabant, quorum auxilio mox tot ærumnis calamitatibusque sublevari liberarique posse arbitrabantur. Sed ubi ab incolis minus exaudiri vident, majorem in modum Venetorum auxilia implorare, celerem exercitus adventum dies noctesque orare, instare imminentissimum quoque Civitatis periculum multis argumentis Venetorum ducibus demonstrare. Quæ res ex multis interceptis quotidie literis facile intelligebatur. At Franciscus non D eo incommodo territus, loco minime discedit. Quin acrius in bello persistens summam adhibet curam, ne Braccianis se Collio adjungat, neve frumentum Mediolanum importetur, cujus rei inopiâ durius Mediolanensem Populum laborare intelligebat. Quibus ex rebus Johannem fratrem, quem ut ostendimus ad Larii ripam, quæ ad Briantinos spectat, cum præsidio miserat, ut transitu Collionem prohibeat, & regionem in fide contineat, quam Incinensem Plebem appellant, admonet. Præterea in Bellasii Montis dorso, quod trium cohortium præsidio munierat, majus peditum præsidium ponit. In summo Barrhi Montis Franciscum Theanensem, virum fortem cum peditibus ducentis E locat. Is enim Mons longe ceteros regionis ejus montes & altitudine & munitione excellit. Dum autem loca hæc stationesque militum circumspiciendi providendique causâ petit (nam omnia ejus negotia non tam militaria quàm domestica obire ipse volebat) hostes cognitâ à castris imperatoris absentiâ, cùm quicquid in munitiones conarentur, sine periculo efficere posse existimarent, oppugnare toto exercitu castella constituunt. Mane

(126) MS. qui de suo adventu, & negotium, si perficere vellent, secretò nuntiaret. Hi &c.

ne igitur summo munitiones circumquaque adoriuntur, scalisque adactis omnium telorum genere expugnare contendunt. Forte nocte eadem utroque exercitu ignorante Franciscus in castra redierat: qui cùm primum hostes invasisse munitiones intellexit, milites sese celeriter subsequi jubet. Ipse laborantibus suis occurrit, nec prius in itinere restitit, quàm se in medios hostes prolapsum cognovit. Jamque ex quinque castellis duobus expugnatis atque exustis reliqua hostes circumdederant, neque se amplius omnibus ex partibus oppressi defensores tueri posse fumi significatione ostendebant. Quod cùm intueretur Franciscus clara magnaque voce inclamavit, ne timerent, seque defenderent. *Ego adsum*, inquit. Quæ quidem vox ita hostes deterruit, ut qui aggerum verticem attigerant, pinnasque & pluteos evertere innitebantur, sese extemplo in fossam dejicerent. Quanta verò Franciscus inter milites Italos non tam sua, quàm aliena & hostium signa sequentes auctoritate & virtute valeret, quantæve observantiæ & majestatis inter omnes haberetur, ex hoc facile perspici posset, quod ut primum hostes, inter quos incaute dilapsus erat, quia suos jam ad munitiones progressos putabat, præsentiâ agnoverunt, projectis armis nudo capite & salutarunt, & ut quisque maxime poterat, reverenter ejus dexteram apprehenderunt. In hunc enim hominem manus injicere, quem militiæ patrem & decus appellabant, nefas putabant, (127) quod neque priscis, neque nostris temporibus cuiquam duci arbitror contigisse. Interim Sfortiani milites magno concursu adventare cœperunt. Quod ubi animadvertit Sigismundus, Francisci præsentiam atque impetum veritus, confestim suos omnes trans flumen reverti jubet. Prœlium tamen cum novissimis committitur, ex quibus multi intercepti, multi pilulis graviter vulnerati sunt. Hæc cùm ita obiisset Franciscus, & satis ubique pro rerum præsentium periculo provisum existimaret, præter spem accidit, ut omnia incolarum perfidiâ, qui Assum incolunt, ubi Johannes consedebat, perturbarentur. Ad Collionem enim cum secreto defecissent, illum classe Comensi sumta Lacum traducunt, & Johannem inopinantem noctu adoriuntur. Is cognita incolarum rebellione nonnullis ex suis, qui in frontibus erant comprehensis, in castra fuga celeriter se recepit. Quibus rebus cognitis, Franciscus Carolum statim majoribus viribus ad Vicum quendam, quem Herbam appellant, proficisci jubet, qui hostes, ne in planiciem descendant, neve Briantinorum agros populentur, prohiberet. Carolus jussa facit, Collionem reprimit. Municipes hostium rapinis atque vexationibus liberat. Ruffaldus tamen, qui inter rebelles relinquebatur undique circumsessus, atque fame pressus, non multos post dies dedentibus sese militibus capitur, suisque ac sociorum bonis omnibus spoliatur. Per eosdem quoque dies Comes Ursus ex nobili Ursina familia, quem Franciscus ob ejus singularem corporis virtutem non vulgariter diligebat, cùm imperatoris sui res in summo discrimine versari videret, suæ suorumque majorum dignitatis oblitus transfugit ad hostes à Venetis, cum quibus antea, ut postea cognitum est, clam conspirarat, honorificè exceptus. Quippe qui non satis putavit ad perfidiam suos solùm secum milites ducere, nisi etiam mala malis accumulans seduxisset, secumque egisset multis pollicitationibus præmiisque propositis, majorem eorum militum partem, quibus a Francisco præfectus fuerat. Qua re nemo fuit, qui dicere dubitaret: egisse Ursum & ingrate & perfide, cum sine ullo legitimo jure eo maxime tempore suum deseruisset imperatorem, de cuius non modò fortunis, sed de ipsa etiam vita certabatur: præsertim cum magnis esset ab eo beneficiis honoribusque ornatus. Erat enim Ursus Dulcii gener, sub quo haud multa conditione merebat; sed eo vita functo, factus est à Francisco ex unius ordinis præfecto ducentorum equitum ductor, præfectusque est etiam iis militibus omnibus, quorum ductor ante Dulcius extiterat.

Cùm ea igitur esset utrique exercitui rerum conditio, ut alter transire flumen non auderet, & in Briantinos Collio irrumpere timeret, alter ex eo loco ubi esset, discedendum sibi non putaret, jam septimum & vigesimum Januarius diem exegerat. Interim pabulatio, & cibaria circumquaque nostros deficere cœperant, propterea quod tantus equitum numerus in montana præsertim regione quicquid pabuli fuerat, ad duodecim usque passuum millia consumserat. Et cùm inopiâ commeatuum, posteaquam eò venisset, Franciscus longis itineribus, atque prohibentibus hostibus, assidue quasi laborasset, & vino, rapa, & castanea, se atque exercitum aluisset, quarum rerum eo anni tempore magna per ea loca fuerat copia, quicquid ad hominum usum supererat, vix tantæ hominum multitudini ad triduum sufficere reperiebat. His anxius curis Franciscus dies atque noctes cogitabat, quo consilio & in bello adversùs Mediolanenses perseverare, & omni illos auxilio intercludere, & Urbem prope jam fame confectam in potestatem redigere posset. At cum cetera omnia, quæ ad rem præsentem tam necessariam consilia offerebantur, vana viderentur, illud occurrit, esse rursus tentandum, si quâ ratione, si qua arte Modoëtia potiri posset. Quod si effectum iri contingeret, omnia se pro voluntate consecuturum non dubitabat. (128) Dat igitur negotium Marco ex gente Marliana, qui sub Carolo merebat, ut cum præfectis de Arcis traditione præmiis propositis ageret. Nam cum ex eadem illi essent familia nati, eorum necessitudine cum propinquitate conjuncta familiarissime utebatur. Et Johanni item Landriano, de quo supra diximus, viro sane forti & ingenio perspicaci, ut de capiendo furtim Oppido diligenter specularetur. Missi imperata faciunt. Referunt præfectos velle datam Mediolanensibus fidem servare: Oppidum verò per opacitatem & silentia noctis capi; idque per

(127) MS. Res pæne inaudita atque incredibilis, & sempiterno memoratu digna, quam neque &c.

(128) MS. Itaque de Arcis deditione præfectos, & de Oppidi oppidanorum principes secretò tentare, ac etiam si furtim Oppidum capi posset, explorare constituit. Dat igitur negotium Franciscus Marcheto ex gente &c.

per eum locum, qui penes Lambrum flumen est, & per id temporis pœne incustoditus relinquebatur, ubi altum descensum manu factum flumen habet, & fragorem attollit ingentem, facile fieri posse Johannes ostendit; ac suo etiam sine periculo rem oculis perspexisse, quod nullo sentiente Oppidum esset ingressus. Et proinde non dubitare, se multos in Oppidum introducturum, turresque duas & Oppidum subsequente exercitu capturum multis argumentis affirmavit. Francisco ea re perspecta, quia præsertim commeatuum & pabuli indigentia ex Briantinorum finibus demigrari compellebatur, hanc nacto occasionem, modus Oppidi capiendi placuit; præsertim cum nec à timore, nec à necessitate nata profectio videretur. Ad eam rem conficiendam Carolus, & Vintimilianus deliguntur. Quibus ad se Franciscus accersitis, qui cum suis copiis, ut ostendimus, ab exercitu aberant, quid sui sit consilii, & quid fieri velit, ostendit. His ducibus præter eorum copias validum equitatum ac peditatum ex omni exercitu delectum Johannemque ipsum, & duces qui iter noverant, attribuit. Ipse autem ut constituerat, exacta jam nocte media, ut illis, ubi oporteat, subsidio sit, cum reliquo exercitu Modoëtiam versùs magno silentio ire contendit. Dum in itinere à ducibus de iis, quæ ad Modoëtiam egerint, certior fieri exspectat, dies jam eluxit, qui erat ad Calendas Februarias, & interim ad Vicum-Mercatum non longius à Modoëtia quinque passuum millibus pervenit. (129) Interim concitato equo Caroli nuntius refert, quantos ea nocte Carolus labores pertulerit, quantumve doloris ceperit, quod ejus imperata minus facere potuisset. Non facile explicare posse, quod non sua culpa, sed eorum potissimum, quos sibi duces dederat, accidisset; docetque de secunda noctis hora, ut erat constitutum, Carolum atque Vintimilianum movisse. Verùm ex itinere eos, qui ad monstrandum iter venerant seu ignorantia quod non scirent, pro certo promisissent, seu dolo, quod nollent detrimenti quicquam Moguntinis inferre, eorum ex oculis evanuisse. Et quamvis totam noctem ivissent, tamen propter tenebras & continuum imbrem, & eos qui ab euntium ordine errore viarum excesserant, multis passuum millibus peractis sole jam exorto ad Caratum Vicum, qui millia passuum septem à Modoëtia distat, illos tamdem pervenisse affirmat. Quibus auditis Franciscus etsi graviter perturbatus, excusationem non æquo accipiebat animo, tamen eodem loco, ubi esset, Carolum considere, Vintimilianum verò Canturium reverti, & bono utrumque esse animo jubet. Ea spe potiundi Oppidi derelictus, quamquam non mediocriter angebatur, omnisque exercitus non tam rebus publicis quam sua salute diffidere videbatur, quod hostes post terga relictos continuo affuturos omnes existimarent, tamen & vultu hilari prodit, & animo infracto singulos equitum ordines adit. Primores, quos virtute ac fide præstare noverat, nominatim appellat, omniumque ani-

A mos confirmat, timorisque opinionem levare atque tollere conatur. Et quemadmodum incolumes semper, victoresque sæpe per omnem Italiam hactenus perduxisset, ita deinceps futurum sperare eos volebat, adeo ut non solum communi omnium saluti, sed rebus etiam præsentibus à se opportune consultum iri judicarent. Mox cum ab ordinibus paululum secessisset, protinus ad se primo duces ductoresque exercitus, cum quibus de rebus bellicis communicare solebat, deinde cunctos ordinum præfectos equo atque sub armis in concilium advocat. Et quo pacto spes Modoëtiæ potiundæ fefellisset, eos intelligere primum inquit. Deinde proponit

B Sigismundum Picinino adjuncto non longius sedecim passuum millibus potentissimo exercitu à tergo esse, à quo & à Mediolanensi Populo, & à Modoëtia à fronte facile uno tempore lacessi premique possent. Hortari singulos atque rogare, ut quod sibi consilium in præsentia capiendum sit, cogitarent animo paulisper, ac sententiam deinde dicerent. Horum primi erant Robertus Sanctoseverinas, Christophorus Taurellus, Salernitanus, Sacramor Parmensis, Franciscus & fratres Sanctoseverinates, & Paulus quidam Romanus, qui Vermianis præerat copiis. (130) Hi cum multa in utramque partem disseruissent, & in unam eamdemque

C sententiam convenissent, reliqui pauci commemoratis eorum dicta confirmant. Esse, ubi constiterant, minime commorandum, neque ob eas quas diximus difficultates, obque recentem hostium in Briantinos adventum unde discesserant, remigrandum, propterea quod pro comperto haberi poterat, hostes eorum discessu cognito Adduam quamprimum aut transisse aut transituros, & coactis copiis omnibus, quas brevì temporis intervallo facile in unum locum cogere possent, magnum exercitum habituros. Ex quo judicabant cum non sine certissimo maximoque periculo inter Urbem Mediolanum tantumque exercitum castra facere possent, nec

D in Mediolanensium quoque finibus diutius consistere copias in partes duas dividendas, ac earum alteram Papiam, alteram Laudem dimittendas, Urbesque summo studio, summisque viribus in fide continendas. Unde rursus ita acriter bellum Mediolanensibus inferri, & illorum agri continenter devastari possent, ut eos ad pacis conditiones accipiendas, si non quas Franciscus ipse vellet, saltem honestas induci aut cogi posse desperandum non esset. Videbatur enim plerisque Venetorum exercitum ob frumenti & pabuli penuriam non multos dies in Mediolanensibus posse permanere, quod neque à Venetis

E neque aliumde tanta frumenti copia suppeteret, qua fame Mediolanensis Populus eximeretur, exercitusque uno tempore aleretur. At Franciscus etsi sibi ea, quæ ceteri probaverant, non à ratione discedere videbantur, quod si ab hostibus urgeretur, id se consilii sequi oportere animadvertebat, tamen longe se alio esse consilio ostendit. Nam cum propemodum invitus è Mediolanensibus discederet, longioris quàm potest moræ causas

(129) MS. Ubi vehementer admirans, quod nondum à Ducibus quicquam intellexisset, considere omnes jubet. Et dum quid sit de ducibus iisdem percunctatur, advenit concitato equo Caroli nuntius, qui refert &c.

(130) MS. Viri quidem & armis fortes & consilio præstantes. Hi cum &c.

ſas adducere nititur, atque ſic inquit; neque eſſe ex eo loco nocte proxima neque poſtero die neque etiam prius abeundum, quàm de hoſtium motu atque itinere cognoſceretur. Turpiſſimum enim putabat, niſi in extremo diſcrimine id conſilii capere, quod ceteri ſuaſiſſent; neque omnino præſens bellum jam prope ſperatum ad exitum tot laboribus periculiſque perductum eſſe ita repente, ut cenſuerant, deſerendum, neque intermittendum. Hoſtes ſex & decem paſſuum millia ab eo loco abeſſe. Si iter in ſe deflexerint, facultatem habere aut in eos educendi, aut ad eas, quas commemoraverant, Urbes proficiſcendi. Fateri ſe inſuper, hoſtes hominum numero non militum virtute ſuperiores. Quid autem Jacobus Picininus, quid Bartholomæus Collio, quid Sigiſmundus, cui belli ſummam Veneti tradiderunt, & rei militaris peritia & animi virtute valeant ſatis cognoviſſe. Propterea videri ſibi non ex rumore aut opinione in eo caſu, ſed ex hoſtium rationibus motibuſque eſſe capienda conſilia, cum ex illorum actionibus, quid ſe facere oportuerit, ſatis docerentur. Quæ cum dixiſſet, juſſit omnes per Vicum proximaſque Villas ſtationes facere. Dein qua venerat, nuntios plures mittit, qui poſt ſuum è Calco diſceſſum, quid hoſtes egerint, quidve acturi ſint, ſpeculentur, excubent, celeriterque renuntient. Præterea ne uti rumor per exercitum regionemque vagari cœperat, fugiſſe videretur, ſumto cibo armatoque exercitu continuò Modoëtiam ire pergit. Oppidum exiguo militum numero oppugnare ſimulat. Nam cum muro foſſaque duplici circumdaretur, & firmo defenſorum præſidio muniretur, irritam & detrimentoſam fore oppugnationem intelligebat. Itaque oſtentatione oppugnandi facta, receptui cani, atque in caſtra redire omnes juſſit. A nuntiis fit frequenter certior, hoſtes eo die caſtra non moviſſe, idemque poſtridie ejus diei feciſſe. Sed factis in Briantinos excurſionibus, municipia quædam juxta Adduam ſita eo biduo oppugnaſſe, & præter Imberſagum per deditionem obtinuiſſe. Pontem ad Olginatum rurſus faciendum curare, ubi paucis ante diebus ædificaverant. Poſtea ut oſtendimus, confregerant. Quo tridui ſpatio perfecto, præſidioque impoſito, copiiſque in Briantinos traductis, Sigiſmundus in Galbiato Vico non longe ab eo ponte conſediſſe, Picininum & Collionem ſibi ſtatim adjunxiſſe, Barrhumque deinde Montem cibariorum inopia in poteſtatem redegiſſe. Franciſcus ubi præter omnium opinionem reparandi ſe atque muniendi tam opportuno tempore ſibi ſpatium dari videt, quæ ad reſiſtendum neceſſaria exiſtimat, ad ea comparanda perficiendaque ſe convertit. Duo autem in præſentia ad bellum gerendum atque conficiendum curanda maxime videbantur; ut hoſtes in primis prohiberentur, ne ſe ſuiſque inſcientibus campeſtrem in planiciem, qua Mediolanum petentibus iter liberum pateret, deſcendere poſſent, quod ſi vi facere conentur, prœlio contenderetur; alterum verò, ita frumento atque omni commeatu Mediolanenſes intercluderentur, ut nihil ad eos ulla ex parte importari poſſet. Nam tanta in ea Urbe frumenti penuria creverat, ut aureis nummis bis denis & amplius magnis ſæpe contentionibus modius venumdaretur. Quo quæſtu ducti non tam ex hoſtibus quam ex noſtris vectores quamplurimi, qui nullam bonorum amiſſionem aut corporis ſupplicium verebantur, quicquid frumenti paniſve humeris, jumentiſque poterant, per diem atque noctem Mediolanum comportare non ceſſabant. Quibus rebus in hunc modum providit. Omnes Templorum turres, quas rurales locis patentibus pro eorum tutela munierant, & Arces, quæ inter ſua atque hoſtium caſtra intercedebant, pedite complet. Idem de Meltio facit, quod eſt Oppidum inter Vicum-Mercatum & Adduam pari fere ſpatio poſitum. Dein municipiis proximis, totique Seprenſi oræ, magnum foſſorum numerum imperat, quibus caſtra ibidem foſſa & aggere munienda ſummopere curat. Idemque Carolum ad Caratum foſſorum parte attributa facere mandat. Et quoniam caſtra utraque millium ſeptem paſſuum intervallo inter ſeſe disjungebantur, ad Vicum quemdam, quem Serennium vocant, medio itinere ſitum Johannem fratrem cum parte copiarum mittit, quem edocet, ut ſumma celeritate caſtra foſsâ & aggere circumdet. Vintimilianum præterea, qui ut demonſtravimus, Canturii manebat, admonet, Oppidum diligenter ſervet, frumentum ex locis finitimis eo comportari ſtudeat. Id enim Oppidum cum quinque paſſuum millia ab Caroli caſtris, totidemque ab Urbe Como abeſſet, & ad hoſtes prohibendos, & ad Comenſibus nocendum erat longe aptiſſimum.

His omnibus Franciſcus imperat, ut de hoſtium rebus ſcire ſummam diligentiam induſtriamque adhibeant, & ſi quid facto opus eſſe cognoverint, quamprimum aut fumi, aut ignis ſignificatione, aut bombardarum conſtrepitu, ſimul & nuntiis alter alteri nuntient, ita ut ſeu ad ferendam ſociis opem, ſeu ad hoſtibus repugnandum, ſi Mediolanum proficiſcantur, celeriter omnes opportuno tempore atque loco adeſſe poſſint. Per hunc modum à flumine Addua uſque Comum ne hoſtes in planiciem deſcendant, Mediolanenſeſque hoſtibus jungantur, neve in Urbem ab ea parte cibariorum quicquam importetur, ſatis pro rerum præſentium conditione à ſe proviſum exiſtimabat. Ne autem à partibus reliquis ullo Mediolanenſes commeatu ſubvenirentur, Papienſibus, Laudenſibus, atque iis omnibus, qui Mediolano proximi ſunt, & ſuo parebant imperio, pronunciari jubet, & ſiqui juverint, eos ultimum eſſe ſupplicium paſſuros. Ut autem ſi quid horum Mediolanum importaretur, ſcire ac ei rei mederi poſſit, & in Urbe exploratores conſtituit, & aliis multis in locis cuſtodes ponit. His conſtitutis rebus unum tantummodo ad bellum ſuſtinendum maxime neceſſarium deeſſe videbatur, ut frumenti copia ad alendum exercitum adeſſet, cum & ipſe magna quoque frumenti difficultate premeretur. Nam qui ex Laude commeatus importabantur, vix tertiæ militum parti ſuppetebant. Huic tam gravi incommodo ſic occurrere inſtituit. Inquirenda amicorum horrea jubet, qui in Mediolanenſium finibus & à ſe non longe inhabitabant, penes quos in Seprenſibus non exigua tritici copia reperta eſt. Ea re nuntiata, Franciſcus qua mirum in modum cruciabatur cura levatus bene ſperare cœpit. Nam tanta com-

commeatus inopia pressus non diu per ea loca exercitum continere posse animadverterat. Quod cum Mediolanenses non ignorarent, summam spem in ea reponentes, quibus ea sola suæ saluti relicta videbatur, audaciores in dies pertinacioresque ad calamitates perferendas efficiebantur. Ab amicis igitur parte quadam tam necessario tempore subveniri petit, à quibus facile obtinet. In his Philippus Maria Vicecomes Gasparis filius egregium præ ceteris de se efficium præstitit, qui etsi à Mediolanensibus quotidie multis pollicitationibus sollicitabatur, tamen singulari fide, consilio, ope, opera, nullo umquam tempore ei defuisse visus est. Ab aliis verò, quos non bono in se animo sciebat, postulatisque suis minime satisfacturos arbitrabatur, quod jam cum Mediolanensibus clam sentiebant, vi auferendum statuit. Itaque per ejus regionis præfectum jubet municipes atque cives omnes in concionem accersendos. Præfectus de rebus gravibus atque gratis acturum se simulat, & concione soluta suspectos retinet ac in carcerem conjicit. Quo facto Franciscus quicquid frumenti in retentorum municipiis, arcibusque reperit, quo jam multis ex campestribus locis magna tritici vis erat congesta, militibus metiendum mandavit, ex quo rei frumentariæ necessitati ad multos dies satisfecit. His rebus constitutis, munitionibusque perfectis Franciscus majorem ad resistendum spiritum sumit, hostiumque multitudinem minus veretur, quos animadverteret, nihil omnium velle minus, quàm secum manum conserere, usque adeo divinam ejus sapientiam & singularem animi magnitudinem formidabant. Dum ad eos lacessendos animum vertit, fortè Briantinorum primores, de quibus supra mentionem fecimus, ad eum veniunt postulatum auxilium. Docent municipia, & quas pro eorum tutela munitiones fecerant, in ejus fide communi Nobilium voluntate servata, & quoad fieri posset servanda decretum, nec proinde se mereri tam propinquis hostibus ita omnino ab eo deseri. Hac Franciscus tam egregia amicorum fide perspecta, quos jam se hostibus permisisse putabat, Robertum, & Salernitanum, valido equitatu peditatuque attributo, eò celeriter mittit. Hi è munitionibus hostibus proximis frequentius erumpentes de superiore loco eos lacessebant. Nam municipia collibus editis sita Venetorum castris impendebant, atque ex ea re pugnæ non tam diurnæ, quàm nocturnæ conferebantur, hostesque minus longe lateque vagari. Dum autem hæc geruntur, Vintimilianus qui Canturii, ut prædiximus, in hibernis erat, magnæ potiundæ pecuniæ gratia adductus, cum Venetorum legatis de suo ad eos transitu, ac de Oppidi deditione, & Jacobus item Picininus, cujus animum immoderata dominandi libido quotidie vexabat, cum Francisco certis conditionibus de suo ad eum reditu, deque Veneti exercitus direptione uno atque eodem tempore clam agere cœperunt. At Franciscus, tametsi postulata Picinini dura nimis & gravia videbantur, tamen cum ad victoriam de hostibus consequendam nihil omittendum putaret,

A non castella atque oppida solùm, quæ in Placentinis à Philippo Duce concessa Nicolaus ejus pater jam possederat, sed ne quidem Placentiam Urbem, quam opere maximo postulabat, denegandam existimavit. Hæc cum Luchini Palmerii utrique fidissimi opera secreto paucis diebus tractarentur, Picininique postulatis omnibus annuendum Francisco visum esset, & quo magis petenti morem gerat, & conventa secretiora sint, majorisque fidei robur atque constantiam habere viderentur, sua ipse manu transcribit, moxque ad eum per Luchini internuntium deferenda jubet, hortaturque simul, ut ea quæ inter sese de hostibus castrisque diripiendis acta sanci- B taque essent, propediem conficienda curaret. Sed enim Picininus, priusquam ad eum cum scriptis missus pervenisset, mutato consilio Venetorum partes sequi statuerat. Quod, ut postea cognitum est, his fecit de causis. Quod cum memoria teneret non solùm recentes sed veteres etiam injurias, (131) eidem suam suorumque salutem non satis tuto committere posse putabat. Præterea perhorrebat ipsâ naturâ ob antiquum odium Sfortianum nomen, & Francisci gloriæ invidebat. Dubitabat insuper, ne ex illius felicitate infelicitas sibi atque pernicies pararetur. Luchinum igitur immerito retinet, protinusque ad Sigismundum legatosque rem defert, longe C aliter quam fuerat. Nam cum se de fide in suspicionem legatis venisse intellexisset, sui purgandi causa quicquid cum Francisco Luchini opera egerat, injussu suo atque se insciente egisse Luchinum insimulavit. Hunc deinde, ne suos cuiquam dolos patefacere umquam posset, noctu laqueo suspendendum jussit. Quod ubi Franciscus rescivit infelicem insontis amici casum commiseratus, vehementer indoluit, promisitque ullo si unquam tempore posset bello sese ejus mortis immeritæ fore ultorem. Interim Vintimiliano, Venetorumque legatis cœptum inter sese negotium perficere festinantibus, fiebat de ea re D Franciscus non modò ab Oppidi præfecto quotidie certior, verumetiam à nonnullis ex ipsius Vintimiliani familiaribus atque domesticis, quibus rem ipsam crediderat. (132) Comperit præterea multis ex partibus etiam ex hostibus rem esse certissimam, & jam interventu Conradi Alvianensis Romani ex Venetorum equitum præfectis prope confectam, atque ob eam causam grandem pecuniam Bergomum delatam. Quam quidem rem etsi Franciscus ægerrime ferebat, præcipue quod eum in locum deductum se videret, ut quem propter ejus spectatam rei militaris disciplinam atque virtutem admodum diligebat, in eum manus injicere cogeretur, quinetiam multum de sua existimatione eo præsertim tempore E inde diminutum iri, & malivolorum atque detrahentium linguis magnam de se detrahendi occasionem præberi animadvertebat, tamen cum satis superque per superiora tempora hominis vitam, mobilitatemque non ignoraret, & periculi magnitudinem cogitaret, visum est, non esse amplius cunctandum, quin huic tam manifesto gravissimoque periculo prospiceret. Ea re ad multam noctem con-

(131) MS. quas & Nicolaus pater superioribus Annis, & ipse ac frater Francisco intulissent, eidem &c.

(132) MS. Qui gravi ob id molestia affectus dat operam, ut quæ de Vintimiliano sibi enuntiabantur, multisque modis affirmabantur, si vera an falsa sint, scire possit. Comperit.

constituta, die postero mane summo duodecim equitum cohortibus ex castris, quibus Carolus præerat delectis, Canturium celeriter ire contendit, & ne de suo Vintimilianus adventu cognoscere quicquam possit, certos præmittit equites, qui cunctos Canturium præire volentes itinere prohibeant. Ex quo factum est, ut prius ad Oppidum omnibus copiis perventum sit, quam de suo accessu quicquam Vintimilianus præsentire potuisset. Is admiratus tantam rei novitatem, statim pedes magno cum pallore Franciscum adit; cui adventus causam percunctanti Franciscus respondit, eo se accessisse, ut exinde Comum petens civibus se ostenderet, quod à nonnullis esset suasus, si coram ipse Urbis mœnibus propinquaret, futurum, ut statim à Civibus in Urbem reciperetur. At Franciscus ubi videt ita libere ad se Vintimilianum venisse pro suo miti ingenio animique bonitate retinendi ejus sententiam mutavit. Quod cum per portam alteram, quæ ad Comensem spectat Urbem facile se fugæ mandare potuisset, culpa illum vacare credebat, & si qua esset, levem putabat. Ob id ignoscendum ei judicat, & quæ de ipso dicta fuerant, & sui adventus causam apertius explicare, atque omnibus rebus in fide confirmare atque continere deliberat.

Ea re cum Andrea Birago, Aloysino Bossio, Petro Posterla, aliisque perpaucis communicata, à quibus multis argumentis contrariam in partem adductis, cur omnino comprehendendus esset, illum tamdem invitus ac fere lacrymans retineri jussit, adhibitisque custodibus, qui eum honestè servarent, quamprimum in castra reversus est, quem triduo post Laudem, deinde Papiam, his cum mandatis misit, ut præter libertatem nihil ei ad vitæ usum voluptatemque prohiberetur. Interea vigesimum jam diem Mensis attigerat, & Mediolanenses tanta cibariorum inopia laborabant, ut neque belli impensam neque incommoda amplius perferre possent. Nam cùm novissimè ad extremam rerum omnium calamitatem universa Civitas devenisset, multi erant præsertim inopes, quorum ea in Urbe ingens omni tempore est numerus, qui ad tolerandam famem non tam equos asinosque quàm canes, non minus feles quàm mures edebant. Nam nihil erat tam sordidum, & quod natura abhorret humana, quin ab esurientibus arriperetur. Quas ob res magnæ sæpe contentiones ac tumultus oriebantur. Herbis, radicibus, ullo absque condimento utebantur. Vinum nisi ditior gustabat nemo. Multi etiam, quos vel egestas vel senectus vel morbus aliquis vexabat, vel qui per ætatem se alere, aut victum quærere non possent, quorum infinita pæne multitudine Civitas ipsa repleta erat, fame confecti per domos perque vias passim peribant. Ex quo multa ac magnæ ubique per Urbem querelæ, lamentationesque fieri. Ubique ploratus assidue audiri. Omnes extrema in miseria versari. Quisque suæ quàm alienæ salutis rationem potius habere, & nemini tamen præterquam de libertate loqui licere. Quibus ex rebus fiebat, ut populares, qui se hostium arbitrio tradere, quàm domi stantes fame perire malebant, Urbe cum uxoribus atque liberis egrederentur, & per campos vitam miserabilem traherent. Quorum magna pars consentientibus Magistratibus ad proxima municipia atque oppida divertebat, & junctis atque sublatis ad cœlum manibus Dei misericordiam implorabat & vitæ subsidia deprecabatur. Hos municipes misericordia moti excipiebant. Quod cum rescivisset Franciscus regionum, militumque præfectis imperavit, ut Mediolanensium neminem recipiant, cibo, auxilioque nullo juvent, & omnes Mediolano victus quærendi causâ profectos, in Urbem rursus redire compellant. Præfectis imperata facientibus, hoc multis accidebat locis, cum mulieres quæ infantes ad ubera gestabant, filiosque parvulos secum trahebant, & adolescentulæ insuper multæ per deserta vagarentur, vitæ alimenta quæritantes, & necubi adjumenti quicquam invenirent, & in Urbem reverti nollent, per rura inculta perque nemora latitabant. Quibus tantummodo hærbæ cibus, aqua potus erant, quod peregre emori quàm in Urbem redire malebant; ac tamdem lassitudine & fame pressæ deficiebant. Inter quas multæ nuptæ, innuptæque, vitæ sustinendæ gratia, corpus ad cujusque libidinis usum prostituebant. Erant enim à viris, maribusque pubertatis annos superantibus propter captivitatis, cruciatusque metum omnino derelictæ. Quod cum ad impietatem quamdam à nonnullis Francisco ascriberetur, ita respondebat. Quod etsi id invitus agebat, ferebatque dolenter, Urbem amplissimam, atque populosissimam tot detrimentis affici nonnullorum præsertim pessimorum Civium causa, tamen si sibi vincendum decrevisset, non secus ac statuisset; in eo bello agere posset, atque sic ejus belli præsentiumque temporum conditionem ferre. Sic etiam eorum qui Reipublicæ præerant pervicaciam atque temeritatem postulare. Quandoquidem nulla alia belli gerendi ratione quàm fame subigi posse Mediolanenses plane animadverteret. Hostes interim quo in periculo Civitas sit, crebris literis nunciisque edocebantur, atque orantibus instantibusque quotidie legatis Mediolanensibus, ut perituræ Urbi confestim succurrere velint, dies atque noctes in capiendis consiliis consumebantur, nec quid potissimum agendum sit, satis decerni potest. Duo namque, ut ferebatur, & postea aperte cognitum est, ad opem Mediolanensibus ferendam, repugnabant. Sigismundi timor, & Venetorum voluntas. Nam Sigismundus Francisci congressum plurimum formidabat, cum ob Polysenam uxorem suam Francisci filiam suo jussu immerito necatam, quo patrem acerbiore dolore premeret, & ne propter inexplebile & exacerbatum in ipsum patrem odium virilem ex ea prolem susciperet, & Polysenam pellicem, quam perdite adamabat, deinde in uxorem duceret, & ita mulierem ingenuam atque pudicissimam acerbissima morte affectam pestifero morbo correptam simulans vitâ functam vulgari jussit, tum etiam ob graves alias ei per superiora tempora illatas injurias, & insignem diebus proximis contumeliam, cum & in concionibus, & palam in exercitu sæpe gloriaretur, sicut superioribus Annis Franciscum Sfortiam toto Piceno ejecisset, ita se tota etiam Cisalpina Gallia ejecturum, & ob eas res castrorum mutationem mirum in modum dissuadebat, quod hosti propius admovere, periculosum esset. Pro-

præterea quod cum peritissimo atque fortissimo duce, qui validissimum ducebat exercitum, confligendum erat, neque quominus decertaretur, si Mediolanensibus ferri auxilia voluerint, fieri posse, neque esse ita temere committendum, ut duæ Respublicæ, uno tempore fortunæ casibus subjicerentur, demonstrabat. Proinde videri sibi Mediolanenses, quo sese paululum sustineant, cohortandos, quod si audirent, esse ullo absque discrimine illis partam victoriam, quia propter frumenti & pabuli inopiam non diu hostes in Mediolanensibus futuros intelligebat. Hanc sententiam Veneti legati confirmant, non periculorum vitandorum causâ, sed ut defessi desperatis rebus ii cives, qui Rempublicam gubernabant, quique plurimum verebantur, ne in Francisci manus devenirent, Urbem Venetis traderent, quam quidem Leonardus Venerius, quem, ut supra ostendimus, Mediolanum Veneti legatum miserant, cum nonnullis Civibus tentaverat, Populumque quotidie ad perferendas forti animo necessitates cohortabatur. (133) Atqui, ut Mediolanenses ex die in diem ejus auxilii spe nutrirentur, quod illis se laturos Veneti simulabant, (*) per exercitum pronuntiari Sigismundus jubet, dierum quatuor commeatum miles quisque compararet. Omnes in castra absentes regrediantur, ac magnam deinde frumenti copiam ex Transadduanis, Bergomensibusque constitutum citra Adduam quemdam in locum conferri, quo celerius Mediolanum importari possit. At Franciscus ubi hæc quæ apud hostes, Mediolanique quotidie gerebantur, non tam ab exploratoribus, quàm multis amicorum nuntiis cognoscit, nec posse præterea Mediolanensem Populum amplius se sustinere, quin arma sumat, & in Magistratus tumultum excitet, suos quoque milites quo paratiores sint, admonet, & qui aberant, statim in castra redire cogit. Et quoniam hostes, ut demonstratum est, magno equitum ac peditum numero superiores erant, quos pro suo judicio atque eorum officio in tanto Mediolanensium discrimine prœlii fortunam tentaturos, impetumque adversùs suorum castra propediem facturos arbitrabatur, omnibus ex partibus relictis oppidis copias cogere, exercitumque recenti milite augere dies noctesque non desinit. Fretus enim veteranorum militum robore ceterorumque virtute atque fide statuebat, si hostes in quampiam castrorum partem vim facerent, aut in planiciem, uti rumor vagabatur, descenderent, continuo eos invadere, & prœlio aperto decertare. Nam cum nihil victoribus impeditum, victis nihil tutum esse soleat, si vicerit, ubique se victurum, sin minus, quicquid in Mediolanensibus obtineat, citò amissurum sciebat.

(133) MS. Cujus rei Brixianus Populus Venetæ Reipublicæ fidelissimus erat testis, qui biennium pro servanda Venetis fide gravissimas calamitates pertulerat. Atqui &c.

(*) MS. Nam quod re in præsentia præstare nolebant, famâ ostentare conabantur, per exercitum &c.

Explicit Liber Vigesimus.

IN-

INCIPIT LIBER VIGESIMUSPRIMUS.

Mediolani (134) interea discordiæ simul ac seditiones increbrescere. Divina omnia humanaque misceri. Jam omnes qui fucato libertatis studio tyrannidi præerant, nulli metui, nulli terrori esse. Quare cùm magnitudo mali magnos æque ac parvos corripuisset, per universam Urbem variis in locis tumultus fieri. Omnes obstrepere, ploratus ubique esse, clamores cœlum terramque confundere. Quo factum est, ut mussantibus ceteris, nec in apertum jam martem ire audentibus à Porta Nova salutis initium cœptum sit. Imperaverant publicæ libertatis principes, ne quod portarum consilium fieret, nisi quando & per quos ipsi jussissent. Delegerant enim quos vel rudes esse rerumque imperitos intelligerent, vel suæ depravatæ mentis fautores. Hi omnes convenerant in Templum Sanctæ Mariæ Scalaris, ut aliquid confingerent, quo ignara Plebs spe inani pasceretur, & concepta pestis produceretur, donec à Venetis & res frumentaria, & auxilia quæ dicebantur, in Urbem reciperentur. Id verò aliud nihil erat, quàm laborantem afflictamque Civitatem Venetis tradere. Erant extra locum, ubi consultantes convenerant cives duo animo non desides, & tyrannicæ conjurationi minime grati, Petrus Cotta, & Christophorus Pagnanus, qui præsentem inter sese calamitatem querebantur, & quæ salus, aut quod consilium ærumnis eorum afferri posset, commentabantur, advenientesque minutatim alios cives non fortiter minus quàm prudenter ad bonum publicum hortabantur. Alii alia respondere, quemadmodum animi cujusque variis perturbationibus essent affecti. Cùm per Urbem increbruisset rumor, jam Portam Novam in armis esse, deque publico statu in eo Sanctæ Mariæ Templo agitari, nonnulli etiam ex aliis portis non gregatim sed singillatim convenerunt. Quæ res posteaquam tyrannidis principibus cognita est, mittunt Lampugnanum Biragum collegam suum, virum callidum & non infacundum, ut eos cives, quibus posset verbis deliniret, hortareturque, domum abirent, futurum annuntians, ut rem omnes audirent gratam & salutarem. (135) Ad hanc orationem ita omnes excanduerunt, ut vix sine magno periculo se inde eripere potuerit. Nec multo post Dominicus Pisaurensis publici præsidii præfectus, justitiæque Capitaneus, quem ibi Picininus reliquerat cum magna lictorum & satellitum manu eques advenit, laqueos permultos, quibus gulæ fontibus franguntur, secum ferens ad eos vel plectendos, vel perterrendos, qui eo loci injussu principum convenissent. Quod ubi cognitum est, è vestigio cives Templum egressi in Dominicum impetum faciunt, & in fugam vertunt. Deinde more patriæ quemadmodum in hujusmodi tumultibus fieri solet, tamquam adversùs patriæ hostes Templi campanæ pulsantur, quo cives omnes tyrannidi infesti undique continuo illo convenirent. Quo signo non sine magna trepidatione plerique convenere, qui inter sese quid agendum esset consultantes, decreverunt unum aut duos veluti duces coactæ multitudini præficere. Hi fuere Gaspar Vicomercatus, (136) & Petrus Cotta, haud rerum ignari. Sed Gaspar bellicarum peritior, qui ab ipsa usque adolescentia sub Francisco Sfortia meruerat. Nec multo post eodem accessere cum alii nonnulli, tum Johannes Stampa cum quatuor suis fratribus, juvenis sane & manu promtus, & animo ad ulciscendum acerrimo. Quare ex communi omnium consensu factus est impetus in Curiam principum. Sed ii cum forti multaque factiosorum civium manu sese muniissent, conatus omnis frustra fuit. Quin cùm utrimque in ipso Arengi foro, ut vulgo dicitur, mutuis vulneribus confoderentur, tamdem invadentes illi paulatim pugna cessere, plerisque etiam fuga salutem quærentibus. Hi cùm recta peterent Orientalem Portam, Franciscus quidam ex Triulcia familia adolescens, qui vulnere esset affectus, conversus ad fugientes: *Quo fugimus*, inquit, *cùm nos insequatur nemo?* Qua voce exaudita mox Christophorus Pagnanus excepit, inquiens: *Nonne hunc adolescentem auditis? Quo enim fugimus homines ignavissimi?* Ex quo rursus ad Gasparem conversi omnes, qui erat in extremo agmine, frustraque fugientes revocabat, se recipiunt. Nam Petrus Cotta cùm vidisset tantam animorum mutationem atque discordiam, se inde amoverat extra Urbem abiturus, aut salutis servandæ gratiâ, aut festino equo Franciscum auxilii causâ petiturus. Is dum concitato equo iter facit, interceptus ab iis, qui Portam Comensem præsidio servabant, in carcerem conjicitur. Gaspar ubi omnes rursus in unum convenisse videt, accommodata oratione ad bonam spem, vincendumque adhortatus, ne se à cœptis conatibus subtrahant, & monet & rogat, demonstratque, si secus fècerint fore, ut in sequenti nocte singillatim inimicorum jussu captivi facti obtruncentur. Quod si una omnes fuerint, non modò nihil mali posse accidere, sed perditis inimicis secunda omnia eventura. Nec credendum esse inimicorum blandiciis. Miserant enim principes subdolum nuntium, qui omnes hortaretur, ut positis armis singuli domum repeterent, cum postridie futurum doceret, ut & bene consuleretur Reipublicæ, & pacata omnia atque tranquilla forent. Quibus auditis omnes majore

(134) MS. Dum hæc in Mediolanensibus à duobus potentissimis exercitibus geruntur, Mediolani in dies magis atque magis durius haberi, periculosiusque laborari inopiâ rei frumentariæ, & esurie multi mortales quotidie interire. Nam eo deventum erat, ut supra demonstravimus, ut nullo animali, quod genus abhorret humanum, Plebs abstineret. Discordiæ simul &c.

(135) MS. Is cum venisset in locum, & accurata oratione civium animos suam in sententiam trahere studuisset, ita omnes &c.

(136) MS. Qui postridie illius diei ob Civitatis calamitatem decessurus erat ad Sigismundum Malatestam, quique domi erat, & non procul à Templo; & Petrus &c.

fore animo, majoribusque viribus adversus inimicos (137) irritantur. Melchior Marlianus cum non mediocri armatorum manu auxilio venerat, animumque pugnantibus addiderat. Dubitabatur de Ambrosio Triulcio, qui ut erat animo audaci & temerario, contraria sentire videbatur. Cum inter consultandum nonnulli dixissent, optimum, quà Dux Maria vidua Philippi quondam uxor in postrema habitabat Curia, per posticum iter ad invadendum esse, quod ea parte minus erat custodiæ, idque alii nonnulli affirmassent, quidam Johannes Andreas Tuscanus subdidit: *Ego ut spero, tutum vobis ingressum tradam eo ostio, quo à posteriore parte itur in Curiam. Nam illac mihi aditus semper patet ad Mariam Ducem*. Itaque cum nox jam esset, adolescentem omnes sunt secuti. Venit ille ad ostium, & cum signum dedisset, ut consueverat, illico valuis patefactis ingreditur. Hunc Gaspar, & Johannes Stampa, & cives armati permulti subsequuntur. Et deinde reliqua multitudo maximo impetu in Curiam est recepta. Quæ res ubi & strepitu & clamoribus est audita, qui in anteriore erant curia, omnes in pedes sese dedere, & nusquam converti, sed singuli saluti fuga consulere. Quo tempore magnus civium numerus per anteriorem januam in Curiam irrumpere, & cœlum ac terram fragore vocibusque confundere, Gaspar, & Johannes primi scalas ascendere. Cetera turba confestim subsequi. Sed ubi tamdem per interius deambulatorium, quod sursum est, devenitur ad illud ostium, quo itur ad id cœnaculum, quod interiori adhæret turri, ubi libertatis principes residebant, occurrit advenientibus Leonardus Venerius Venetorum legatus. Qui cum insolentius ingruentes cives appellaret, severiusque accusaret, illico multis confossus vulneribus cecidit. Qui præerant magistratui, nondum enim eo usque se loco dimoverant, facie perterriti tanto facinore in fugam se omnes vertere. Itaque universa jam Curia potiti cives, ac è truculentissimæ tyrannidis jugo patriâ liberatâ, ad singulas Portas concurrere. Unde qui præsidio fuerant collocati, metu perculsi, alii se continuo surripuerunt, alii persuasi ultro Portas dedidere. Una relinquebatur Porta Romana, quæ firmissimo munita præsidio nullis neque suasionibus neque minis concedebat, freta illa quidem Ambrosio Triulcio. Is unus perinde ac in porta princeps reliquis civibus acerrime resistebat, non ideo quod repugnare posset, & quæ gerebantur impedire. Sed quia posteaquam animadvertit nullam ejusmodi pestiferæ libertatis spem esse relictam, novitatis principibus socium se adjungere voluisset, quo Francisci animum eo beneficio sibi reconciliaret. Sed ubi multi eum perhumane sunt allocuti, & Melchior Marlianus affinis non solùm adhortaretur, sed & rogaret, oraretque ne à ceteris civibus unus dissentiret, maximumque & imminentissimum periculum prospiceret, vix tamdem coactus concessit.

Cum jam universa Civitas consentiret, ac omnes rem gestam laudibus ferrent ad cœlum, diesque illuxisset, primarii cives convenerunt in idem Sanctæ Mariæ Scalaris Templum, unde tam præclari facinoris, ut demonstravimus emanarat initium. Multa in ea consultatione diu ac multum inter se disseruerunt, cum plures vellent liberam Civitatem & principem nullum admittere, nonnulli Francorum Regem, Sabaudianorum alii Ducem, alii Alphonsum Regem accersendum censerent, qui tanti principatus administrationem susciperet, aliis Pontifex Maximus placeret. Venetos cuncti odisse. Franciscum Sfortiam nominare nemo audere sive propter recens bellum, quo in tantam esuriem universus Populus esset redactus, sive ob vetus odium, quia cum Venetis societatem iniisset. Quum in tam variis civium voluntatibus nil sani consilii discerni posse videretur, tum Gaspar aut quod ita sentiret, aut quia Francisco sub quo, ut diximus, diu meruerat, summo esset affectus studio, sic accurata oratione ostendit. Nihil magis Reipublicæ Mediolanensi commodo fore, quàm si Franciscus Sfortia in Civitatem reciperetur. Itaque omnium primum demonstravit de statu publicæ libertatis nullam haberi posse rationem, non modò quod intestinis discordiis ac seditionibus universa Civitas laboraret, verum etiam quod omni exhaustâ pecunia amplius bellum sustinere, undique hostibus circumsepta in tanta rei frumentariæ penuria intolerabilique fame nullo pacto posset. Summum Pontificem, & Carolum, atque Alphonsum Reges propter longius locorum intervallum auxilio esse qui posse dicerent, eos sua plurimum opinione falli. At Sabaudianum Ducem nullarum esse omnino virium. Itaque aut Venetis succumbendum esse, id quod omni morte calamitosius foret, aut Franciscum Philippi Ducis generum & adoptione filium vel hereditario quodam jure admittendum, qui eo ingenio, ea humanitate & mansuetudine sit, ut non Reipublicæ Dominus, sed perinde atque communis quidam Mediolanensium omnium socius, atque pater futurus esset. Præter eum neminem esse, qui uno die & bello & rei frumentariæ inopia oppressam Civitatem liberare posset. Vix credibile est, quam brevì momento omnes omnium animi in eum ipsum Franciscum conversi sunt. Decretum, ut celeriter ad illum Gaspar proficisceretur, & quæ esset publica voluntas, eum doceret, & quamprimum Urbem petere, & ingredi hortaretur. Cum his de rebus Franciscus crebris nuntiis factus esset certior, per Leonardum Garimboldum & quemdam Aloysium tubicinem, continuo hoc tam felici nuntio lætus Deo immortali gratias agit. Deinde castrorum equitumque præfectos præcipue Robertum atque Salernitanum, qui hostibus, ut prædiximus, proximi erant, edocet, ut in armis sint, vel ad invadendos hostes, vel Mediolanensium ad Urbem petendam primo nuntio signoque parati. Ceterum Mediolanum celeriter mittit cum iisdem nuntiis ac ducibus, qui quo in statu res sint, quidve opus sit facto cognoscant, atque renuntient. Interim ubi dies venit, convocato concilio, quidnam in præsentia sit utilius atque magis necessarium, aut

(137) MS. sunt, irritantur, atque inter se se de agenda invasione consultabant. Multum enim ad rem proderat Melchior Marlianus, qui cum non &c.

aut in hostes toto exercitu proficisci, quos adeo repentina rerum Mediolanensium mutatione perterritos facile arbitrabatur, aut Mediolanum properare, civiumque animos depositis armis ad bene quieteque vivendum confirmare proponit. Placuit majori præfectorum parti, in hostes celeriter contendere. At Franciscus præfectorum consilium Urbe nondum in potestate recepta improbat, ac esse Mediolanum properandum demonstrat. Ejus igitur consilio communi omnium voce laudato, cum peditatus equitatusque delectu, quem tunc apud se habebat, celeriter Mediolanum ire contendit. Cui in itinere Nobiles quamplurimi obviam occurrunt, consalutant, congratulantur, & ut confestim ad capessendum Urbis imperium maturaret, hortantur. Paulo post Gasparem comperit ad se maturantem, qui itidem eum ad Urbem celeriter proficisci hortatur, quod res propter nonnullorum audaciam, qui eam novitatem molestissime ferebant, nullo adhuc imperante in magna erant trepidatione atque periculo positæ. Quibus cognitis, male suos eo mane consuluisse ait, qui prætermissa ad Urbem profectione ad invadendum hostem iter faciendum suasissent. Ceterum infinita pæne Populi multitudo, qua Franciscum venturum existimabant, effunditur, tum novi Principis visendi studio, tum cibi ab advenientibus militibus petendi gratiâ. Tanta autem fuit hominum frequentia, ut ad decem passuum millia ager undique compleretur. Quibus esurientibus satis pro tempore à militibus ipsis gratis subvenitur. Nam tantum quisque panis detulerat, quantum pro facultate poterat. Operæ pretium quippe erat, circumspicere qua frequentia, quave aviditate Mediolanenses panem è militum brachiis aut collo aut humero pendentem certatim carpebant, quave voracitate edebant. (138) Nonnullis erat in ore; *Hæc dies, quam fecit Dominus, Exultemus, & lætemur in ea*. Ubi ad Novam Portam ventum est, qua tutior futurus affirmabatur ingressus, propterea quod qui eam Urbis partem incolebant, primi, ut demonstratum est, arma sumserant, fit ab Ambrosio Triulcio aliisque civibus perpaucis ingrediendi difficultas, tum quod ipsius portæ aditus grandi materie repletus & occlusus, ponsque interruptus esset, tum quod prius in Urbem quàm Dux reciperetur, de conditionibus agere volebant. Quare Franciscus perturbatus ad Gasparem conversus: *hoc si præscissem*, inquit, *hucusque non venissem, sed alio his rebus tutiore consilio prospexissem*. At Gaspar, qui liberum in Urbem aditum omnium consensu illi patere dixerat, non modò pudore ductus, sed aliorum civium favore, Principisque præsentia incensus, Francisco ingressum negantes increpat, datque operam, ut Porta recludatur, ac omissis civium postulatis Franciscum recta introire Urbem hortatur. Introductus magna omnium lætitia excipitur. Nam ut magna civium multitudo obviam exierat, sic maxima intus exspectabat. Tum consalutationes lætissimæ fieri, festivi clamores ad cœlum tolli, Ducale, Sfortianumque

A simul nomen omnes conclamare. Omnes dexteram certatim attingere conari, contactaque gaudere. Tanta & tam crebra, tamque conferta Populi multitudo eunti illi occurrebat, ut quod vix credi possit, equus, quo vehebatur, civium veluti humeris multum spatii comportatus sit. Erat autem Franciscus Sfortia majestate quadam supra mortalem, facie serena atque hilari, sermone mira suavitate condito. Quare non minus reverenter excipiebatur ab omnibus quam familiariter, & ipse quadam facilitate, benignitateque omnes excipiebat. Ceterum omnium primum celebre Mariæ Virginis Templum petit equo insidens; nam propter frequentissimos civium B globos equo descendere non poterat. Confertissima inter armatorum millia Deo immortali, Virginique Matri gratias agit. Deinde in Forum, quod Viridarium appellant, proficiscitur, quo in loco antiqua ac nobilis Marlianorum familia ædes possidet. Hic cum ita eques, ut erat, apud virum gravem Albertum Marlianum ante ejus ædium limina familiarissime aliquanto panis miliacii sumto modice bibisset, Carolum ad se vocat. Huic mandat, ut cum peditatus parte in Curia præsideat, portarum arces communiat, tumultus rapinasque reprimat. Arma deponi jubeat, nulli injuriam fieri patiatur. Cives omnes servari incolumes Principem velle C pronuntiandum curet. Denique Civitatis totius negotia ad suum usque reditum suscipiat. Ipse per Orientalem Portam egressus, & Vicum Mercatum, unde discesserat, reversus, quo celerius Civitas fame eximeretur, per universam ditionem suam pronuntiari jubet, licere cuique cibaria Mediolanum comportare absque vectigalium exactione. Ex quo Civitas intra triduum tanto commeatuum omnium genere abundare cœpit, ut obsessa numquam, aut fame pressa fuisse videretur. (139) Ejusdem precibus Cremonenses, atque Papienses magnam panis, triticique copiam ex publico comparatam Mediolanum devehendam, & in pauperes distribuendam cu- D ravere. (140) Interea Roberti nuntius advenit. Ab eo cognovit Sigismundum, Venetosque legatos, ubi ex crebra ignium significatione, qui à nostris lætitiæ gratiâ fiebant, de Mediolanensium deditione cognoverunt, re multis etiam nuntiis confirmata, gravi illico dolore affectos, magnoque insuper timore perculsos esse, communicatoque consilio, cum cis Adduam commorandum amplius non videretur, præmissis impedimentis, relictoque in postremis peditatu, flumen summa celeritate trajecisse, eorumque novissimum agmen Robertum Salernitanumque invasisse. Sed ob nostrorum paucitatem ita hostes pugnam sustinuisse, ut copias E ultra flumen incolumes reduxissent. Quo flumine superato pontem fregisse. Post ubi Vicomercato ad multam noctem appulit, mox & Romano Pontifici, & cunctis fere Italicis potentatibus, & plerisque etiam exteræ nationis Regibus atque Principibus, de parto Mediolanensi imperio communicandæ lætitiæ gratiâ literas dari jubet, & Angelum Simo-

(138) MS. Ex his verò propheticum illud multis erat in ore: *Hæc dies* &c.

(139) MS. Civitatibus deinde imperavit, ut cumulatissimè voluntati suæ satisfacere conarentur. Et ob id, ac etiam egentium pietate commoti viri Cremonenses atque &c.

(140) MS. His rebus constitutis, quum de hostibus equitando Franciscus sermonem faceret, Roberti nuntius &c.

Simonetam, & Nicolaum Arcimboldum, quos Anno superiore Ad Alphonsum Regem legatos miserat, ad se rebus prætermissis omnibus revocat. Ejus legationis mittendæ causâ fuerat, ut cum eo Rege, qui tunc cum Venetis maritimo bello contenderet, societatem legati inirent, auxilium conficiendi Mediolanensis belli peterent, & ad ulciscendas adversùs communes hostes injurias vehementius volentem impellerent: (141) quod Alphonsus dixisse ferebatur, libenti se animo fœdus cum Francisco percussurum, auxilioque adversùs Venetos mercatores futurum, si ex suis aliquem ad se mitteret, quo cum his de rebus agere posset. Idemque postea Palermus Neapolitanus familiaris regius Francisco coram affirmarat. Sed ignoratur, quo pacto post legatorum adventum Rex mutato consilio Pisleonem Oppidum, & Urbem Parmam, si de societate auxilioque petito transigendum esset, tradi sibi postulasset. Deinde post biduum Modoëtienses, Comenses, atque Bellincionenses, quos ex omni Longobardia in fide Mediolanenses continuerant, in deditionem accepit. Præfecti quoque Arcium eodem usi consilio, ei sese nullo negotio permisere.

His rebus confectis, cùm exercitum diuturno labore, hyemisque tempore jam prope confectum reficiendi causâ dividi oportere animadverteret, neque defatigatis etiam tot maximisque bellis Longobardiæ Populis adversùs Venetos in bello perseverandum judicaret, in omnes Civitatum fines distribuit. Idem faciunt Veneti; præcipue Picininum, quem conduxerant, in Brixiensibus considere jubent. Peditatum in Bergomensibus atque Transadduanis collocant. Sigismundum in Flaminiam, Picentesque remigrare permittunt. Pontemque prætereca, quem paucis ante diebus in Addua apud Oppidum Ripaltam lintribus construere cœperant, lignea materie conficiendum curant. Neque enim ulla vi aut arte ab eo opere repelli potuerant, quod ab altera fluminis ripa Oppidum erat, ab altera ramus quidam à flumine ipso derivatus è regione Oppidi defluebat, qui nullo vado transiri quiverat, Insulamque quamdam parvulam efficiebat. Ibi Castellum fascibus, cratibus, tignis, & cespitibus construxerant. Quæ res pugnantibus sæpe nostris ita obstabat, ut minus cœpto ab opere hostes amovere possent. Profectis in hiberna militibus Franciscus Modoëtiæ aliquot dies manendum sibi censuit. Quod Oppidum est & satis amœnum Mediolano propinquum. (142) Et quoniam nisi pacatis Mediolanensium civium rebus, quo securiore, jucundioreque animo ibi esse posset, proficiscendum sibi in Urbem non videbatur, ad sextum Kalendas Apriles profectionem eam differendam constituit; quod is dies ob salutarem Beatæ Virginis Annuntiationem annua festivitate celebris, & ad Dei honorem, & ad pompam pro principatus dignitate aptior visus esset. Interea res urbanas componere studet, viros graves, rerumque peritos designat, quorum alii negotiis publicis intendant, alii jus Populis reddant, alii ærario præsint. Eos autem cives, qui novissimum magistratum gesserant, quoniam universa pæne Civitas ob multa ab eis impie crudeliterque gesta, incredibili capitalique odio insequebatur, velut etiam eam fortunæ ac imperii felicem mutationem deflentes, partim Papiam, partim aliò relegavit. Ambrosium Triulcium Antonii nepotis ex fratre precibus donatum, quem ob singularem veteremque in se fidem unice diligebat, rus in perpetuum relegavit. At Ossonam, & Applanum, qui præter ceteros in Nobilitatem sævierant, & ob id mortis metu latitabant, carcere servandos imperavit. Dum Modoëtiæ moratur, magnus civium Mediolanensium numerus ad eum quotidie confluebat, tum revisendi, contemplandique studio, tum gratulandi, & consalutandi gratiâ. (143) Ab iis carmina, ab iis elegantissimæ

(141) MS. Quas quidem res facile à potentissimo, & lacessito, iratoque Rege impetrari posse arbitrabatur, quum præsertim accessisset ad hæc, quod Alphonsus &c.

(142) MS. Ubi ædificata est domus amplissima, fossâ, duplicique muro munita. Et quoniam &c.

(143) MS. illum adibant. Fuere autem inter eos ex Nobilitate cives complures, qui proxima falsæ libertatis tyrannide multis variisque contumeliis affecti, novoque imperio læti, simul hanc, uno tantummodo in multorum conspectu verba faciente, ad Franciscum orationem habuere. *Quum ex felici, jucundissimoque primo tuæ sublimitatis in Mediolanensem Urbem ingressu, invictissime Princeps, renovata sit mirum in modum universæ Civitatis facies, quæ paucorum prius perditorum hominum fraude seducta, crudelique tyrannide dilacerata, nunc denique tuæ serenitatis lumen, atque splendorem faustis oculis contemplata est; unoque & eodem brevissimo temporis momento triste bellum cum suavissima pace, intestinas domesticasque seditiones cum tranquillo otio, intolerabilem famem cum rerum omnium opulentissima ubertate, tuæ sublimitatis divino beneficio commutavit. Incredibile est, quanto tui desiderio universa Civitas ipsa exarserit, quantove studio exoptet facultatem sibi dari, ut clementissimo tuæ serenitatis aspectu quamdiutissime perfruatur. Quod tantum commune omnium desiderium & ardorem ingenti lætitia explevit perlata recens in Urbe fama, & exstante hesterna concione summo cum applausu confirmata, te, antequam ad proterendos, subigendosque hostes proficiscare, velle demum Urbem tuam Mediolanum cum decreto tibi jure triumpho revisere, tuâque præsentiâ aliquot dies recreare. Quid enim optabilius audiri, quid gratius, quidve jucundius intelligi potuit? Æquiore siquidem animo deinceps te feliciter bella gerente, desideria nostra sustinebimus, & eo maxime quod cum tanta sit apud omnes divinæ tuæ virtutis opinio, auctoritas nominis, cognitaque rei militaris scientia, & perpetua in gerendis bellis felicitas, quanta cuiquam prorsus mortalium contigit, jam sane persuasum est omnibus nobis, te partâ propediem justissimâ de ingratis jamque perterritis hostibus victoriâ, cum pulcherrimo secundo triumpho in Urbem tuæ sublimitati fidelissimam brevì rediturum. Et quisnam tuis in manibus jam certam esse victoriam dubitaverit, si divinas virtutes tuas contempletur? Sed dum brevitati studeo, inauditam seculis nostris clementiam tuam cursim prætereo, quæ sola hominem Deo proximum facit; qua quum semper in omnes usus fueris, non minus parcere quàm vincere assuetus, nuper verò eam maxime ostendisti, cum præter spem, & eorum, quæ egissent, conscientiam, incolumes eos esse jusseris, qui non tam tibi, quàm communi patriæ obstinatissimo & capitalissimo odio sunt adversati. Et cum hactenus de hostibus semper victoriam reportaveris, nunc vicisti profecto victoriam ipsam, quæ de sui natura cum sit insolens & superba, nihilo tamen te reddere potuit elatiorem, nihilo quam antea minus humanum atque clementem. Quin cum ceteris virtutibus reliquos Duces ac Principes facile omnium judicio superes, hac una clementia te ipsum superasti. Sed non omnia persequi tam brevi spatio datur. Illas tantummodo imperatorias, quas dixi, virtutes in te sitas enumerando magis quàm enarrando attigisse satis fuerit. Quis enim vel*

ſimæ orationes ſubinde recitatæ ſunt, cum de rebus ab eo præclariſſime geſtis, tum verò de reliquis ejus virtutibus certatim quiſque verba facere adniteretur. Ut vero dies ingreſſui dictus venit, Franciſcus ad viam, quæ è Mediolano Papiam ducit, non procul à Ticinenſis Portæ ſuburbiis mane ſe contulit. Huc jam, ut erat conſtitutum, Blanca uxor advenerat cum Galeacio filio, & Alexandro, magnoque legatorum, & matronarum numero. His equitum præfecti duceſque ornamentis militaribus mirifice compoſiti paucis cum delectis equitibus turmatim inſtructi addebantur. Cives verò Mediolanenſes, qui novum Ducem recipiant, Urbis primores conſtituerant, utque ejus in Urbem honorificentior eſſet ingreſſus currum triumphalem, & umbellam ſerico albo auro intertexto, paraverant. Quibus rebus comparatis cum ingenti civium multitudine maximaque omnium lætitia Principum adventum pro porta exſpectabant. At Franciſcus qui pro ſua modeſtia, ut coram laudari æquo non ferebat animo, ſic etiam pompas hujuſmodi abhorrebat, quod Regum hanc eſſe maximorumque Principum ſuperſtitionem diceret, & currum aſcendere, & umbellam ſubire negavit. Itaque Urbem ingreſſus, recto itinere incredibili pœne Populi concurſu ad ſacrum maximumque Beatæ Virginis

vel admirari ſufficiat ſummum in providendo conſilium, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo? Quis rurſus tantam in obeundis periculis & corporis & animi fortitudinem audivit umquam? Quis tantam in dignoſcenda temporum ac locorum opportunitate proſpicientiam? Quis inſuper tantam parta victoria modeſtiam & temperantiam? & in regendis Populis innocentiam, fidem, ſapientiam, incredibilemque in admittendis ad ſe omnibus, ac audiendis etiam infimi ſubſellii hominibus benignitatem & facilitatem parem nedum legendo comperit, ſed ne ſuſpicando meditatus eſt? Ad ſcientiam rei militaris breviſſime tranſeo. Qua una quis te umquam vel maximus quivis imperator magis inſtructus; qui incunabula tua & prima tyrocinia pubertatis intra ipſa paterna caſtra depoſuiſti? In caſtris natus patriis, nutritus in armis, ſingulari quodam omine, divinaque providentia jam Princeps futurus videbaris. Supra ætatem igitur, & ante omnium exſpectationem patrias artes adhuc puer induiſti, ſigna ducere, fortiter facere, hoſtem vincere, victis verò divina etiam virtute ignoſcere. Itaque non immerito ſubſequuta eſt hanc tantam rei bellicæ ſcientiam, maxima tui excellentiſſimi nominis auctoritas, quam hoſtes etiam ipſi verentur atque formidant. Quoties illud miraculo ſimile viſum eſt, ut pugnantibus hoſtibus tuas adverſus acies longe numero ſuperioribus, ubi in ipſo belli fremitu conſpectus eſt tuæ majeſtatis fulgor, concidiſſe pronos ex hoſtibus permultos, & poſitis telis tuam ſublimitatem fuiſſe veneratos? Interrogare hoc loco mihi libet peritiſſimum quemque rerum geſtarum, cui umquam maximorum exercituum imperatori tanta nominis auctoritas, tanta contigit majeſtatis veneratio?

De felicitate verò tua tam breviter parciuſque loqui propemodum erubeſco, quæ pulcherrimis ac longiſſimis eſt Annalibus referenda. Siquidem tibi imperatorum omnium feliciſſimo numquam fortuna ſupra animum fuit. Nam cum univerſam Italiam victoriis & triumphis tuis repleveris, commiſſoque toties prœlio numquam niſi victoriam reportaveris, & quod de magno Pompejo à Cicerone relatum eſt, pluries cum hoſte vincendo conflixeris, quam quivis alius cum adverſario concertaverit, majus tamen quiddam, quam quod à mortali viro confici poſſit, in admirabili virtutum tuarum ſplendore & continua felicitate homines intuerentur. Ignoſce, clementiſſime Princeps, pauca mihi è plurimis pro temporis anguſtia recenſenti. Illud enim unicum ſilentio præterire nefas duco, in quo quanta eſſet imperatoria tua virtus, haud obſcure apparuit. Aggreſſus tua caſtra in Picentibus audaciſſime, ut ſolebat ſemper, Nicolaus Picininus, is qui magnis Urbibus & Populis terribilis erat, ac viribus & exercitibus etiam invictus habebatur, conſertâ ſæpe pugnâ, acerrimo marte à te ſemper victus, ſuperatus, & profligatus eſt. Nec minus paulo poſt tempore filios, ac potentiſſimum Eugenii Romani Pontificis exercitum fudiſti atque fugaſti, & Franciſcum Picininum natu majorem inter ceteros belli duces cepiſti. Quibus ſolatio certe fuit à maximo duce fuiſſe ſuperatos. Sed quid tempora aut loca remotiora quærimus, quum nuper ipſi & audiverimus & viderimus, non auſas eſſe maximas Venetorum equitum ac peditum copias cum omni eorum bellico apparatu, non dicam manum conſerere, ſed ne propius quidem caſtra movere. Verùm ubi ſe munitiſſimis locis diutius continuiſſent, quum primùm Mediolanum ſe fidei tuæ dedidiſſe cognoverunt, præcipiti fuga trans flumen Adduam ſalutem ſibi quæſiverunt. Cum iis igitur hoſtibus nunc tibi res gerenda eſt, quos olim quum te amicum & auxiliatorem ſano iſi conſilio habere ſtuduiſſent, ſolus ab imminenti excidio & ruina liberaſti. Rurſus quum ingrato, ut ſolent, uſi animo te ſibi hoſtem effecerunt, eorum militiam omnem, copiaſque maximas fortiſſime ad Caravagium ſtraviſti ac profligaſti, inſtructiſſimas claſſes deleviſti, munitiſſimas Urbes vi ſubactas ab eorum manibus eripuiſti. Quas ob res adversùs hos tam ingratos totieſque victos hoſtes conſumatam cernimus præſto tibi adeſſe victoriam, cujus deinceps maxima & certiſſima te præmia manent tot inclytæ Urbes, tot frequentes Populi, tot fertiliſſimi agri, qui tibi paterno avitoque Ducatus jure debentur, tuæque clementiæ ſinu confoveri avidiſſime præſtolantur. Nobis verò & univerſæ huic patriæ tuæ Mediolanenſi perpetua pax ſecuriſſimam quietem, exoptatiſſimæque felicitatis fructus eſt paritura. Secundis igitur rebus incumbe, oramus, obſequentemque tibi fortunam latus amplectere. Nec enim humano ſolùm conſilio hæc tanta fiunt, ſed divina providentia, cui tu religioſiſſime ſervis. Et illud etiam maxime mirabile ſit, inter continuos armorum ſtrepitus, ſemper tamen à te divinæ Majeſtatis cultum devotiſſime ſervari. At nos interea, dum expeditionem bellicam paras, ſolabitur maxime & recreabit tuæ ſublimitatis aſpectus, ac pulcherrimæ & pudiciſſimæ conjugis Blancæ Mariæ præſentia, quæ magni quondam Philippi Mariæ Ducis unicum germen, tuæque felicitatis pars non minima, parens fœcunda, pulcra te prole parentem fecit. Illa inquam diva Blanca noſtram felicitet Urbem. Illa matronarum noſtrarum frequentiâ celebretur. Illa regios à nobis honores accipiat, ac ſuâ pariter munificentiâ, clementiâ, reliquarumque virtutum ſuarum ſplendore Mediolanenſium Urbem illuſtret. Ceterum quum præſtantiſſima omnia & animi & fortunæ bona Majeſtas Divina in te congeſſerit, nec etiam quæ corporis ſunt, deſideranda reliquit. Sed ejus rei certiſſima fides oculis noſtris ſubjicitur. Admirantes enim non ſine ſumma animorum jucunditate decentiſſimam corporis tui proceritatem, abſolutiſſimam membrorum compaginem, & lineamenta, intuemur profecto ipſum corpus tuum & ad militiam, perferendoſque labores, & ad ſpeciem ac decorem à ſummo Opifice Deo omni ex parte pulcherrime fabricatum atque perfectum. Itaque glorientur quantum libet antiqui Vates, aurea Saturni Secula prædicantes. Quin & Romanis ipſis rerum dominis fauſtum fuerit Auguſto imperante vivere contigiſſe, pro cujus ſalute nummi aurei quotannis in Curtii cloacam congerebantur. Nobis multo major ac melior ſpes & dies illuxit. Nos longævæ felicitatis & gloriæ munera te Principe allata & videmus & ſentimus. Exemti enim per te ſumus & liberati cunctis hoſtilibus inſidiis, ſeditionibus inteſtinis, calamitatibuſque teterrimis; nulla non modò adverſa formidantes, ſed in ſumma triumphorum tuorum exſpectatione poſiti, ſummam tui nominis & Urbis noſtræ, immo tuæ, gloriam jam in limine ipſo intenti adeſſe confidimus. Nos te clementiſſimo Principe gloriamur. Nos te invictiſſimo Duce noſtro triumphamus. Ut verò dies ingreſſui &c.

nis Mariæ Templum proficiscitur. Hic cum ad ipsius Templi vestibulum constitisset, veste alba serica ad pedes usque effusa induitur, quam Duces de more in auspicando principatu induere solent. Deinde cum Blanca conjuge sedens, Dux jam Mediolanensium electus, Guarnerio Castilioneo magni consilii, magnæque doctrinæ & eloquentiæ viro dicente, Ducali dignitate insignitur, & una omnium voce consalutatur. Mox cives à Portis singulis Urbis electi jurejurando deditionem, fidemque perpetuam confirmarunt. Imperii Sceptrum, Ensem, Vexillum, Portarum Claves, & Sigillum, quo priores Mediolanensium Duces usi fuerant, ad veræ imperii ipsius translationis documentum tradiderunt. Itaque ex eo tempore pro Civitatis jure & auctoritate à cunctis nationibus præterquam à Frederico Tertio Romanorum Imperatore, quod mortuo sine liberis maribus Philippo Longobardiæ principatum ad Imperium rediisse, & à Carolo Francorum Rege, quod Philippo ipsi in eo principatu Aurelianensium Ducem consanguineum suum hereditario jure successisse dicerent, Mediolanensium Dux semper est appellatus. His peractis Galeatium primogenitum suum Papiensium Comitem nominat. Deinceps Gasparem Vicomercatum Comitatus titulo decorat, qui postea Valentia nobili Oppido in ipsius tituli honorem meritorumque gratiam donatus est. Dies deinde quinos in Urbe celebrandos indixit, quo tempore ad communicandam cum novis subditis, conceptam ex tanto dono cœlitus dato lætitiam convivia lauta, magnifica & sumtuosa peregit. Et ad ea non modò reliquarum Civitatum Proceres accersiti, sed frequentes etiam ex Mediolanensium primoribus utriusque sexus benignè invitati convenere atque discubuere. Quicquid autem infra prandium cœnamque intercedebat temporis, id totum placidis hinc choreis, illinc hasticis ludis trahebatur. Armati equites bini currentibus equis invecti conversis invicem hastis pari longitudine, & tricuspide ferro præfixis committebantur. Hos ad lævam scutum tegebat in medio linea quadam signatum. Hanc infra adacti ictus inanes habebantur, supra verò quanto feriebant altius, tanto gloriosius ducebatur. Quin si cassidem è regione frontis lancea attingebat, pro singulis ictibus duplices annotabantur. His dati cum legibus ipsis à Francisco judices erant rei militaris, & ludi ejusdem peritissimi, ne quis sua laude fraudari posset. Quo fiebat, ut omnes cum proposita præmia, quæ quisque pro gloria maximè appetebat, tum etiam eorum, qui spectaculo aderant præsentia, in primisque Dux ipse, quem suæ virtutis testem habebant, ad pugnam admodum inflammarent. Hic pulcherrimum erat confractis hastis volitantes per aëra truncos cernere. Alios equites impares congressos validioribus cùm illatos ictus perferre non possent, nunc dejectos ephippiis humi semianimes prosterni, nunc vacillantes, pendulos-

A que, & resupinos interdum, ut cadere viderentur, resumto spiritu certamen redintegrare. Quibus rebus facilè accidebat, quod erat necesse, ut perinde ac suum quemque movebat studium, aliique aliis favebant, ita ex vario eventu in timore spes, & in spe timor sæpius oriretur. In eodem ferè certamine ordo alter equitum versabatur, quem Franciscus in speciem lætioris spectaculi inter sese congredi jusserat. Paribus instructi armis erant, verùm æquata cuspide ferro, & iis ephippiis, quæ nulla haberent retinacula, & Theutonica ab usu illius gentis appellantur. Quibus cùm haud facile equites stare possent, sæpiusque ictuum impulsione dejicerentur, ingentem spectatoribus risum

B movebant. Centum dehinc & quinquaginta viros tam ex iis, qui tum simul discubuerant, quàm ex aliis, qui ad eum ex omnibus imperii finibus gratulatum venerant, multis veteribus recentibusque officiis obstrictos, ad equestrem Auratæ Militiæ ordinem dignitatemque evexit, quos deinde lætos, & pro cujusque merito donatos domum remisit. His rebus peractis, omni Longobardia pacata, tanta est belli hujus in omnes partes perlata opinio, ut etsi antea Francisci nomen ob magnum virtutum suarum culmen ubique celebre & gloriosum erat, magis ac magis tamen per universum ferme terrarum

C Orbem increbresceret, existimatioque simul ejus ac potentia summa cum virtute conjuncta pro maximis haberentur. Quibus rebus adductus Nicolaus Pontifex Summus cum literis tum nuntiis & patris & amici gratulando officium amanter persolvit. Florentini in primis ob veterem singularemque amicitiam incredibili lætitia affecti, egregiam ad eum legationem gratulatum misere. (144) Petrus Medices Cosmi filius, Nerius Capo Gini filius, Lucas Pictus, & Detesalvius Nigrus Neronis filius, legationis principes fuere, qui ingenti honore, lætissimaque fronte à Francisco excepti, dies quamplures

D Mediolani in deliciis fuere. Genuenses quoque, qui eo bello grandi illum pecunia juverant, Senenses, Lucenses, Anconitani, & plerique non tam Italicæ quàm Transalpinæ gentis Principes atque Respublicæ ad Franciscum legatos gratulatum miserunt. Solus Alphonsus Rex ac Veneti eo tempore nullum erga eum benivolentiæ argumentum ostendêre, virtuti, fortunæ, ac felicitati eius invidentes. Interim quoniam res Mediolanenses non satis firmæ tutæque videbantur, cùm Populus frequens assuetus armis, recentisque fucatæ libertatis memor, dirutis prostratisque paulò ante Arcibus, nimiâ licentiâ liber quodammodo esset, cunctas Urbis Portas Franciscus munire curavit, & antiquam

E Jovis Portæ Arcem funditus, ut initio demonstravimus, excisam, magna celeritate instaurare cœpit; quam insequentibus Annis magno sumtu non modò, ut ante steterat, erexit, sed amplificavit, & admirabili opere murorumque structura quammunitissimam reddidit.

(144) MS. Fuerunt namque ei legationi præpositi ex primariis Florentiæ Urbis Civibus viri præstantes quatuor, Petrus &c.

Explicit Liber Vigesimusprimus.

IN-

INCIPIT LIBER VIGESIMUSSECUNDUS.

EO Anno, qui fuit à Natali Christiano Quinquagesimus & Quadringentesimus supra Mille Franciscus quievit à militari quotidianoque labore. Quod posteaquam à literarum disciplina à patre in militiam revocatus fuerat, numquam fecerat. Quievit Italia omnis à bellorum motibus atque incommodis, quibus per superiora tempora terra marique pluribus in locis sæpe vexari solita erat. Nam dum ea, quæ supra retulimus, bella in Gallia Cisalpina gererentur, Alphonsus Rex in Etruscis grave Florentinis bellum intulerat. Veneti quoque cum eodem Rege in Siculis valida classe contenderant. Sed compositis postea rebus in pace atque amicitia vivebant. Soli Genuenses, fato quodam, civilibus intestinisque discordiis laborare soliti terra marique externis petitis auxiliis bello continenter exagitabantur. Interea verò Guilielmum Monferratensem, quem Papiæ retentum supra ostendimus, in libertatem restituit. Urbem Alexandriam cum omnibus adjacentibus Oppidis, quæ in illius erant potestate, ultro ab eo recepit. Ludovicum Mantuanum Principem propter opinionem sapientiæ, & rei militaris scientiam, in amicitiam sibi ascivit, stipendio, affinitateque obstrinxit. Quam rem Carolus, quod gravi simultate fratrem prosequebatur, adeò molestè tulit, ut non modò Venetos ad redintegrandum adversùs Franciscum bellum secreto cohortaretur, verumetiam se ad eos (145) transiturum polliceretur. Hæc ubi Franciscus intellexit, Ludovico renuntianda curavit. Qui etsi graviter admodum ferebat pro ejus animi integritate, egregiaque in omnes fide, quæ frater contra ejus nominis decus, familiæque Gonzagæ dignitatem, & antea egisset, & in præsentia moliebatur, tamen Franciscum rogat, ne quid in fratrem gravius statueret, consuleretque suarum rerum saluti si fieri possit, absque fraterni honoris offensione. Franciscus ubi in dies magis atque magis de Caroli perfidia, fugaque cognoscit, illum retineri, ac in Binaschi Arce custodiri jussit, qui quæ cum Venetis egisset fraterno odio impulsum egisse non negavit. Quare (146) Derthonam, quæ à Carolo possidebatur, equitatum peditatumque Franciscus abstulit. Verùm non multis post diebus illum Ludovici precibus liberavit, quem cùm frater præscriptis è locis non abiturum recepisset, in Novariensium Papiensiumque trans Ticinum fines relegavit. Sed his spretis ad Taurinenses primò, deinde per Genuenses, perque Lunenses ad Venetos profugit. (147) Post multos ac varios bellorum casus, variasque temporum conditiones atque calamitates, acerbissima pestilentiæ calamitas invasit. Nam ut plerumque propter præterita incommoda iis locis accidere solet, ubi diu bellum gestum est, in graves primò populosissima Mediolanensium Civitas ægrotationes incidit, deinde in morbos pestiferos; quo mala per loca evagato nulla Longobardiæ pars effugere potuit, quin maximam pestis vim Anno ferè integro perpessa sit. Accessit ad hæc mala, quod eo tempore sanctum Romæ Jubilæum Nicolao Pontifice Quarto celebrabatur, cujus gratiâ cum magna omni ex Christiana natione multitudo eò conflueret, & Transmontani complures per Galliam nostram Cisalpinam iter facerent, Civitates in ipso itinere positas pestilentia inficere cœperunt. Placentia primò inficitur, quæ Civitas ingentem defunctorum cladem pertulit. Dehinc Laus propter vicinitatem eodem morbo corripitur. Sed divina ope, & Francisci diligentia servata parum detrimenti accepit. In autumno verò ejus Anni atque hyeme, Mediolani cœpit pestis serpere, ineunte vere sequentis Anni invalescere. Æstate verò tantum incrementi sumsit, ut sæpe supra ducentos singulis diebus periisse compertum sit. Nec ullo humano auxilio occurri potuit, donec circumacto graviore anni tempore hyems, & frigorum siccitas finem imposuit. Cùm mortuorum numerum perquireret Franciscus, relatum est triginta millia non inclementiâ cœli, aut aëris corruptione, sed contagione Mediolani periisse. Ceterum Franciscus cùm universum ejus imperium tam proximo bello quàm recenti pestilentiæ clade defatigatum, labefactatumque videt, de pace sibi cogitandum judicat. Proinde ad Pasqualem Maripetrum, & Jacobum Antonium Marcellum Venetos in Transadduanis legatos mittit, qui dicerent, se recentium injuriarum oblitum pacem cum Venetis esse facturum, si Bripiensium Arcem, pontemque sibi restituendum, & alterum in Addua apud Ripaltam ædificatum rescindendum jusserint. At Veneti, qui cogitationem omnem ad occupandum Longobardiæ imperium verterant, oblatam pacem non autem postulatas conditiones placere sibi responderunt. Forte per id tempus magna inter eos & Florentinos mercaturæ gratiâ dissensione orta, Florentini qui in Venetis negotiabantur, Senatus edicto omni ex Venetorum ditione non sine gravi ignominia atque jactura ejiciuntur. (148) Florentini quamgraviter perturbati ad Franciscum Detesalvium Nigium (149) mittunt, qui de fœdere cum eo

(145) MS. suis copiis transiturum polliceretur, ac facile totius Longobardiæ imperio illos potiri posse demonstrabat. Nam neque diuturno bello, neque multo negotio Franciscum in principatu recentem atque pecuniæ, amicorumque inopem, aut rebus omnino spoliaturos, aut subacturos minime dubitabat. Hæc ubi &c.

(146) MS. Quo facto Derthonam in suam resumsit Franciscus potestatem. Quiæ Urbs, ut demonstratum est, à Carolo possidebatur. Idemque de equitatu, peditatuque actum est. Verùm non multis &c.

(147) MS. Sed enim etsi Longobardorum provincia post multos ac varios bellorum casus, variasque temporum conditiones atque calamitates, quas quadriennio pertulerat, biennio quieverit, & pacis commoda consequuta fuerit, acerbissima tamen pestilentiæ calamitas eam invasit &c.

(148) MS. atque deinceps iisdem locis negotiatione prohibentur. Florentini &c.

(149) MS. virum in Civitate præstantem, legatum mittunt &c.

eo agat. Accesserat ad hoc, quod præscriptum societatis tempus inter eos initæ effluxerat, qua obstricti multos per annos gravia cum Philippo bella gessere. Legato humanissime accepto Franciscus veterem necessitudinem novo fœdere firmandam comprobavit fœdere percusso ad quintum & vigesimum annum. Florentini ob acceptam injuriam auctore Cosmo Medice (150) ad suscipiendum adversùs Venetos bellum, Franciscum multis pollicitationibus impellunt. Veneti Francisci, Populique Florentini potentiam veriti ad Alphonsum Regem legatos mittunt, qui doceant (151) si Veneti succubuerint, nec eum diu Regno incolumi futurum, Franciscum, Florentinosque gravissimis injuriis lacessitos capitali illum odio prosequi, & Renati Andegavensium Ducis rebus favere, qui Regno ab eo pulsus jure Siculorum sibi Regnum posceret. Idcirco pro communi incolumitate optimum maximèque necessarium judicare, ut itidem mutuo se fœdere jungant. Alphonsus (152) odio quodam in Florentinos ejus virtutem sibi haud parum metuebat, & nominis celebritati Francisci invidens, oblatam ejus societatis occasionem admisit. Ita ad belli studia animos convertunt. Ille in Florentinos, hi in Franciscum uno tempore, ne alter alteri auxilio esse possit, arma sumere constituunt. Deinde Ludovicum Sabaudianorum Ducem, & Johannem Monferratensium Marchionem belli socios asciscunt. Guilielmum stipendio conductum belli ducem designant, Ludovico Urbem Novariam, Guilielmo Alexandriam, si adepti fuerint, tradituros paciscuntur. Per idem tempus Collio cum in Veronensibus non longè à Mantuano agro castra haberet, non de retenta solùm mercedis suæ pecunia apud Venetum Senatum querebatur, sed de stipendii in reliquum tempus conditionibus contendebat. Quæ res si omnino denegarentur, datam sibi abeundi licentiam testabatur. Veneti tum ex his, tum quod milites injussu suo unum in locum contraxisset, tum etiam quod inter Veronensium Mantuanorumque fines consisteret, de illius fide suspicari & dubitare cœperunt. Addebatur ad hæc Leonissani, Picininique vetus gravisque inimicitia, qua eum occulte insectabantur, quorum opera adeo Collionis fugæ suspicio apud Venetos crevit, ut eisdem à Senatu capiendi ejus cura sit data. Duces conficiendi negotii percupidi (153) copiis instructis è Brixiensibus movent, Mintioque Collionem nil tale timentem de improviso ad primam ferme lucem adoriuntur. Equites primo impetu cunctos inermes capiunt. Collio exorto tumultu tribus ad summum equitibus comitatus, fugæ se mandat, & cum nonnulli levis armaturæ milites jussu ducum concitatis equis insequerentur, equusque longo cursu lassus deficeret, oblatam agricolæ cujusdam inephippiatam equam ascendit, Mantuamque semianimis se recepit. Equos supra mille & quingentos amisit. Milites bonis omnibus exuti ducem sequi destitere. Mediolanum deinde profectus perbenigne à Francisco excipitur (154), seque immerito oppressum, spoliatumque demonstrat, multisque verbis acerbe in Venetos invehitur. Bellum in eos parandum atque inferendum longa oratione persuadere conatur. Multa se præterea pro Francisci commodo atque gloria in Bergomensibus, (155) Brixiensibusque præstiturum pollicetur; quodque tam graviter læsum infestum acerrimumque Venetis hostem ac fidelissimum sibi futurum sperabat, suo stipendio adjicit, ac duorum equitum millium, quingentorumque peditum ducem declarat. Deinde quo magis sibi illum devinciat, beneficium beneficio cumulans, majore quam petierat, pecunia donat, concessamque militiam ultro, Vexillo suis insignibus ornato, decorat. Decreto susceptoque subinde Florentinis stimulantibus adversus Venetos bello Franciscus quæ ad bellum gerendum usui sunt, quam occulte potest comparare, militem novum conscribere, veteranum armis, equis resarcire atque ornare, tota, quæ insecuta est, hyeme non desistit. Adventante vere, quod fuit biennio post Mediolani partum imperium, aperte omni ex parte in Laudensem, Cremonensemque agrum militem cogere cœpit. Idem in Veronensium, Brixiensiumque fines faciunt Veneti. Leonissano, cui præcipuam habebant fidem, summam imperii sui exercitus tradunt, gnari præterea quantum in bello valeat conficiendi celeritas. Tempus Francisco exeundi in aciem, quo majore possunt, studio præripere contendunt (156), ac multis ante diebus quam Franciscus existimaverat, in Transadduanos duxere. Castra deinde penes Adduam eo consilio locant, ut inde confecto ad Ripaltam jam ponte, ut ostendimus, crebris incursionibus Mediolanensem agrum vexarent, Franciscum Urbem indefensam relinquere verentem in Mediolanensibus distinerent, contrahendi exercitus, & in Brixienses trajiciendi facultatem adimerent. Per hunc modum aut se bello ea æsta-

(150) MS. suæ Civitatis principe, ad suscipiendum &c.

(151) MS. quæ inter eosdem facta sint, quæque molituros se demonstrarent, quod si Veneti &c.

(152) MS. Alphonsus, qui non minore odio Franciscum, Florentinosque habebat, quam haberetur, Franciscum præsertim, & ejus virtutem metuebat, & nominis celebritati semper ac propemodum inviderat, oblatam ejus societatis occasionem arripuit. Itaque Rex, ac Veneti socii facti, ad belli studia &c.

(153) MS. Brixianis movent, Mintioque amne trajecto celeriter in Collionem ire contendunt, quem nil tale &c.

(154) MS. Qua apud Venetos fuerat accusatus culpa, se vacuum, immeritoque oppressum &c.

(155) MS. Brixianisque præstiturum pollicetur. Apud quos non tam cognatione, præcipuaque familiaritate & clientela, quam gratia plurimum posset, ac magno insuper animi fervore affirmat, si, priusquam è vita decedat, id sibi Francisci auxilio contingeret, uti bello rem Venetam invadendi, & injurias tam insignes ulciscendi facultas daretur, quocumque tempore, quacumque hora eum mors auferat, non injucundum sibi futurum: & dum in humanis superesset, se animo atque corpore semper Francisco deditum, semperque devinctum fore, beneficiique magnitudinem memoriâ numquam depositurum. Franciscus tum Collionem admodum diligebat, quem per superiora tempora quocumque ductu bella ille gesserat, omnibus in rebus benivolum, & in capiendis præsertim consiliis obsequentem sibi, & inimicum inimici invenerat, tum vel maxime quia tam graviter læsum &c.

(156) MS. Quamobrem tanta festinatione copias instruxerunt, quod pluribus ante diebus &c.

æstate superiores fore, aut utrumque exercitum in Francisci finibus futurum, aut saltem suis finibus arcere hostem posse putabant. Leonissanus firmatis castris, dataque militibus populandi potestate, totum Laudensem agrum, qui trans Adduam est, uno atque eodem die incursionibus variis perturbat. Sed quamvis contra militaris disciplinæ morem bello non indicto regionis incolas, agrorumque cultores incautos offendisset, levem tamen, exiguamque inde prædam abegit. Quibus rebus renuntiatis Franciscus Adduæ transitus nullo tempore intermissos muniendos statuit. Itaque postridie ejus diei sumto equitatu mane summo Meltium contendit, quod erat Oppidum minus quinque passuum millibus hostibus propinquum. Ibi relicto equitum mille quingentorumque peditum præsidio, quibus simul & oppidanis Johannem Nucensem præfecerat, Cassianum, Tritiumque defertur, Arcesque fido peditum robore munit. Turres præterea geminas sub ipso Mucciæ fluvii aditu quondam eductas, ac prope hostium pontis è regione positas, quas paucis ante diebus fossa valloque muniendas jusserat pedite complet. Qui fluvius ex Addua derivatus ad irrigandos agros in Laudenses decurrit. Et dum prope amnem defluit propter riparum altitudinem locis perpaucis transitur. His rebus efficiebatur, ut hostes non ita late vagarentur, & nisi aut toto aut majore exercitus parte in Mediolanenses agros populatum transire auderent. Hæc à mane usque ad vigesimam primam diei horam armatus in ipso solis ardore obeundo numquam equo descendit, nec cibum prius ullum sumsit, quàm Laudem ad multam noctem reversus est.

His rebus in Mediolanensibus constitutis præter hostium opinionem post biduum per Pisleonis Oppidi pontem in Cremonenses binis castris proficiscitur. Unis exinde ad Olii fluminis ripam, ubi ad Jovis Altam dicitur, pervenit. Heic quamprimum reliquis copiis apud Cremonam contractis exercitum auget. Ludovicum, qui cum equitatu atque peditatu Marcariam suo jussu venerat, ut ad se copiis omnibus per Cremonenses secundùm amnem iter faciens properet, literis nuntiisque frequentibus solicitat. Ipse interim pontem lintribus in Olio faciendum eo consilio curat, ut cum primum Ludovicus adventasset, in Brixianos exercitum trajiceret, commeatuque hostes, qui è Brixia comportabatur, intercluderet. Quarum rerum metu deficientibus, ut jam cœperant, ad se Populis, non eos modò à Mediolanensibus rerum cœptis destituturos, sed à Transadduanis etiam in Brixianum agrum propediem redituros non dubitabat. Ludovicus cum certum profectionis suæ responsum diebus aliquot dare retardasset, integris tamdem negat copiis ad eum venire posse, quod Manfredo, fratribusque Corrigianæ gentis, quæ trans Padum obtineat, Oppidis bellum inferentibus copiarum partem suis subsidio misisset, quibus diminutus copiis cum reliquis non satis tuto, quo juberet, se conferre videbat. Oportere proinde si se ita celeriter sibi jungere cuperet, ut propius cum exercitu Marcariam accederet; se interea nullo temporis spatio omisso pontem in flumine scaphis è regione Hostiani Oppidi, quod in (157) Brixianorum possideat finibus ædificaturum. Franciscus quia relinquendus omnino Ludovicus non videbatur in ipso præsertim belli initio, tum propter rei militaris scientiam, ac ejus principatus auctoritatem, tum etiam quod ad tria equitum millia peditesque mille stipendii jure ducere in exercitum obstringebatur, ad locum quem ille statuerat, totis castris ire decernit. Itaque Soncinum Oppidum, quod in frontibus atque in ipsis prope hostium faucibus relinquebatur, Tristanum filium cum quingentis ex veteranis equitibus, totidemque peditibus ingredi jubet. Huic mandat, Oppidanos in officio fideque contineat, eosdem ipse coram cohortatur, ut se atque Oppidum eo servent, tueanturque, quo ipse traducto ultra Olium exercitu, Urceis Novis, quod est Oppidum contra Soncinum positum, castra admovisset, quod propediem futurum sperabat. Oppidani pollicentur conjuges, liberosque, si oportuerit, pro ejus commodo, Oppidique salute expositúros. Ipse autem die postero movens, ad locum ubi pons erat in flumine constructus bidui spatio, proficiscitur, ac Ludovico sibi addito postridie exercitum traducit, ac primo impetu Pontem Vicum obsedit. Quo die ex itinere Gotholengum, Pratalbuinum, Manerbium, multaque prætetea Castella atque municipia, accolis ultro sese dedentibus, in fidem accepit. Ponsvicus Oppidum est tum loci natura, tum arte permunitum, maximèque belli tempore Cremonensibus infestum, ac proinde non mediocris apud Venetos æstimationis habitum. Nam ab una flumine, à partibus reliquis ripa, fossaque altissima circumdatur. Ponsque à quo nomen capit, à portæ exitu ad Cremonenses pertinet. A Brixia viginti, à Cremona decem passuum millia recto æquoque itinere distat. Et quamquam alterum ex adverso Oppidum, quod Rebecum nuncupant, paulò minus passibus mille insurgat, tamen ob loci opportunitatem sæpe ab ea parte Cremonenses infestari, ac frequenti populatione exagitari soliti sunt. Hoc primum Franciscus oppugnandum, obtinendumque putavit, ut eo aditu præsidio custodito & cibaria in castra breviore tutioreque itinere comportarentur, & ea Cremonensibus ora ab hostium incursionibus tuta redderetur. Ponte igitur ad interiorem Oppidi partem in Olio celeriter confecto, ab utroque fluminis latere firmatis castris, duabus deinde bombardis in aggerem vallumque adactis (nam tunc materie ejusmodi non muro muniebantur, sed postea Veneti ab imo fossæ usque ad ripæ verticem lapide cocto cinxere) Oppidum oppugnare adortus, bidui intervallo redegit in potestatem. Milites qui præsidio eo missi fuerant, Brixiam incolumes remisit. Dum hæc aguntur, hostes nondum Adduam transire ausi, ubi de nostrorum in Cremonenses discessu per exploratores certiores facti sunt, relictis in Transadduano agro impedimentis, in Mediolanenses transiere. Picininus ante

(157) MS. finibus ædificaturum affirmare. At Franciscus etsi eam, quam afferebat Ludovicus causam, cur ad se ejus distulisset adventum, seque venturum recusasset, levem neque eo dignam censebat. Tamen quia relinquendus haud omnino videbatur &c.

ante alios populabundus ad suburbiorum usque Mediolani fossas progressus, globo militum facto in armis se ostentat. Sed cùm Francisci jussu pluribus ante diebus Cives in Urbem se contulissent, factaque etiam ab iis, qui Meltii consedebant, de ipsorum transitu significatione, totius regionis quam Martesanam vocant cum pecoribus cultores in proximas munitiones confugissent, Villas, agrosque desertos nacti, prædâ vacui rediere. Solus Antonius Sextus infelix ea incursione hostibus prædæ fuit. Nuciensis, & qui Oppidis, Arcibusque præsidio relicti fuerant, nulla egrediendi facta potestate, pugnâ se continuerunt. Postridie ejùs diei castra movent, & ad flumen Olium remigrantes non prius constiterunt quàm ad Plumenengum Vicum Soncino proximum pervenerunt. Deinde posteaquam cum exercitu Marcariam versùs Franciscum abiisse cognoscunt, in Soncinates ducunt. Oppido castris circumsepto, tormenta in muros mira celeritate disponunt, ac omni insuper machinarum, missiliumque genere non tam interdiu quàm noctu expugnare contendunt. Addunt insuper ad hæc terribiles comminationum voces, (158) nisi statim sese Oppidani dediderint, Franciscum Veneti exercitus impetum in Cremonensibus exspectare veritum ad Mantuana claustra profugisse. His atque aliis Soncinates vocibus territi, ac prædiorum quoque devastationibus, quæ cernentibus illis sub ipso prope percipiendarum frugum tempore fiebant, longe permoti, de Oppidi traditione Tristano insciente cum Leonissano agere cœperunt. Ea re nuntiata Tristanus nunc hos acerrime increpat, nunc illos, ut in fide permaneant, hortatur. Verùm ubi nihil verbis proficere, Populumque ad dedendum Venetis Oppidum jam pronum videt, neque tantis hostium viribus, dirutis jam à duabus partibus muris diutius resistere, neque adeò oppidanorum perfidiæ occurrere posse animadvertit, (159) pactus uti sibi sociisque rebus salvis abire liceat, deditioni consensit. Hostes quamprimum Oppido potiti, Tristanum abire incolumem permittunt, qui ab equitum parte destitutus, qui jam stantibus Soncinensium in fide animis cum Picinino clam de stipendio convenerant, longo Leonissani jussu circumacto itinere Cremonam pervenit. His rebus peractis tanto terrore municipes, qui Soncino proximè inhabitant, perculsi sunt, ut Romanengates in primis, & omnes, qui à via, quæ à Ponte Vico Cremonam, & à Laude Soncinum ducit, præter Castroleonenses, quorum in Oppido validum Tristanus ex itinere præsidium reliquerat, hostibus sese nullo negotio dediderint. Hoc rerum successu elatis hostium animis, unde nostri pridie discesserant duces, ad Jovis Altam ducunt. Et quamquam Franciscum eo tam insigni detrimento accepto Venetorum finibus cessurum arbitrabantur, tamen quo citius trans Olium cibariorum penuriâ remigrare cogeretur, itinera occupare, quibus à Cremona commeatus devehebantur, atque omnia in Cremonensibus crebra invasione atque tumultu involvere maximo studio adnituntur. Esseque insuper eos propediem Cremonam per deditionem capturos nonnullis in exercitu nostro, Cremonæque præfectis, amicè secretoque enuntiari student. At Franciscus quamvis & Soncini amissio, & municipum defectio pergrave suis rebus incommodum in ipso belli initio intulissent, quæ res sibi magis ex Hostianensi profectione, quàm hostium virtute acciderant, nihilominus majore incensus animo (nam quæ de Cremonensium proditione dicebantur, arte atque versutia hostium magis dicta, quàm quod vera essent, judicabat) unis castris profectus ad Villam quamdam, quam Agellum vocant Brixiæ quinque passuum millia proximum, militibus stationes metitur. Et quod in suis finibus hostes factitare conantur, idem in eorum finibus faciendum curat. Hinc civium agros usque ad ipsas Urbis portas populatum immittit. Quæ res militibus ultro stimulantibus Alexandro & Collioni propemodum erat curæ. Hinc vias, quibus cibaria in hostilem exercitum comportabantur, turbandas studet. Quo tempore nostri gravem jumentorum colonorumque jacturam Brixiensibus intulerunt. Nam cum eos intra fines, qui Urbis claustra appellantur circa mœnia posita, milites nostros nequaquam penetraturos existimarent, nihil fere inde in munitiones retulerant. Quibus ex agris pecore ingenti, homineque agresti refertis, perpauci admodum fuere, qui non præda onusti in castra redierint. His rebus quotidianisque adjectis civium querelis, Leonissanus, Marcellusque legatus compulsi flumen in Brixienses non longe ab Urceis trajiciunt, atque duobus passuum millibus è nostrorum regione palude continua perpetuaque intercedente, quæ nisi vado transiri unico iis locis poterat, bidui itinere profecti castra firmant, vadumque ab ea parte, quæ ad eos vergebat, & pistrini ædificio servabatur, confestim occupant. Franciscus ea re nuntiata, cum exercitu omni ad paludem profectus, & hostium tentoria intuetur, & loci situm circumspicit, & de regionis natura longe percontatur. Queritur vehementer, quod suorum negligentia paludis aditus in hostium sit potestate, qui si locorum cognitionem habuisset, numquam alieno usus consilio, ubi nunc esset, eo primum venisset, aditumque teneret, & hostes Brixiensium planicie vi relicta, montes errabundi quærerent. Hunc reprehendendo totum Collioni, quem proximæ profectionis ducem habuerat, errorem modeste adscribit. Eo die factis quibusdam levibus præliis in castra reditum est. Postero autem supra paludi ripam ad bombardæ jactum hostibus propinquam, quo intervallo paludis latitudo constabat, castris positis consedit. Qua vicinitate fiebat, ut nostris ad vadi usque

(158) MS. quod nisi statim se se oppidani justissimo mitique Venetorum imperio dediderint (quod toties superioribus Annis re ipsa cognoverant) miserandum Oppidi excidium visuros. Si milites muros transcendere, si expugnationem denique exspectarint, miserabilem eorum cladem, qualis accidere victis solet, passuros ostendere. Si suam salutem in Francisci auxilio posuerint, spem vanam in auxilio vano collocasse, ubi ille, qui subsidium sit laturus, tanti tamque potentissimi Veneti exercitus impetum in Cremonensibus exspectare veritus, ad Mantuana claustra profugisset &c.

(159) MS. quin tamdem circumventus prædæ hostibus traderetur, pactus &c.

usque ostia, quæ ab hostibus tenebantur, insultantibus equestria simul ac pedestria interdiu prælia consererentur. In quibus præliis cum suos Tibertus Brandolinus, Picininusque juveniliter in certamen impellerent, & à nostris equitibus à Francisco edoctis refugere simulantibus sæpe in insidias traherentur, multi ex iis equites capti ad Franciscum deducebantur. Quibus intermixtus dimicantibus Picininus equo humi prolapso semel interceptus est, sed impuro quorumdam peditum consensu adjuvantibus suis in libertatem redditus. Quod ubi animadvertit Leonissanus, parvo deinceps militum numero pugnandi copiam faciebat. Cum hic rerum status utrique exercitui esset, ut neque in hostes nostri impetum facere possent, neque ipsi nostros invadere auderent, Franciscus duas magnitudinis non exiguæ bombardas in hostium stationes dirigit, frequentique ictu cædere cœpit, nec interim majoribus copiis diversisque itineribus Brixienses infestare intermittit. Ex quo nostri apud Brixiam hostibus immixti dimicare coacti, atrocia sæpe certamina inibant. In eo bello fuit equitatus numero & virtute Franciscus longe superior, peditatus numero non virtute hostibus inferior. Constabat enim Venetorum exercitus equitum quindecim, peditum sex millibus. Francisci verò exercitus equitum decem & octo, peditum tribus millibus, præter inermem & inutilem stratorum, vastatorum, & calonum exercitus utriusque multitudinem, quorum ingens erat numerus.

Dum hæc geruntur, grave & prope repentinum in Alexandrinis bellum oritur. Quod etsi haud magna manu inferebatur, tamen Alexandrinorum mobilitas ac veteres ardentesque inter eos factiones longe detrimentosum atque periculosum faciebant. Stimulantibus namque per legationem Venetis Guilielmus ornato Alphonsi Regis, sociorumque pecunia milite, contractoque in Monferratensium finibus exercitu, cujus ad quatuor equitum, duoque peditum millia erat numerus, ubi de Francisci in Brixienses transitu intellexit, extemplo in Alexandrinos impetum fecit, agrosque passim depopulatus, paucos intra dies majorem regionis partem dedentibus sese oppidanis in potestatem acceperat. Conradus, qui ei provinciæ præsidio à fratre cum tribus equitum millibus quingentisque peditibus præfectus fuerat, hostium viribus impar, Alexandriæ se continebat, Civitatemque in fide servare studebat, quod eâ servatâ redeuntibus aliquando in meliorem fortunam rebus, recuperaturum se amissa non dubitabat. Interim Franciscum frequentibus literis nuntiisque certiorem facit, nisi majora propediem eo auxilia mittat, res Alexandrinas in maximo discrimine fore. (160) Alexandria in duas factiones divisa est, quarum altera contrario studio belli præsertim tempore Gallicis, altera, quam Gibellinam dicunt, Monferratensibus rebus favere consuevere. (161) Ob id diffidentibus inter sese animis Conradus de nonnullorum civium Gibellinæ factionis fide, quæ in ea Civitate longe viribus prævalet, plurimum jam dubitare cœperat, quos sibi beneficio antea Guilielmus conciliarat, & tunc eorum agros à populatione immunes servari jusserat, factionisque principibus enuntiari studebat, ut à Guelfis caverent; qui Francisci etiam consensu, ubi duobus oppressus bellis diutius tenere Urbem nequeat, Carolo Francorum Regi tradere eam summopere curent. Quibus ex rebus Nuciensis cum equitibus mille eo confestim mittitur, qui magnis itineribus confectis quinto die Alexandriam pervenit. Guilielmus interim Derthonensium fines ingressus, Puteolum sola oppidanis bidui obsidione territis obtinuerat, devastatisque Derthonensium agris, Papiensium quoque fines obsistentibus nullis invaserat. Ex quo tantus omnibus ferme trepidantibus transpadanis Populis terror injectus est, ut multi secreto ad hostem, ut postea cognitum est, de deditione pactum miserint. Nec ulla à deditione alia causa sunt deterriti, nisi quod Guilielmus, seu metu, quod hostes post terga reliquisset, seu quod pollicentium verbis minus crederet, ad eos se cum exercitu non contulerat. In Alexandrinis etiam tanta Oppidorum omnium ad defectionem inclinatio fuit, ut præter Castellatium, & Cassinas nihil esset reliqui; quæ Oppida nec minus exempla reliquorum secuta hosti jam se tradidissent, nisi Arcium metu à rebellione abstinuissent. Guilielmus Nuciensis adventu in Papienses progredi veritus, in Alexandrinum agrum revertitur, Cassinasque obsidet. Quod Oppidum etsi forti militum præsidio muniebatur, tamen suis frequentibus circumdatum oppidis se brevì expugnaturum confidebat. Eo igitur summa vi oppugnari cœpto, Oppidani aliquot dies oppugnationem fortiter atque obstinatè sustinuere. Verùm ubi obsidionem fieri in dies diuturniorem, atque duriorem vident, ægrè admodum ad defensionem accinguntur, & languidioribus se animis in fide permanere ostendunt. Deinde paulatim de deditione sermonem facere cœperunt. Franciscus quod suos Alexandriæ inclusos, nec post quidem transmissum cum Nuciense auxilium quicquam egisse, & ad reprimendos hostes nihil conari intelligebat, ægrè ferens, Conradum reliquosque militum præfectos literis nuntiisque quotidie quamgraviter arguebat, admonebatque, cùm hostem hactenus per patentes campos tamdiu impunè vagari permisissent, (162) animadvertere vellent, ne majore etiam ignaviæ crimine damnarentur, si videntibus ipsis aut obsessum expugnari Oppidum, aut negligentia per deditionem in hostis potestatem devenire paterentur. Conradus cum his, tum etiam quod Cassinenses longa oppugnatione defatigatos de deditione jam agere cœpisse intelligerat, præfectos in concilium convocat, & de ope obsessis ferenda proponit. Nuciensis seu timore seu dolo, quod cum Guilielmo, ut postea cognitum est, conspirabat, negat cum hostibus esse confligendum tum propter numerum, quo longe superiores essent, tum pro-

(160) MS. quod descisentibus circumquaque ad hostem Oppidis, cives à suismet brevi tempore undique obsessi relinquerentur. Accedebat ad hæc quoque, quod cum in ea Civitate duæ sint factiones, quarum altera &c.

(161) MS. Et ubi in iis locis vigeat bellum, quod ab horum altero geri contingat potentatu, miro inter se odio certant, & magna prodendæ Urbis suspicione laborant. Ob id &c.

(162) MS. & ob id desidiæ atque vecordiæ culpa non mediocri damnarentur, animadvertere &c.

propter loci iniquitatem, & confectas nuper circum castra munitiones. At Johannes Palavicinus ex Scipiono, vir & armis & animo præstans, hostem adoriendum, laborantibusque succurrendum multa oratione censet. Quod etsi hostibus, ut Nuciensis prædixerat, numero inferiores essent, nostros tamen plurimum virtute & rei militaris peritia præstare demonstrabat. Quid præterea in committendo conserendoque prœlio dux hostium valeret, se satis superiore tempore, dum apud eum mereret, perspexisse. Proinde non dubitare, ubi eodem tempore ab una parte acie instructa ab ipsis, & ab altera oppidanis militibus immixtis in castra erumpentibus impetus fiat, se hostes nullo nostrorum periculo, neque multo labore profligaturos. Hunc Sacramor Parmensis, vir longo belli usu clarus, item reliqui, novissimèque Conradus secuti, eundum in hostem, & Cassinensibus subsidium ferendum constituunt. Itaque postridie ejus diei præfecti (nam Conradus invalitudinis causâ Alexandriæ remanserat) omnibus copiis in hostem contendunt. De quorum adventu Guilielmus jamdudum certior factus, suas copias castris eduxerat, & longo agmine eorum impetum exspectabat. Præfecti id conspicati, quod longe aliter quam sperassent, compererant, mille circiter passus ab hostium castris haud ultra progredi dissimulantes constitere. Guilielmus cum jam octavam & decimam horam Sextilem ad solem in acie stetisset, nostrosque timore prœlio abstinuisse putaret, in stationes regreditur, & quamvis omnes in acie suoque loco stare jussisset, tamen major militum pars non multo post paulatim in castra ad curanda reficiendaque corpora revertitur. Armis equites levantur. Ducis dicto de reditu unde discesserant, negligenter parent. Hanc ubi rei gerendæ occasionem præfecti animadvertunt, quæ ex sententia contigerat, confertissima acie in hostes advolant. Guilielmus inopinate exorto tumultu proximum collem protinus muniri jubet: quem Ferracutus ex præfectis equitum forti militum manu celeriter occupat. Nam omnes fere, quos eo momento in armis offenderat, sibi addiderat. Reliquum Guilielmus exercitum pro temporis angustia armandum, constitutaque in loca disponendum anxius curat. Sed tanta nostrorum velocitas fuit, ut ad instaurandos rursus ordines spatium illi deesset. Nam Johannes cum turma ex delectu equestri instructa primus impigre pugnam inire, hostemque lacessere cœperat. Sacramor, & Antonellus Burgensis natione Tuscus, vir intrepidus & manu promtus cum duobus veteranis ordinibus subsequebantur. Hi acclivum vi superant. Primo impetu hostes colle turpiter dejecti cursu repugnantibus paucis in castra refugiunt. (163) Spem omnem sustinendæ pugnæ Guilielmus ponit. Territis militum animis omnia in castris tumultuarie miscentur; omnia nullo ordine nulloque imperio aguntur. Cuique enim, ut fit in extremo salutis periculo, magis quod carum habebat, corripere, ac de salute cogitare quàm se pugnæ parare erat curæ. Nostri fugientes magno omnium clamore atque concursu insequuntur. Pro castris prœlium instauratur. At cum aliquamdiu utrimque pugnatum esset acerrime, hostes funduntur; fusi munitionibus desertis fugantur. Guilielmus (164) in fuga salutem ponit. Milites item fugæ se mandant. Sfortiani, & qui Cassinis obsessi fuerant, erumpentes, castris impedimentisque potiuntur, fugientiumque reliquias quoad possunt, persequuntur. Sed ob propinqua frequentium Oppidorum refugia, magna eorum pars evasit. Guilielmus Castellum Novum, quod erat ad mille passus proximum, incolumis se recepit. Præfecti his rebus gestis prædâ onusti Alexandriam remigrant. Guilielmus suos colligere, atque resarcire studet. Oppidanos tam Alexandrinos quam Monferratenses eo prœlio, eoque detrimento territos in fide perseverare cohortatur. Milites ea in Oppida, quæ in Alexandrinis occupaverat, de quorum fide dubitabat, ut oppidani constantiores sint, distribuit. Dum hæc in Alexandrinis geruntur, Franciscus aliquot interjectis diebus non longius passibus mille ab Urceis exercitum duxerat. Idem fecerant hostes. Sed postremo ad Oppidum castra firmarunt, & à lateribus apertis fossa atque aggere clauserunt. Quo opere perfecto & castra munitissima efficiuntur, & superior Brixiani agri pars, quæ ad montes pertinet ab omni nostrorum invasione tuta redditur. Quas ob res cogitantibus liberius legatis, ducibusque Venetis, quibus viribus, aut quibus artibus suis hostem finibus pellere, seu ad excedendum cogere possint, visum est maxime negotio conducere, si non modò Mediolanensium sed Laudensium quoque fines, unde illi præcipue ad gerendum bellum vires suppetebant, continuis incursionibus vexarentur, quibus compulsum incommodis in Cremonenses facile rediturum judicabant. Ad eam rem conficiendam Carolus Fortebracius, & Matthæus Campanus cum tribus equitum millibus, milleque peditibus delecti in Cremenses mittuntur. Hi per noctis silentium non procul à Cerreto navibus in Addua pontem construunt, perfectumque nullis Laudensium Præfectorum negligentia sentientibus ab utraque fluminis ripa castellis & peditum præsidiis communiunt. Deinde secus flumen castra locant, atque aggere cingunt. Laudensium agros invadunt, & late incursionibus vastant. Quod cum intellexisset Franciscus continuo Petrum Mariam Rubrum, & Antonium Landrianum cum mille circiter equitibus Laudem proficisci jubet, ut ratibus atque omni machinatione per profluentem demissa, pontem rescindere studeant, atque terra eodem tempore ponte disjecto Castellum in Laudensi ripa ædificatum expugnare contendant. Facta ut Franciscus constituerat à Præfectis flumine atque terra vi, frustra in irritum conatus cecidit, quod & Castellum hostes egregie tutati sunt, & materies atque classis è Laude in pontem immissa rapidissimo aquæ impetu impulsa non prius restitit, quàm Pisleoni appulit. Hostes enim relicto in Castello, quod

(163) MS. Ex quo cum spem omnem sustinendæ adversus nostrorum impetum pugnæ Guilielmus in colle posuisset, eoque quas ad celeritatem poterat, vires contulisset, territis &c.

(164) MS. ubi suos palantes terga dare, nec ullo prœlium ordine renovare posse animadvertit, nec spem ullam sustinendi nostrorum impetus relictam videt, in fuga &c.

A quod è regione alterius erat, præsidio, pontem diviserant, naves Cremensem ad ripam subduxerant. Et ubi materiem classemque ad inferiorem fluminis partem præteriisse vident, rursus pontem junxerunt, moxque iis, qui in Castello à nostris oppugnabantur, subsidium miserunt. Nostri territi pugnâ dimissâ Laudem celeriter revertuntur.

De his rebus Franciscus certior factus, majora mittenda esse auxilia judicat, quibus & Laudensium fines à continuis hostium molestiis perturbationibusque tueretur, & pontem aut capere, aut evertere posset. Proinde cum ei rei Alexandrum fratrem præficiendum statuisset, post biduum duobus equitum millibus delectis, eum cum his mandatis in Laudenses mittit, ut cum primùm eo B pervenerit, copias quas paulo ante præmiserat, sibi adjungat; homines, qui arma ferre valeant, & magnum insuper fossorum numerum regioni imperet. Tormenta, quæ Laudi erant, in exercitum devehi jubeat; pontem diruere curet; è regione pontis castra ponat, locumque ipse, cujus paucis antediebus cognitionem habuerat à flumine non longius passibus quingentis designat. At priusquam parandis stationibus milites dent operam, equoque descendant, castra celeriter ab ea parte, quæ ad flumen spectat, aggere obeat, vias, aditusque omnes repagulis obstruat, ne forte hostis paratus incautum aut C imparatum campo aperto offendat, ne quid per ducis imprudentiam, aut negligentiam detrimenti accidere possit, præsertim propinquis hostibus, & in ipsa aut locandorum aut mutandorum castrorum opportunitate. Nullum quippe errorem aut peccatum tam grave esse dicebat, cuique celerius parata sit pœna, quàm quod in re militari admittatur. Alexander die tertio in Laudenses pervenit, & non longe à Pisleone triduo moratus cetera exsequitur. Interim Franciscus de parta à suis in Alexandrinis victoria cognoscit. Quo nuntio & hostibus minuitur, & nostris additur animus. Franci- D scus quod magna deinceps rei bene gerendæ spes proposita videbatur, Petrum Posterlam in Alexandrinis confestim mittit: qui apud Conradum de recuperandis Oppidis instet, cum Guilielmo de pace agat, qua composita omnes, quæ in iis locis sint copiæ, in Brixienses reducat. Alexandrum præterea ad rem mature conficiendam solicitat. Is quæ ad expeditionem necessaria videbantur comparatis designatum ad locum movet, stationes partitur, exercitusque partem in armis esse, partem victum inquirere, stationesque parare jubet. Sed ut plerumque fit, suumquisque magis commodum quærere, quàm ducis imperium servare studet. Omnes præ- E ter paucos depositis armis frumentatum, pabulatum, & lignatum, aquatumque pergunt. Vacua fere defensoribus castra relinquuntur. Hæc ubi hostium duces à speculatoribus, qui excelsas conscenderant arbores, intelligunt, & à Tubicine, quem rei alterius simulatione ad Alexandrum miserant, confirmantur, (165) aciem quam ocissime instruunt, & trajecto amne incredibili celeritate convolantes à partibus duabus nostros invadunt. Alexander in tanta rei necessitate, quos prœlio paratos comperit, ad eam primum partem in hostes celeriter mittit, qua faciliorem illis aditum patere cognoscit, & confertissima acie instare conspicit. Hi facile primo congressu vim hostium sustinent, longeque repellunt. Sed redintegrato rursus prœlio pugnatur eminus cominusque quamenixissime. Alexander ad dexteram se vertens, cum ex opere alios colligere, alios ad pugnam instruere properaret, & locis ubi hostes ingruere videt, occurrere conaretur, milites admodum perpaucos prœlio idoneos reperit. Ex quo ingenti affectus dolore, tunc se demum ab equitatu deceptum animadvertit. Queritur vehementer, quod dicto milites non paruissent, quodque tam propinquis hostibus neglecto imperio, neglectoque omnium periculo ordines castraque deseruissent. Hostes interim pulsis propter paucitatem iis, qui ad dexteram occurrerant, in stationes penetrant. Quo factum est, ut qui ad sinistram primo præliari cœperant, circumventi à tergo superarentur, & à partibus pluribus uno tempore urgentibus hostibus in castra irrumperetur. Nostri ubiq; disjecti fugantur. Quisque qua se obtulerat via, fugæ se mandat. Alexander inter hostes inter tela diu versatus quorumdam ejus familiarium virtute, quos eo die sibi elegerat, & lateri consertos in prœlio continenter habuerat, hostium è manibus dissolvitur, & Laudem cursu se recepit. Hostes victoriâ potiti, castra impedimentaque diripiunt, & fugientes nostros diversis itineribus insequuntur, majoremque militum partem capiunt, armis equisque denudant. Præfecti equitum partim Laudem, partim Pisleonem, & ad Sancti Columbani Oppidum profugientes evadunt. Solus Andreas Biragus, qui apud Franciscum eo tempore gratia & auctoritate plurimum valebat, vir quidem imbellis, & militaris disciplinæ ignarus, cum magna evocatorum parte, quibus cum paulo ante eo venerat, interceptus est, & ad legatos, qui in majoribus castris versabantur, primum missus, deinde Venetias ad Senatum productus. Hunc Alexandri casum ad secundam & vigesimam ejus diei horam Franciscus ex hostibus primum cognoscit. Quæ res, etsi tunc minime credebatur, tamen literis postea Johannis Caymi Pisleonis præfecti, & frequentibus ignibus, quorum flamma universa hostium castra collucebant, ad multam noctem confirmatur. Hoc tam injucundo nuntio Franciscus quamgraviter indolet, accusatque peracerbe fratris negligentiam, qui si ejus mandata servasset, tantum illi dedecoris, sibique detrimenti nequaquam accidisset. Hæc secreto; palam verò, & in omnium conspectu postero die bono ac forti se esse animo ostendit. Alexandrum parce reprehendit. Milites autem quod ejus dicto non audissent, vehementer accusat, deinde acceptum parvifacit incommodum. Nova ad id se bellum instaurandum consilia initurum, ac uti forte multi tunc arbitrarentur, Brixiensibus finibus, nisi aut victoria parta aut pace composita nequaquam cessurum demonstrat. De hoc Venetorum in Laudensibus successu Guilielmus

(165) MS. & oblatum committendi prœlii, & exploratum vincendi tempus nulla cunctatione præripiunt. Aciem &c.

mus certior factus, resipiscere aliquantisper, & melius suis rebus confidere cœpit. Alexandrini quoque qui in sua erant potestate, & ob recentem ac insignem quam acceperant calamitatem, vacillare cœperant, à summa animi trepidatione in meliorem fortunæ spem revocantur, & in ejus fide pertinacius confirmantur. Ex quo factum est, ut & Guilielmus oblatas pacis conditiones, quas paulo ante complexurus percupide videbatur, respueret, & oppidani ea, quæ territi se de reditu in Francisci fidem facturos polliciti fuerant, omnino negarent. Deinde quod post acceptam Alexandri cladem trepidantibus Laudensium animis, Urbs quam temporis conditio ferret, infirmior videbatur, deque nonnullis Guelfæ præsertim factionis civibus, ne eam proderent, gravis erat injecta præfectis, militibusque suspicio, Bosium fratrem mille cum equitibus eo proficisci jubet. Alexandrum ut bono sit animo cohortatur. Nam quæ sibi de rebus adverse gestis ascriberentur, culpa eum vacare perspexerat, atque datâ largiter pecuniâ, suos equis armisque exutos celeriter resarcire imperat, Laudensium Mediolanensiumque simul agros ab hostium populatione, quoad possit, tueri contendat. Ipse autem cum propter transfugas, quorum ea æstate non exiguus fuerat numerus, tum etiam propter eos, qui multis de causis aut sua voluntate aut jussu aberant, exinanito propemodum exercitu, Quintiano Oppido, quod mille ab Olio passibus distat, admovet castra, aggeribus quamdiligentissime potest munienda, pontemque in flumine Bordolanum contra, quod est municipium in Cremonensi ripa situm, summo studio faciendum curat. Inter hæc Johannem Nuciensem à Conrado cum hoste conspirare nuntiatur. Deinde intra dies paucos ea, de quibus jam verbis egerat, scriptis sanxisse, idque per Antonium quemdam Realini fratrem equitem cognovisse, cujus opera Nuciensis ob magnam, quam in eo habebat fidem, plurimum utebatur. Qui cum ab eo ad Guilielmum cum scriptis mitteretur, doli ejus detegendi causâ, ad Conradum secretò declinaverat, mandata scriptaque detulerat, adjecta Nuciensis ipsius eodem tempore Conrado inconsulto atque invito ad Incisiates profectione, unde ad hostes commodius atque liberius transire posse putaret. Qua re cognita Franciscus statim mittit, qui eum retineret, & ad se perduceret. Nuciensis ignarus eorum omnium quæ ejus nuntius egerat, Petri diligentia, qui apud nobiles popularesque Incisiates plurimum poterat, comprehenditur, Cremonamque Pado devectus fune suspenditur. Per idem quoque tempus Corrigiani, qui eo Anno Alphonso Regi, Venetoque Senatui sese tradiderant, & accepto stipendio Ludovici Oppida, uti ostendimus, in Transpadanis vexarant, bellum in Parmensibus Francisco inferre cœperunt. Pupilium Oppidum de improviso capta oppidanorum magna parte obsederunt. Hac Franciscus novitate vehementer in Manfredum, Gibertumque commotus, qui nulla à se injuria sed beneficiis potius affecti, belli ejus quod Antonius tertius frater semper vetuerat, non modò auctores concitatoresque fuerant, sed in gerendo præessent, non exspectandum sibi existimavit, ut homines infesto animo eo capto Oppido in capiendis reliquis, majore licentia atque audacia pergerent. Itaque confestim Bosius ex Laudensibus, & Angelus Camposylvius ex castris cum valida equitum ac peditum manu, uno atque eodem tempore Pupiliensibus subsidio mittuntur. Hi biduo itinere confecto, Pupilium pæne sero perveniunt. At etsi oppidani subsidii tempus non exspectarant, quod cum asperis obsidentium verbis territi tum captivorum etiam commiseratione atque pietate moti, quos ultima statim passuros, nisi sese dedidissent, pronuntiabatur, paucis ante horis sese atque Oppidum Corrigianis permiserant, præsidiumque receperant, tamen magno animo hostes aggrediuntur, & commisso prælio primo impetu profligant, atque in fugam vertunt. Duces primi Brixillum, quod tribus à Pupilio passuum millibus abest, se recipiunt. Idem fecere milites reliqui. Sed ejus Oppidi propinquitas & noctis interventus fecerat, ut non multi caperentur. Ea nocte Parmam versùs nostri revertuntur. Bosius Francisci jussu Urbis præsidio remansit. Angelus in castra rediit. Corrigiani exinde duos circiter annos cum Parmensibus continenter bellum gessere: Quod bellum Alphonsi Regis Venetorumque pecunia nutriebatur.

Interim cum sexaginta jam fere dies ad Quintianum Franciscus consumsisset, satisque Civitatibus, quæ quotidianis invasionibus infestabantur, providisset, optimum esse judicavit, vi aut arte hostilem exercitum ad Brixiam propius compellere. Quod si fieret, futurum intelligebat, ut & hostibus minor in suis, & sibi major in eorum finibus esset nocendi facultas. Igitur ad Kalendas Octobres millia circiter decem à Quintiano Urbem versùs castra movet. Lemnum Oppidum obsidet. Hostes item diverso itinere duobus millibus passuum ab his castris castra ad Porcianum firmant. Ex eo Oppido, quod pro muro sibi objecerant, deinceps perpaucis interdum equitibus datâ prœliandi copiâ nostros lacessere, atque Oppidi expugnatione prohibere adnitebantur. Lemnenses nihilo secius cernentibus ipsis bombardarum impetu tridui spatio coacti deduntur. Heic dum aliquot dies moratur, sagittarii supra mille, quibus Antonius Blaxa Spediensis præerat, à Genuensibus amicitiæ societatisque jure Petro Fregoso Duce Francisco adduntur. Horum adventu propter singularem virtutis opinionem, (166) magna universo exercitui rei benegerendæ spes illata est. Sed cum eos certamine experiri Franciscus vellet, quid animo, quidve arte præstarent, non sic in campestri planicie ad dimicandum idoneos comperit, ut in navali dimicatione aut in Oppidorum defensione feroces esse feruntur. Faciebat enim exercitus utriusque vicinitas, ut per interjectam planiciem quotidiana interdiu prœlia committerentur. In quibus de se cuique periculum facere licebat. Proinde cum omnes de sagittariis fefellisset exspectatio, magnam partem in Oppida hostibus finitima præsidio distribuit. Calvisianenses præterea diu ad dedendum se suasi, numquam adduci potuere, nisi exercitum, signaque militaria prius pro fide

(166) MS. quæ de Liguribus habetur, magna nempe universo Francisci exercitui &c.

fide Venetis data ad moenia conspicerent, quorum opinioni non sine gravi eorum jactura satisfactum iri potuit. Nam cum eo Franciscus duxisset, nec per commeatus difficultatem ultra progredi liceret, & pedem referre turpe admodum fore putaret, detrimentosumque cognosceret, dies multo plures quam oppidani existimassent, in eorum finibus resedit. Hostes verò eodem die ad lævam iter facientes, Gaydum contenderunt. Ibi castra fossa & aggere communiunt, vias, semitasque omnes, quibus Calavisianum petebatur, repagulis obstruunt. Gaydum est Oppidum non ignobile, æquo positum loco à mane ad spatiosissimam, famaque celebrem planiciem pertinet, quam vulgo Montis Clari appellant, quòd ab eo monte & oppido insuper initium nomenque capiat, arboribus ubique nuda, ubique fossis collibusque libera. A sero autem loca palustria, & prædia fossis frequentibus, arboribusque multis referta ad Calvisianum usque perpetua continet, à quo Oppido quinque & à Brixia decem millibus passuum abesse constat. Hac tanta soli æquitate allectis præliandi studio exercitus utriusque equitibus, crebræ conserebantur pugnæ, quas ad palustria & impedita ut diximus loca hostes propter peditatum, quo maxime abundabant, summa industria deducendas enitebantur. Quibus in pugnis Hector Brandolinus Tiberti frater juvenis insignis & manu promtus nimium exercitata dimicatione graviter hasta vulneratus concidit. Multique præterea acceptis illatisque utrimque vulneribus periere. Hæc dum per singulos dies geruntur, magnæ inter Franciscum Venetosque duces omissa belli causa crescunt injuriæ, magnæ calumniæ, quas literis nuntiisque per omnes Italicos Potentatus ad minuendam Francisco auctoritatem hostes circumferri studebant. Nam ignaviæ atque desidiæ eum accusabant, quod ea æstate nunc paludibus, nunc munitionibus se continuisset, & Venetus exercitus per apertissimos campos castra habuisset. Franciscus quæ sibi ab hostibus objicerentur, falsa demonstrans, illos eodem crimine remordebat. De fide quoque publica sæpenumero violata, quam multis municipiis in agro Brixiensi sibi parentibus dedissent, acriter accusabat. Sed ingentis spiritus vir, qui sicut ad cætera obeunda negotia belligerando diligentissimus, ita ad propulsandas injurias ardentissimus erat, non his contentus cogitabat, quo pacto non verbis sed re in hostes rejicere posset, quæ in sui dedecus & infamiam literis crebro falsoque disseminassent. Nec requievit, donec re mature in concilio discussa statuit ea intercedente planicie illis præliandi potestatem se facturum. Quod si prælii conditionem acciperent, quos & numero & virtute militum plurimum anteiret, superaturum non dubitabat. Sin detrectarent, & voluntati, & æstimationi suæ apud omnes satisfacturum se facile perspiciebat. Ex quo per epistolam, quam ipsemet dictaverat materna lingua Leonislano, Jacobo Picinino

A primis exercitus ducibus, ac Pasquali Maripetro, & Jacobo Antonio Marcello legatis, in hunc modum conscripsit: *Deum, hominesque testamur, uti & vos, qui Veneti Senatus vices geritis, non ignoratis, nos neque augendi imperii cupiditate, neque veterum recentiumque injuriarum causa ductos, sed contra fas jusque belli armis de improviso lacessitos ad hoc bellum venisse; quod profecto cum in pace viveremus, saltem triduo ante nobis indici debuerat. Quid autem ex eo bello laudis hostes nostri retulerint, quidve adhuc commodi consecuti sint, commemorare in præsentia supervacaneum esse censemus. Silentio enim prætereundum videtur, quo animo, quove studio universæ Italiæ quietem,*

B *tranquillitatemque perquisiverimus, & quot nostra, Populorumque nostrorum incommoda pertulerimus, ne ad hujusmodi bellum deveniremus. Neque nunc tempus est, neque locus patitur injuriarum causas recensere, querimoniisque agere, cum ne idoneus quidem ad id judex adsit, nisi unus Deus, qui hominum mentes & consilia* (167) *judicat; à quo cum tot immensa beneficia acceperimus, ingrati profecto, gravique animadversione digni judicaremur, nisi omni studio iis malis, quæ futura essent, pro viribus occurreremus, ubi iis quæ hactenus non nostra sed aliorum culpa insecuta sunt, consulere nequiverimus. Proinde, cogitantibus nobis,* (168) *quo consilio aut quibus artibus huic tam gravi bello*

C *modus imponi possit, nulla aptior via, nulla brevior, nulla melior visa est, quàm ut pars utraque instructa acie communem in locum conveniat, ac prœlio contentio hæc decernatur. Quod profecto quanto magis futuras totius Longobardiæ, ne dixerimus Italiæ, quæ ex hoc bello proveniunt, calamitates animo volutamus, tanto magis prœlii utrimque conserendi consilium probare, & vehementius confirmare movemur, Populorum causa potissimum, & commiseratione hujus præsertim Brixiensis agri, qui tamdiu ab utroque exercitu continuis depopulationibus, stragibusque variis opprimitur, atque pessumdatur. Quam quidem rem minime videmus, quo animo,*

D *aut qua ratione sine manifesta honoris vestri, totiusque exercitus diminutione improbare, detrectareque possitis, cum jam in omnem Italiæ oram literis nuntiisque* (169) *sæpe significaveritis, in locis impeditissimis nos & in paludibus castrametari, vos contra æquis & patentibus locis consistere. Neque etiam negari queat, quin per nonnullos vestri exercitus equitum peditumque ductores nonnunquam proclamatum interminatumque sit, si æquitas loci utrique parti daretur, fore, ut controversia hæc cito terminetur. Neque in hoc postremo in inficias ire poteritis, quod literæ ad nos vestræ ad decimum Kalendas Novembres scriptæ testantur, vos consilio, viribusque ita adnixuros, ita effecturos, ut nos ali-*

E *quando pœniteat, usque adeo in vestros fines processisse. Ne igitur hæc jure nobis ascribi queant, læto animo vobis pugnandi potestatem, quantum ad nos attinet, collatis signis pollicemur,* (170) *die vestro arbitratu delegendo, hora à Solis ortu inter tertiam & quartam in planicie, quam Montis Clari communi usu nuncupant, quo omnibus*

(167) MS. *habet judicare, litemque omnem dirimere: à quo cum nullis nostris meritis, sed sua solùm clementia tot immensa* &c.

(168) MS. *quibus divina Providentia hac Italiæ pars concessa est, quam pro patria, pro quiete nostra, nostrorumque omnium possidemus, quo consilio* &c.

(169) MS. *vestris non semel, sed pluries disseminatum sit, nos in paludibus & in munitionibus castrametari.*

(170) MS. *aut die Sabbati, aut alio quovis horum proximorum, vestro arbitratu deligendo, hora diei inter Tertiam & Nonam super planitiem, quam* &c.

nibus copiis procul dubio convenimus. Ut autem consilium hoc nostrum non modò utrisque Populis, sed & toti terrarum Orbi innotescat, neve tot hujus provinciæ Populi bello exhausti, quod superest, vana spe nutriantur, ubi nunc potissimum recusari non possit, quin hic utrique parti par sit, & idem locus, vobis etiam quam nobis commodior, ecce in hujus rei argumentum ad vos manicam sanguine illitam pugnæ signum per Tubicinem nostrum mittimus, nostram astringentes fidem, si eodem ad diem cum exercitu conveneritis, nos pugnandi potestatem facturos. Qua ex re post tot incommoda, multa hæc miseranda provincia commoda consequetur. Primum siquidem graves & intolerabiles auferentur agri depopulationes. Tollentur ædificiorum incendia, Oppidorum direptiones, Matronarum, Virginumque raptus. Cessabunt tot hominum cædes, atque interitus, & reliqua ingentia, horrendaque maleficia, quæ inferre bella solent. Tum vanam spem sæpenumero Populis datam jam tamdem finiri necesse erit. (171) Deinceps præclarum & memorabile facinus nostra hac tempestate conspici licebit, cum tot utrimque fortissimorum virorum multitudo, & ingentes exercitus in tam æquum tamque expeditum locum convenerint, propriæ virtutis periculum facturi. Postremo ea loci definitiva porro ferretur sententia, quis justius arma sumserit, atque id à tali tantoque judice promulgabitur, ut non facile contingat, qui appellationem audiant reperire. Ex felicibus castris nostris apud Calvisianum pridie Kalendas Novembres, Anno à Natali Christiano Quadringentesimo Quinquagesimo Secundo supra Mille. Ad hæc duces, Venetique legati ita responderunt. *Pridie horâ vigesimâ quartâ redditæ sunt nobis literæ tuæ, quæ nos ad conserendam pugnam plurimum & invitant, & provocant. Intelleximus præterea quæ Tubicen tuus, & alter item cum eo Nuntius nomine tuo coram explicarunt. Et quoniam hoc illud est, quod nos summopere & continenter hactenus non concupivimus solùm, sed conquisivimus, ut tuo exercitui, omnique Italiæ notissimum est, quandoquidem nos non in paludibus castra fecerimus; non intra aggerem, fossam, aut vallum, ut tu, copias continuerimus, quin in planicie & patentibus locis semper consederimus, quod & coram nuntii ipsi renuntiare tibi debuerunt, itidem his literis nostris respondemus. Nos ad quod tantopere incitas, bono libentique animo acceptandum statuisse in diem Lunæ proximum, horâ inter tertiam & quartam, & loco utrisque copiis pari atque idoneo. Nam non tuum est ad eam rem, sed ad nos potius attinet abs te provocatos, locum diemque præscribere. Atque in ejus rei conficiendæ fidem, (172) geminas manicas & hastas totidem sanguinolentas ad te remittimus, ut intelligas, Gentilem Leonissanum, Comitem Jacobum Picininum, Carolum Gonzagam, hujus exercitus gubernatores cum reliquis equitum peditumque præfectis pro Veneti Senatus honore, pro commodo, proque imperii amplitudine, paratos (173) decernere, Tyrannos insectari, & cum eis bellum gerere, qui hanc nostram Italiam sæpe armis invasere, & injuste sibi vindicare ausi sunt, qui pecuniâ nostri Senatus uxorem sibi, & imperium comparaverunt. Tibi verò juste bellum illatum est, quo cum nulla pax, nullæ induciæ erant. De quo felicem reportare victoriam cum optata totius Italiæ tranquillitate minime dubitamus: In castris apud Gaydum Kalendas Novembres.*

Hoc responso & universus exercitus, qui in magna ejus rei expectatione versabatur, summo gaudio afficitur, & Franciscus perspectâ eâ Venetorum arrogantiâ, eâque rerum jactantiâ multo gravius in eos animo incenditur. Nam pro ejus animi moderatione non solùm de iis Principibus, deque Rebuspublicis, cum quibus amice viveret, sed & de iis quibus cum bellum gereret, vel injuria lacessitus esset, modestissime aut si contumeliis affectus ipse etiam prorupisset, parce & non palam loqui solebat. Mox omni ex parte copias, quæ castris aberant, ad se venire, militemque omnem armis equisque sese celeriter ornare jubet. Idem faciunt hostes. Interim dimenso, quod inter utraque castra spatii intercedebat, tumulus quidam in ea quam diximus planicie positus, & passibus amplius quadringentis hostium quam nostris castris proximior pugnæ dictus est, eoque parti utrique impune venire licet. Equitatum deinde omnem centum in ordines partitur, quibus ex omnibus ducentos egregie ornatos delegit equites, quos & longo belli usu, & corporis robore, & animi virtute plurimum præstare novisset. Hos duas in partes dividit, subsidiariasque turmas appellat. Quarum alteri Bosium, qui relictis Parmæ copiis eo accersitus venerat, alteri Colellam Neapolitanum ex ductoribus equitum virum fortem, & rei militaris peritia egregium præfecit. Præterea ne tanto in certamine, quod futurum existimabat, ullus accideret error, ulla præceptorum fieret transgressio, ulla inter equites in capiendis hostium equitibus oriretur contentio, ulla decertando temporis amissio intercederet, ut sæpe inter ejusdem exercitus equites prædæ cupiditate evenire solet, hanc legem instituit, quam ingenti tubarum clangore in exercitum pronuntiari jussit. *Primum quisque ordinem servato, in eoque persistito. Qui secus fecerint, inexpiabiliter seu ante seu post prœlium laquei pœnas danto. Eam ob causam certi deligentur exploratores, à quibus turmas per singulas equitum legis hujus contemtores observabuntur. Post hæc ea servetur consuetudo, quæ antiquo belli jure moreque Italico servari consuevit. Primo si quis equum hostis inter pugnandum habenis manu ceperit, ac retinens ad suos converterit, captivus illius esto, nec ullatenus impediatur. At si quis equum loris interceperit, nec verterit, modo eo sit loco, ut redimi nequeat, illum interturbare liceat nemini. Si quem ex hostibus à Sfortiano milite, aut cassidis crista aut collo comprehendi contigerit, ita ut illius sit causa retinendi, nec suorum auxilia liberari queat, hujus captivus esto, nec liceat perturbari. Item si quis equitem humi prostra-*

(171) MS. *Nec in reliquum tempus literis, exspectationibusque falsis decepti manebunt. Deinceps* &c.

(172) MS. *& bellicæ chirothecæ, committendique prœlii signi per te ad nos missi correspondionem, chirothecas geminas, & hastas* &c.

(173) MS. *paratos, præstoque fore. Quod divina adjuvante Clementia servandum, ac longe lateque propagandum speramus, cum didicerit, consiliumque semper suum fuerit & studium, totius terrarum Orbis legitimis Principibus atque Regibus pacem quærere, & in primis sanctam catholicamque Fidem adversum infideles tutari, Tyrannos insectari, & cum eis bellum gerere, qui hanc nostram Italiam sæpe armis invadere, & injuste sibi vindicare præsumserunt. Quos quidem Tyrannos divino auxilio, & alios item subigere confidimus, & eos præsertim, qui pecunia ipsius nostri Senatus* &c.

straverit, ejus captivus esto, & dimidium equi pretium, si in aliorum manus devenerit. Item die prœlii suum quisque signum tergo consuetum deferto. Item die qui dictus erit certamini, hora, qua Tubicines prœlium præcinerint, armatus quisque adesto, ac ordinem, constitutumque locum adito. Postremo Ludovici Mantuani Principis, Bartholomæi Collionis, ceterorumque item, quibus præcipiendi demandabitur auctoritas, universi non secus ac imperatoris jussis parento.

At ubi constitutus prœlio dies venit, Franciscus prima luce copias in armis esse imperat, quas in turmas coactas in planiciem singillatim educit. Et cum ad dexteram, quæ ad Septemtrionem vergebat, planiciei tenuisset, quantum sibi visum est, agminis frontem ad sinistram vertit, quæ ad occidentem solem spectabat, & medium per patentissimum anteriorem turmam ad tumulum iter facere, reliquosque deinde ordines æquo inter se spatio, ne alteri alter, ubi opus esset facto, impedimento sit, pedetentim incedere jubet. Quod duabus fecit de causis, tum ut ordines in aperto omnes extendendi copiam haberet, tum ut in planiciem hostibus majorem progrediendi potestatem faceret, & à munitionibus, quam posset, longius traheret. Subsidiarias turmas in utrumque latus disponit, quarum præfectos pugna abstinere, at si qua in parte nostros laborare, aut gravius premi conspicerent, eo confestim occurrere, laborantibusque subsidium ferre admonebat. Equites item quocumque se præfecti verterint, quocumque ierint, eos subsequi, & suæ virtutis operam navare, remque ferro edere jubebat. Et si prœlii conserendi causa turbati disjungerentur, ipsos facto primo in hostes impetu protinus convenire edocebat. Ferebant enim pro crista præfecti utrique quo pugnantes inter reliquos agnoscerentur, linteum quoddam album in parvuli medium Vexilli adactum, & baculo satis sublimi in casside defixo revinctum. Signa deinde militaria medium inter agmen collocat. Præterea majorem peditatus partem præsertim veteranorum, quorum virtuti plurimum confidebat, in fronte lateribusque alarum instar constituit. Reliquam insuper pedestrem multitudinem inter ordines, & in postremis præsidio versari jussit. Postea verò quam ad tumulum ventum est, consistere omnes imperat, & quærenti quid ab adversariis strueretur, renuntiatum est omnes esse in armis, totamque superiorem noctem eorum duces multo opere vias aditusque omnes, qui in planiciem ducebant, partim obstruxisse, partim fossa à latere utroque, repagulisque frequentibus permunitos reddidisse. Equitatus peditatusque minorem partem eas intra munitiones disposuisse, reliquum adhuc in castris (174) esse, omnem inutilem multitudinem Calvisianum versus per loca palustria, & arboribus fossisque impedita, de quibus supra mentionem fecimus, veluti ad invadenda castra nostra emisisse. Quorum in aperto pedites, equitesque perpauci conspiciebantur. Paulo deinde hinc atque illinc ingentes virorum fremitus exaudiri cœperunt. Quod studio ab hostibus factum intelligebatur, ut quanta constarent multitudine in conspectu nostri exercitus clamoribus ostentarent. Inspici namque non poterant, quod & arborum densitas, & nebula frequens prohibebat. Quod cum animadverteret Franciscus; veritus ne quid in castra per insidias conarentur, illico ad postremos misit, qui ediceret, ut castris si oporteret præsidio essent, propinquioresque ordines singillatim planiciei terga verterent. Relatum est, nondum novissimam castris turmam excessisse, totum intervallum, quod à castris ad tumulum intererat, turmas complesse, quod intervallum tribus amplius millibus passuum constare ferebatur. At cum per horam in acie stetisset, neque hostes, ut se facturos promiserant, in pugnam venire, neque in conspectum prodire videre, neque eos ubi essent propter munitiones, locique iniquitatem, & propter supervenientem imbrem, quo languescere omnes cœperant, invadere utile putaret, ex cohortibus unam paulum præter tumulum progredi jussit. Hanc ultra per Scorpionis jactum ministros parata cum materie mittit, quibus columnam in quorumdam ex hostibus conspectu lapide & cemento educendam curavit. Ibi manicas quas diebus superioribus acceperat, hasta infigendas mandavit. Quod quidem opus & ad diei memoriam, & in hostium ignominiam faciendum jussit. Dum hæc geruntur, Porcelius Romanus Civis, Poëta insignis, cùm pro Alphonso apud Picininum moram faceret, miro visendi studio ductus ad Franciscum rogatum misit, ut ejus voluntate sibi eum adire liceret. Quod cùm facilè impetrasset, profectus totum agmen lustravit. Admiratusque ordinem, magnitudinem exercitus, equitatus ornatum, militum quoque animum ad dimicandum tam paratum, nil umquam se dignius vidisse prædicavit, idque se literis mandaturum. His peractis in castra utrique exercitus multo cum imbre circa vesperam rediere. Deinde cùm per hyemem continuosque imbres non fine magno exercitus incommodo perseverare amplius in castris posse videret, copias in hiberna mittere constituit. Prius tamen per proximas Villas, Vicosque dies aliquot commorandum videbatur, ut quid hostes statuerent, cognoscere posset. At ubi eos spectare intellexit, dum ipse exercitum solveret, copias omnes partim in Oppida, quæ in Brixiensibus obtinebat, hyematum distribuit, ducibus Tristano filio, & Roberto Sanctoseverinate, partim in Cremonenses, & in ea loca, quæ in frontibus erant, remisit. Bartholomæum verò in Alexandrinos, qui bellum eam per hyemem Guilielmo inferret, amissaque Oppida recuperaret, mittere constituerat. Sed interim Evangelista Sabellus quingentorum equitum ductor, qui pro Venetis Cerreti Monasterium, quod permuniti instar oppidi effecerant, valido præsidio servabat, cum Francisco jam de deditione pactus, Alexandro sese, atque Monasterium tradidit. Pons verò, quem in Addua non procul ab eo Monasterio, ut ostendimus, Veneti summo studio ædificandum custodiendumque curaverant, per proditionem, ut tentaverat, capi non potuit, quod esset quibusdam aliis peditum præfectis curæ commissus. Quod cùm intellexissent hostes, continuò Leonissanus

(174) MS. consedere peditatus residuum, & omnes fere gregarias pedestresque copias, Calvisianum &c.

nus, Carolus, & Tibertus cum magna exercitûs parte Cremam proficiscuntur eo consilio, ut pontem tueantur, quousque Francisci exercitum in hiberna pervenisse cognoscerent. Franciscus nihilominus Collionem omnibus iis copiis, quibus trans Adduam hyemandum erat, ad expugnandum pontem proficisci jubet. Is cùm per Cremenses, & ab Oppido non longius passibus quingentis iter facere cogeretur, quod aliud iter relinquebatur nullum, hostes oppido educunt eo animo, ut aut nostros transitu prohibeant, aut si vim facerent, prœlio contendant. Collio contra ubi paratos ad pugnandum hostes conspicatur, Sfortianorum militum viribus fretus (175) omnes induere galeas jubet, ut si hostes itinere prohibere conentur, vi ac ferro viam aperiant. Ita Collio ad pontem iter prosequitur, & cernentibus hostibus Oppidum sine ullo negotio præteriit, & circa pontis castellum, quod erat ædificatum ab eo latere, quod ad Cremenses pertinebat, castra ponit. Huc quoque Alexander continuo, ut erat à Francisco imperatum, magna cum militum manu venit; Castellumque cùm totam noctem tormentis oppugnare contendisset, mane territis defensoribus, vi capit, moxque ponte occupato alterum Castellum, quod erat ab alia parte pontis nullis repugnantibus diripitur. Tertium item quod erat in Laudensibus ingenti artificio atque opere constructum, & omni armorum genere & militum præsidio permunitum dejicitur. Postea pontem Franciscus rescindi, & castella dirui jussit. His confectis rebus, Bartholomæus in Alexandrinos contendit. Alexander Laudem revertit. Reliqui in hiberna proficiscuntur. Leonissanus Brixiam, Carolus Veronam hibernatum se conferunt. Tibertus Cremæ subsistit, & ad Franciscum, qui jam Cremonam venerat, (176) misit, qui diceret, nihil se amplius negotii habere cum Venetis. In sua esse potestate, præterea sua erga eos merita, & multa illorum cum in se tum in omnes ingratitudinis vitia commemoraret. Seque proinde statuisse ab eorum amicitia omnino discedere, & quo fortuna tulisset, proficisci. Rogare, ut ejus voluntate per suos fines impune transire liceret. Si sua opera uti velit, se pro vetere benivolentia, quas sibi dederit conditiones non repudiaturum. Sperare pro ejus æquitate honoris sui rationem habiturum. (177) Franciscus etsi hunc tam inopinatum, tamque repentinum Tiberti motum admirabatur, tamen visum est, hominem, qui ultro optimam ejus in se voluntatem polliceretur, honore & beneficio complectendum, cum maxime non parvo sibi usui futurum perspiceret, quod & Venetis illum adimebat, & suæ eum militiæ virum adjungebat, quem per superiora tempora acrem & rei militaris peritum cognovisset. Quas ob res ita cum nuntio egit, ut ad se ipse veniret. Qui statim reverso nuntio suas copias in Cremonenses perduxit. Deinde clam ad Franciscum profectus, ac re de stipendio composita, chirographisque mutuis, & jurejurando firmata, novissime postulavit, ut Mirandolæ cum suis hyemare liceret, ne ita repente ad Venetorum hostem transisse videretur, & interim uxorem liberosque ab ipsorum manibus liberare, & in suam potestatem redigere posset. Quod cum Franciscus liberaliter concessisset, per Cremonenses in agrum Mirandolanum trajecit, neque Franciscum vidisse, neque cum eo rei aliquid, nisi de fide publica pro ejus transitu egisse, atque liberum se esse dissimulavit. Collio inter hæc, ubi in Alexandrinos pervenit, accersitis copiis, quæ cum Conrado Alexandriæ præsidio erant, hostium fines late longeque depopulatur, atque interim Raynaldum Astensium Præsidem quingentis cum equitibus sibi adjungit. Imperaverat ei namque Carolus Rex pro ea, qua Franciscum, Florentinumque Populum benivolentia complectebatur ubi Francisco ipsi esset usui, continuo auxilia mitteret. Cornientum deinde Oppidum aggressi, cum per diem continenter oppugnassent, nec per deditionem, nec per vim valido militum præsidio defensum obtinere potuissent, ab oppugnatione destiterunt. Raynaldus, quod Galli laborum insueti nullum perferre incommodum poterant, postridie Astensem ad Urbem regreditur. Collio in Derthonenses reversus, posteaquam Puteolum vi recepit, suos partim ibi, partim in proximis locis collocavit. Dum hæc in Longobardia geruntur, Alphonsus (178) stimulantibus quotidie Venetorum legatis in ipso prope æstatis initio, Ferdinandum filium cum potentissimo exercitu in Etruriam mittendum constituit, qui paterni Regni fines prætergressus, per Umbros, Perusinosque in Florentinorum fines, quibus pater, ut ostendimus, jam bellum indixerat, paucis diebus pervenit, & primo aggressu Folianum Oppidum obsedit. Cujus oppugnationi acriter intendens, Cortonensium, Aretinorum, finitimorumque agros ob Florentini exercitus paucitatem multis incursionibus devastabat. Id vero Oppidum etsi forti militum præsidio Zenone Cremensi Præfecto muniebatur, tamen cum variis tormentorum, cuniculorumque artibus diu multumque oppugnasset, desperantibus de subsidio oppidanis, per deditionem tandem accepit. Dum autem ea durante obsidione Eustorgius Faventinorum Princeps, vir fortis & bellicosus, qui primus ex Flaminia auxilio Florentinis accesserat, hostem lacessere, oppugnationem tardare, obsessos spe ferendæ opis in fide continere studet, insidias pabulatoribus instruxerat. Qua re Ferdinando enuntiata, primo impetu ita funditur, fugaturque, ut magna suorum parte intercepta vix ipse cursu evaserit. Quo nuntio tantus Populo Florentino terror injectus est, tanta omnes trepidatio invasit, quemadmodum Detesalvius apud Franciscum legatus referebat, ut tueri posse diffiderent. Sed Sigismundi Pandulfi, & Simoneti ex Ca-

(175) MS. quorum apud se delectum habebat, suos eo consilio ad decertandum instruit atque hortatur, ut si eos itinere prohibere conentur, vi ac ferro viam aperiant. Omnibus itaque cassides indutis equitibus, hastasque manu tenentibus, Collio ad pontem &c.

(176) MS. Atqui non multo post suum eam in Urbem adventum, Tibertus ad eum misit &c.

(177) MS. ut quam in eo habeat fidem, minime se fefellisse intelligeret, quin quidem ejus hostibus acerrimum se hostem futurum, & quæ imperasset facturum ostendit Franciscus &c.

(178) MS. Rex secundum & grave Florentinis bellum intulerat, magnisque viribus cum eis contenderat. Stimulantibus namque quotidie &c.

CastroPetro cum non parva equitum manu adventus eam spem attulit, crescentibus etiam milite multis è locis conducto in dies copiis, ut respirare animo, & melius suis rebus sperare cœperint. At Ferdinandus nihilo tamen secius per eorum fines pleraque Castella atque Oppida cepit partim vi, partim pactione incolis sese dedentibus. Exacto autem æstatis tempore exercitum in Senenses duxit, & per loca Florentinis finitima in hiberna distribuit. Ea æstate & Franciscus Venetos ægre, & Florentini Regem ægrius sustinuere. Franciscus peracto Cremonæ cum Blanca conjuge Natali Christiano, ad comparandam pecuniam & ad cetera providenda, quæ bello, quod insequenti Anno gesturus erat, usui fore cognosceret, Mediolanum proficiscitur.

Explicit Liber Vigesimussecundus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUSTERTIUS.

Anno 1453.

CUm ea esset ad bellum utrimque gerendum rerum conditio, ut Franciscum majore pecuniæ copia subveniri, quàm sui ærarii facultas suppeditabat, & Florentinum Populum majore militum numero augeri oporteret, maxime necessarium fore pro communi salute judicabant, ut ea re, qua affluerent, se invicem sublevarent. Itaque cum Franciscus milite, Florentini pecunia abundarent, Alexandrum fratrem cum millibus duobus militum Franciscus ad Florentinos ubi per tempus liceret, transmittendum. Ipsi verò eum octoginta aureûm nummûm millibus juvandum constituunt. Præterea ad Carolum Francorum Regem Angelus Acciarolus Florentinus Civis, & Abraham Ardicius Viglebiensis communi consilio legati mittuntur, qui Regis ejus operâ Renatum Andegavensium Ducem, qui se ut supra ostendimus, citerioris Siciliæ Regem asseverabat Florentini Populi stipendio conducerent, & quo majore copiarum numero posset, in Italiam traducerent. Utque ad id munus suscipiendum facilius allicerent, hæc illi pollicerentur. Alphonso Etruria pulso, si in Regni fines eum persequi voluerit, Florentinos suas copias concessuros, & quicquid opis sibi foret reliquum præstituros. Franciscum item pacatis seu bello seu pace Longobardiæ rebus Alexandrum fratrem cum valido exercitu recuperandi Regni ejus causâ missurum. Legati regis hortatu Renatum Florentinæ Reipublicæ stipendio cum viginti supra centum aureûm nummûm millium impensa quotannis dependenda firmant, scriptisque & jurejurando obstringunt. Reliqua verò socii, quæ bello usui putabant, comparare, tempusque hostibus præripere summa cura studebant. Cæterum Francisco, cum esset Mediolani, crebræ Ludovici literæ reddebantur, Carolum fratrem è Veronensium finibus fines Mantuanos quotidianis excursionibus infestare, & Castella quædam jam occupasse. Nec esse absque Civitatis suæ suspicione, & propterea rogare ac deposcere, auxilia mitteret. Fiebat præterea eodem fere tempore literis Roberti certior, Leonissanum & Picininum ex hibernis eduxisse, Manerbium Oppidum circumvallasse, tormentis die noctuque oppugnare. Quibus rebus cognitis celeriter Cremonam contendit eo consilio, ut & Manerbienses obsidione liberaret, & Ludovico auxilia submitteret. At ex itinere cognoscit Manerbienses tridui oppugnatione coactos, Christophoro Taurello cum suis incolumi, quem eorum præsidio præfecerat, sese Venetis permisisse. Leonissanum, dum ei oppugnationi intenderet, à Christophoro inlatus Scorpione lethaliter vulneratum, Brixiam delatum, paucis post diebus vita functum. Ubi verò Cremonam pervenit, Roberti ejusdem, & Alexandri, qui è Parmensibus in Brixienses obsessis subsidio ierant, literis intellexit, hostes ob rumores, qui de suo in eos adventu afferebantur, quamprimum recepto Oppido, præsidioque imposito in hiberna rediisse. Proinde Cremonæ aliquamdiu moratus, Tibertum, qui ut, supra diximus, Mirandolæ hyemabat, ad Ludovicum proficisci jubet. Deinde ad reliqua belli negotia conficienda Mediolanum egreditur. Tiberto interim sibi adjuncto Ludovicus Carolum vagantem non modò reprimit, sed in Veronenses, intraque munitiones compulsum fudit, ac multis captis fugavit. Ineunte vere Florentinis instantibus, Alexander superato per Parmenses Apennini jugo, & per Lunenses emenso sex dierum itinere, in Etruriam pervenit. Ejus adventu Florentini redintegratis animis reliquas copias in unum locum cogi jubent, & quoniam inter Alexandrum & Sigismundum gravis erat orta contentio uter imperaret, Florentini Populi consulto ducem Sigismundum declarant. Verebantur enim ne si Alexandrum præferrent, Sigismundum ob ejus insolentiam, animique mobilitatem amitterent. Alexandrum Francisci operâ, cujus imperio ad eos venerat, obtemperaturum minime dubitabant. Alexander indignatus statuit Florentinorum finibus omnino excedere. Quod cum intellexisset Franciscus, illico ad eum scripsit, moleste se quidem ferre, imperii summam ad eum, à quibus debuerat, non fuisse delatam. Verum id æquo pateretur animo, cum non modò Florentinorum, sed communis etiam ageretur causa. Non enim eum ad Florentinos misisse, ut ab iis exercitus præfecturam peteret, sed ut auxilium ferret. Alexander cognita fratris voluntate, quamquam invitus paruit. His rebus constitutis, Folianum, quod superiore Anno, uti demonstravimus, regius exercitus occupaverat, obsedere. Et ne qua posthac inter eos dissensio oriretur, negotia non tam exercitus quam belli inter eos di-

vi-

videbantur. Eo Oppido recepto, nullis prohibentibus, quod Ferdinandus nondum ex hibernis copias eduxerat, ad reliqua recuperanda, quæ in hostium erant potestate, contendunt. Hæc æstatis initio in Etruscis cum magna Populi Florentini lætitia geri cœpta. In Longobardia verò Veneti mortuo Leonissano, Picininum exercitui præfecerunt, non ob virtutem, sed ut beneficio in officio continerent, quod cum Francisco atque Florentinis conspirare animadvertissent, & cum pabuli copia jam adesset primi ex hibernis educere, & Oppida, quæ Franciscus trans Olium obtinebat, invadere atque oppugnare cœperunt. Primùm Quintiano admoverunt, & magnis tormentorum viribus non prius destiterunt, quam muro & aggere deleto & oppidanos & milites, qui in præsidio erant, ad deditionem compulerunt. Dein continuo Pontem Vicum non procul positum toto exercitu obsederunt, illumque majore conatu nullo diurno, aut nocturno tempore intermisso, expugnare contendunt eo animo, ut priusquam Franciscus suos contraxisset, omnibus Olii aditibus occupatis, eum transitu prohiberent, & copiis, quæ cum Tristano & Roberto erant, intercluderent, quibus nullum salutis præsidium relinquebatur, nisi fuga in Mantuanos se reciperent. Præterea ne Ludovicus, & Tibertus Francisco jungerentur, Carolus refectis copiis, & aliis compluribus auctus turmis, in Veronensibus relinquitur, qui Mantuanorum agros vexando, eos in his locis occupatos distineret. Franciscus eo repentino hostium motu successuque solicitus, Cremonam proficiscitur, & quas potest, eo copias contrahit, (179) indignabundus, ante oculos in ipso æstatis initio suos oppugnari, hostes magnam sibi auctoritatem vindicare, magnosque in dies spiritus sumere. Pecuniæ difficultas hoc potissimum effecerat, ut sero admodum equitatus, in quem fuerat pecunia distributa, ex hibernis exisset. Sed majus quoddam inopia rebus gerendis attulit incommodum, quod non omnis equitatus fuerat pecuniæ particeps. Collio inter reliquos in hibernis commorari coactus est. Ex quo mirum in modum perturbatus, aliunde quærenda sibi stipendia prædicabat, & ob id dum Nicolai summi Pontificis voluntatem quærit, quod Francisci consensu faciebat, Venetorum etiam mentem prætentavit. Sed cum simulare illum existimassent, pollicitationem nec respuere omnino, nec tunc accepere.

At Franciscus etsi non absque periculo, exercitu nondum coacto, Cremona discedere posse animadvertebat, tamen cum intelligeret, non esse amplius cunctandum ad ferendam obsessis opem in extremo discrimine constitutis consilium capit, cum iis copiis, quas secum habebat, Senigam proficisci; quod est Castellum in ulteriore Olii ripa, ubi Anno superiore pontem construendum, & Vicum muniendum curaverat. Quem ad locum paucis ante diebus tam Castelli ejus &

A pontis servandi gratiâ, quam ut auxilii spem iis afferret, qui in Ponte Vico obsidebantur, quod minus quinque passuum millibus à Seniga distabat, Sacramorem Vicecomitem cum decem cohortibus & peditatus parte ire jusserat; ut exinde postea iis acceptis copiis, quæ trans flumen erant, per Cremonensem agrum iter faciens, Oppidum per pontem ingrederetur, atque in stationes hostium, quæ ultra flumen erant, eruptionem faceret. Quo subsidio non dubitabat, aut priusquam eò pervenisset, hostes discessuros, aut se si exspectassent, profligaturum. Properanti igitur viginti non amplius cohortibus Senigam versùs frequentes Sacramoris nuntii admissis equis referunt, eodem mane Pontem Vicum
B vallo aggereque ad solum æquato nullis fere prohibentibus hostes cepisse, Sfortianosque milites dissipasse, ac eo Oppido recepto ea victoria elatos, Senigam velociter venisse, Vicumque oppugnare adniti, & nisi celerrime subveniatur, tantum impetum sustineri diutius non posse. Qua re cognita eo velocius ire contendit, pontemque transgressus pedites equitesque magno timore perculsos, cum se contra tantas hostium vires tueri diffiderent, munitionem deserere, & fuga citra flumen in Cremonenses se recipere, pontemque rescindere constituisse. Sacramorem tamen anxium & vallum defendere, & omnes
C continere intra vallum conantem invenit; eosque primum acriter increpat, quod extra munitionem pugnam non sustinuissent, quodque hostes munitionis fossam adire, aggeremque oppugnare magno eorum cum periculo permisissent. Deinde suos cohortatus primus ipse in hostes erumpit, prœliumque cum iis, qui pro porta erant, committit. Peditatum qui aggerem, ut diximus, ascendere adnitebatur, & omnem denique pedestrem multitudinem, quæ intra munitionem tela conjiciebat, statim submovit. Equitatus namque omnis præter paucos, qui peditibus immixti eo venerant, procul à munitione constiterat. Picininus ubi Franciscum tum ex voce & insigni galea, tum ex exercitu, qui trans flu-
D men conspiciebatur advenisse videt, Pontem Vicum redire omnes jubet; quos Franciscus cum & equitatu & peditatu longe superiores esse sciret, & intra eorum munitiones jam consistere animadverteret, insequendos non putavit. Itaque receptui cani locumque castris idoneum ad ulteriorem fluminis ripam Cremonensis agri nactus stationes militem firmare jussit. Non videtur silentio prætereundum quod eo ipso die, qui fuit ad Quartum decimum Kalendas Junias Anni à Nativitate Dominica Millesimi & Quinquagesimi Tertii supra Quadringentesimum; (180) Ottomanus Maumethus Turcarum Imperator Constanti-
E nopolitanam Urbem expugnavit. Interea exercitum Franciscus magnopere augere studet, & præcipue Ludovicum & Tibertum frequentibus literis nuntiisque ad se venire jubet, sine quibus quod magnum copiarum numerum haberent, & quod Ludovici pruden-

(179) MS. Æstuabat namque vehementer animo, quod ante oculos in ipso præsertim æstatis initio sui oppugnarentur; quorum saluti, ut belli magnitudo, existimatione sua postulabat, celerius consulere non potuisset; quodque insuper hostes magnam &c.

(180) MS. impius & immanissimus ille Maumethus Turcarum Imperator amplissimam ac præclarissimam Constantinopolitanam Urbem expugnavit, ac per omne crudelitatis genus diripuit atque dissipavit. Cujus miserandum atque deflendum excidium nulla umquam delebit oblivio. Dum autem ad Senigam Franciscus, hostesque item ad Pontem Vicum morantur, suum exercitum Franciscus magnopere &c.

dentiæ plurimum tribueret, in Brixienses, ut statuerat, trajiciendum non videbatur; quod in hostium finibus bellum gesturum multo majore militũ numero quam essent ipsi hostes oportebat esse auctum. Sed Ludovicus (181) infestantibus hostibus quotidie Carolo duce, suos fines nec ad eum cum copiis se conferre, nec Tibertum mittere posse respondebat. Franciscus tam opportunum bello gerendo tempus amitti, seque diutius quam vellet, iisdem castris distineri dolens, nihil inveniebat, quod ad traducendum in hostium fines bellum usui fore arbitraretur. Aliæ copiæ, quas evocaret, erant nullæ. Exspectare Renati Regis adventum, (182) longum nimis putabat. Hostes præterea posteaquam per noctis silentium castra invadere, stationibusque ignem inferre consilium inierunt, quod contra sententiam evenerat, nil conari, aut quærere, nisi ut Ludovicum ab ejus castris sejunctum distinerent, ejusque motus servarent, atque consilia scrutarentur, quod neque consilio ullo neque viribus ullis adversus eum quicquam proficere posse animadverterent. (183) Traduxerat per eos dies noctu Picininus exercitum omnem per pontem, quem obtinuerat in Cremonensem agrum, Franciscum incautum imparatumque offensurum ratus, ut primo per noctem in castra impetu facto eum nullo negotio funderet, atque fugaret. Cumque iter faceret ad silvam quamdam inter Pontem Vicum, & Francisci castra medio fere itinere positam, hanc majorem equitatus partem, ne transeat silvam, jubet, peditatum modò castra adoriri, incendia frequenter tabernaculis immittere, atque omnia tumultu & clamoribus terribiliora facere edocet. Se ubi munitiones castrorum ingressos obtinuisse intellexerit, equitatum subsidio celeriter submissurum dicit. Ea de re, ut primum ab hostibus decreta est, pauloque deinde post de adventu Franciscus, & per exploratores & per equitem ex hostibus quemdam, cui Picinini consilia nota erant, certior factus, in concilio ad primam noctis horam communicat. Armari mox exercitum, atque in acie consistere imperat. Deinde ex castris educit, consistendique locum singulis equitum, peditumque præfectis designat. Et quid fieri velit, ostendit: Cum igitur omnes totam noctem Picinini adventum exspectassent, ad lucem primam hostium peditatus, paucis intermixtis equitibus, incaute excubiis interceptis, inopinans anteriorem in turmam excubiarum ipsarum confidentia semidormitantem incidit, & clamore quamprimum utrimque sublato pugna enixe conseritur. Marcus Leo ex Sfortianis peditum præfectis vir fortis primos inter hostes acriter pugnans pilula plumbea trajectus cecidit. Hostes primo impetu facto repulsi terga vertunt. Picininus cernens Franciscum de suo in eum adventu cognovisse subito equites, qui silvam transierant regredi, peditatusque agmen remissiore passu idem facere imperat. Franciscus id conspicatus, cùm Veneti peditatu maximè anteirent, suos ab insequendis hostibus prohibuit, receptui cani jussit. (184) Interea de prœlio in Veronensibus à Ludovico, & Tiberto prospere facto ei magna omnium lætitia magnoque concursu nuntiatum est. (185) Dum eos qui interfuerant, diligentius percunctatur, sic reperiebat. Ludovico & Tiberto Godii sedentibus, quod est Oppidum supra Mincium amnem, ex quo Oppido pons ad Veronenses pertinet, Carolus qui odio magis quàm alia causa pro Venetis adversùs fratrem certabat, intra munitionem quam vulgo Muratam appellant, non procul Verona castra habebat. Quo ex loco per singulos ferè dies, ut ostendimus, Mantuanorum fines incursionibus turbabat, atque interdum non tam ut agros cultoribus militesque pabulatione prohiberet, quam ut à fratre per patentes campos impunè vagari conspiceretur, & quantum in bello posset, ostentaret, ab ea parte Godienses insultabat. Quod cùm animadverteret Ludovicus: Tibertum qui paucis ante diebus relictis copiis Franciscum adierat, ad se revocat, & quo facilius illuc fratrem, ut consueverat, alliciat, ex composito pabulatores & pecora exiguo præsidio trans flumen mittit. Carolus ea de re per speculatores confestim certior factus omnibus copiis eo celeriter contendit, eoque audacius incursionis negotium suscepit, quo abesse Tibertum sciebat. Quo absente Ludovicum, qui copias multis in locis distributas habebat, haud in prœlium descensurum arbitrabatur, præcursoribusque missis mille circiter passus à ponte consistit. Duces quod summopere affectarant, pro animi sententia evenisse conspicati, milite quamprimum instructo, atque ultra flumen traducto, impigrè hostem invadunt, & loco haud iniquo prœlium committunt. Carolus ubi Tibertum adesse, & tantum copiarum numerum eo convenisse videt, quarum magnam partem pridie ejus diei Ludovicus eam ob rem Godium accersiverat, trepidare animo cœpit, quod haud obscurè perspiceret eum in locum esse deductum, ut prœlio decertandum esset. Itaque nostrorum impetum primo congressu non modò sustinet, sed paulùm aciem primam submovet. Quo favore elati hostium animi non omnino de victoria aut salute desperant. Pugnatum deinde aliquamdiu est acie utraque neutram in partem inclinante; fit magna equorum cædes. At Ludovicus ubi hostes ita constanter resistere videt, ut æquo certamine dimicaretur, majus equitum robur ad pugnam impellit, & facto (186) magno in eos impetu loco cedere cogit, ac tandem profligat.

(181) MS. quamvis relicto in Oppidis, quæ in frontibus erant, idoneo militum præsidio, accersebatur, quod futurum non dubitabat, suo crescente exercitu, Venetos quoque è Mantuano bello suos prope diem in exercitum revocaturos, tamen infestantibus &c.

(182) MS. pro Gallorum more incertum esse, aut longum nimis &c.

(183) MS. quandoquidem nihil erat, si quid in eum conabantur, quod sua prudentia, animi magnitudine, celeritateque non provideret, aut superaret. Quarum rerum gravissimum id erat apud eos testimonium, quod superiore nocte accidisset. Traduxerat &c.

(184) MS. & in stationes reditum est. Ceterum dum his difficultatibus, quas supra memoravimus, Franciscus versatur, de prælio in &c.

(185) MS. avidusque prœlii ejus summam cognoscere, dum eos &c.

(186) MS. uno atque eodem tempore magno in eos impetu, loco cedere coguntur, ac pugnam conferendo soli spatia, quæ à cedentibus relinquebantur, à nostris occupantur úsque adeo, ut cum tantam nostrorum ingruentium vim amplius sustinere non posset, terga verterent, & quisque fuga salutem peteret. Planicies &c.

gat. A nostris occupatur. Planicies est in agro Veronensi patentissima à meridie & occidente Sole ad Mantuanorum & Godiensium pertinet fines. Fossa & muro perpetuo dividitur, cujus portæ bellorum tempestate pontibus clauduntur, ne qua vis hostium Mantuano egrediens agro Veronenses ab ea parte incautos opprimat. Præter hunc murum Carolus, ut prædiximus, castra habebat, ubi impedimenta discedens reliquerat. Huc primo se ipse recipit; eo item effuso cursu ceteri fugere contendunt. Ex his multos munitio excepit, atque servavit; reliquos nostri insectati ceperunt.

Hac victoria nuntiata Franciscus statim ad Ludovicum gratulatum mittit. Simul adhortatur, ut quàm celerius posset, ad se cum copiis properet, nec amplius mittendis mutuo nuntiis tempus teratur; neve longiore mora victoriæ præmia è manibus auferantur. Deinde quid eum facere velit, demonstrat. Gaydum, de quo Oppido in superiore commentario mentionem fecimus, adhuc esse in hostium potestate. Id capi se admodum cupere, quod propter loci opportunitatem plurimum usui futurum censebat. Si ei Oppido se castra admoturum ostendat, hostes, qui pro locorum intervallo propinquiores essent, & summo id studio custodiendum curabant, prius locum occupaturos. Qua re opus erat uti arte. Nam eos fallere oportebat, si prævenire cupiebant, & proinde noctu omnibus copiis eo celeriter proficiscendum, munitionemque circumquaque capiendam. Quod quantum itineris ratione providerat, facile fieri poterat. Se verò nocte eadem, quo majoribus viribus resistant, si qua hostium vi turbarentur, Robertum cum altera militum manu missurum. Deinde cùm primùm hostes castra movere, & Gaydum pergere cognoverit, velociter & ipsum toto exercitu eodem maturaturum. Ludovicus receptis post prœlium ad Godium factum paucos intra dies Oppidis, quæ in Caroli fide præstiterant, (187) annuentibus Venetis cum Veronensibus induciis factis Francisco appropinquat. Per noctem deinde, ut erat constitutum, Gaydum proficiscitur. Quem ad locum diverso quoque itinere Robertus eodem tempore convenerat. Qui continuò munitionem ingressi nullo negotio occuparunt. Nam Georgius Dalmata, cui à mul a cæsarie cognomen erat, qui præsidio ei munitioni præerat, cognito Ludovici adventu in Oppidum refugerat. Qua re & ad Franciscum, & ad Picininum sub idem fere tempus delata, utraque confestim castra moventur. Franciscus Olium amnem, Mellamque fluvium prætergressus, Goth)olengo appulit. Hic quia nondum, quo signa hostes verterent, certior factus esset, veritus ne cum procul Seniga abiisset, munitionem pontemque occuparent, consistere turmas signaque jubet. Jamque horæ spatium transierat, cum à speculatoribus cognoscit, hostes nullo ordine Gaydum versus properare. Idem ipse facit, nec mille prӕterierat passus, cum crebri Ludovici nuntii magno pavore referunt, hostes jam apparuisse, effuso agmine Gaydum contendentes. Ludovicum tantam cunctationem vehementer admirari, tam propinquis hostibus rogare, ut celeritas adhibeatur. Quod si prius hostes illo pervenerint, cum tanti exercitus viribus à fronte, & iis qui in Oppido erant à tergo, ubi uno tempore impetum facerent, resistere nequaquam posset, se de salute dubitare. Franciscus commotus admiratusque tantam hostium celeritatem, remittit, qui dicant, quousque ipse advenerit, pugnam extra munitionem cum hoste ineant, & quàm possint longius à munitione sustineant. Se cum exercitu appropinquare, adesse conclament. Ipse interim quam celeriore itinere potest, ad eos maturat. Equitatus peditatusque agmina idem facere, ac se subsequi imperat. Nuntii item eunti frequenter occurrere non cessant, postulantes auxilium, hostesque adesse. Manus cum nostris conserere dicunt. Maxima esse opus celeritate, maximum esse in mora discrimen. Hoc tamen imminentissimo Ludovici periculo non putavit Franciscus simul cum exercitu sibi amplius eundum, sed in prœlium eo dimisso advolandum. Itaque sumtis perpaucis levis armaturæ militibus, equoque commutato velociter Gaydum ad Ludovicum contendit. Quo ubi ventum est, circumspectis quæ ab utraque parte gerebantur, in prœlium suos magna voce cohortans defertur. Ejus adventu tanta est illico facta rerum commutatio, ut instauratis omnium animis, factoque in hostes concursu, ingenti simul clamore sublato, non modò eorum tardatus sed repulsus sit impetus. Picininus quod summi imperatoris præsentia nostris animum addi, suis minui cerneret, (188) pugnam confestim solvere, suos colligere, & in loca nostris iniqua reducere contendit, cum paulò ante exploratam videretur habere victoriam. Invenerat autem Franciscus Roberto simul & Tiberto, uti præceperat, medios inter hostes acriter prœliantibus, sed pugnam ægre ac vix per teli jactum à munitione arcentibus, Ludovicum pro munitionis porta stantem ordinesque instruentem. (189) Non censuit eo die, quo annua Beati Petri Apostoli festivitas celebrabatur, militibus equisque itineris celeritate admodum defessis cum hoste contendendum (190) cum recenti ac integro. Locus erat palustris, ac pœne invius, peditatui quam equitatui accommodatior, quo vix perpaucis ac perangustis semitis transiri poterat, & peditatu, ut sæpe demonstratum est, Venetus exercitus longe anteibat. Itaque castra locari, Oppidumque circumsederi jubet. Hostes campos palustres transgressi, quatuor à Gaydo passuum millia ad Porcianum consedere. Qui etsi castra inter utraque palustres, quos diximus, campi intercedebant, quorum ripas Venetæ turmæ stationibus attingebant, tamen non iis locis tuto commorari posse confisi,

(187) MS. receptis, relictisque in pace per inducias Mantuanis rebus, quas inducias annuentibus Venetis cum Veronensibus fecerant, Francisci imperata tamdem exsequens, Brixianorum finibus appropinquat. Per &c.

(188) MS. nec, ut totis copiis adversarii conjunctis dimicaretur, exspectandum ratus, pugnam confestim detrectare, suos colligere &c.

(189) MS. & quammaximo in discrimine omnes constitutos. Nam magno timore territi, munitioneque omnino diffisi, fugæ magis erant inclinati, quàm ad obsistendum parati. Non censuit &c.

(190) MS. nec etiam recenti ac integro milite, qua venerat, prœliandum. Locus erat namque palustris &c.

ssi, non prius destiterunt, quam se omni aperto ex latere fossa & aggere communierint. Franciscus castris quoque firmatis Oppidum adortus tridui spatio vi tormentorum coactis oppidanis, Georgio cum præsidio ad suos libere dimisso per deditionem accepit. His rebus gestis, cum quereret Franciscus quo deinde exercitum moveret, non inveniebat in ea regione, quibus Oppidis sua atque exercitus auctoritate arma inferri possent, propterea quod si ad dexteram, quæ ad orientem vergebat solem, se vertebat, quam in partem Ludovicus multis argumentis progrediendum censebat, & nunc in Asulanos, nunc in Veronenses ducendum fore exercitum, multis etiam pollicitationibus quotidie suadebat, verebatur ne occupatis, quæ à tergo relinquebantur, commeatu ipse intercluderetur, incertus quibus esset rebus potiturus, aut quæ hostibus detrimenta inferre posset. Præterea se à suæ ditionis finibus continuo à partibus tribus bello lacessitis atque vexatis perlonge nimium trahi animadvertebat. Si recta pergeret, cum Brixia & Alpes à fronte obstarent, nihil erat reliqui, quod esset oppugnandum. Pedem autem referre detrimentosum, & turpe admodum putabat; prœlio aperte cum hostibus decertare, qui erant ad lævam, difficillimum atque periculosum arbitrabatur, qui equitatu fere pares, peditatu longe superiores, paludibus, munitionibus insuper adjectis se continebant, & post terga Urbem populosam atque opulentam non amicam solùm sed subitam, & agros ad commeatum pabulumque suppeditandum feracissimos habebant. Quibus de causis (191) supersedendum in iisdem castris, Renatumque Regem cum Gallorum manu exspectandum constituit. De cujus adventu literæ frequenter afferebantur, quibus illum ab Andegavensibus profectum suam jam in provinciam pervenisse, conductumque ex omni fere Gallia militem contraxisse constabat, atque omnibus ad profectionem comparatis, propediem per Sabaudianos in Italiam descensurum, nec tempus prius ullum præter nocturnum quieti militibus datum, quam se Francisci lateri adjunxisset, intermissurum. Ea re in concilio communicata, atque iisdem omnium animis præterquam à Ludovico probata, datur deinceps præfectis exercitus castrorum muniendorum negotium, ne qua aut repentina, aut nocturna hostili invasione exercitus incaute ulla ex parte opprimi possit, & ne ut fieri solet, emissis multis de causis ex turmis per loca pluribus permanentibus reliquis sit timendum. Daturque item Bartholomæo Gadio viro quidem impigro, arcis Gaydensium cespite atque humo conficiendæ cura, qua amotis castris præsidium servari incolume, & oppidani in fide contineri possint. Interim, ne tempus labore militari vacuum transeat, ne copiæ in castris segnes permaneant, dat militi exercendo indefessam Franciscus operam, nunc suos hostem in planiciem trahere, & in pugnam provocare, nunc agros sub ipsis Brixiæ mœnibus, qui ad Episcopi Portam sunt, depopulari, commeatus itinera turbare atque irrumpere mandans. Hæc præcipue Roberto atque Tiberto curæ demandabat. Hæc eadem ducibus iisdem non minus diligenter atque impigre administrabantur. Hostes ex adverso nostros commeatu prohibere, Cremonensium agros quotidie per Pontem Vicum infestare, pabulatorumque præsidia interdum invadere contendunt. Cum per eos dies non procul ab Urbe Brixia prædam ingentem Tibertus abduceret, & non ex iis modò, quæ Brixiensium erant, sed ex iis, quæ è Verona Brixiam, & inde in castra comportabantur, grandem jumentorum numerum relictis oneribus cepisset, & ob id magnus esset in Venetis castris tumultus exortus, Picininus infesto exercitu occurrens inter vinearum sepiumque angustias Tibertum aggreditur, partemque prædæ nondum abductam recipit; deinde in nostros à tergo impetum facit, quibus acriter in eum arma vultumque vertentibus prœlium committitur. Ea re illico Francisco nuntiata, non minor in nostris castris tumultus excitatur, extemploque acie instructa ad suos auxilio ire properans, Tibertum ex itinere edocet, ut pugnam sustinendo hostem paulatim in planum deducere studeat. At Picininus (192) campestribus æquisque locis nostrorum congressum formidans priusquam in planiciem perventum esset, insequendi finem fecit. Hoc prœlio præter Matthæum ex Sancto Angelo primum hostium peditatus præfectum in femore telo trajectum, & præter multa accepta illataque vulnera equorumque cædem, perpauci sunt ex parte utraque equites capti. Per hunc ferme modum singulis pæne diebus nunc equestri nonnumquam pedestri prœlio parva tamen manu certabatur. Nam & nostri crebro adversarios in eorum usque castrorum munitiones progressi lacessere, & ab iis contra irritatis animis immissis, qui invaderent repulsi atque acti castra versùs sese recipere. Quorum clamoribus compulsi qui in stationibus erant, arma capere & concurrere in hostem ardebant. (193) Sed Ludovicus interim pro castrorum porta stans, egredi neminem, nisi quem jussisset imperator, patiebatur. Si quis dicto audiens non erat, plectebatur.

Bina inter castra planicies passuum millia quatuor in longitudinem patebat. Hic locus erat pugnæ. (194) In his perpauci cadebant; equorum erant vulnera, equorumque cædes. Cecidit Epyrota, (195) cui Grandis cognomen erat, hastâ. Is per superiora tempora sub Francisco meruerat. Sed belli ejus initio majore spe præmii ad Picininum transfugerat. Multi verò utrimque capiebantur, sed ex Venetis quam ex Francisci copiis multo plures. Captivi ad Franciscum perducti præ-

(191) MS. cum non minore ad Gaidum mutandorum castrorum difficultate, quàm cum esset ad Senigam, angeretur, supersedendum &c.

(192) MS. qui campestribus locis nostrorum formidabat congressum, paludesque & loca saltuosa atque iniqua adamabat, id metuens, priusquam in planiciem perventum esset, suis à nostris insequendis finem fecit &c.

(193) MS. & ob eam rem is modo equitum ac peditum numerus emittebatur, qui moderatori omnium Francisco videbatur. Ludovicus interim pro castrorum porta permanens, egredi &c.

(194) MS. Heic utrimque exercebantur arma. Quæ quidem prœlia, etsi frequenter fiebant, levia tamen erant. In his &c.

(195) MS. seu recentiore vocabulo Albanensis quidam, cui Grandis cognomen erat, hasta secundum occiput lethali vulnere percussus. Is per superiora tempora sub Francisco meruerat, quem pro ejus virtute non vulgariter diligebat; vir animo sane audens, & corpore fortis atque præstans. Sed postea belli ejus &c.

præter equitum præfectos relictis dumtaxat equis dimittebantur. In his Cicchus Ordelaffus Forolivienfium Princeps fuit, quem cum aliquamdiu retinuisset, libertati restituit, domumque remisit. (196) In transfugas gravissime animadversum, quorum superiore præsertim æstate haud parvus fuerat numerus. Unum supplicem Scaramucetum Calabrum propter ejus eximiam corporis virtutem servavit, ejusque postea forti & fideli opera usus est. At ubi nihil tot prœliis proficere Franciscus videt, arte hostium duces ad pugnam trahi oportere ratus, aliquamdiu pugna abstinet, gravem equorum stragem absque victoriæ spe palam causatus. Idque ad hostem perferri studet. Cumque diebus aliquot suos continuisset, atque ex eo crevisse hostibus animos intelligeret, Donatum Mediolanensem, qui à teneris usque annis in ejus contubernio meruerat, cum expeditis equitibus hostium castra exploratum mittit, quidve præterea fieri velit, ostendit. Is hostibus se ostentat, magnum in se concitat tumultum, agiturque præceps castra versus paulo minus tribus passuum millibus. Quod cum Franciscus ex sententia evenisse videt, exercitum omnem in aciem educit, Tibertumque cum veterano equitatu præmittit, cui Petrum Johannem Camertem, & Bartholomæum Quarterium viros egregia virtute socios adhibet. Hos certamen inire, hostemque quoad possint, in apertum deducere docet. Ipse duabus subsidiariis turmis instructis per planiciem agmine longo in hostem pergit. At Picininus qui anteriores inter pugnantes versabatur, ubi tam ex densa pulveris nebula quam ex micantium armorum splendore à prospectoribus, qui arduas conscenderant populos, de Francisci adventu cum omni exercitu intellexit, suos à pugna revocare, & in castra reducere cœpit. Hos tamen Tibertus acriter invadit, & cædendo persequitur, nec finem persequendi facit, donec juxta paludem impellit. Nam prius ad eam, quàm per teli jactum perveniri possit, fossa atque agger obstabant, qui à palude initium capiebant, & in eamdem haud longo circuitu finiebant, propugnaculumque hostibus efficiebant, quod nisi vado difficulter transiri poterat. Heic suos Picininus subsistere jubet. Huc omne equitum robur, Venetusque peditatus omnis conveniunt, telisque eminus vallum defendere certant. Hos Guido Rango, & Carolus Fortebraccius (197) ad persistendum confirmant, si inde aut ignavia aut metu pellerentur, nullum usquam tutum locum inventuros. Non paludem, non castra eos servatura. Non ipsam Brixiam profugos excepturam. Una erat via per paludem in hostium castra cratibus fascibusque confecta. Hanc pars major exercitus acie continebat. E regione quoque Franciscus per lapidis jactum ab ea munitione agmina consistere, Tibertumque aditu in hostem impetum facere imperat. Tum Bartholomæus, & Petrus Johannes in vallum vi penetrant. Pugnatur confertissima acie à fortissimis viris utrimque. At repugnantibus pertinaciter hostibus, quibus perfacile erat, uno se loco tueri, spatium nostri reliquis succedentibus præbere nequeuntes, multitudine obruuntur. Equus graviter Bartholomæo vulneratur, quem eo die Franciscus ob ejus virtutem concesserat. (198) Saurum vocabant viribus non minus quàm fama clarum. Bartholomæus prœlio cogitur excedere. Reliqui perpaucis interceptis repulsi ejiciuntur. Sed nihilo segnius redintegratur in ipso valli ostio prœlium. Heic Tibertus singulari corporis & animi virtute rem gerit. Hastâ in latus utrumque Paulus Roseus ex Bracciana cohorte, qui sine thorace eo venerat, transfigitur, vir fortis & longa militia non ignobilis. Trajicitur telo Palemo ex gente Martinenga. Hunc moribundum Franciscus cum ad eum perduceretur, propter Domus suæ nobilitatem curari jubet. Multi præter saucios utrimque cadunt. Multi capiuntur ex hostibus. Picininus humi prosternitur, sed acie frequenti occurrentibus suis è nostrorum manibus eripitur; (199) sed fama de captivitate ejus percrebrescente, & Francisco, cujus nomen omnibus terrori erat, instante omnia in hostium castris tumultuarie geruntur. Quisque sarcinas colligere, jumentisque imponere, & festinanter emittere curat. Quod cum Franciscus ignoraret, pugnatumque esset à mane ad meridiem, minimeque hostem loco pelli posse animadverteret, ac peditatum insuper suum omnem ingenti calore confectum pocula atque umbras quærere, & universam equestrem manum sub ipso solis ardore stare videret, prœlium dirimi, signumque receptui dari jussit. Sic hostes magno metu ac discrimine liberantur. Posteaquam in castra reditum est, legati, qui inter ceteros pavore ingenti laboraverant, Picinino graviter succensent, quod pugnandi cupiditate (200) rem Ve-

(196) MS. Quot autem ex transfugis comprehendebantur, quorum superiore præsertim æstate haud parvus fuerat numerus, uti eorum ceteros perterrefaciat documento, eoque jam vulgato arceat scelere, ulla absque mora suspendii nece Franciscus damnabat. In quorum multos eo bello sævitum est. In unum supplicem Scaramucetum Calabrum, propter ejus eximiam corporis virtutem, clementia atque mansuetudine Franciscus usus est. Cui fidem postea servavit, & fortis militis operam in hostem edidit. Atqui ubi nihil tot prœliis proficere Franciscus videt, alia ratione, quàm sit factitatum hactenus, prœliandum putat. Nam magis arte hostium duces ad faciendam totis castris pugnandi potestatem trahi oportere, quàm viribus judicabat. Proinde aliquamdiu à pugna imperat abstinendum. Interim gravem equorum stragem ulla absque victoriæ spe &c.

(197) MS. reliquos inter duces moderari, eorumque animos ad persistendum confirmare conantur. Quod si inde aut ignavia, aut metu, sive quod minus audientes fuerint, pellerentur, nullum usquam tutum sibi locum invenient. Non paludem &c.

(198) MS. Hunc Saurum dicebant, equum arduum in primis, & præstantia clarum. Equo eo vulnere confecto Bartholomæus prœlio &c.

(199) MS. Quo casu illico utramque in aciem Picininum esse comprehensum fama defertur. Ex quo fit ut tam ea re, quàm quod Franciscus, cujus nomen atque præsentia semper apud hostes formidabilis erat, magno impetu instare, atque ingruere in Venetos cerneretur, omnia in eorum castris tumultuarie gererentur. Nam quisque sarcinas colligere, jumentisque imponere, & quod sibi quisque carius est, alio festinanter transmittere curat &c.

(200) MS. parum defuerat, quin rem Venetam in maximam eo die perniciem atque calamitatem deduxisset. Propterea caveret in reliquum tempus, in cujus consilio atque ductu omnis eorum Reipublicæ salus posita esset, ne quid committeret, quod Venetis rebus posset obesse. Quibus verbis ita deinceps abstinuit, ut post hoc prœlium numquam visus sit per eam

ætatem

A Venetam in maximum eo die discrimen de-
duxisset. Iis ille motus numquam per eam
æstatem nisi parvo militum numero in certa-
men venit. Sub idem tempus cum literis ac
nuntiis de Constantinopolitana clade Vene-
tiis cognitum esset, tantus repente Cives mœ-
ror pavorque cepit, ut quasi non in Adriati-
cum Sinum Turcos trajecisse, sed jam ante
portas adesse existimarent, totaque Civitas
uno tempore in querelis luctuque versaretur.
Nam pars suos qui aut Mercaturæ aut Magi-
stratus exercendi gratiâ Constantinopoli mo-
rabantur, trucidatos, & in captivitatem,
perpetuamque servitutem ductos deflebat,
pars de mercimoniorum amissione, atque
B ademta in reliquum tempus per eam oram
negotiandi facultate querebatur. Patres in-
credibili dolore perculsi amicorum calamita-
te, quos pro muro adversùs teterrimos ho-
stes habuerant, angebantur, ingemiscebantque.
(201) Ea res literis iisdem ad Venetos legatos
in castra primum, mox ad Franciscum per
Cæsarem Martinengum delata, eum, ut par
erat, incredibili prope dolore affecit, rescri-
psitque ad Cæsarem, quam ægre quamque
moleste miserrimam nobilissimæ Urbis cla-
dem, communisque item, & immanissimi
hostis felices ferret successus. Nec multis
post diebus hoc infelicissimo casu, pudore-
que sæpe petiti, & non lati auxilii compul-
C sus Nicolaus Romanus Pontifex Johanem ti-
tuli Sancti Angeli Apostolicæ Sedis Cardi-
nalem, virum magnum in Ecclesia Dei, au-
ctoritate excellentem, ad Franciscum de pa-
ce legatum mittit. Cum Pontificis mandata
Franciscus audisset, sic respondit. Non se
sponte sed gravi injuria lacessitum (202) ad
id bellum tractum, Venetos non suo conten-
tos imperio, quod vi doloque sibi peperis-
sent, novis etiam imperiis studere, & in
hanc maxime Longobardorum Provinciam
mentem conjecisse, quam multos per annos
gravissimis bellis vexassent. Quorum effræ-
natæ dominandi libidini nisi ipse occurrisset,
proculdubio jam non Longobardiæ modo,
D sed totius Italiæ imperio fuisse potituros, nec
ipsius Ecclesiæ rationem habituros. Itaque
non ad se, qui suis contentus rebus, nihil
umquam maluerit, quàm pacem, sed ad fœ-
derum pacisque ruptores eundum. Se, si ea,
quæ Veneti occupassent, restituantur, si Al-
phonsus, qui nullo jure Florentinis sociis
bellum intulerat, arma ponat, pacem cum
illis facturum, & pro Christianæ Reipubli-
cæ commodo Turcis arma illaturum. Cardi-
nalis cum ad Venetorum castra accedere sta-
tuisset, legatis, ducibusque exercitus eadem
Pontificis mandata expositurus, inducias
quatriduo indixit. Cujus dicto cum libe-
E re utrimque obtemperatum fuisset, ad
eum rescripsere legati, non ad se si quid
de pace agendum esset, cujus nulla mandata
haberent, sed ad Venetum Senatum profici-
sci oportere. Per eos dies cum nihil Fran-
ciscus hostile timeret, citraque paludem
non longe ab hostium castris levi præsidio
pabulatum misisset, hostes præsidium pabula-
latoresque uno tempore adorti, magnum
equorum jumentorumque numerum abduxe-
re. Quare Franciscus vehementer indigna-
tus, gravem ad legatum querelam detulit,
quod per inducias insignem prope injuriam
accepisset. (203) Legatus graviter perturba-
tus tum ob violatæ Francisco fidei verecun-
diam, tum quod de Ecclesiæ, ejusque hono-
re agebatur, iniqui facinoris auctores Ec-
clesiasticis censuris, nisi rapta restituissent,
damnatos pronuntiat. Illi sicuti fidem ne-
glexerant, ita & anathematis pœnam con-
temserunt. Cardinale irrita legatione Ro-
mam reverso Pontifex æstate distulit de pa-
ce agere. Non multo post aliud indignius
committitur facinus. Concesserat Franciscus
Cremonensibus, & Picininus Castelleonensi-
bus, quinque passuum millibus inter se di-
stantibus, ut in percipiendis frugibus impu-
ne suos cuique fines peragrare liceret. Ob
id nullum in suo Franciscus Oppido præsi-
dium reliquerat. Hac occupandi ejus Oppi-
di opportunitate legati simul & Picininus
pellecti, Ursum Comitem primo, paulo post
Campanum trans Olium cum tribus equitum
millibus, milleque peditibus Cremonæ Urbis
vexandæ, agrique depopulandi simulatione
proficisci jubent. Hi uti erat imperatum,
factis in omnes Castelleonensium fines uno
tempore excursionibus, magnum virorum,
mulierum, pecorumque numerum compre-
hendunt. Ita enim omnes vagos per agros
ex improviso circumvenerant, ut vix per-
pauci confugere in Oppidum potuerint. Præ-
dam omnem apud Cremenses, Soncinatesque
asservari jubent. Deinde Oppidum defenso-
ribus vacuum circumsedent, & nunc polli-
citationibus, nunc comminationibus oppi-
danos ad deditionem solicitant. illi etsi pro-
pter paucitatem territi erant, Oppidi tamen
munitione confisi, se atque Oppidum tueri,
& in fide persistere constituunt.

Quibus de rebus cum esset Franciscus cer-
tior factus, veritus, ne dedentibus sese præ
metu oppidanis, munitione & situ Oppidum
insigne suisque maxime peropportunum re-
bus in Venetorum deveniret potestatem,
quod si fieret, maximo suo cum periculo
futurum apertissime videbat, Sacramorem
confestim mille cum equitibus Pisleonem
mittit; scribitque Conrado, quem per eam
æstatem Laudensibus præsidio dimiserat, ut
copiis omnibus ad ferendum Castelleonensi-
bus auxilium celeriter eodem ire contendat.
Donato præterea, de quo paulo ante men-
tionem fecimus, mandat ad Oppidum matu-
ret, virosque certos pedestris ordinis virium
ro-

æstatem nisi parvo militum numero in certa-
men venire. Sub idem quoque tempus cum
literis, tum multorum ab orientali plaga ve-
nientium relatione, de ingenti Constantino-
politana &c.

(201) MS. Quod intelligebant quantum detrimenti,
quantumve periculi suis maritimis rebus Con-
stantinopolitani imperii eversio esset allatura.
Quæ res literis iisdem ad Venetos legatos,
qui in castris agebant, primum, mox deinde
ad Franciscum per Cæsarem Martinengum de-
fertur. Qui sane ea re cognita, tantæ stragis
misericordia motus, non potuit graviter non
dolere, rescripsitque &c.

(202) MS. invito ad id bellum animo adversùs Ve-
netos venisse, cum quibus antea in pace ami-
citiaque vixisset. Nam uti non Italiæ solùm
sed toti pæne terrarum Orbi apertissimum erat,
non suo contenti imperio, quo vi doloque in-
juste possidentes spoliarant, novis etiam impe-
riis studebant, & in hanc maxime Longobar-
dorum provinciam conabantur; quam multos
per &c.

(203) MS. Nam quòd hactenus neque vi neque arte
in se agere potuerunt, nunc dolo consecuti
fuerint. Legatus quoque graviter &c.

robore insignes ei socios adhibet, quos secum si id sine periculo fieri possit, in Oppidum subsidio ducat. Sin minus solus ingredi conetur. Is jussa non minus prudenter quam impigre facit. Qui etsi posteaquam Pisleonem venit, cognoscebat, clausis passim aditibus, dispositisque ubique custodibus, ne quis egredi aut ingredi Oppidum posset, neminem eodem nisi manifesto cum periculo pervenire posse, tamen se Venetum simulat militem. Et ignotus inter notos gradiens, ubi Oppido appropinquat, extemplo concurrentibus multis ad portam prosiliit, magnoque repellentibus primo accessu ignorantia obsessis, tamdem introductus oppidanos confirmat, paratumque prope subsidium adesse demonstrat. At cum triduum ductores, & militis cogendi, & numeri augendi causâ, ferre laborantibus opem distulissent, hostes geminas interim magnæ molis bombardas in eam Oppidi partem disponunt, ubi nondum erat perfecta munitio. Quibus quidem tormentis quod exstabat muri, facile in fossam diruitur, & tantus est patefactus hostibus aditus, ut se amplius oppidani tueri difiderent. Proinde ingenti direptionis formidine perterriti, sic occidente jam Sole de deditione cum Campano egerunt, obsidibus mox traditis, ut postero die in Solis ortu eum cum præsidio in Oppidum reciperent, Donatumque subinde, quod ejus causâ arces nullo absque negotio obtinere sperarent, retinendum curant. Qui ea re perlata extemplo in munitiorem confugit arcem, datque prima noctis vigilia iis, qui Pisleoni erant, per ignis ostensionem atque occultationem turri ab excelsa deditionis signum. Præfecti ea facis significatione compulsi, quod Castelleonenses in ipsa prope Oppidi traditione versari arbitrabantur, aut oppidanorum periculo succurrendum, si sint in fide, aut si defecerint, arcium saltem necessitati prospiciendum, neque in eo amplius cunctandum judicant. Qua quidem re communi omnium consilio decreta, nocte eadem instructo milite eo advolandum constituunt. Circumacto igitur longo per Cremonenses itinere, qua minus suspicionis hostem habere putabant, interceptisque inter eundum excubiis ad munitiones castrorum paulo ante lucem perveniunt. Fossâ deinde æquatâ Sacramor cum duabus turmis peditatusque parte alterius ad arcis portam & gloriæ cupidus, & uxoris, liberorumque, qui in ea arce obsidebantur, salute impulsus, recto per media castra tramite ire properat. Quo nulla cunctatione, omnibus apud hostes quietis, portæ appulso, ingens in castris oritur tumultus, ingensque ad arma exoritur clamor. Quo successu ita Conrado, reliquisque præfectis creverunt animi, ut etsi antea ducibus ipsis præsidium in Oppido, Arcibusque modò imponere, prœliique fortunam, ubi longe hostium viribus impares essent, intentatam relinquere consilium fuerat, nunc tamen eos imparatos tumultuantesque uno omnes animo adoriendos censerent. Plerumque enim fit, ut secundæ res negligentiam gignant, & contemtus hostis victor evadat. Itaque tribus turmis pro castris in ipso aditu præsidio relictis, acie conferta munitiones ingrediuntur, & in hostes magno clamore sublato impetum faciunt. Donatus interim, Sacramor-

A que juncti ex oppido cum omnibus, qui per ætatem arma ferre poterant, mulieribusque simul, eruptione facta magnis vocibus Campanum invadunt. Cujus ad tentorium jam non parvus militum numerus concurrerat. Pugnatur circa illud aliquantisper enixe. Nam ubi tam inopinato repentinoque nostrorum impetu se circumventum videt, prœlio paulatim se dissolvere, & Cremam versùs fugere cœpit. Pugnatur ubique. Stationes passim diripi cœptæ. Quisque rapere, & in Oppidum prædam conferre contendit. Fit ubique virorum clamor. Tenebræ omnia formidabiliora terribilioraque faciebant. Nam multi utrimque, quos nunc insequebantur, ab

B iis repulsi aguntur, & Venetus à Veneto, & Sfortianus à Sfortiano milite noctis errore sæpius cæditur, capiturque. Cohortes, quas in aditu præsidio relictas diximus, metu exterritæ, quod suos aut profligatos, aut in Oppido inclusos existimabant, qua venerant, tribus amplius millibus passuum refugerunt. Conradus excurrendo pugnandoque capite inermi late in fronte venabulo percussus, multo manante sanguine, equo veluti moribundus deponitur. Nihilo secius hostes ubique superati fugæ se mandant, quorum duces ipso pugnæ initio Cremam profugerant. Anastasius ex Sancto Angelo ad Vadum resistendo cum magna suorum parte capitur.

C Nostri victores castris impedimentisque potiuntur, gravesque præda ab insequendis fugientibus destitere. Mille circiter equites in eo prœlio captos repertum est. Non sine magno Dei immortalis judicio factum videtur, ut tot copiæ intra munitiones & in ipsa Oppidi deditione parva manu fusæ fugatæque fuerint. Qua ex re & Franciscus recentes injurias est ultus, & hostes meritas pro eorum perfidia atque scelere pœnas persolverunt. Qui respondere non erubescebant, cum de fide publica Castelleonensibus violata increparentur, non Oppidi mœnibus, sed incolentibus Oppidum fidem dedisse; quos licèt post prœlium captivos libertati, & animalia, quæ inventa sunt, iis, quorum erant,

D restituissent, tamen neque Oppido neque oppidanis fidem servasse apertissime constat. Renatus interea coacto in Provincia milite in Allobroges cum pervenisset, occupatis per montium juga aditibus transitu prohibetur. Instantibus namque pro Venetis Petro Mauroceno apud Ludovicum Sabaudianorum Ducem, & Pandulfo Contareno apud Johannem Monferratensium Marchionem, & Guilielmum fratrem, legatis percussorum inter eos, ut ostendimus, fœderum jure, Alpium saltus, qua transiturum Regem existimabant, magno Ludovicus evocatorum numero custodiri jusserat. Quibus de causis cum dies

E permultos ad montium radices literis nuntiisque mittendis Renatus consumsisset, desperata re de suo per Sabaudianos in Italiam transitu rursus in Provinciam eo consilio revertitur, ut copias in Ligures navibus transportandas curaret. Quod cum intellexisset Ludovicus Caroli Regis primogenitus, Ludovicique gener, perturbatus præsertim, quod Venetorum causâ id fieri audiebat, qui eos innato quodam odio non minus ante, quam post patris obitum semper habuit, & Franciscum Sfortianamque familiam omnem præcipuo, continuoque

ſtudio proſecutus eſt, & Florentinorum rebus pro vetere amicitia plurimum favebat, magnis in Viennenſibus contractis copiis ad alpes contendit; ac diſpoſitos per regionem ſaltuſque cuſtodes, partim metu, partim perſuaſionibus ſubmovit. Patefactoque ubique tranſitu avunculi exercitum paucis ipſe diebus in agrum Aſtenſem incolumem perduxit. Renatus verò duabus triremibus, quas Petrus Fregoſus Genuenſium Dux pro eo fœderis vinculo, quo Franciſco, Florentinoque Populo aſtringebatur, paulo ante Maſſiliam miſerat, Vintimilienſium ad Oppidum advehitur. Inde terreſtri itinere Aſtam profectus, exercitui ſe jungit, moxque Alexandriam progreditur, ubi milites equoſque feſſos reficere curavit. Interim data de pace à Franciſco ei facultate, de Guilielmi rebus, cujus conſilio atque ductu Alexandrinum bellum gerebatur, agere cœpit. Quod & regia auctoritate, & ſingulari ejus in univerſam Monferratenſem Domum benivolentia, & longa etiam familiaritate, qua præcipue Guilielmum ipſum ſibi devinctum putabat, quidquid vel de pace vel de induciis ſaltem ſtatuiſſet, eundem facturum ſperabat. At Guilielmus etſi poſt acceptam anno ſuperiore Caſſinenſem cladem pecuniæ inopiâ neque exire in aciem neque reſarcire omnino militem potuerat, tamen quoniam Renatum propediem diſceſſurum è regione ſciebat, & bello facilius quàm pace milites alebat, diem interponere, remque verbis ducere ſtudebat. Dum hæc aguntur, ad Andream Biragum, qui per id temporis legationis munus in Alexandrinis obibat, Johannes Montaldus Genuenſis mittit, qui de tradenda Burgi Sancti Martini Arce & polliceretur, & paciſceretur, quam non grandis repetendæ pecuniæ cauſa à Johanne Marchione retinebat. Ea re cum Bartholomæo communicata, deinde in concilio delata, oblatum tam opportuno tempore negotium uno omnium animo præripiendum decernitur. Rege igitur inconſulto, quod aliam ob cauſam profectio diſſimulabatur, Collio acie inſtructa eo ad rem conficiendam profectus, nullâ mora Arcem recepit. Præſidio impoſito oppidani tanta rei novitate territi ei ſeſe permiſere. Guilielmus magnitudine periculi commotus, quod Oppidum in patrimonii, fraternæque ditionis viſceribus poſitum frumenti copiâ refertum, & munitione, & loci opportunitate inſigne in hoſtium ſit poteſtate, undique continuò militem cogit. Homines qui arma ferre poſſent, regioni imperat; reliquos repentina novitate attonitos, uti in ſolida conſtantiſſimaque Montisferratenſis Domus fide permaneant, hortatur. Ad Renatum inſuper de pace mittit. Deinde noſtrorum in fronte, qui non procul Oppido caſtra habebant loco ipſis pariniquo, quo finitimos in officio accolas, municipeſque contineat, caſtra & ipſe poſuit, ubi non multo temporis ſpatio conſtitit. Renatus cum Guilielmum diligeret, quod illi Arcis præſidis proditione detrimenti in ejus præſertim conſpectu illatum ſit, ægre ferens, Andream negotii auctorem, quod eo inſcio rem confeciſſet, graviter increpat. Cæterum inducias ſuo arbitratu duraturas jubet. Oppidum Arcemque poſtremo Gallico munitam præſidio, de pace veluti arbiter poſteà acturus in ſuam accipit poteſtatem, Collinemque in Alexandrinos revocat. Pacato per hunc modum Alexandrinis rebus, Reis trans Padum Ticinumque progreſſus à Papienſibus, ceteriſque paſſim Populis ſummo honore lætitiaque ſuſcipitur. Mediolani vero dum militis ornandi cauſa moratur, à Blanca Maria, ut erat mulier præſtantiſſima munificentiſſimaque, ſic & hoſpes munificentiſſime diebus ſingulis colligitur, uſque adeo, ut quamvis à Franciſco Regis, Gallorumque ſimul militum in Brixianos adventus literis nuntiiſque frequentibus expeteretur, ac vehementer accerſeretur, ex urbanis tamen deliciis, & magna copia rerum, quas ubique per agros comperiebant, ſe diſſolvere nequirent. Quiſque enim, ut ſunt natura Galli epulis, reliquiſque corporis voluptatibus dediti, ubi alieno præſertim ſumtu vivitur, moram interponere ſtudebat. Quinto decimo tamdem die poſteaquam Mediolanenſem agrum ingreſſus eſt, ex Urbe cum proceribus familiaque domeſtica Laudem, quo præmiſerat equitatum, proficiſcitur. Sub eoſdem quoque dies & Collionem Franciſcus cum omni equitatu ac peditatu, qui Alexandrino bello interfuerat, in Laudenſes accerſiverat, & copias equeſtres, quas citra Padum tranſque Adduam aut reliquerat, aut ex caſtris poſtea remiſerat, eo adduci juſſerat. Has Renatus copias poſtero die è Laudenſibus movens ad Piſleonem ſibi adjungit, & longo agmine facto die tertio Cremonam petit. Rex cum ſuis, quod pro eorum more nihil tegmenti ſecum ferebant, intra Urbem honorificentiſſime recipitur. Collio locis campeſtribus ſtativa habet. Inſequenti autem die ex iis etiam, quæ præſidio Cremonæ erant turmis ſibi additis Olium trajecit. Quinque & triginta omnino equeſtres fuerunt turmæ, quatuordecim Gallicæ, quarum ſagittariæ quatuor ex ferociſſima atque immaniſſima Belgica gente, quam recentiore vocabulo Picardam dicimus. Reliquæ ex noſtris erant, & millia circiter peditum duo.

Explicit Liber Vigeſimustertius.

IN-

INCIPIT LIBER VIGESIMUSQUARTUS.

Renatus, posteaquam in Brixianorum fines ventum est, Francisci institutione, quo & militibus & jumentis quies daretur, ac pabuli copia suppeteret, cujus ad Gaydum ob longam exercitus moram summa erat inopia, ad Gambaram Vicum remansit. Collio cum Italis paulo progressus ad Insulelam Castellum regia ac ducalia inter castra medium, eadem de causa stationes fecit. Horum de adventu Picininus, Venetorumque legati certiores facti, Franciscum tot auctum copiis longe Veneta acie superiorem melioremque futurum judicant: proinde & impetum propediem in se facturum, & enixius graviusque adversùs Venetos bellum quam umquam antea gesturum rati, optimum esse arbitrantur, si exercitum incolumem, si Urbes (204) servaverint, quibus in fide permanentibus reliqua, quæ ad hostem aut defecerint aut vi ejus in potestatem devenerint, non minus se vel armis rursus vel pace recepturos confidere quàm prioribus bellis ter jam fecissent (205). Præterea hyemem instare, cujus incommoda Gallos non passuros. Nec diu reliquum exercitum in æstivis futurum. Quas ob res prœlio omnino abstinendum; per loca tuta & Brixiæ nequaquam remota ducendum: & pro hostis motu, utque in dies belli ratio postulasset, rebus ceteris consulendum. Bergomum insuper, Cremam, Soncinum trans Olium amnem, citra verò Pontem Vicum, Urceas Novas, Rhoadum, Asulam, Oppida (206) valido munienda præsidio. Franciscus cum Regem adiisset, gratiasque egisset, omnia consilia belli aperuit. Rex commemoratis Gallicæ militiæ moribus longe ab Italo militari usu dissidentibus, se ad id rursus repetisse Italiam dixit, ut ei, Florentinoque Populo omnibus in rebus auxilio foret, & voluntati eorum satisfaceret. Propterea eum secuturum ducem, & quicquid statuerit factorum. Sperare eo confecto bello rebus quoque Etruscis feliciter succedentibus, eorum consilio atque ope, divina adjuvante Clementia, qua justi sublevantur, injusti superbique deprimuntur, suum è barbarorum manibus Regnum aliquando recuperaturum. Unum præterea petere, ut ejus voluntate ad Venetos indicendi belli causa nuntios liceat mittere. (207) Ea re permissa, bellum Rex per caduceatorem, quem Galli Araldum dicunt, Venetis indixit. Franciscus eodem die in exercitum (208) reversus adhibitis omnium ordinum primoribus de ratione belli gerendi refert, & singulorum sententiam rogat. Primus Ludovicus, cujus magna erat auctoritas, ad orientalem oram flectendum Asulam Oppidum, quod ditionis fuerat paternæ, principio obsidendum suadet. Eo Oppido recepto quicquid ex eo loco Brixiam usque Veneti possideant, nullo negotio in potestatem venturum. Deinde in Veronensium fines trajiciendum. Sperare se Veronenses cives, cum Venetorum imperium omni tempore graviter tulerint, adversùs illorum tyrannidem arma sumturos. Facile præterea futurum, ut flumen Athesim copiæ nostræ transeant, regionemque eam omnem, quæ inter duas Urbes Veronam atque Vincentiam interjacet, (209) subigant, exercitusque ita ditetur, ut parva per hyemem impensa nutriri possit. Ad has res conficiendas & commeatus se abunde daturum, & fluminis utriusque transeundi facultatem facturum copiasque pedestres, & quicquid demum bello usui fuerit, subministraturum pollicetur. Collio contra Olii aditus in primis recipiendos esse censet, quibus in potestatem redactis, Cremonensia municipia vi magna frumenti referta, Bergomensem quoque agrum, & quod demum duo inter flumina Adduam, Oliumque Veneti obtinent, ad deditionem ultro venturum affirmat. Urceas Novas insuper, Rhoadumque Oppida in hostium manu nequaquam esse relin-

(204) MS. si Oppida, si in regione munimenta præcipua servaverint &c.

(205) MS. Venetam Rempublicam memoria jam tenere. Præterea hyemem instare, cujus incommoda Gallicam phalangem non passuram. Nec etiam imbribus frigoribusque futuris impeditum haud diu reliquum exercitum per patentes campos ipsum hostem habituros dicere. Quas ob res &c.

(206) MS. inter reliqua antiquiora, valido munienda præsidio constituunt. Franciscus post diuturnam Gallici auxilii exspectationem, quod maxime concupierat, solicitaveratque, opere consecutus, ad gratias de ejus adventu agendas Regem adit. Cui post varios rerum præteritarum sermones, præsentes belli conditiones referens, quid sui ad inferenda hostibus arma sit consilii, aperit. Rex autem commemoratis &c.

(207) MS. propterea quod non decebat regiam majestatem bello non indicto quemquam armis invadere. Ea re non Venetias, quod dierum decem intervallum expeditionem moraretur, sed ad ducem legatosque exercitus mittendi permissa, bellum &c.

(208) MS. quamvis animo statuerat, quam in partem castra esset moturus, tamen quia Ludovicum adversam in partem conaturum sciebat, non duces exercitus modò, & eos, quos in concilia accersere solebat, sed cunctos etiam ductores & præfectos equitum ad se advocari jubet, ad quos ita paucis inquit: *Exspectatum jam tamdem ex Gallia auxilium advenit, cujus causâ tanto heic tempore non sine nostra exercitusque ignominia consedimus. Quod etsi serò admodum, ut videtis, advenit, tamen cogitandum maxime nobis censeo, ut quod superest, ad castrametandum temporis, quamutilius fieri possit, utamur, ne nos, ut sæpe mortalibus accidere solet, cœpti male postea belli pœniteat, cum præterita errata reprehendi magis quam corrigi possint. Et quoniam cum duæ in primis viæ ad bellum dehinc gerendum propositæ videantur, altera ad Mincium amnem versa, quæ ad Orientem vergit, altera ad Olium, quæ ad Meridiem & Occidentem solem pertinet, quid potius, magisve sit ex belli usu decernendum esse, vos hortor, atque moneo, ut omni privata utilitate, aut rei cujuspiam affectione, quemadmodum virum probum quemcumque decet, postbabita, consilium quisque suum, cujus gratia huc omnes convenistis, velit dicere.* Primus igitur Ludovicus ejus sententiam dicere jussus, ad Orientalem oram &c.

(209) MS. depopulantes, Castella & Oppida quæque in potestatem redigant, exercitusque simul ita ditetur, ut parvo per hyemem emolumento nutriri possit. Ex quo rem Venetam quis dubitabit in eam posse perturbationem, calamitatemque deduci, ut quibus Senatus periculis ocius sit occurrendum, aut quo cervicibus declinandum, nesciat. Ceterum ad has res conficiendas &c.

relinquenda. Quod qui Urceanis, Rhoadensibusque imperaverit, superiorem etiam atque inferiorem Brixiani agri partem, quæ in plano, montanisque est, sub jugum mittat, & in fide retineat, oportet. Hæc certa & præsenti necessitati peropportuna. Illa incerta, & minus rebus gerendis conductura demonstrat. Tibertus, ceterique deinceps, præter Christophorum Taurellum, & Donninum Parmensem, qui Ludovico assentiebantur, Collionis sententiam sequuntur. Novissime Franciscus ad Ludovicum conversus. *Si eo*, inquit, *cum exercitu, quem deinceps habituri sumus, æstate integra cum Venetis bellum nobis gerendum esset, probarem profecto, quæ nunc non minus prudenter quam commode sunt à Ludovico dicta. Sed quoniam, ut videtis, non longe ab hyemis absumus incommodis, id nobis hoc potissimum tempore consilii capiendum est, quod & dies & necessitas exposcit. Paranda sunt nobis his paucis diebus nova militibus hiberna; recuperandus Cremonensis ager nostrum jam & exercitus nunc Venetorum horreum. Adimendi ex hostium viribus duo in primis Adduæ transitus, quibus Mediolanensis orientalis ager quotidianis incursionibus ac depopulationibus non absque nostra infamia vexatur, atque devastatur. Ceterum inter reliqua, quæ hac tempestate nobis curæ insunt, illud maxime animadvertendum puto, quod auxiliares Gallos imbribus, frigoribusque hiemalibus insuetos, non ut nostros exercere armis poterimus. Nam si longius à nostris sedibus ducantur, quibus non tam cibaria equorumque pabula ad stationes usque suas suppeditari, sed tecta etiam parari nobis necesse est, cum nec sciant nec velint militiam hanc nostram perferre, paulatim ab iis derelinquemur. Præterea perabsurdum videretur, si dum in Veronensibus Venetis bellum inferre conemur, illi contra centum circiter passuum millia à tergo nostros fines perturbent, Mediolanensesque Cives ad ipsas Urbis fossas quotidie damnis afficiant. Præstat igitur, ut ad superiorem provinciæ regionem ora vertamus, & quæ nobis agenda sunt, summa cura, & viribus conficiamus. Receptis enim quæ & Bartholomæus commemoravit, & nos ostendimus, missisque in hiberna Gallis cum milite expedito, ad inferiora Brixiani, Veronensisque agri loca iter avertemus; & quousque per tempus licuerit, Ludovici rebus non deerimus.* Ea re constituta Arcem, quam ad Gaydum ex limo fasciculis trabibusque ædificandam curaverat, peditum præsidio communit, reliquas ad Oppidi ejus castrorumque tutelam constructas munitiones dirui, cremarique jubet, ne si forte ab hostibus occuparentur, ad obsidendum oppugnandumque Oppidum adjumento essent. Deinde biduo post stationibus incensis, diebus sexdecim & mensibus tribus, posteaquam eo ventum est consumtis, pridie Idus Octobres castra movet, & ad Mellam fluvium non procul Gambara, ubi Rex exercitus adventum præstolabatur, decem amplius millibus passuum confectis eo die resedit. Postridie ex itinere unum copiis ex omnibus agmen facit. Hujus equitatus omnis, qui primum eo ipso die in unum coiverat in centum & viginti turmas dividit, quarum singula ex equitibus supra centum viginti quinque constabat, rursusque quo facilius regerentur, quinque in partes distribuebantur. Earum principem, in qua & familiarium & veteranorum equitum robur erat, circum se Franciscus in firmandis castris locandam retinendamque statuerat, Roberto & Gaspari Vicomercato moderandi cura tradita. Reliquas partitus, Lodovico secundam, tertiam Collioni, quartam Tiberto, Renato postremam attribuit. Nec minus pars cuique peditatus data. Ex his turmis singulis delecti equites singuli duas conficiebant, quæ ab exercitu stationariæ appellabantur, quod in itinere ante omnes ex ordine intendentibus castrorum in locatione à rei ejus præfectis turmæ cujusque statio data committebatur, ita ut adventantibus illis sciret unusquisque, ubi ei esset stationis locus. Ultra Mellam eo die progressus Bassianum circumsedit, quod est Castellum inter Manerbium & Pontem Vicum. Id cum Veneto præsidio servaretur, hostesque relictis ad Porcianum impedimentis Manerbium contendissent, Campanus cum equite expedito ac pedite eo usque speculatum, ubi à nostris castra ponerentur, præcursores à fronte lacessere cœpit, & in anteriores agminis turmas, quæ nondum eo pervenerant, repulit. Franciscus etsi locandis castris impeditus, tamen altera stationaria turma Campanum ab insequendis suis reprimit, longeque à municipum ædificiis amovit. Et quoniam quid in prœlio Galli possent, suo sine periculo experiri optabat, opportunitate oblata duas sagittariorum turmas medium per agmen celeriter accitas, quod novissima in parte versabantur, in fronte locat eo animo, ut cum primum conserere manus in prœlio foret opus, laxarentur in hostes. Sed lingua moribusque longe à nostris differentes Galli nullo temperamento, nulloque imperio à temerario incursu contineri poterant. Nam cum moderandos docendosque jussisset Franciscus, ut quid facturos eos vellet, cognoscerent, tanto impetu ululatuque simul ferebantur, ut præcepta negligere, omnia sibi licere, & hostem in manu jam habere viderentur. Quorum amentiam furoremque animadvertens Franciscus, (210) pugnâ deinceps eos abstinere jussit. Hostes interim repulsi terga vertunt. Nec prius restiterunt, quoad Manerbium ad exercitum cursu pervenerunt. Cum ibi Picininus non satis tutum se existimaret, Porcianum in veteres munitiones rediit. Franciscus locatis castris ad Castelli oppugnationem conversus per regium caduceatorem, tubicinemque suum municipibus enuntiat, ut statim Castellum præsidiumque traderent; (211) nisi tradant, nullum fore postea pietati, nullum precibus locum, feritati crudelitatique Gallorum objiciendos. Hac municipes acri comminatione, & magnitudine exercitus perterriti, sese ac præsidium nocte insequenti dedidere.

His rebus gestis in Pontem Vicum die postero movet, pedite ac equite Bassianensi Arce per-

(210) MS. quorum etiam pars pedes remotis equis, pars eques ire in certamen ardebat, pugnâ deinceps eos abstinere jussit. Nam nemo bellicæ artis adeo imperitus, qui ubi nullo ordine nullo imperio, sed furore capti, more belluarum in hostem ferrentur, circumveniri eos continuo ac intercipi oportere non aperte judicaret. Hostes &c.

(211) MS. caverentque ne temere committerent, quo in diem posterum tanto exercitui moræ sint, nullum fore sibi postea &c.

peregregie munita, quæ à tergo minus quinque passuum millibus totidemque Manerbio proxima relinquebatur, castris Oppidum cingit. Pontem in Olio faciendum curat, eoque nocte proxima celeriter confecto, postridie Renatus cum suis flumen transit. Ad Rebechum quod est, ut prædiximus, Pontis Vici è regione situm, residendi sibi locum deligit; propinqua per ædificia stationes militibus dispartitur Italicis turmis, ne quod per pontem alterum, qui ut supra demonstravimus, ex eo Oppido ad Cremonenses pertinebat, subsidium obsessi accipiant, negotio dato. Ceterum Franciscus Oppidi expugnationi intentus trinas in aggerem, vallumque bombardas Ferlini Pedemontani artificis peritissimi, & fama clari opera usus disponit. Cumque biduo frequenti quassata ictu dirui esset cœpta munitio, appareretque satis ampla in pariete aggeris, vallique ruina, cupiditate diripiendi Oppidi fervere cœpit exercitus omnis, cunctationemque ducis vulgus incusare, adeo ut eo inscio à gregariorum multitudine inermi facto in fossam concursu, ingrediendique Oppidi periculo lapidibus & trabibus ex occulto conjectis, imperita plebs obruta multis acceptis vulneribus depelleretur, præcepsque in fossam prorueret. At Franciscus etsi graviter perturbatus, quod suo injussu, quod exercitu rebusque ad pugnam imparatis, quod die pugnæ non dicto invadere quisquam sit Oppidum ausus, cunctos increpabat. Et ne spatio obsessis in extremo salutis periculo laborantibus dato difficilior redderetur pugnantibus ingressus, instaurare ei magis milite armato inchoatam quàm dirimere pugnam placuit. Itaque extemplo armari exercitum imperat. Bassianum præmittit exploratum, qui renuntiet, quid hostes fumi significatione ex Oppido de pugna certiores facti gererent. Renatus ea de re rumore perlato, ad eum mittit postulatum, ut Gallis Oppidi oppugnandi negotium daretur, quo illorum virtus eo præsertim belli initio in exercitum regionesque re, famaque proderetur. (212) Ad hæc Franciscus, nequire se cœptâ jam pugnâ absque gravi decertantium, totiusque exercitus contumelia inde quemquam revocare. Certamen adhuc esse integrum; posse suos eo milites transmittere, ubi suam cuique virtutem experiri liceret. Hoc responso accepto Gallorum præfecti, quorum Fredericus regius gener, & Ludovicus Bellavallensis principes erant, facta phalange, Oppidum ea parte invadunt, qua certamen aberat, quave Gallicæ superbiæ proximus se obtulit adeundi locus; ubi forte major erat aggeris vallique altitudo. Neque tamen restitere, neque pedem retulere, donec conferti fossam ripamque præruptam maximo cum labore superavere, & posteaquam ad aggerem est appulsum, rem gladiis hastisque magno impetu edidere. Verùm paulisper cum decertatum esset, (213) fessi armorum onere, cassidumque labore confecti, ubi maxime primo congressu spem se ingrediendi Oppidi fefellisse viderunt, pugnâ excessere; armisque illico humi projectis nullo hortatu neque certamen à se initum redintegrare, neque pugnare cum ceteris voluere. Interea pugnare altera ex parte ad ruinam exercitu, contra oppidanis & præsidio militum egregia virtute, & singulari quadam in Venetos fide, resistentibus, munitionem rursus bombardarum ictibus percuti interdum Franciscus jubebat. Defensoresque item, qui thorace & cristata galea præter ceteros in apertum frequenter apparebant, omni missilium genere ex turribus è regione erectis cædi curabat. Nec prius quievit, nunc huc nunc illuc impigre excurrendo, turres ipsas ascendendo, & reliqua oppugnationi ei opportuna obeundo, donec miles quidam in limine ipso ruinæ obstinate persistens æneo instrumento, quod Colubrinam Galli vocant, ictus cecidit, quo casu primi extemplo intra munitionem prosiliunt, ceteraque deinde subsecuta pugnantium multitudo captis primo oppidanis undique Oppido potiuntur. Bona prædæ permissa diripiunt, multisque modis distrahunt. Quod cum Gallica conspexisset multitudo, in Oppidum & ipsa concurrit, cumque omnia præter Venetos milites armis vestimentisque nudatos, mulieres insuper & pueros comprehensa invenissent, ira incensi præsertim qui erant ex gente Picarda, & mulieres puerosque trucidare, & in præsidium immanissime sævire cœperunt. Hac tanta crudelitate exterritæ matres, exterriti victi, (214) ad Italos confugiunt milites orantes, ut Summi Dei pietate eos servare suisque corporibus (215) protegere velint. Ob eam rem magna exorta contentione fit ubique clamor, ubique cædes, & frequens ubique fletus. Nam cum non tam à devictorum, sed ne quidem nostrorum cæde homines feri temperarent, milites nostri his concitati injuriis, in Gallos per Oppidum errabundos concurrere, eosque passim interficere cœperunt. Quod ubi Francisco renuntiatum est, mittit continuo, qui cruentum dirimerent discrimen; quorum operâ non absque ingenti etiam ducis labore seditio fœda atroxque pacata, & odia pæne immortalia ex gentis utriusque animis sublata; servatæ cum liberis in Templo matres, victi redemtionis causa milites sine pretio dimissi. Non tamen ita liti seditionique celeriter occursum, quin permulti tam ex victis quam ex Gallis cæsi, majorque ædificiorum pars, quo se fugientes Galli recipiebant, incendio conflagrarit. Cum extingui vagantem ignem Franciscus non posse videret, accederetque etiam, quod sciebat oppidanos suapte natura Venetis favere, quæ superfuerant ædificia exuri ac everti, & Oppidum ab incolis deseri jubet. Ex hac Pontis Vici clade, quæ fuit sane fama quàm re ipsa major, tantus est repente per loca terror perlatus, tantaque Gallicæ crudelitatis hominum animis injecta opinio, ut ad Oppidorum pæne fossas viri Gallos adesse existimarent, mulieresque pavidæ jam ante pedes

(212) MS. quorum voluntati si refragaretur, non videbat, quo imperio, aut quo consilio homines indignabundos, effrænatosque maleficiis continere posset. Ad hæc &c.

(213) MS utrimque, & non minus a defensoribus repugnatum, quam ab inferentibus arma oppugnatum, fessi &c.

(214) MS. qui se more Italico vitâ immunes putabant, ad Italos &c.

(215) MS. sua misera corpora protegere velint. Ob eam rem gentem inter utramque miseros alteram servare, alteram interimere conantem, magna &c.

des liberos, virosque trucidari conspicarentur. Nec minus in ipsa etiam Brixia à multitudine trepidatum, quam si ab infesto circumsepti exercitu cives muros Urbis Gallos conscendere intuerentur, & adeo per eos dies de illorum feritate rumor increbuit, ut nullo fere humano auxilio ab eorum vi regionis incolæ se defendi posse putarent. (216) Quare Cremonenses primo municipes, qui Venetis exacto jam anno paruerant, præter Soncinates, & Romanengates, quod valido hostium præsidio tenerentur, nulla vi in Francisci fidem rediere. Quibus confectis rebus castra in Brixianorum fines moventur. Municipes quoque regionis ejus Francisci sese fidei permittere cœperunt. Manerbienses deinde quorum Oppidum magno peditum numero muniebatur, unius noctis mora præsidio incolumi in deditionem recepit. Manerbiensibus in potestatem receptis, tanta deinceps fuit municipum sese dedentium accessio, ut de celeritate defectionis inter se certare viderentur. Nam ab oppidanis præsidia aut comprehendebantur, aut Oppidis ejiciebantur. Arces à præsidiis, quorum fidei in tanta rerum perturbatione committebantur, non modò quæ procul, sed quæ minus passibus mille à Venetorum castris aberant, ultro nostris tradebantur. Octava demum die post Pontis Vici eversionem totus Brixianus ager, qui in planicie positus est, præter Urceanum, in Francisci devenit potestatem. Hoc tam repentino motu, militumque perfidia hostes perculsi, quid agant nullo certo consilio satis decernere possunt. Commorari in iis munitionibus, ubi tot jam mensibus stetissent periculosum putabant. Quo se vero conferant, ne fugere videantur, præter Brixiam nullus certus afferebatur locus. Eo si se reducant, profectionem fugæ similem futuram, nec sine magno auctoritatis suæ detrimento Populorumque terrore id fieri posse animadvertebant. Quod si qua iis, qui adhuc in fide perstiterant, auxilii spes relinquebatur, ea profectione adimebatur. In his rerum angustiis visum est legatis exercitum in primis incolumem, quemadmodum paucis ante diebus constituerant, omnibus posthabitis rebus servandum; quem nisi ad Brixiæ munimenta reduceant, illius saluti consulere minime posse arbitrabantur. Hæc cum per eos noctu res ageretur, non prius est in concilio deliberata, quàm suas quisque ad Urbem miles sarcinas mittere cœpit. Deinde insequenti mane ex toto exercitu uno agmine facto impedimentis milites immixti Brixiam tanta festinatione nullo ordine petere contendunt, ut profligati fugatique viderentur. Ad Urbis tamen mœnia non prius quam die postero pervenere, quod eos non tam itineris incommoditas quàm proficiscendi celeritas, cum alter alteri impedimento esset, (217) tardaverat. Quo tempore legatis inter impedimenta ac multitudinem, nulla quiete corporis animique data, militibus ingenti tumultu ingredi Urbem conantibus portæ clauduntur. Verebantur enim ne si tantam multitudinem nimia ducis licentia insolentem (218) intra Urbem recipi paterentur, in summo Civitatem periculo ponerent. Sed communi omnium consilio haud longe ultra Urbem de ducendo exercitu re constituta inter montis radices, & fluvium quemdam à Cleso amne derivatum, quem Navigium dicunt, locus castris omni ex parte tutissimus deligitur. Dehinc posito metu duces Castella & Oppida, quæ nondum ad Franciscum desciverant milite munienda, & in officio continenda summo studio curant. Hæc posteaquam Franciscus rescivit, hostium admiratus ignaviam, (219) molestissime quidem tulit ereptam sibi pugnandi potestatem. Brixianis, ut supra ostendimus, campestres agros incolentibus subactis, regionem montanam petit. Rhoadum Oppidum loci natura muro & militum manu permunitum magna vi tormentorum adoritur. Oppidani insimulati quod post Caravagiensem pugnam ultro se Francisco dedidissent, oblata ejus medendi criminis opportunitate, pertinaciter in Venetorum fide persistunt; & non modò ædificiorum eversiones, multorum vulnera, cædesque perferunt, sed omnes vitæ pericula subire patiuntur. Nam quo celerius ad se dedendum redigantur, non Oppidi solùm muri diurnis nocturnisque bombardarum ictibus feriebantur, sed intra Oppidum vicatim eo continuo cæcoque lapidum pulsu & ædes ruebant, & humana simul corpora cædebantur. Dum verò Rhoadum oppugnatur, facta cunctorum superioris ejus regionis Populorum deditione, tres item Palatiolensium, Iseanorum, & Vallis Camonicæ Arces oppugnandas Franciscus curat. Romanum & Martinengum Oppida, & quod est agri inter Bergomum, flumenque Olium, missis de traditione nuntiis, Collionis operâ in suam accipit potestatem, mittitque præterea duos fratres Sacramorem, & Petrum Franciscum Vicecomites, & alios item duos Antonium & Franciscum ex Sicca familia fratres in Transadduanum agrum. Quorum adventu pulsis per ea loca Venetorum præsidiis, captisque præfectis Brinianenses primo, mox deinde Trivilienses, Caravagiensesque deduntur. Quorum exemplum reliqui provinciæ ejus Populi præter Cremenses continuo secuti idem faciunt. Nec multis post diebus quicquid inter Adduam & Bergomum à Venetis tenebatur, duabus Bripiensi, Bajetensique Arcibus exceptis, Francisco traditur. Sola in Bergomensibus Urbs Venetorum in fide relinquitur. Rhoadenses post octavum oppugnationis diem Conticino Carpensi cum præsidio incolumi facto in deditionem recipiuntur.

His rebus secunde gestis, cum nihil in montanis reliqui esset, quod eo tempore oppugnandum videretur, Franciscus in planum revertens Urceanorum Oppido admovit. Quod cum circumvallare castris intenderet, nec satis ad rem obeundam copiæ suppeditarent,

(216) MS. Quibus ex causis factum est, ut incredibilis pæne victoriæ concursus undique natus sit. Cremonenses primo &c.

(217) MS. ex eo ad alterum mane decem passuum millia metiri laborantes, tardaverat &c.

(218) MS. quam à maleficiis, rapinisque nequaquam temperaturam arbitrabantur, intra Urbem &c.

(219) MS. quod celerius quam putarat, quod præter omnium opinionem ita tumultuose atque trepidanter Brixiam profugissent, molestissime quidem tulit. Nam etsi loca perangusta & sibi admodum iniqua circuibant, tamen eos invadere, eventumque pugnæ rursus experiri statuerat. Sed cum ita se res haberet, Brixianis ut supra &c.

rent, ſtationes Gallis per proximas Villas Vicoſque facientibus, uno fere tempore ex Etruria Alexander, quo iverat itinere, eodem pervenit. Nam quæ ſuperiore Anno Ferdinandus occupaverat, Florentinus quoque exercitus non multo labore recuperaverat, quod Ferdinandus paterno exercitui ſeu pecuniæ inopia ſeu copiarum paucitate diffiſus, in Senenſibus reſederat. (220) Florentini rebus amiſſis recuperatis Alexandrum non tam cum iis, quos ſecum ex ciſalpina Gallia in Etruriam traduxerat, ſed majore equitum numero auctum, Sigiſmundo in Etruſcis retento, quo majoribus Veneti viribus opprimerentur, in Longobardiam ad Franciſcum remittunt. Ejus adventu tot crevit exercitus copiis, ut Oppido omni ex parte circumſepto, nulla ad duces, neque ad eos à ducibus ulla ſit tranſmittendi cujuſquam relicta facultas. Franciſcus ad oppugnandum Oppidum converſus, quinas bombardas eodem fere tempore diſponit, & per ſubterraneos meatus trabibus, cratibuſque contectos, perque longos continuoſque aggeres in foſſam irrumpere contendit. Nec ullo ab eo opere ceſſatum tempore, donec non ſine tamen gravi exercitus labore, ac multorum vulneribus, cædibuſque foſſam in ipſam perventum eſt. Erat Oppidum à Venetis valido permunitum præſidio Bertoldo Eſtenſi, Johanne Villano, Armigero Carreto, de cujus virtute in Viglebienſi oppugnatione mentionem fecimus, præfectis. (221) Sed totius tamen imperii cura Bertoldo demandata. Summa præſidii ad equitum mille, peditumque totidem, quibus cum diem noctemque præfecti tum omni miſſilium genere tum eruptionibus nunc caſtra variis in locis inſultare, nunc milites opere ad munitiones occupatos cædere ac perturbare non deſinebant. Hac Franciſcum Urceanorum oppugnatione corpore & animo inquietum Soncinenſium deditio propemodum ſublevavit. Deditionis Campani diſceſſus cauſa fuerat. Is enim paucis ante diebus Soncinenſibus ipſis præſidio præfectus, cum primum de Franciſci in Urceanos adventu cognovit (quorum Oppidum non amplius paſſuum millibus quinque à Soncino abeſt) mœnibus, oppidanorumque animis diffiſus, relicto Oppido Cremam noctu confugerat. Soncinenſes præſidii ejus metu liberati, miſſis confeſtim in caſtra legationibus, Oppidum & Populi multitudine & re frumentaria opulentum Franciſco dedidere. Quod magno ad perſequendam oppugnationem uſui fuiſſe conſtat. Nam ab ea parte & caſtra & Cremonenſem agrum ab omni hoſtili invaſione tutum reddidit, & ut major ad exercitum ſine periculo cibariorum copia importaretur, effecit, & refugium ægris miſeriſque eo maxime tempore opportunum paravit. Inter hæc miro conjugis deſiderio ſecundis maxime undique rebus Blanca (222) Cremonam, veniâ deinde à Franciſco literis impetratâ ad eum in caſtra proficiſcitur, gravibus belli curis, quotidianiſque laboribus affectum, multis rerum incommodis, & ipſa prope hyemis acerbitate preſſum, mirum in modum recreans, non minore animi lætitia atque honore ſuſcepta, ac ſi inter magnam rerum copiam Mediolanenſeſque delicias verſaretur. Neque tamen uxorio officio iis rebus, quæ vel bello vel præſenti oppugnationi uſui erant, ullo diurno nocturnoque tempore defuit. Quem non ingens ventorum vis, quæ adeo per eos dies magna terribiliſque fuit, ut non militum tentoria, tabernaculaque ſolùm ubique in caſtris ſtraverit, diſſipaveritque, ſed quamplurimas per ea loca arbores evulſerit, (223) non crebri imbres, non nives ab oppugnatione deterruerunt, quouſque pars Arcis diu quaſſata concidit, foſſamque ruina ingenti replevit. Murus item & agger Arci proximus ſic frequenti tormentorum percuſſione ſtratus eſt, ut non difficilis in Oppidum pateret ingreſſus. Quod cum præfecti omni ſpe ſubſidii deſtituti intuerentur, & non mediocri metu ſimul oppidani quaterentur, de deditione agere conſtituerunt, nec diu in petendis conditionibus morati, die poſtero Bartholomæi Quarterii, quem biduo ante pugnando ceperant, interventu uſi Oppidum tradidere. Præfectos Franciſcus, data fide publica, quam per omnem ætatem inviolate ſancteque ſervarat, ad ſuos ſalvis rebus remiſit. Quibus Picininus, legatique, nulla de Oppidi deditione accepta ſatisfactione, quamgraviter ſuccenſere, & in eorum aliquos animadverti juſſere. Franciſcus Urceanis in poteſtatem acceptis, Renatum Regem cum Gallica manu Placentiam hibernatum tranſmittit. Angelum ex Campoſilvio cum parte copiarum Romanengum, quod adhuc in hoſtium erat poteſtate, obſidere jubet. Qui cum triduo illud tormentis oppugnaſſet, quorumdam oppidanorum operâ introductus, præſidium armis boniſque omnibus nudavit, oppidanoſque in fidem receptos ſervavit. His confectis rebus (224) etſi hyems, glacieſque omnia impediebant, tamen rerum ſtatus faciebat, ut quod jam animo Franciſcus ſtatuerat, nequaquam prætermittendum putaret. Cremenſes & Bergomenſes fere ſoli, ut ſupra oſtendimus, intra Olii, Adduæque fines in Venetorum fide perſtabant. Hos uno ac eodem tempore per hyemem obſidere, & in poteſtatem redigere confidebat, quod & Bergomenſia facile ſuburbia capi, exercituſque ibi partem tuto commodeque hibernare, Cremam item per proximos vicos in munitionem adactos collocato milite obſtringi poſſe cogno-

(220) MS. Quibus peractis rebus, Florentinis cum nequicquam ad redintegrandum rebus amiſſis eorum imperium relinqueretur, Senatus conſulto Alexandrum &c.

(221) MS. Plerique alii non his belli uſu inferiores præerant. Sed totius &c.

(222) MS. cum teneretur, Cremonam ſe contulit; veniaque deinde à Franciſco literis mutuò eorum manu conſcriptis impetrata, quippe quod pro eximia mulieris probitate, ſingularique ſuo in eam amore, omnibus fere in rebus ſibi ſemper indulſerat, ad eum in caſtra &c.

(223) MS. quorum ad impetum vix ſola Franciſci tentoria multis deligata retinaculis ſteterunt immota, non crebri imbrium æſtus, non nivales denique multo cum luto pluviæ, deterruerunt, quin omnia belli negotia impigre obeundo conficeret. Nec enim vir fortiſſimus, nullis parcendo periculis conquievit, quouſque pars &c.

(224) MS. etſi jam glacialis hyems, ipſaque ingenti frigore torrida dies, caſtrametationes amodo vetabat, hic tamen rerum &c.

A gnoverant. (225) At Ludovicus, qui ab ejus usque belli initio magno quidem studio ad inferiorem Brixiani agri partem duci exercitum assidue contenderat, rursus orare atque instare, ut in Asulanos flecteret, Collionemque cum Venetis conspirantem retineret. Idem de Collione Gaspar Vicomercatus affirmat, priusquam in hiberna mitteretur, in eum animadvertendum suadens. His conflictatus Franciscus, quamvis tantam potiundæ Bergomensium Urbis, Cremensisque Oppidi occasionem amittere omnino videbat, idque ægerrime patiebatur, tamen Ludovici, quem unum, ut par erat, carissimum habebat, causam suo commodo anteponendam duxit. In Collionem nihil statuendum fore putavit, quod hominem multis sibi devinctum beneficiis, & qui præterea à Venetis magnis pollicitationibus solicitatus in officio mansisset, haud in se mali quicquam moliturum, inducere in animum poterat. Accedebat ad hæc, quod eum non fugiebat, qua illum simultate Gaspar insectaretur. His de causis deposita suspicione, Collionem in Bergomenses cum suis hyematum misit, & velut regionis peritum, & Guelfæ in sua patria factionis principem, ei bello præfecit; utque inde hominem majore beneficio affectum benivolentia atque gratia in officio contineret, Castello Arquato in Placentino agro, Martinengo, Romano, Colonio, & aliis quidem pluribus in Bergomensium finibus Oppidis voluntario & grato quidem animo donavit. Ipse verò Alexandro Urceis, & Tiberto Claris, Rhoadique relictis, conjugeque in primis Cremonam remissa cum Ludovico, duabusque turmis expeditis Kalendis Decembribus multo cum frigore Marcariam, & in Mantuanum agrum secundùm Olium amnem proficiscitur eo consilio, ut inde cum omni apparatu oppugnandi Oppidi Asulanos peteret. Ludovicus locato per Vicos Marcariæ proximos milite, magnam cratium, commeatuumque copiam non tam ad hominum quàm equorum usum importandam, magnumque simul fossorum numerum universæ ditioni suæ imperat. Quibus rebus octavum intra diem comparatis, militibusque omnibus, ut postridie quemdam ad locum convenirent, jussis, forte insequenti nocte magna imbrium coorta tempestas eam in Asulanos profectionem retardat. Secundam item atque tertiam paucis interjectis diebus constitutam importuni temporis fluctus morantur. Post plures verò dies cœlo sereno, ventisque à septemtrione flantibus, cum eodem quarto pararetur iter, (226) velut ex composito magna vis nivium subito coorta avertit ab incœpto. Interim Blanca rursus ad Franciscum, & Barbara Ludovici conjux, clarissima mulier, & ad visendum virum, & ad suscipiendam complectendamque Blancam, quam unice & mutuo diligebat, venit. Cumque adesset Christianus Natalis, sævireque hyems pergeret, Mantuanam ad Urbem dies simul festos celebratum proficiscuntur. Ibi nondum triduo peracto fit Angeli Acciaroli, aliorumque multorum literis nuntiisque Franciscus certior, Renatum cum repetere Galliam subito quodam motu statuisset, intra quatriduum omnibus relictis rebus discessurum, nec cohortationibus, nec precibus ullis ab instituto moveri, aut flecti posse. Qua re cognita, (227) Regis ætate jam gravis inconstantiam admiratus, quem & Florentini, quibus stipendii jure obstringebatur, & spes, occasioque repetendi ab Alphonso Regni aliena impensa non per anni modò tempus, sed quoad vixisset, in Italia detinere debuissent, ad eum magnis itineribus contendit, si ullis conditionibus à proposito revocare possit. Quantum enim illius Italiæ finibus recessus detrimenti suæ sociorumque auctoritati seu ad gerendum bellum seu ad componendam pacem pro hominum opinione illaturus esset, facile perspiciebat (228). Causam discessus percontatus, reperit esse levem. Nam sola muliebri cura in tanta rerum mole movebatur. Sui etiam uno omnes animo præter Johannem Coxam Neapolitanum exulem propensiore quodam studio eamdem in sententiam & confirmare & impellere conabantur. Nam ut sunt faciles ad suscipienda bella Gallorum mentes, & parum ad incommoda, laboresque perferendos resistentes, satiati trimestri Italica militia, quæ eis durissima visa est, excedere Italiâ maximopere cupiebant. Rex posteaquam multis se argumentis facile vinci à Francisco videt, quid in re acturus sit, ait, se nocte insequenti consulturum, aperteque postea responsurum. (229) Mox per Johanem Coxam, advocato concilio, astans respondit, molestissime siquidem se ferre, cum sui ipsius, cujus etiam res agebatur, tum vel maxime Francisci, & Florentinorum causâ, id sibi hoc tempore negotii dari, quo redire propediem in patriam necesse sit, nec posse ullo pacto nisi gravissimo suo, suorumque detrimento, paratum jam iter in diem ducere. Proinde rogare, ut præsentem ex Italia profectionem, quam certe invitus aggrediebatur, æquo pateretur animo. Quam quidem rem non dubitabat illum, ac Florentinum Populum pro eorum sa-

(225) MS. quodque Gibellinam etiam incolentium factionem facilem atque pronam perspexerat, & Guelfam non omnino difficilem atque duram ad se dedendum futuram sperabat. At Ludovicus &c.

(226) MS. nox, diesque nivales impediunt atque deterrent. Interim &c.

(227) MS. non potuit vir magni animi, magnæque sapientiæ non perturbari, & hominis ætate jam gravis, & regio nomine appellati, inconstantiam non admirari; quem non tam Florentinæ Reipublicæ, cui stipendii jure obstringebatur, quàm illatæ sibi injuriæ ope aliena ulciscendæ causâ (quod perpaucis contingere solet) non per anni &c.

(228) MS. Properare ad eum, causasque morandi interponere, haud sibi cunctandum putavit. Itaque bidui itinere Placentiam profectus, causamque regii discessus percontatus, reperit esse levem ac pæne puerilem; quod vel inopia, vel alia rei magnitudine cogente, sola muliebri cura in tanta rerum actione movebatur. Concurrebat ad hæc etiam, quod sui uno omnes animo non minus domestici quam Senatorii ordinis viri, præter Johannem Coxam Neapolitanum exiticium, propensiore &c.

(229) MS. Ad eum igitur cum die postero Franciscus revertisset, accepturus quid de suo tamdem in Galliam reditu deliberasset, ita Johannes Coxa, qui Italus utpote Neapolitanus inter Gallos Romanæ Linguæ idioma bene teneret, & fide & auctoritate apud Regem plurimum valeret, advocato concilio, adstanteque Rege, sibi illius nomine respondit, regiam Majestatem molestissime siquidem ferre &c.

sapientia atque modestia eo minus ægre laturos, quo eorum res communium hostium rebus non suo auxilio, quod exiguum fuerat, sed Dei Optimi Maximi clementia multo superiores relinquebat. Præterea tempus belli gerendi in hyemem deductum. (230) Hostes nil conari posse. Vere Johannem Calabrorum Ducem unicum filium in Italiam missurum, quem & consilio & armis non minus quam si ipse coram adesset, omnia pro eorum commodo diligentissime facturum speraret. Reliquum esse, ut Renatum, Andegavensemque Domum ea amicitia atque benivolentia complecteretur, prosequereturque, qua pater ejus Sfortia, dum vixerat, & ipse hactenus constantissime omni tempore prosecuti fuissent. Quod ut faceret deinceps, rogare plurimum. Se præteritorum beneficiorum, quæ amplissime ad meritorum cumulum accesserant, ubi referendi facultas esset, non immemorem, sed talem erga eum futurum, qualem gratum Regem deceret. Hoc responso, ubi perstare in sententia Regem Franciscus videt, quem alieno magis quàm proprio consilio agere cognoverat, haud ea in re amplius contendendum ratus, non se eum esse hominem ait, qui suo commodo velit amicorum incommodum. Placere sibi quod remigrandi consilii cepisset; eo sua uteretur voluntate. Unum tamen sibi negandum non esse, ut priusquam Italiæ finibus excederet, (231) Oppida, quæ in Alexandrinis Guilielmus occuparat, restitui juberet. Ad hæc Renatus post multos ultro citroque seorsum habitos sermones, se ad proximos Resurrectionis Dominicæ dies ex suis aliquem Senatoribus, qui ei liti modum imponeret, missurum, interim per inducias vivendum duxit. Franciscus his peractis Marcariam postridie regreditur. Renatus copiis impedimentisque omnibus præmissis triduo post Placentia egressus in Astenses die quarto pervenit, impetrataque per Taurinensem agrum, Sabaudianosque montes transeundi facultate in Provinciam magnis itineribus contendit.

At Marcariam cum appulisset Franciscus, omnem fere exercitus ignobilem multitudinem in tumultum excitatam, & in Ludovicum maxime commotam invenit. (232) Querebantur mirum in modum gregarii equestris ordinis milites, quod Ludovici causâ in tanto frigoris horrore illud temporis, quod ad quietem militibus dari soleat, sibi adimeretur; quod tot priore anno labores perpessi hibernis prohiberentur. Proinde si ab heris suis eo tempore perseverare in castris cogerentur, quod non sine ingenti suo, exercitusque labore, atque incommodo, & equorum internecione fieri posse manifeste apparebat, nequaquam se obtemperaturos, quin immo in eos arma sumturos; protinusque deinde ad hostes transituros magnis vocibus & testabantur, & pronuntiabant. Sed his posteaquam Franciscus graviter interminatus est, ac dominos, quorum opera, atque impulsu in tantam homines perditos amentiam prorupisse compererat, peracerbe objurgasset, captisque pœnam iis, qui non paruissent, statuisset, eos statim tumultus ita repressit, ut silentio ubique facto; sua quisque ad tentoria diverteret, seque dicto auditurum diceret. (233) Cumque in priore sententia perseveraret, in Asulanos duci placuit ad suscipiendum. Nive igitur, quæ plures dies expeditioni ei impedimento fuerat, exhausta, die undique lucida, & vento ad cœli serenitatem prospere oblato, ad Aquam Frigidam, vicum non longe ab Asula ducit eo consilio, ut postero die Oppido admoveret. Sed nocte proxima magna ex insperato atque ex integro adorta nix est. (234) Hac permotus, territusque novitate Ludovicus, mane Franciscum in hanc sententiam compellat. Si hactenus ab eo cupidius petierat, si instando sibi interdum molestus fuerat, ut exercitus in Asulanum agrum duceretur, se scire pro ejus humanitate, & præcipua erga se benivolentia id æquo animo tulisse, & pro ea re veniam facilem sperare. Magnitudinem rei fecisse, ut apud eum ita contenderit, quo Ausulani homines insidi & protervi in ipsis prope ditionis suæ foribus agros possidentes, sibique admodum infesti, hoc motu ad sanitatem reversi pertinacia desisterent, & fidem in antiquam redirent, vel obsidione & vi subacti in potestatem redigerentur. Quippe qui, ut probe ipse novisset, cum multos per annos paterno imperio paruerint, eo quoque Duce quartodecimo jam exacto Anno ad Venetos defecissent. Qua in re neque ejus defuerat officium, neque optimum erga se ejus animum sibi defuturum sperabat, quandoquidem neque exercitum, neque eum ipsum ullum umquam aut fugisse aut recussasse laborem, vel impendium perspexerit. Proinde immortales gratias agere. Sed posteaquam seu quod dies hiberni sic ferebant, seu quod Dei Summi consilio prohibebantur, Asulanorum potiundi Oppidi facultatem tum sibi ademtum videbat, nec ipse Dei voluntati, ubi nec valeant, nec velit si possint, obsistendum amplius censebat. Itaque dimittendum esse quamprimum in hiberna exercitum. Ceterum dandam rursus operam, ut ea quæ primo vere ad gerendum magnis viribus bellum usui forent, summo studio compararentur. Franciscus pauca Ludovico respondit; graviter molesteque ferre, quod tanto propugnandi Oppidi apparatu, tanto Mantuanorum detrimento, re nondum cœpta tot undique circumventi impedimentis proficisci in hiberna cogantur. Qua quidem

in

(230) MS. Quare hostes nil conari posse judicabat, quod timendum esset, aut multum detrimenti habiturum. Vere autem primo Johannem &c.

(231) MS. ne mittendis ad eum in Galliam nuntiis legatisque tempus tereretur, ita statueret, mandaretque, ut Oppida &c.

(232) MS. Quippe qui sæpe in unum locum non procul ab eo Oppido *falciculam* conclamitans coiisset. Hoc enim vocabulo hac tempestate uti solent, qui temeritate & amentia ducti, in bello seditioni student, & in exercitu dissensiones quærunt. Querebantur &c.

(233) MS. His rebus putabat dux optimus, Ludovicum sua aliquando consilia ad meliorem belli gerendi rationem revocaturum. At ille in priore sententia obstinate magis perseverans in dies, ut in Asulanos duceretur instabat. Cujus voluntati Franciscus minime refragandum ratus, quamvis nihil se in ea re effecturum intelligeret, ad suscipiendum tamen negotium semper paratum se fore pollicebatur. Nive &c.

(234) MS. ut solo ubique per regionem operto, duos circiter in altitudinem pedes ad diei adventum pateret. Hac permotus &c.

in re Deum, hominesque testari, se neque consilio, neque studio, neque copiis defuisse. Verùm hæc forti perferenda esse animo, quæ præsertim à negligentia aut imprudentia orta non sint. Proinde hortari, ne de recuperando Oppido desperet. (235) Nam ubi per tempus licuerit, consecuturum non dubitare. Mox cum inter se de magnis rebus remotis arbitris diu consultassent, Francisci exercitus in Cremonenses, Parmenses, & Placentinos hyematum distribuitur. Ludovicus cum suis in Mantuano agro relinquitur. Franciscus Cremonam, deinde Mediolanum proficiscitur, pontemque quem biennio ante Veneti apud Ripaltam in Addua magno artificio, magnoque Transadduanorum labore atque impensa ædificaverant, rescindi confestim jubet. Brippii insuper, & Bajeti Arces (236) validis oppugnatæ tormentis uno fere tempore per deditionem sunt in potestatem acceptæ. Per idem tempus Venetorum legati majorem exercitus partem ultra Athesim in hiberna miserunt, Picinino, qui citra Mincium amnem remanserat, hibernis circa Benacum designatis. Qui ne his in locis segnis esset nunc Mantuanorum fines incursionibus vexabat, quibus diebus Voltam Oppidum occupavit, nunc Brixiam prætergressus, eam Brixiensis agri partem, quam in planicie Franciscus obtinebat, infestabat. Sed hinc Ludovico, hinc Tiberto milite instructo occurrentibus, repulsus aut Brixiam, aut unde digressus fuerat, nullâ morâ refugiebat. Nostri crebrius atque infestius ad ipsas usque Urbis portas progressi, gravia detrimenta afferebant. Per hunc modum pars hyemis reliqua consumta. Dum hæc geruntur, Summus Pontifex & officii sui honore, & Ecclesiæ dignitate ductus, Principibus Italiæ scribit, ut ad se de pace legati mitterentur, quod grassantibus (237) in Christianam religionem Turcis statuebat Christianorum malis futurisque cladibus, quoad posset, consulere. Quibus rebus nisi pacatâ Italiâ communi omnium consilio atque viribus occurreretur, nequicquam se conaturum intelligebat. Ejus dicto obtemperantibus ceteris, Franciscus Scevam Curtem, & Jacobum Triulcium cum his mandatis Romam misit, ut Florentinorum adhibitis legatis, qualis esset ad complectendam pacem Pontificis animus, (238) quod ipse & pacem non recusaret, & bellum non formidaret, cognoscere curarent. Deinde Pontifice in utramvis partem inclinante, omissis seu judicis seu adversariorum ambagibus, mandata exponerent. Cum igitur omnes Romam legati convenissent, hæc in primis Alphonsi Venetorumque legati detulere Pontifici. Si id sumtus quod adversùs Florentinos Rex fecisset, quandoquidem illi Comitem Franciscum (hoc enim solùm dignitatis nomine vigente bello adversarii appellare solebant) Venetis sociis arma inferentem pecunia juvissent, dependerint, si dominatui item Veneto Comes ipse id agri, quod in eorum finibus occupasset, restituerit, si Cremonam insuper Urbem tradiderit, Padum, & Adduam utriusque imperii fines fore permiserit, Regem, Venetorumque Senatum cum iis pacem facturos. Francisci autem Florentinorumque legati contra ita cum Pontifice egerunt. Brixiam, Bergomum, & Cremam Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem deposcere tum jure belli, quod Oppida ipsa suis circumdata finibus suo quoque exercitu oppressa non diu essent in Venetorum potestate permansura, tum quod per injuriam, vimque justo possessori, in cujus locum successerat, erepta, jure optimo ad se pertinerent. Florentinum quoque Populum Castellionum Piscariæ Oppidum, quod Rex Alphonsus priore bello cepisset, sibi restituendum, quodque injuste ab eo Rege lacessiti fuissent, dum socium jure fœderis suis opibus juvissent, eam, quam fecerant, impensam, ac multa & gravia insuper damna, quæ passi sint, resarcienda postulare. His postulatis si satisfecerint adversarii, Mediolanensium Ducem, Florentinumque Populum cum iis pacem libenter inituros. Hæc separatim à legatis proposita, quæ non tam factu quàm tractatu durissima non ingrata Pontifici fuere: Nam quod jam de bello habebat in animo, facile his tot tantisque certaminibus absque sua & Apostolicæ Sedis ignominia efficere posse arbitrabatur. Italiæ namque pacem magnopere (239) palam appetere videbatur, sed clam omnibus viribus bellum alebat, quod Longobardiæ provinciæ quietem in Ecclesiæ finibus bellum parere consuesse diceret. Cum hæc Romæ aguntur Veneti posteaquam hoste se multo inferiores esse vident, majoribusque viribus in sequenti æstate bellum sibi geri oportere, si adversario superiores, si amissa recuperare velint. Quod nisi magno sumtu fieri non poterat, neque gravissimis tot annos ærario sumtibus exinanito satis commode bellicis rebus suppeditare posse, ad pacis artes iisdem omnes animis convertuntur. Deinde Romanis rebus de pace diffisi, Fratrem Simonem Camertem hominem sane haud magnæ doctrinæ, sed fidei plenum, & Francisco familiarem, & non ingratum, cum his sæpe mandatis profectionem Religionis suæ causâ simulantem ad eum misêre. Si ea Oppida quæ in Bergomensibus Brixiensibusque agris eo bello cepisset, Venetis restituerit, ceteris prætermissis rebus, cum eo se pacem facturos. Hæc ubi Franciscus cognovit, non aspernanda visa sunt. Quod ex his rebus Venetos multo quam-

(235) Nam etsi nunc quod de Asulanis constituissent, propter hyemis acerbitatem consequi non potuerant, tamen ubi per &c.

(236) quæ ægre premebantur, & nondum in ejus facultatem pervenerant, acrius, majoribusque etiam viribus oppugnandas curat; quæ ob id haud diu validis &c.

(237) MS. sævientibusque in Christianam Religionem Turcorum animis, & summo imperio post miserabilem Constantinopolitanæ Urbis gentisque eversionem magis in dies crescentibus, statuebat &c.

(238) MS. quoniam ad utrumque erant parati, seu persequi in bello, seu ad pacis studia, quibus semper fuerant dediti, animos vertere conditionibus æquis, cognoscere conarentur. Deinde &c.

(239) MS. Romanus Pontifex palam appetere videbatur. Sed illius componendæ mens ejus longe aliena fiebat. Quod cum Longobardiæ provinciæ quietem plerumque patrum memoria alterum in Ecclesiæ finibus bellum parere consuesse diceret, Longobardorum longe maxime bellum, quàm pacem malebat. Et ob id cum nutriendum non dirimendum præsens sibi bellum esset, rem pacis miti quadam simulataque oratione ex die in diem ducere conabatur. Cum hæc Romæ &c.

quampridem humiliores factos intelligeret, & à prioribus Romæ postulatis persuperbe ad non iniquas pacis conditiones devenire constaret. Proinde sic nuntio respondit. Si Cremam modo dimiserint, se ceteris in rebus Venetis satisfacturum. At illi etsi palam dicerent pro patrio more, quod semel obtinuissent, nequaquam id se alii concessuros, tamen his quas supra commemoravimus difficultatibus ducti, ne pacis conficiendæ opportunitate morarentur, statuere communi consensu Cremam Francisco dedendam. Et ne magnopere pacis cupidi, & à majorum suorum institutis discedere viderentur, ita in eo tradendo Oppido, sicuti postea cognitum est, dissimulandum censuere, ut Cremam Collioni, cum quo jam occulte de stipendio convenerant, traderent eo consilio, ut id postea Oppidum Collio ipse per proditionem à se receptum simulando in Francisci transferret potestatem. At ille qui, ut supra ostendimus, cum hostibus sentiebat, non modò Venetorum animos ad rem Cremensem conficiendam propensos perturbat, retardatque, sed in prosequendo bello pergere hortatur. Verùm si quo meliore consilio ducti pacem quàm bellum hoc tempore maluerint, videri sibi, ait in priore non dedendæ Cremæ sententia permanendum. Nam Florentinorum non minus quam Francisci vires consiliave nota sibi esse non dubitare, ubi finem bello imponere voluerint, pacem æquis conditionibus, ipsis etiam Cremam retinentibus, consecuturos. Interim fit ex Urbe oratorum literis Franciscus certior, vanam fuisse ad Pontificem de pace legationem, nec umquam eo auctore Italiam præsenti bello quieturam sperari posse; (240) proinde ad eum propediem redire statuisse. Ceterum multa sub idem fere tempus occurrunt, quæ non mediocriter Francisci animum offendebant. Nam quæ hactenus multis inditiis eum de Collionis fide suspensum tenuerant, nunc ejus oratio plane confirmabat. Nam cum ad eum de stipendii prorogatione ea spe atque fide misisset, ut quemadmodum se facturum, & Mediolanensium Ducem nequaquam dum vixisset desertutum sedulo affirmaverat, neque eam, quam de illius erga se fide contra omnium tamen sententiam semper habuerat, opinione falleretur, aut si quid firmatis jam rebus addendum peteret, non omnino à se deceptum videret, negavit aperte doli compos Duci se rursus scriptis obstringere velle. Quin quod stipendii tempus ad Kalendas Apriles præfiniebatur, se liberum esse, & decrevisse nemini obstringi, multo sermone iis, qui eadem de causa ad eum commeabant, ostendere conabatur. Quo responso qui dudum de illius perfidia rumores varie circumferebantur, manifeste comprobantur. Sigismundum item ex Etruria Ariminum relictis copiis profectum, (241) clamque ad Venetos misisse, de stipendioque cum iis jam transegisse. Hic tamen ubi de pace agi intellexit, literis nuntiisque Franciscum, ut in bello pergat hortatur, demonstratâ certâ victoriâ, pollicitus omnibus viribus ejus causam secuturum. Detesalvius præterea Florentiâ eodem tempore Francisco refert Florentinos gravibus exhaustos sumtibus, quos superioribus annis ægre pertulerant, non tam Longobardi quam Etrusci belli impensam neque posse neque velle amplius sustinere. Proinde ad pacis studia conversis civium animis eum rogare atque obtestari, ut eam suarum rerum rationem habere velit, quam communi utrorumque saluti utiliorem atque salubriorem pro ejus sapientia fore cognoverit. (242) Accedebat intolerabilis militum & præfectorum quorumdam avaritia, qui post Renati discessum, Collionisque defectionem adeo insolescere cœperunt, ut alii stipendio augeri, alii majorem argenti copiam quàm conditio rerum, jusque militiæ ferret, alii Oppidis donari efflagitarent, milleque aliis Ducem molestiis afficerent, quas militum cupiditas atque insolentia, ubi eorum opera imperatori opus est, afferre solet. His tot uno tempore Franciscus rebus adversis perculsus variis ingentibusque exagitatus curis, admirabatur insolitam Florentinorum ignaviam, atque incredibilem pæne rerum inopiam; quorum maxime hortatu, & Cosmi Medicis precibus, qui & domi potens esset, & in Civitate princeps, bellum grave & periculosum susceperat. Dolebat mirum in modum suos, quibus officiorum magnitudine jure debebat esse carissimus, animi inconstantia laborare, ut sibi, quem maxime omnium venerari tuerique debebant, adversarentur.

Verùm duæ in primis res ejus animum gravius perturbabant; recens ac insignis Collionis rebellio, quæ in ipso prope victoriæ cursu patefacta non erat, nisi maximum gerendis rebus illatura detrimentum, & nobilis Sigismundi perfidia, quem etsi semper præter cetera ejus vitia novarum rerum cupidum, alieni appetentem, & per omnem ætatem apud Italiæ dominatus venalem cognoverat, tamen ob multa ac maxima in eum beneficia, & ob ea, quæ nuperrime nuntius ejus de optimo erga se animo satis amanter commemoraverat, nequaquam à sua, Populique Florentini amicitia atque fœdere discessurum putabat. Quibus de causis optimum esse judicat, Cremensibus relictis rebus, pace bellum commutare, seque tot tantisque molestiis, discriminibusque omnino liberare. Itaque Fratrem Simonem ad se accersi jubet. Huic mandat, Venetias quamprimum redeat. Se quibus antea conditionibus convenerat, negotio Cremensi omisso cum Venetis, libero sinceroque animo pacem facturum, in amicitiamque deinceps perpetua victurum, modo eadem eos erga se mente intelligat. Simon his apprime

(240) MS. Idcirco vel pace vel bello, alio sibi consilio suis rebus esse prospiciendum. Se autem ea de causa dum Romæ sint, inane tempus ducturos; poinde &c.

(241) MS. & quosdam alios Francisco necessitudine conjunctissimos, clam ad Venetos misisse; de stipendioque cum iis jam Sigismundum transegisse, & in actione versari alios enuntiabatur, & ab iisdem, ubi agi de pace intellexerunt, literis nuntiisque ut in bello persisteret, suadebatur. Quod omnibus diligenter accurateque pensatis, nihil esse dicerent, quod magis ea tempestate ejus rebus conducere, quam belli reliquias persequi arbitrarentur. Nam de hostibus nihil magis quàm exploratam victoriam sperare poterat, cujus consequendæ gratia, ut debent, neque copiis, neque studiis se ullis defuturos affirmare. Detesalvius &c.

(242) MS. Sibi verò nulla aptior via, nulla tutior visa est, qua se tot bellorum incommodis atque periculis dissolvere possent, quàm ut paci opera daretur. Accedebat ad hæc quoque intolerabilis &c.

me sermonibus lætus, pacem jam se exploratam habere dicit, ac si facultas adsit, Venetos ad firmanda pacis fœdera legatum propediem missuros pollicetur. Publica igitur fide concessa, Francisci mandata die quarto à Simone Veneto in Senatu deferuntur. Quæ quidem ubi præter opinionem Veneti evenisse vident, jucundissimo accipiunt animo; moxque Paulum Barbum patricium, jureconsultum, & magnæ auctoritatis virum de pace legatum Cremam primùm, deinde ad Franciscum, ubi ipse voluisset, occulte accessurum mittunt. Franciscus interim Laudem profectus, Paulum ad se noctu advocat, & in remotissima ædium parte cunctis amotis arbitris, scribis publicis tantummodo accersitis, quos sibi fidos elegerat, post multas, variasque rerum controversias die octavo posteaquam eo ventum, ac de re agi cœptum est (qui fuit ad quintum Idus Apriles) Pax his confecta legibus, ac jurejurando sancita in vulgus præter militum exspectationem, quam semper odere, promulgatur. (243) Deinde his conditionibus, ut quicquid bello in Bergomensium Brixiensiumque finibus Franciscus cepisset, Venetis restitueret. A municipum injuriis ob factam Francisco deditionem Veneti abstinerent. Quæ verò in Transadduanis Oppida Franciscus obtinuerit, retineat. Cremenses in Venetorum fide permaneant. Ceteris in rebus iisdem legibus teneantur, quibus superioribus annis Philippo Duce in humanis agente, post initam Cremonæ pacem, cujus Franciscus ipse fuerat arbiter, vivebatur. Quæ Sabaudianorum Dux Oppida post Philippi obitum in Novariensi, Papiensi, Alexandrinoque agro occupasset, quæque item Johannes Monferratensium Marchio, & Guilielmus fratres in Alexandrino cepissent, Francisco seu belli seu pacis artibus impune recuperandi potestas esset. Quod insuper trans cisque Padum flumen Veneti, Corrigianique in Mantuano agro cepissent, redderent. Quod in ipso Philippi è vita decessu in Parmensibus Corrigiani occupassent vel reddant vel subjecti Mediolanensium Duci sint. Alioquin id sibi vindicare armis liceat. Denique Alphonso Regi, Sabaudianorum Duci, Monferratensium Marchioni, Venetorum sociis, Florentinis, Genuensibus, Ludovico Mantuanorum Marchioni, societate Francisco conjunctis, si præscriptam ad diem eam pacem probarint, pacis commodis liceat uti. Quam quidem pacem omnes excepto Alphonso, multo antequam dies dicta advenisset, publicis, amplissimisque documentis confirmarunt. Rex etsi molestissimum ei fuerat, quod Veneti contra jus fœderis se socio insciente cum hoste de pace egissent, tamen non multo post tempore ea à se quoque pace probata Ferdinandum filium ex Etruscis cum exercitu in Regnum revocavit. (244) Franciscus ubi pabuli copia in agris adesse cœpit, Tibertum cum exercitus parte in Parmenses trajicere Brixiliensiumque fines invadere jubet. At Corrigiani omni Veneti, Regiique auxilii spe derelicti, diebus octo vastatis incolarum prædiis, de iis rebus quas paterno jure possidere in Parmensibus asserebant, sese Francisco submisere. Compositis per hunc modum Corrigianorum rebus, haud multo post tempore Tibertus in Alexandrinos cum iisdem copiis proficiscitur, ut finitis induciis Oppida à Guilielmo occupata in potestatem redigeret. At Monferratenses fratres diffisi viribus, ad Renatum Regem miserant, orantes, ut legationem in Italiam celeriter mitteret; cujus interventu res eorum componi possent. Confestim à Rege Franciscus Pancratius Massiliensium Præsul ad Franciscum legatus transmittitur. Is cum duobus Marchionis simul legatis ita brevì egit, ut cuncta Oppida, de quibus in primis quæstio vertebatur, Francisco Duci restituerentur. In reliquis rebus in pace, amicitiaque viveretur. Quibus peractis Guilielmus paucis post diebus Francisci mansuetudine, munificentiaque fretus, ceteris insciis Mediolanum cum paucis proficiscitur, & perhumane benigneque susceptus, duobus Oppidis Feliciano, & Cassinis donatur, (245) & ut in reliquum etiam tempus illius animum sibi Franciscus reconciliaret, annuo aureûm nummûm octo millium stipendio devinxit. Interea Franciscus eam Oppidorum partem Tibertum invadere jubet, quam Ludovicus Sabaudianorum Dux in Transpadanis occupaverat. Eodem fere tempore Robertus in Lomellinam mittitur, qui coacta biduo in regione ea magna equitum peditumque manu, alteram Oppidorum, municipiorumque partem, quæ cis Padum, transque Sicidam flumen, & in ea ipsa & in Blandrina quoque regione Sabaudiani, Taurinensesque servabant, infesto exercitu adoritur; factisque in Vercellensem usque agrum excursionibus ingentem inde pecorum ac hominum prædam egit. Horum exercituum gravi metu territi Bassinianenses, Valentini, ac ceteri, qui proxime Populi incole-

(243) MS. *Primum siquidem inter Venetos, Franciscumque Ducem Pax esto. Deinde omnia hactenus perpetrata utrimque maleficia, illatæve injuriæ libere remittuntor. Quidquid præterea præsenti bello in Bergomensium, Brixianorumque finibus Franciscus cepisset, Venetis restituatur. A municipum* &c.

(244) MS. His rebus nondum confectis, legati, ut supra ostendimus, Romam de pace missi, infecta legatione revertuntur; coramque ea, quæ superioribus diebus de non bono Pontificis animo in pacandis Italicis rebus literis significarant, apertius audaciusque confirmant. Adjiciuntque insuper, nullo Romæ humano consilio pacis duce repugnante, Longobardiæ pacem componi posse. Quod verebatur bonus fidelium Pastor, ne dum alienæ quieti studeret, novum in Ecclesiæ fines bellum pararetur. Placere propterea summopere legatis pro Principis auctoritate atque commodo, quod suo potius quam alieno consilio atque ope, & suæ quàm alienæ domi de pace ageretur. Proinde Franciscus perspectis maxime Florentinorum querelis, quas in suo reditu legati de gravi pecuniæ, qua premerentur, egestate audierant. Detesalviusque paulo ante, ut diximus, expromserat. Quod erat ad ineundam pacem reliquum, maturius perficiendum curavit. Dehinc quæ pro tempore conditiones pacis ejus conficiendæ sunt, protinus confici imperavit. Idem fecere Veneti. Post hæc Franciscus ubi &c.

(245) MS. Qua in re nec eum sua fefellit opinio. Nam Franciscus libero ad se viri accessu, & qua gratia, quibusque verbis se se donandum rogare motus, & ut in reliquum etiam tempus illius animum sibi reconciliaret, non modò incredibili ejus desiderio satisfecit, sed petenti munus cumulavit, quod & Oppida liberali animo feudo concessit, & annuo aureûm &c.

colebant, Sabaudianumque nomen invocabant, nullo negotio deduntur præter eos, qui Pecetum inhabitabant locum. Ii rerum bellicarum ignari, dum aliquantulum deditionem morantur, à vago milite vi capiuntur, diripiunturque. Mox immissâ flammâ Oppidum crematur. Robertus quoque Castelnovetum, Sanctum Angelum, Bremidem, Confluentiam, Bulgarum, Villatam, & universa insuper municipia, quæ tam in Papiensi quàm Novariensi agro Sabaudiani Ducis parebant imperio, non amplius tridui spatio in fidem accepit. Soli Burgenses, quorum Oppidum Bassinianam contra situm est, præter ceteros Sabaudiano nomini affecti confisique evocatorum Taurinensium præsidio in Sabaudianorum fide perstitere; sed binis eos protinus castris circumsessos tormentis oppugnare duces cœpere. Antea verò quàm cum copiis duces hostium fines ingrederentur, duo à Ludovico duce legati impetrata fide publica Mediolanum ad Franciscum mittuntur, qui ab eo postularent, ne fineret suos injuria lacessere, copiasque ejus omnes suis finibus arceret. Non licere Francisco, quæ Ludovicus Oppida post Philippi obitum in Longobardia cepisset, & pace postea Taurini composita ejus voluntate pleno jure sibi remansissent, seu pacis seu belli artibus amplius repetere, seque in reliquum tempus, si per eum licuerit, in pace cum eo amicitiaque victurum, eamque insuper affinitatis vinculo confirmaturum. Cupiebat enim magnopere Ludovicus filiam Galeacio Francisci filio majori natu in matrimonium dare. Ad hæc Franciscus respondit: si Oppida universa, quæ in sua Ludovicus ditione occupabat, intra diem octavum restituisset, suos populationibus, & bello inferendo prohibiturum, pacemque servaturum. Alioquin ad Alpes usque exercitum (246) dimissurum, neque umquam revocaturum, donec cuncta ab eo occupata Oppida in suam devenerint potestatem. Nec posse non admirari, cur tantopere id contenderet, quod neque jure retinere neque viribus tueri possit. Nec scire profecto quid Sabaudianis in sua ditione negotii esset, quidve in suo jure se impedirent, quandoquidem in his rebus, quas in Italia trans Siccidam flumen ipsi possideant, nequicquam se impediat, nec post initam Taurini pacem uspiam lacessiverit. (247) Oppida, de quibus in præsentia contentio sit, Civitatibus, quibus ipse imperitet, obedire aliquando oportere. (248) Quod de Taurinensi pace mentionem fecissent, eamque suæ causæ magno adjumento futuram arbitrentur, se non violanti pacem, sed servanti commodo fore didicisse. Constare Deo immortali, atque hominibus Ludovicum contra fas, jusque pacis ejus cum Venetis olim hostibus suis fœdus percussisse. Quod bellum non intulisset, non ignorare, id inopia potius rerum quàm voluntate aut pacis amore fecisse, (249) cum quibuscumque rebus potuisset Venetos juvisset. Ejus rei Guilielmum esse testem, cui bellum inferenti libere per suos fines iter facere permiserit, testem Renatum, quem cum ex Gallia in Italiam sibi, Florentinisque ad ferendum auxilium proficisceretur, transitu prohibuerit. Quæ res quanto sibi, Populisque suis detrimento fuerint, haud facile existimari posse. Ex quo plane intelligi ac judicari poterat, Ludovicum pacis, fœderumque ruptorem exstitisse. Cum his responsis redeuntibus ad Ludovicum legatis Burgenses & suis viribus diffisi, & Sabaudiani subsidii spe derelicti, grandi argento exercitui promisso deduntur. Quorum Oppido recepto duces Siccidæ flumini castra admovere; bello deinceps abstinuere, pabulatum frumentatúmque modò in Vercellensem agrum mittebant. At Ludovicus ubi tot uno fere tempore ad Franciscum Oppida defecisse videt, veritus ne potentissimus ac in foribus liber hostilis exercitus suos rursus fines omni militum præsidio desertos invaderet, quatuor confestim Mediolanum legatos mittit, qui Franciscum primo hortarentur, rogarentque, ne suos citra Siccidam Populos bello amplius vexari pateretur. Deinde multis conditionibus propositis, pacem ab eo peterent; sed ei legationi non satis fidens paucis post diebus duos alios submittit, qui rebus posthabitis omnibus, pacem componerent & affinitatis necessitudine obstringere conarentur. Verebatur enim Ludovicus summam Francisci virtutem, & Venetorum societati diffidebat, qui dum propriæ saluti prospiciunt, privatæque utilitati student, socios quasi prædæ hostibus reliquissent. Earum legationum Ludovicus ex Sabaudiana familia, quem Peloponesi Principem sui appellant, & Jacobus Valpergia, qui tunc temporis magni Sabaudiæ Cancellariatus magistratum gerebat, primi fuere. Hi cum multa ac varia ad reconciliandum Francisci animum (250) nequicquam commemorassent, ad has pacis tamdem conditiones cum Francisco devenere, ut perpetuo Ducibus utrisque pax, amicitiaque esset. Oppida, quorum causâ bellum ortum fuerat, pleno jure Francisco remaneret. Siccida flumen utriusque imperii finis esset. Reliquis in rebus sicuti Taurinensi pace cautum fuerat, ita deinceps viveretur. Affinitati autem etsi diu multumque in ea re elaboratum sit, nullus est idoneus repertus locus; quod Galeacium sibi generum Ludovicus quærebat, idque summo studio contendebat. Quæ res propter jusjurandum Francisco molesta erat, minimeque placebat, quod eumdem Ludovici Mantuani Principis filiam in uxorem ducturum fidem dedisset. Philippum, qui post Galeacium maximus natu erat, proposuit. Hunc accepturum se generum Sabaudianus Papia Urbe à patre concessa dixit; tamen non multo post neutri ea res placuit, quodque documentis publicis firmatum est, utrorumque consensu abrogatum. Pacatis per hunc

(246) MS. agros devastando, Oppida expugnando, capiendoque dimissurum &c.

(247) MS. Quod si in sua jurisdictione armis utatur, ne cui mirum videri debere, nemini se injuriam facere; capiti membra respondere, neminem esse, qui id æquum non censeat. Oppida &c.

(248) MS. idque ad se potissimum negotii pertinere. Quod autem de Taurinensi &c.

(249) MS. Nam si qua re juvare Venetos eo bello potuit, nil studii, nihilque opis eum prætermisisse constabat. Ejus rei &c.

(250) MS. exposuissent, non aliena multum ab oratione eadem, quam legati priores exposuerant, & nequicquam impetrassent, ad has tamdem &c.

hunc modum Sabaudianis rebus, ad Borsium (251) Antonium Tricium Franciscus quamprimum mittit, ut Castellum Novum, Cupriacumque Oppida, quæ Leonellus ejus frater mortuo Philippo Duce in Parmensibus occupaverat, amico, bonoque animo restitueret. Si non faciat, quamvis id adversùs Estensem Domum sibi suisque amicissimam invito ageret animo, tamen quod suæ jurisdictionis esset, se armis propediem vindicaturum. Quod ubi Borsius intellexit, ingenti molestia affectus, continuo ad Pontificem, ad Alphonsum, Venetos, Florentinos, literas nuntiosque dimittit. Queritur, Franciscum Sfortiam injuria vim sibi facturum. Proin consilium ab iis, opemque simul petere. Nuntio interim perhumaniter respondit, se nequaquam credere posse, pluris duo haud magnæ æstimationis municipia Franciscus facere, quàm universam Estensem Domum, quæ semper Sfortianæ Familiæ amica fuisset. Orare atque obsecrare, ut id à se Franciscus vellet, quod veteri inter eos amicitia dignum, quod Estensi Familiæ honori, quod Borsii Ducis auctoritati consentaneum videretur. At posteaquam perseverare vehementius in recipiendorum Oppidorum negotio Franciscum cognovit, & ab iis simul ad quos ut prædiximus, miserat, eadem fere sententia responsum acceperat, quod erat, ut cum Francisco amice vivere studeret, seque ad tollendam controversiæ causam accomodaret, non amplius contendendum putavit. Restituere Oppida constituit, idque se Antonio effecturum promisit. Sed unum à Francisco petere dixit, ut Cupriacum sibi dono concederet, idque si impetrasset, magni se ac immortalis beneficii loco, quoad vixisset, habiturum, quod non omnino apud nostram, exterasque nationes ab eo despectus videre-

(251) MS. Mutinensium Ducem, Antonium &c.

A tur. Qua in re Franciscus non tam munificentia quàm clementia usus incredibili pene Borsii desiderio satisfacere decrevit. Nam etsi multas gravesque ab eo sibi illatas commemorabat injurias, quod Regium scilicet; & alterum Castellum Novum in Derthonensibus Oppidum à Frederico Imperatore è Roma redeunte, Ferrariaque in Germaniam iter faciente à feudali, & antiquo Mediolanensis Ducatus jure se jungenda, eximendaque, & novo sibi jure concedenda curasset, quod Corrigiani fratres ejus operâ à Rege Alphonso à Venetis, cum quibus bellum gerebat, stipendia accepissent; quod Corrigianis ipsis quotidie Parmenses bello infe-
B stantibus per suos fines transeundi potestatem fecisset, prædamque in ejus Oppida deduci, conferrique permisisset: quod Parmam, si defecisset, sibi tradendam petiissent, nonnullosque Parmenses cives, quos sibi variis beneficiis devinxerat, de prodenda patria tentasset; quod Galeottum Fregosum, qui Marchiones Malaspinas in Lunensibus sibi fœdere obstrictos, suoque parentes imperio, multis Castellis spoliarat, ad eum confugientem suscepisset, raptorumque tutelam promisisset: quod Cotoniolanis in Flaminia, dum esset Veneto bello impeditus, gravibus sæpe detrimentis affici à suis passus esset; quod Alphonso, Venetisque proximo bello omnibus
C fere rebus savisset: quod Bracianis miro quodam studio præcipuus semper hospes domi fortisque fuisset; quod præsentem Bononiensem Rempublicam, quam Bentivola factio sui benivolentissima administrabat, perturbare adniteretur: harum tamen rerum oblitus omnium, ipsis receptis Oppidis, nullâ morâ interpositâ Cupriacum ei dono dandum restituendumque jussit.

Explicit Liber Vigesimusquartus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUSQUINTUS.

Omni pacata Italia non minorem ex pace quàm ex bello laudem atque gloriam Franciscus Sfortia consecutus est; qui veluti Italicæ pacis auctor in reliquum ætatis tempus ad quietis studia conversus, ceteros Italiæ Principes liberosque Populos, quorum animi variis maximisque adhuc odiis æstuabant, non solùm fœdere & amicitia sibi conjunxit, sed ipsos quoque magna inter sese gratia reconciliavit pacis conservator, acerrimus defensor, ac propugnator. (252) Primùm post factam Laude pacem, qui fuit Annus à Christiano Natali Quartus & Quinquagesimus supra Millesimum & Quadringentesimum missi sunt ab ipso, & Florentinis Venetias de pace gratulatum legati Guarnerius Castilioneus, Nicolaus Arcimboldus, Petrus Medices, & Johannotius Pandolfinus. Qui cum Venetos longo bello fatigatos, pacisque artibus deditos invenissent, non modò inchoatam ex composita pace cum eorum Senatu amicitiam confirmarunt, sed novo etiam societatis jure auxerunt. Cumque esset communi partium omnium voluntate reliquis Italiæ Potentatibus ejus ineundæ societatis relicta potestas, placuit Romam ad Nicolaum Pontificem, & Neapolim petentibus maxime Venetis ad Alphonsum, quem sibi ob firmatam eo inscio cum hoste pacem, iratum intelligebant, legationes mitti; qui humaniter eos ad societatem, quam ipsi inter se se novissime inierant, amplectendam invitarent, & adhortarentur. Quo Italia omnis tot annis inter se divisa & diuturnis bellis conflictata, unum idemque sentiens, in reliquum tempus quietis securisque animis, & sine ulla novarum rerum suspicione quiesceret. Itaque primo insequentis Anni initio legati Romam profecti Bartholomæus Vicecomes Novariensium Episcopus, & Albericus Maleta Pontificii, civilisque juris interpres, pro Francisco Sfortia, Hieronymus Barbadicus Francisci filius, Zacharias Tarvisinus Zachariæ filius jureconsultus, & Johannes Maurus pro Venetis, Bernardus Antonius Medices, & Detesalvius Nigius pro Florentinis, ita cum Pontifice egerunt, ut & confectæ paci & icto Venetiis fœderi benediceret, & quæque in ea re essent, laudaret summopere, probaretque, & progredientibus deinde ad Regem legatis, cum his Dominicum Firmanum Cardinalem, magna in Romana Ecclesia auctoritate virum, suum quoque Legatum mitteret. Quibus perbenigne honorificeque à splendidissimo munificentissimoque Rege exceptis diuturnior Neapoli mora fuit. Quod cum tanto Italiæ fere totius legatorum conventu rex elatus superbusque factus, & animo, uti demonstravimus infenso in Venetos esset, ab inito Venetiis fœdere plurimum dissentiebat. Nam quamquam pro communi rerum salute, quas intra Italiæ fines socii possiderent, æquis conditionibus facta erat societas, tamen nunc has nunc illas probabat, improbabatque conditiones, & alias sociis ingratas adiicere deposcebat. Tamdem post multas variasque disputationes, mollito in meliorem partem animo, percussum in quinque & viginti annos fœdus pro se, proque Ferdinando Calabrorum Duce unico filio, quem sibi in Neapolitano Regno successorem heredemque instituerat, comprobavit. Hoc tamen adjecto, ut Fregosis, Genuensibusque cum quibus sibi vetus erat odium, & longa maritimarum rerum controversia, ubi ei libuisset arma inferre, & Sigismundum Malatestam, Eustorgiumque Faventinum ob à se factam per eos in Etrusco bello ad Florentinos defectionem agere posset. Qua in re cautum quoque est, ut nemini ex sociis quoquomodo, nisi pacis componendæ gratiâ, reis auxilio esse liceret. Dum hæc Neapoli de Italiæ totius societate aguntur, tentatus est secretò Albericus Maleta Regis nomine de ineunda cum Francisco Sfortia affinitate. Animadvertebat enim Rex ille prudentissimus, si qua Francisci voluntatem necessitudine sibi conciliare, devincireque posset, id magno usui, magnoque non modò viventi sibi, sed Ferdinando etiam filio ac posteris, tuendi servandique Neapolitani Regni præsidio, munimentoque futurum. Nam Alphonsus etsi per superiora tempora incredibili pæne odio Franciscum, ut sæpe demonstratum est, fuerat semper insecutus, & Patrimonio, quod in Brutiis, in Samnitibus, in Apulis, Calabrisque possidebat, amplissimo privaverat, ac universo deinde Piceno agro duobus maximis bellis, Eugenio Romano Pontifice, & Philippo Maria Duce auctoribus, adjutoribusque, cedere coëgerat, veritus ille ingentem ejus viri sibi finitimi, & Andegavensium partes sequentis virtutem, & præcipuum quoddam in eum universi prope Neapolitani Regni studium, tamen posteaquam is in cisalpina Gallia parto sibi illustri & opulentissimo Mediolanensium imperio, partaque pace rem suam adeo propagasset, atque stabilisset, amicum sibi illum facere pro suo, posterorumque suorum commodo cogitabat, plurimumque cupiebat. De quo cum semper modestissime loqui consuevisset, tunc maxime eum laudibus extollebat; & id jure quidem merito, cum in nullis aliis Italiæ Potentatibus præterquam in uno Francisco Sfortia ullam sibi firmiorem præsidii spem ponere posse perspiceret. Accedebat, quod Johannes Andegavensis, quem Calabrorum Ducem appellabant, post Renati patris in transalpinam Galliam reditum in Italiam venerat, à Florentinis patris loco accersitus. Isque dum Florentiæ agit, ceteros inter Italiæ potentatus initam pacem, & Italicum cum Alphonso fœdus agi cœptum, multis literis, legationibusque per Italiam missis interturbare conatus, non parum ei Regi suspicionis intulerat. At Franciscus cum primum ex legatorum literis, & post eorum reditum, apertius coram optimum erga se Regis animum accepisset, haud respuendam nobilissimæ Taraconensis familiæ, &

(252) MS. & sine ullius cujusquam æmulatione non parva rerum accessione suum extendit imperium. Primùm enim post factam &c.

& magnanimi, potentissimique Regis amicitiam, affinitatemque putavit. Itaque cum rediisset Neapolim cum mandatis Albericus, prætermissa consulto restituendi erepti Patrimonii petitione, quod compertissimum esset, si secus ageret, tum propter innatam Regis, ut docuimus, suspicionem, tum propter nonnullorum ex regia familia, quibus ea bona dono concesserat, malivolentiam, ulla umquam neque manere inter eos neque intercedere amicitia posset, conflata ex veteri & magna inimicitia nova amicitia, magnaque animorum conjunctio. Desponsata est enim Hippolyta Maria Francisci filia adhuc puella Alphonso Ferdinandi primogenito, ipsius Alphonsi Regis nepoti, quamvis esset ætate minor, & Leonora Ferdinandi item filia Sfortiæ Mariæ Francisci ejusdem tertio filio. Nam Galeacio Susanna Ludovici Mantuani Principis, & Philippo Mariæ Secundo Maria Ludovici Sabaudiani Ducis filia jam desponsatæ erant. Post firmatam Neapoli Italicam societatem, Borsius Estensis, Johannes Monferratensium Marchio, Senenses, Lucenses, & Bononienses, quod non satis sibi absque eorum Principum, Rerumque publicarum præsidio atque tutela tuto vivere posse arbitrabantur, ceteris sese socios junxerunt. (253) Interea Jacobus Picininus finito cum Venetis stipendiorum tempore, cum in Etruriam, Umbriamque proficisci instituisset, Matthæum Campanum, & alios equitum ductores jure militiæ obstringit sociosque addit; ac primo vere cum jam in campis pabuli copia esset, magno equestrium pedestriumque militum coacto numero, quorum pacatis ubique per Italiam rebus, magna erat sine stipendio in Longobardia multitudo, qui ne ad agriculturam, quotidianumque redire laborem cogerentur, Piciniunm novum sibi bellum, opulentamque prædam pollicentem, sine mercede sequi constituerant, ex Brixiensi agro movet. Et per Venetiæ, Ferrariensiumque fines trajecto flumine Pado, in Flaminiam pervenit, & non longe à Forolivio, & Cæsena castra ponit, à Borsio, & Malatesta Novello non modò commeatu abunde adjutus, sed Oppidis etiam Urbibusque Ferraria, & Cæsena benigne honorificeque exceptus. At Nicolaus Pontifex, Senensesque de Picinini è Longobardia discessu certiores facti, plurimum timere cœperunt, cum bellum eorum alteri illaturum esse Picicinum certò scirent. (254) Idcirco ad Franciscum Sfortiam primùm, in quo summam spem posuerant, legatos celerirer Baptistam Brendum Jurisconsultum, Romanum Civem, & Fratrem Antonium Senensem mittunt. Orant ut adversùs communem manifestumque Romanæ Ecclesiæ hostem quammaturime præsidia paret, parata-

A

B

C

D

E

que in Bononienses proficisci juberet, Socios deinde in ceteros, ut idem facerent, hortaretur. (255) Franciscus jam Picinini motu cognito cum amicitiæ tum fœderis jure copias ad id partas, Conrado Foliano, & Roberto Sanctoseverinate præfectis, in Flaminiam confestim maturare jussit. Picininus nihilo segnius, quo statuerat, ire pergit, & superato Apennino in Etruriam inter Sancti Sepulchri Burgum, & Anglare Florentinorum Oppida trajecit. Quorum per fines magnis itineribus in Senensem agrum contendit. Quibus itineribus, quod ita Florentinis, quibus cum amice vivere decreverat, pollicitus esset, & ab iis neque transitu neque commeatu prohibitus, ab omni injuria, & maleficio semper abstinuit. Senenses omni pæne militari præsidio imparatos, veluti qui in pace & hactenus vixerant, & tunc maxime Italica pace freti vivebant, infesto exercitu invadit. Agros circumquaque incursionibus & tumultu ingenti involvit, præda, igni, & ferro devastat. Quibus per regiones rumoribus perlatis, etsi antea, ut demonstravimus, magno militum numero sine stipendio Picininus creverat, nunc majore pedestrium copiarum concursu in dies augetur. Quo impetu exterritis regionis ejus incolis, Cetonam, & plerosque Vicos per deditionem accepit, Sartianumque Oppidum non ignobile pluribus tentatum pugnis, in quibus Campanus sagitta ictus est, per pactionem tamdem obtinuit. Conradus, & Robertus, qui nondum Sapim flumen transierant, cum, ne prius Picininum lacesserent, jussi essent, quam ille aut eos lacessisset, aut cuiquam ex sociis injuriam intulisset, iisdem fere itineribus eum in Etturiam insequuntur.

Sed dum hæc geruntur, (256) Nicolao mortuo Callistus Tertius in Pontificatu successor declaratus Ecclesiasticas copias, quas Nicolaus paraverat summa celeritate cogit, & hosti opponit, iisque Johannem Vintimilianum Comitem præfecit. Interim Francisci præfecti, ad quos Callistus, ut celeriter in Veterbiensem agrum properarent, Nicodemum Pontremulanum Francisci legatum Romæ agentem magna festinatione miserat; per Tifernatum, Perusinorum, & Urbeveteranorum fines progressi, octavo die post superatum Apennini jugum, magnis confectis itineribus, ad Vulsinii Lacum pervenerunt, seque Johanni, & universis Callisti copiis adjunxerunt. Postridie ejus diei in Senenses adversùs Picininum moventes, binis castris ad Floram flumen exercitum ducunt, & in eo loco tabernacula ponunt, quem Inferni Vallem appellant, haud longe ab Naciano Senensium Oppido, quod paulò ante ad hostem defecerat, & à castris non amplius tribus

(253) MS. Ceterum dum hæc per Italiam aguntur, Jacobus Picininus, cui quod sibi erat militiæ cum Venetis, stipendium præscriptos jam annuos transierat fines, cum in Etruriam &c.

(254) MS. Idcirco ad socios, ad quorum opem sibi confugiendum erat, quamprimum mittunt postulatum auxilium, & ad Franciscum Sfortiam primùm, veluti ad eum, in quo omnem auxilii spem posuerant, & à quo essent certius expeditiusque id auxilii habituri, legatos celeriter mittendos designant Baptistam Brendum jurisperitum, Romanum Civem, & Fratrem Antonium Senensem, virum religiosum, & patriæ suæ fidissimum; qui apud eum quotidie opportune importune instarent, ut adversùs &c.

(255) MS. Franciscus autem, qui jam Picinini, de cujus motu per Italiam rumor increbuerat, cognoscendorum consiliorum operam dederat, cum amicitiæ, tum fœderis jure, quo Romanæ Ecclesiæ ac Senensibus tenebatur, copias, quas idcirco contra Picininum ipsum velut Italicæ pacis perturbatorem destinaverat, Conrado &c.

(256) MS. Nicolaus Pontifex qui gravi jamdudum invalitudine laboraverat, naturæ concessit. Quo mortuo &c.

bus passuum millibus aberat. (257) Picininus omni ex parte æqua atque tuta sibi delegerat, quo nullus nostris nisi iniquissimus esset aditus. Silva enim ingens & perpetua intercedebat. Cùm igitur tempus & occasionem adoriendi hostis quæreret, renuntiatum est ei, in ipsa prope castrorum locatione, quo tempore omnia sine ordine in castris aguntur, posse ullo absque periculo ita occultè hostes invadere, ut prius in castra impetus fieret, (258) quàm præsentire quicquam possent. Itaque sub ipsum prope meridianum Solem instructa acie tanta celeritate per silvam advolavit, ut improvisis imparatisque hostibus in castra irruperit. (259) Universa prope peditatus tabernacula, quæ in frontibus locata erant, resistentibus ferè nullis, diripiuntur atque dissipantur. Sed vix hostes ad eum locum pervenerant, ubi equitatus firmare tentoria cœperat, cum exorto tumultu tamdiu à Sfortiano peditatu, qui sese sumtis tantummodo hastis quamcelerrime coëgerat sustentatum est, donec ab equitatu, qui proximus esset, Roberto adhortante, & non tam ducis quàm fortissimi militis operam obeunte, opportuno quidem tempore occursum est. Quorum subsidio cùm esset hostium impetus, qui se jam victores arbitrabantur, primo congressu tardatus atque repressus, tanto robore à reliquo Sfortiano equitatu concursum est, ut facilè hostium equitatus castris in flumen usque repulsus, peditatusque ferè omnis partim captus partim interemtus sit. Trans flumen omnibus copiis confertissimum atrocissimumque prœlium committitur. Nam castrorum è regione declivus erat collis ad silvam pertinens Sfortianis ad dimicandum periniquus, quo se hostes munimento facile à tergo tuebantur, & nostrorum impetus à fronte sustinebant, telaque ita è superiore loco conjicientes, nostros acriter cædebant, ut per declivum minime progredi valerent. Interea Vintimilianus eo in prœlium advenit, dumque eximiam Sfortianorum militum virtutem ad cœlum laudibus effert, draconibus illos sæpius comparans, ecce à Bracciano quodam equite, qui sese inter frequentissimos hostes audacissimè intulerat, aureus illi è collo torques eripitur; sed à proximis militibus mox cum præda circumventus hostis capitur. Pugnatum cùm esset à meridie, parte neutra inclinante cum ingenti equorum & virorum cæde, (260) multis utrimque vulneratis, prœlium tamdem nox diremit. Eo die sola Sfortiana manus castris hostes repulit. Prœlium deinde fortissime conseruit, atque totam ejus certaminis molem sustinuit. Nam Vintimilianus cum Pontificis copiis se à pugna continuit, propterea quod non licere sibi diceret, Callisti injussu, belloque haud indicto, Picininum, qui nondum ullam Ecclesiæ rebus injuriam intulisset, prœlio lacessere. Quod tamen neque tuto neque prudenti egisse consilio, judicatum est. Nam si Sfortiani superati cessissent, neque ipse incolumis à victoris manu evasisset. Non abfuit tamen suspicio (261) Alphonsi Regis causâ, qui Picinini rebus favebat, prœlio abstinuisse. Postero die Picininus omni spe rei prœlio benegerendæ destitutus, & contra tantas hostium vires deinceps haud resistere posse ratus, cum esset intra hostiles præsertim fines usque adeo progressus, ut nulla amicorum ope juvari posset, Castelleonum Piscariæ omnibus suis copiis sese recepit, relictis à tergo ullo absque militum præsidio iis omnibus municipiis atque Oppidis, quibus erat paulo ante in Senensibus potitus. Piscariæ Oppidum ad mare Etruscum pertinens, & flumine, paludibusque egregie munitum regio præsidio tenebatur. Fretus regiis auxiliis tamdiu ibi bellum ducere posse sperabat, quoad aut res suæ de stipendio cum Italicis potentatibus Rege auctore atque deprecatore componerentur, aut per hyemem hostium exercitus solveretur. De hac tam repentina hostium fuga simulatque Vintimilianus Sfortianique ductores facti sunt certiores, eodem itinere, quo illos ire cognoverant, magna celeritate persequi contendunt. Sed ubi tanto itinere antecessisse eos acceperunt, ut nulla celeritate possent locis patentibus consequi, ne ob nimiam insequendi cupiditatem exercitus lassitudine conficeretur, meridie jam exacto substiterunt. Et cum vellent insequenti die ad Picinini castra propius accedere, exploratis itineribus, locorumque situ, repertum est, propter continentes paludes, nemorumque latitudinem, Castelleonorum Oppido, quo se jam, ut prædiximus, hostis contulerat, exercitum propinquius admoveri minus posse. Itaque ea difficultate coacti duces, castra in eo loco firmarunt, quem ad Brunas appellant, haud amplius octo passuum millibus ab hostium castris, ac hostes brevì omni commeatu ita intercluserunt, ut prunulis silvestribus & cornis immaturis, quorum per ea loca magna vis erat, & aqua marcida plures dies alerentur. Fecerat enim per eos ipsos dies mari coorta tempestas, ut nihil aliunde navibus eo importari posset. Quas ob res tanta vi morbi Picinini milites exagitati, & non minus aëris intemperie, quod maxime ex stagnorum propinquitate accidebat, quàm victus commutatione, ut permulti ex iis perierint. Et quamquam Alphonsus ex Neapoli triremibus pane *biscotto*, quem vocant, & hordeo, ubi per tempus licebat, præter Italici fœderis jura Picininum ipsum juvare non desistebat, tamen non ita abunde ac sæpe cibaria

(257) MS. At cum per ea loca Picininus stationes faceret, quæ hostibus erant iniqua, & sibi omni ex parte æqua atque tuta; & castra inter utraque silva ingens & perpetua intercederet, tempusque ipse & occasionem &c.

(258) MS. quàm ipsi de sua in eos profectione præsentire quicquam possent, cum nullæ præsertim adhuc essent, qua sibi eundum foret, dispositæ ab hostibus ipsis custodiæ. Itaque sub &c.

(259) MS. Nam negligentiâ eorum, quibus de diurnis in silvam mittendis speculatoribus cura fuerat demandata, factum est, ut inscientibus omnibus eò de improviso venisset. Facto igitur magno in eam partem castrorum impetu, quæ prima se obtulerant, universa prope &c.

(260) MS. multis etiam mutuis illatis vulneribus, fecerunt nocturnæ tenebræ, ut prœlium omnium voluntate dirimeretur, atque exercitus ita defatigatus integra virtutis laude in castra rediret sua. Eo die &c.

(261) MS. quod haud ea ductus ratione Vintimilianus, quam asseruerat, quo minus pugnæ interfuisset, sed Alphonsi Regis causâ, qui Picinini rebus favebat, & cujus ipse veluti natione Siculus legibus parebat, prœlio abstinuerit. Postero autem die &c.

baria longa navigatione advecta subministrabantur, quin tota fere ea æstate maximam omnium pæne rerum inopiam ejus exercitus pertulerit. Sub idem tempus & Veneti Carolum Gonzagam, & Petrum Brunorium, quem eorum precibus, dum cum Francisco superiore proximo biennio bellum gererent, Rex Alphonsus missum è carcere factum ex citeriore Hispania revocarat, & Florentini Simonetum pro societatis jure, Francisciqe maxime hortatu, Senensibus cum duobus circiter equitum ac peditum millibus auxilio miserunt. Quorum adventu exercitus ita auctus est, ut hostis multo durius premeretur, ac pabulatione, aliisque rebus necessariis maxima ex parte prohiberetur. Cum in tantas se Picininus rerum angustias deductum, & in dies deterius habiturum videret, misit veluti rebus suis diffidens in hostilia castra ad Nicodemum Francisci legatum, quem supra nominavimus, tabellas albas, quas papyros appellamus, suo solum chirographo & signo munitas, ut iis ad Franciscum relatis, quas ille daturus esset, & in iisdem tabellis inscribi jussisset, conditiones eas acciperet. Sed quoniam Francisco, sociis inscientibus, Picinino quicquam neque concedendum neque respondendum videbatur, res de compositione ita deducta est, ut obsidentes non minus quam obsessi circa Castelleonum totam eam æstatem consumserint. Dum hæc geruntur, Senenses quorum in fines, uti demonstratum est, totius belli summa erat translata, Gibertum Corrigianum quingentis cum equitibus stipendio conducunt. Is cùm Senas & visendi & alloquendi de bellicis rebus Urbis Magistratus gratiâ se contulisset, insimulatus proditionis, quod cum hoste primo ejus adventu conspirasset, sed advenientibus postea auxiliaribus copiis non esset ad eum transire ausus, decreto publico è prætorio præceps ejectus est, bonaque ejus publicata. Non destitit interim Alphonsus missis sæpe per Italiam legationibus, id magnopere conari, ut pro perpetua Italiæ totius quiete ab ejus Potentatibus aureûm centum nummûm millium stipendia Picinino quotannis penderentur, & divisis anni temporibus in singulorum finibus stativa militibus ejus darentur. Quam rem & Callistus ægre audiebat, & Franciscus quammolestissime ferens, sic & Regi respondebat & socios idem facere edocebat. Non decere Italicæ societatis dignitatem, ut unius miserrimi latrunculi, qui ausu temerario Italiam invasisset, tot nobilissimos potentissimosque Principatus stipendiarios effici pateretur. Neque Regis esse arbitrii, ut omni Italiæ præscriberet, & pro injuriis, maleficiisque illatis beneficia ministro scelerum redderentur. Quod ad se pertineret, nequaquam tantæ se & tam manifestæ ignominiæ assensurum. Ex quo cum facile ceteri Italici Potentatus eadem oratione Regiis legatis respondissent, quamvis Picininus Orbitellum Oppidum in ora maritima situm per proditionem cepisset, quod ei Lucas quidam Dalmata ex Venetorum peditum Centurionibus Oppidi illius præsidio præfectus tradiderat, militesque oppidanorum bonis per hyemem aluisset, exacto tamen hyemis tempore, Rex eum, restitutis Senensi Populo, quæ occuparat, Oppidis, cum copiis omnibus in sui Regni fines suâ pecuniâ alendum recepit.

Explicit Liber Vigesimusquintus.

IN-

INCIPIT LIBER VIGESIMUSSEXTUS.

A EO quod insecutum est biennio non minus à novandarum rerum suspicione quàm à quotidianis laboribus, bellorumque tumultibus quiescere Italia fere omnis (262) videbatur, cum Alphonsus Rex, cui ut ostendimus ex Italico fœdere & in Genuenses, & in Sigismundum Malatestam injuriarum agere licebat, uno ac eodem tempore (263) utrisque arma intulit. Jusso Bernardo cognomento Villamarino classis præfecto, Ligusticum mare infestare, & Palermo Neapolitano, scriptis, coactisque in cisalpina Gallia pedestribus copiis in Ligures proficisci, ut hic terra, ille mari, Johanne Philippo Flisco, B Raphaëleque, & Barnaba Adurnis adjuvantibus, sic Genuenses cives undique premerent, ut aliquando Petro Fregoso Duce pulso, Adurni, quibus cum Rex pepigerat, in Urbem, Ducatusque dignitatem admitterentur. Jacobus autem Piccininus, qui in Theatinorum, reliquisque Brutiorum Oppidis stativa habebat, adversùs Sigismundum, Frederico Urbinatum Comite plurimum adhortante, ab eo Rege bello gerendo præfectus copiis omnibus, Truentum trajecit, & per Picentes annuente Callisto, Frederico etiam velut hoste finitimo & propemodum infesto adjutore, atque duce, Sigismundi fines sub hyemem invasit. Factisque longe la- C teque excursionibus, Castella quædam munitione & præsidio infirma ultra Metaurum flumen non procul ab Urbe Fano primo adventu per deditionem occupavit. Mox nonnulla regionis ejus municipia sæpe expugnare frustra conatus est, quod Sigismundus distributis in frontibus iis, quos habebat, militibus facile se atque suos per hyemem tuebatur. At Genuensibus & intestinis discordiis laborantibus, & regio bello pressis, Petrus negatis iis sibi auxiliis, quæ sæpe à reliquis Italiæ Potentatibus petierat, in tantam rerum desperationem adductus est, ut de deserendo Urbis regimine consilium capere coactus sit. Nam adeo erat Alphonsus in D eum ira incensus, ut neque Francisci Sfortiæ rogatu, neque ullis aliorum amicorum precibus illius erga Genuenses animus, nisi Urbe à Petro ipso relicta, Adurnisque in patriam restitutis, flecti umquam potuerit. Itaque insequenti Anno ad Carolum Francorum Regem, Alphonso antiquo odio infensum, universa prope assentiente Civitate, legatos de Urbis deditione misit. Quorum operâ Johannes Andegavensis, qui ex Italia in Galliam redierat, ad suscipiendum pro eo Rege Genuense imperium deligitur. Is navibus onerariis duabus, quas ob id Genuenses Massiliam miserant, & aliis decem, quas eodem coëgerat, cum regio præsidio Savo- E næ primùm appulit. Deinde Genuam delatus, magna civium omnium voluntate atque lætitia receptus est. Deditâ Gallis Genuâ à Petro etiam, ut erat ante conventum, Arx, quam Castelletum vocant, & reliquæ ejus agri Arces sunt in Johannis potestatem traditæ. Quas ob res Genuenses sicuti mutato Civitatis statu se è Petri tyrannide liberaverant, ita quoque & bello se liberos deinceps fore arbitrabantur, cum existimarent Alphonsum nequaquam bellum cum Carolo gesturum. (264) Verùm longe aliter quam putarant evenit. Nam Alphonsus procurante maxime Petro Spinula Genuensium exulum deprecatore, non solùm bello gerendo non destitit, sed majore etiam indignatione commotus, majore studio majoribusque viribus urgere undique Genuenses instituit. Vixdum Genuæ Johannes appulerat, cum validissima regia classis non procul à Genuensi portu ad anchoras stetit. Miserat enim paulo ante Alphonsus ad Bernardum, qui in Delphini portu hyemarat, onerarias naves viginti, milite ex omni militia sua delecto egregie exornatas, & commeatu affatim refertas; triremes insuper decem navalibus sociis, & nautica turma mirifice instructas, viginti prioribus addidit. Et terrestrem Adurnis exercitum auxit, adeo ut omni fere ex parte Genuenses cives superioribus bellis attriti, multo quam antea arctius concluderentur, premerenturque. Johannes contra Genuensium navibus intra portum reductis, trabibusque insuper & catenis advenienti hostium classi oppositis cum Gallico præsidio atque militibus iisdem, qui sub Petro Fregoso meruerant mercede conductis, Urbe se continebat, & Petri ejusdem singulari solertia usus, custodiendis mœnibus intendebat. Interim Alphonsus, qui tanto studio atque ardore omnia ad premendos terra marique Genuenses paraverat, ut videretur reliquarum rerùm oblitus, gravissimo morbo corripitur. Sed tamen inter ægrotationem, quæ multorum dierum fuit, nihil earum rerum prætermittebat, quæ ei bello usui fore putaret; tantum ejus Urbis potiundæ desiderium, tanta rei hujus exspectatio incesserat. (265) Eâ anxius curâ, & vi morbi demum confectus Kal. Juliis ex hac luce migravit. Quod ubi Genuæ renuntiatum est, & obsidentium franguntur vires, & obsessis redeunt animi. Classis (266) ut erat ex diversis locis, diversisque regnis accita, ita hinc atque inde discedens, fugientium more diversas in partes devehitur. Johannes Philippus Fliscus, & Adurni terrestrem obsidionem deseruerunt. Nec multis post diebus Barnabas, & Raphaël Adurni, & quod laboribus essent insueti, & quod summo dolore ob amicissimi Regis in ipsa consequendæ propediem victoriæ exspectatione mortem afficerentur, vitæ quoque & ipsi finem fecerunt. Non tamen tanto bello liberati Genuenses respirare potuerunt. Nam ex diuturna obsidione, & cibariorum penuria, tanta pestilentiæ vis Civitatem invaserat, ut multi quotidie absumerentur. Fran-

(262) MS. visa est. Sed eo nondum circumacto biennio, quod fuit supra Millesimum Quadringentesimum & Quinquagesimum Quintum à Dominica Nativitate Annum, Alphonsus &c.

(263) MS. & adversùs Genuenses ipsos bellum terra marique renovavit, & Sigismundo arma &c.

(264) MS. quo cum etsi sibi longæ erant inimicitiæ, tamen nullum inter eos bellum intercedebat. Verùm &c.

(265) MS. ut sæpe numero suos percunctaretur, & aut maritimæ aut terrestres copiæ Genuam tamdem obtinuissent. Itaque & eâ anxius &c.

(266) MS. audita multis variisque certioribus nuntiis Regis morte, ut erat &c.

Franciscus cum haud mediocri angeretur cura ne quid adversùs Ferdinandum excitaretur, quandoquidem Neapolitanum Regnum in factiones duas Taraconensem, & Andegavensem divisum constabat, & Andegavensem proximo Johannis in Italiam adventu animis erectam rerumque novarum cupidam sciebat, id quod plurimum huic rei profuturum est ratus, quamprimum in Brutios, Apulos, Campanos, & in omnes denique Regni partes, Johannem Caymum, & Orpheum Riceum, viros rerum peritos misit, qui Proceres, Civitatesque adeuntes, infirmos ad servandam Ferdinando eorum Regi fidem adhortarentur, ac in officio permanentes confirmarent, palamque in conventibus agendis loquerentur, & renuntiarent, se nulla in re Ferdinando defuturum, eosque omnes in hostium numero habiturum, quos benivolentissimo & conjunctissimo Regi infideles, adversariosque intellexerit. Opes, vitam denique ipsam pro Ferdinando profundere paratum. Quibus quidem nuntiis factum est, ut per id temporis omnia pro Ferdinando pacata firmataque apparerent, & cuncti partim voluntariis animis, partim metu novi Regis imperio obtemperantes viderentur, præter nonnullos Nobiles, quorum animi adeo veteribus odiis erant incensi, ut armis inter sese privatim contenderent. Sed (267) Callistus Pontifex, tametsi ad Ferdinandum sine ulla controversia cuncta, ut prædiximus, Neapolitani Regni devenerant, tamen ad id ipsum occupandum pro Romana Ecclesia Regnum temere mentem animumque convertit. Literisque deinde circumquaque dimissis, Principes, Civitatesque solicitare cœpit, ut à Ferdinando sese averterent, & in pristinam Apostolicæ Sedis fidem redirent, idque ni fecissent, Ecclesiasticis censuris, pœnisque plectendos terrebat. Franciscum Sfortiam præterea, sine cujus voluntate tantam molem aggredi non audebat, cum nihil sine illius consensu atque ope proficere posse intelligeret, per ejus Oratorem apud se agentem hortari, rogareque non desistebat, multis magnisque propositis præmiis, cum se non tam Urbes atque Oppida, quæ in ipso Regno à patre possederat, & Alphonsus Rex abstulerat, restituturum, quàm partem quoque Regni dono daturum polliceretur; ut posthabito Ferdinando indigno, ut ajebat, tanti Regni successore, ad vindicandam Apostolicæ Sedis possessionem, meliorem causam foveret, seque bello gerendo socium adjungeret. Franciscus ut erat vir sapientissimus atque constantissimus vehementer admiratus stomachabatur Religionis Christianæ Pastorem, & Italici fœderis principem, hujusmodi inire consilia; præsertim quod jam rumor erat Petrum Ludovicum Borgiam, quem Nepotem appellabat, ei Regno Regem præficere statuisse. Cui præterea alia atque alia Regna ut homo admodum decrepitus, atque desipiscens pollicebatur. (268) Quamobrem continuo ad eum misso Johanne Caymo hortatur, oratque, ut sese à novandis rebus abstineret. Quod si facile negligeret, perseveraretque in ea sententia, eum etiam atque etiam monet, ut quantam rerum molem, quantamque notam subiret, quamdiligentissime secum cogitaret. Non enim esse iis viribus atque facultatibus, qui possit tantum Regnum invadere; quod possessum defensumque esset ab eo Rege, qui & potentissimus esset, & possessor pacatissimus. Pro cujus salute, amplitudineque tuenda, si quo esset à quopiam bello lacessitus, universa Italia jure optimo esset obstricta ob ejus societatis fœdera, quæ tempore Nicolai Quinti, viri sapientissimi & constituta fuerant & firmata. Quod si reliqui omnes Italici Potentatus Ferdinandum Regem desererent, vel se solum ipsum jure optimo arma sumturum, fortunasque suas omnes pro illius incolumitate, dignitateque servanda adversùs omnes expositurum, qui secus facere aut conarentur, aut tentarent. Præsertim cum intelligeret nullo jure honestissimæ rei sine nefario scelere deesse posse cum ob Societatis Italicæ fœdus, tum ob eam amicitiam atque necessitudinem, quæ vel vivo Alphonso patre sibi cum Ferdinando Rege contracta esset. (269) Quæ ubi Callistus accepit, tanta continuo est affectus animi ægritudine, ut toto vexatus corpore, ut erat jam longo senio confectus, & corpore penitus imbecillo in vehementissimam febrim inciderit, qua exhaustus, paucissimos intra dies vitam deseruit.

Callisto successit in Pontificatu Pius Secundus, patriâ Senensis, vir doctrina & eloquentia præstantissimus. Magnæ rerum mutationes extemplo ac tumultus subsecuti sunt. (270) Callistus nulli rei magis operam dederat, quàm ut Petrum Ludovicum Borgiam magnum & præpotentem redderet. Hunc cum Spoletanæ provinciæ Ducem constituisset, præerat Assisinæ Arci ejus Borgiæ nomine Gottholanus quidam, qui cum post Callisti obitum nullo pacto in ea præfectura persistere posse videret, corruptus parva pecunia (271) eam Jacobo Picinino Arcem tradidit; qui per id temporis, ut supra commemora-

(267) MS. Sed exortus est Callistus Pontifex, qui Ferdinando præter omnium opinionem, multis rumoribus atque literis, insignem injuriam atque contumeliam inferre conaretur. Unde præcipuè, & eo maximè tempore ob paterna in eum plurima & immortalia merita, non tantum & consilia salutaria, sed & præsidia sperare, exspectareque jure merito debebat. Is enim posteaquam Alphonsus vitâ excessit, tametsi ad &c.

(268) MS. Nam per superiora tempora nunc eum Constantinopolitano imperio, Mahometo Turcorum Rege vel capto, vel Græcia pulso, donare atque ornare, nunc in Cyprios regnare volebat. Quibus auditis Franciscus continuo mittit ad eum Johannem Caymum ex familiarium aulicorum ordine virum rerum non imperitum, qui Pontifici coram exponeret, se non mediocri teneri admiratione ex iis rebus, quas modò sibi per Ottonem Carretum Oratorem suum significarat, quibus etiam contra Ferdinandum Regem jam initium dederat. Quæ quidem omnia quum abhorrerent ab omni honestate atque justitia, adversarenturque tum Italicæ Societati, tum etiam jurisjurandi religioni, à quibus discedere & dedecorosum esset & impium, ejus Sanctitatem hortabatur, orabatque quibus majoribus posset precibus, ut se se ab hujusmodi novandis &c.

(269) MS. Non enim nescius erat Callistus Pontifex, carissimam suam filiam Hippolytham primogenito ipsius Regis desponsatam, & jam tamdem pro divina benignitate futuram illius Regni Reginam. Quæ ubi &c.

(270) MS. Ut enim videmus plerosque, quum ad Ecclesiasticum solium ascenderint, non quæ Dei sunt ac Romanæ Ecclesiæ, sed sua ac suorum curare, ita & ipse Callistus nulli &c.

(271) MS. ut sunt Gottholani omnes natura avarissimi, eam Jacobo &c.

moravimus, una cum Friderico Urbinati Comite bellum gerebat pro Rege Ferdinando adversùs Sigismundum Malatestam. Arcem Picininus adeptus, eò confestim omnibus copiis profectus, sine ullo labore Urbem quoque sibi vindicat. Nec deinde difficulter Gualdum, Nuceriam, aliaque nonnulla Oppida ac municipia ejus regionis in deditionem accepit. Nam cum nulli omnino essent per ea loca Ecclesiastici exercitus, facile omnes præ timore sese dedebant. (272) Pius & novus in Pontificatu, & militum & pecuniarum inops, quod Callistus in unum Borgiam thesauros magna ex parte consumserat, quos Nicolaus Pontifex congessisset, & omnibus pœne rebus destitutus animadvertit, nullam sibi viam paratiorem dari pro salute atque dignitate Ecclesiastici status, quàm ut auxilium à Francisco Sfortia Mediolanensium duce imploraret. Quippe quem ex proximis & superioribus rebus bene & prudentissime gestis, nulli rei magis studere animadverteret, quàm paci atque quieti tum universæ Italiæ, tum vel in primis Romanæ Ecclesiæ. Quamobrem confestim ad eum (273) Galeottum Agnesium Neapolitanum mittit, qui hortaretur, ac rogaret, ut Romanæ Ecclesiæ defensionem susciperet adversùs (274) communem hostem omnium, & publicum latronem, nec pateretur tantam audaciam longius in Italia invalescere, cum propter honorem nominis sui, quem non deceret hujusmodi latrocinia pati impunita, tum ob Societatis Italicæ fœdus, cui esset obstrictus (275). Quod si neque Romanâ, neque Pontificis causâ ad eam rem moveretur, satis tamen superque eum movere, excitareque debere sui ipsius liberorumque suorum, ac totius posteritatis rationem, ne eum invalescere & augeri viribus pateretur, qui aliquando ei, vel liberis ejus perniciosissimus esse posset. Franciscus, quamquam ultro constituerat Picinini ausis occurrere, (276) tamen his auditis, longe ad eam rem alacrior, ac promtior redditus, Thomam Tebaldum Bononiensem ad eum legatum mittit. Monet, hortaturque, ut à cœptis desistat, nullum maleficium, nullam injuriam Ecclesiæ rebus inferat. Urbes atque Oppida quamprimum Pio Pontifici sponte restituat. Id enim longe majori laudi ei futurum, quàm si facere invitus cogeretur. Non enim passuram Societatem Italicam, ut ullo prorsus incommodo, ullave molestia Romanam Ecclesiam afficeret. (277) Quod si ceteri paterentur, se solum ejusmodi vim vindicaturum. Recordaretur quæ proximis annis in Etruria passus esset, cum adversùs Senenses nullo jure arma movisset. Itaque multo minus hoc tempore defuturum se tanto incommodo ac necessitati Sedis Apostolicæ, nec ob imminentem hyemem cunctaturum, quominus è vestigio tantas copias mitteret in Etruriam, ut nullo is loco consisteret; præsertim quod certo sciret, neminem fore, qui Ecclesiæ hostem in suam ditionem admitteret. Quibus Picininus auditis, veritus ne idem sibi accideret, quod in agro Senensi expertus fuerat, sentiensque per Antonium Pisaurensem Regium legatum, eadem esse mente Ferdinandum Regem, cujus stipendio merebat, etsi eum non admodum pertimescebat, quod & novus esset in Regno, & ipse potius auxilio egeret, quàm cuiquam afferre posset, paruit adhortationibus Francisci. Rebusque omnibus Romanæ Ecclesiæ restitutis, in Flaminiam rediit contra Sigismundum in bello perseveraturus. Pius tanto periculo calamitateque unius Francisci Sfortiæ beneficio liberatus, constituit erga eum uti omni animi gratitudine; quem ut in perpetua amicitia sibi servaret, cum intelligeret ei se facturum rem pergratam, si ea non prosequeretur adversùs Ferdinandum Regem, quæ temere Callistus aggressus fuerat, postulante ac rogante eodem Francisco, citerioris Siciliæ Regnum Ferdinando confirmavit. Missoque Latino Cardinali Ursino, eum corona Regni illius insignivit, ea tamen conditione, ut Beneventum atque Terracinam, quas Alphonsus pater occuparat, Romanæ Ecclesiæ restitueret. Ita unius Francisci Sfortiæ beneficio Rex Ferdinandus, quod Alphonso patri contigit numquam, (278) coronam à Pio Pontifice accepit, id quod Carolo Francorum Regi, & Renato molestissimum fuit. Et id sane Pii beneficium fuit in causa, ut Rex Ferdinandus per spuriam filiam generum sibi admitteret Antonium humili natum genere, utpote ex sorore ipsius Pii, quem

etiam

(272) MS. Hoc igitur pacto quum vidisset se Pius & novum in Pontificatu, & perexiguis militum viribus, nec multis abundare pecuniis, quod Callistus in unum Borgiam thesauros magna ex parte consumserat, quos Nicolaus Pontifex præcessor in ærarium Divi Petri maximos congesserat, & omnibus pæne rebus destitutus, quum nesciret quo consilio tanto rerum discrimini occurreret, animadvertit &c.

(273) MS. legavit virum callidum ac peritum Galeottum Agnesium, patriâ Neapolitanum, qui eum hortaretur &c.

(274) MS. Jacobum Picininum, qui esset & communis hostis omnium, & publicus quidam latro, atque sicarius. Quare nec pati vellet tantam injuriam, contumeliamque longius in &c.

(275) MS. Turpissimum enim esset, & maxime dedecorosum, conductitium quemdam militem, eumdemque prædonem atque latronem, spectante Italia, Ecclesiæ Urbes & fines occupare & depopulari. Adderetque etiam eo illum oportere in hanc rem esse propensiorem, quod non esset conducturum Sfortianæ Familiæ rebus, ut in Ecclesiastica ditione Braccianus quispiam caput extolleret, ac magnus & præpotens fieret. Quod si neque &c.

(276) MS. ne locis, rebusque Ecclesiasticis molestior fieret, tamen his auditis, quæ Pius Pontifex nuntiarat, ac petierat, longe ad eam rem alacrior ac promtior est redditus. Quare quum nosset, Thomam Tebaldum Bononiensem esse Picinino summa familiaritate conjunctum ac benivolum, hunc ad eum legatum mittit &c.

(277) MS. Quod si ceteri etiam socii paterentur, eum se futurum, qui vel solus ejusmodi vim atque maleficium ulcisceretur. Nec enim oportere, Comitem Jacobum esse oblitum, quæ proximis &c.

(278) MS. ejus Regni coronam solemnitate publica à Pio Pontifice accepit. Id quod cum Carolo Francorum Regi, tum & Renato Regi, cujus maxime jus illius Regni intererat, molestissimum fuit. Quare Ferdinandus, ne tanti beneficii ingratus videretur, per filiam non ex uxore susceptam Antonium ex Pii ipsius sorore natum sibi generum admisit, quem etiam &c.

etiam Amalfitano Ducatu, & Celani Comitatu donavit. (279) Pius Italiæ rebus compositis, majora quædam pro religione & gloria Christianæ Reipublicæ moliens indici, constituique Principibus omnibus Christianis conventum in Urbe Mantua jubet; quo cum universa Romana Curia ex Urbe Roma mense Januario digressus ad Junium tamdem pervenit. (280) Franciscus Galeatium ex filiis majorem natu cum delecta equitum peditumque manu Florentiam usque Pontifici obviam misit. Hoc tum ejus honori datum, tum præcipue perspectum est, ne quid Bononiæ tumultus adventu Pontificis excitaretur. Mantuam verò ubi venisset, Pius imprimis à Francisco literis, atque nuntiis petiit, ne huic tantæ tamque præclaræ rei ipse, quem unum plurimi faceret, deesset. (281) In ejus enim auctoritate ac præsentia tantum momenti fore, ut proposito suo magnum adjumentum afferret. Franciscus quo & Pontifici gratificaretur, & intelligerent omnes in eo moram nullam esse, quo minus ex Pontificis sententia recte prospiceretur Religioni & Fidei Christianæ, Mantuam cum pulcherrimo (282) ac amplissimo comitatu proficiscitur. Incredibile dictu est, quanto honore exceptus fuerit tum à Summo Pontifice, Cardinaliumque Collegio, tum à Ludovico Marchione. Sed postquam ei Senatus datus est, sedente ipso Pontifice cum cœtu Cardinalium, ac omnium primorum Sacerdotum, convocatis omnium Christianorum legationibus, quæ non ex Italia solùm, sed & tota Europa convenerant, habita est nomine ipsius Francisci Sfortiæ gravissima, elegantissimaque oratio à præstantissimo & eloquentissimo Oratore, eodemque Poëta Francisco Philelpho; qua propositum primùm Pontificis laudavit, mox adversùs Turcas omnem operam pollicitus est. Sed ubi Pius in Templo maximo ornatissimam habuisset orationem ad incitandos pro bello omnium animos adversùs Mahometum Turcarum Imperatorem suscipiendo, omnes quotquot interfuere, assenserunt, præter Venetorum legatos, quod dicerent se esse Turcis finitimos multis in locis. Quamobrem nullo pacto eorum esse sententiam decernere bellum adversùs Turcas, ni prius aperte viderent Christianos Principes ad id suscipiendum bellum cum copiis & terra & mari convenisse. Sed posteaquam publice est decretum de bello suscipiendo, & Franciscus ipse præterea cum Pontifice ex communi sententia convenisset de ferendo Ferdinando Regi auxilio, quoniam jam inde dubitabatur de Regni illius procerum inconstantia, infensoque in Regem suum animo, præsertim cum rumor esset, Johannem Andegavensem ab illis accersitum, Franciscus Mediolanum it. Pius Pontifex post paucos menses in Etruriam revertitur, atque annum fere patriæ amore ductus, Senis egit. Dum hæc per Italiam geruntur, extinctâ Genuæ pestilentiâ, quæ, ut supra docuimus, Civitatem in ipso prope Siculi, Hispanicique belli ardore invaserat, reversisque in Urbem civibus, & de instaurando Reipublicæ statu agitatum est, & Johannes, qui exhausto ærario publico, pecuniæ inopia premebatur, quod publica stipendia, Civibus pluribus absentibus, exigere non poterat, ad privatos Cives conversus, pecunias mutuo accipiebat. Quæ cum ad alendos milites, quorum magnum adhuc numerum propter exulum metum intra Urbem retinebat, minime suppeterent, misit Danielem Henricum Neapolitanum ad Franciscum, qui ab eo peteret pro Caroli Regis, & Renati patris commodo (283) pecuniam mutuo, qua regiam Urbem à nonnullorum perfidia tamdiu servare posset, quoad ex Gallia suppetiæ mitterentur. Franciscus qui in largiendo nostra memoria pro facultate nemini hominum cessit, (284) quamvis Gallicæ potentiæ vicinitas sibi ingrata & suspecta erat, grandem Johanni pecuniam dono misit. Interim Petrus Fregosus jam Novas abierat, quod Oppidum cum Vultabio pignoris loco pro earum pecuniarum parte, quæ sibi pro Genuensi Arce Regi tradita debebantur, in potestate retinuerat. Qui cum jam promissæ

(279) MS. His rebus ita pacatis atque constitutis, Pius quum animadverteret jam nihil sibi esse in Italia pertimescendum, majora quædam animo est aggressus, ut initium faceret pro religione & gloria Christianæ Reipublicæ belli movendi adversùs Turcos. Ii enim post Constantinopolitanæ Urbis captivitatem multo insolentiores facti quàm antea, maximis copiis, longe lateque vagantes, Italiam versùs omnia populabantur. Pius ergo longe audentior, animoque erectior, quàm superiores Pontifices, qui vel metu vel avaritia vel etiam negligentia nullum tam egregium facinus ausi sunt, indixit, constituitque &c.

(280) MS. Cui quidem Pontifici Franciscus & honorandi ejus & tutandi gratiâ, utque prospiceret præterea saluti atque rebus factionis Bentivolæ in Urbe Bononia primariæ, obviam misit Florentiam usque Comitem Galeatium Mariam primogenitum suum cum electa militum manu, belli ducibus, & multa nobilitate. Mantuam verò ubi venisset, accersitis Principibus, Rebusque publicis Italiæ, Pius in primis &c.

(281) MS. quum diceret, is si abesset, nihil omnino in eo conventu decerni posse, quorum gratiâ & ipse venerat, & is fuerat constitutus. In ejus enim &c.

(282) MS. cum pulcherrima ejus curia, nobilibusque plerisque viris comitantibus proficiscitur. Quò ubi venisset, incredibile dictu est, quanto cum honore ac jucunditate exceptus fuerit tum à Summo Pontifice, tum à Ludovico Marchione, tum à tota Pontificis Curia. Ubi verò & Pontifex ipse pro solio, Cardinalesque omnes ac Principum Oratores in magna nobilissimorum hominum, Prælatorumque frequentia consedissent, habita est nomine ipsius Francisci gravissima elegantissimaque Oratio à præstantissimo & eloquentissimo Oratore, eodemque Poëta Francisco Philelpho. Qua & ipsius Pontificis mentem atque institutum summis extulit laudibus, & eum ad bellum suscipiendum adversùs Turcos gravissimis sententiis est adhortatus. Interfuerunt autem in eo conventu omnium Principum Italiæ, Rerumque publicarum legati. Nam ex ipsis Principibus venit nemo. Quin Mutinensium Dux Borsius quum esset in propinquis locis, eo venire detrectavit. Quod idcirco factum ab eo creditur, quoniam dedecori sibi duceret, quod non ita splendide ac regaliter eum in locum posset prodire, ut Franciscum Sfortiam audierat. Cui misere invidere numquam destitit, & cœptis ejus omnibus adversari. Etsi, quod in superioribus commentariis ostendimus, multo inferior usque apparuit. Transalpini autem, qui vocantur Reges ac Principes, nulli ipsi interfuerunt. Legatos tamen miserunt omnes. Sed ubi Pius &c.

(283) MS. de quorum dignitate maxime agebatur, ea pecunia se juvaret, qua regiam &c.

(284) MS. & in miserorum inopiæ atque calamitati subveniendo pientissimus, munificentissimusque semper fuit, quamvis Gallicæ &c.

missæ pecuniæ minime solverentur, verba indignationis plena jactare cœpit; & ob id fratres, gentilesque ejus ex Urbe discedere jussi sunt. Quæ res Johanni, Genuensibusque, qui Gallorum rebus favebant, in dies suspicionem metumque augebant. Itaque cum esset Novis Petrus gravi in Gallos ira commotus, Mediolanum sæpe ad Franciscum mittebat, non tam de Genuensibus quàm de Johanne graviter querens, quod quæ sibi deberentur pecuniæ, minus ut conventum erat, dependerentur, suique essent Genua ejecti. Et ob id nullis teneri legibus neque Carolo Regi, neque Genuensibus ipsis dicebat, esseque sibi in animo fixum, si pecuniæ aliquæ humana ope suppeditarentur, in Genuenses bellum suscipere, nec dubitare Johanne invito, quin paucis diebus in Genuam introducatur, & in Urbis Principatum rursus admittatur, civibus, agrestibusque viris suæ factionis extra, intraque mœnia faventibus. Franciscus his sæpius auditis, etsi ut supra ostendimus molestissime ferebat (285) Gallos tam præclaræ, tam opulentæ, tamque sibi proximæ Urbi dominari, atque eo magis, quod nullo secum ea de causa communicato consilio Andegavenses, quibus veteri & singulari amicitia junctus esset, Genuensium rerum pro Carolo negotium suscepissent. Tamen nolens quicquam committere, quod contra regium nomen esset, rem ad Ferdinandum, ad quem maxime pertineret, defert. Inter hæc Johannes etsi jampridem ad res Neapolitani Regni animum intenderat, tamen eo majore studio ad eas incenditur, quo in tam nobili Italiæ Urbe Genua, & maritimi belli gloria excellenti pedem firmasset, quæ majoribus suis ad id parandum Regnum semper aditum præbuisset, & magno sæpe adjumento fuisset. Cujus opportunitate facile sperare posset, se etiam Regnum ipsum aliquando consecuturum, eo præsertim tempore, quo Alphonso Rege mortuo, illius Regni Principes Populosque simul fluctuare animis, palamque inter sese dissentire audiebat; quorum plerique ad suscipienda adversùs Ferdinandum arma, eum & adhortarentur, & incitarent.

Quibus rebus, quæ ad proficiscendum, bellumque gerendum pertinerent, summo studio parare constituit. Sed prius Franciscum Mediolanensium Ducem reconciliandum putabat, quem sibi infensum ex Danielis legati literis cognovisset; propterea quod de suo Genuam adventu nihil ante communicasset. Et magnopere deinde studendum, ut illius animum à Ferdinandi amicitia averteret & suæ partis faceret. Itaque duos & patris & suo nomine legatos ad eum mittit Franciscum Pancratium Massiliensium Præsulem, & Johannem Coxam, de quibus in superioribus commentariis mentionem fecimus. (286) Hi eam, quam cepisset Franciscus de Johanne indignationem molire, atque ex illius animo eluere multis huma-

A nissimis lenissimisque verbis conati sunt. Deinde constituisse ajunt Johannem per oblatam hoc tempore occasionem, paternum Regnum, quo à multis vocaretur, armis repetere (287): rogare, orareque ob id eum, qui Andegavensi Familiæ longa singularique necessitudine semper junctus fuisset, pro cujus etiam amplitudine Sfortia pater periisset, neque ipse modò, sed etiam consanguinei omnes servandæ ejus necessitudinis causa à communi hoste patrimonio, bonisque omnibus spoliati fuissent, ut omisso Ferdinando, qui novus esset in amicitia, in antiquum Domus Andegavensis hospitium rediret, illiusque justissimam causam susciperet. Eoque pacto

B acceptas ab Alphonso injurias ulcisceretur, & non solùm à patre relictum reciperet, verùm universum Neapolitanum Regnum, si ita vellet, sibi posterisque suis pararet. Constituisse enim Renatum Johannemque filium, titulo tenus regium nomen retinere. Cetera in Francisci potestate relinquere. Neque rem tanti momenti ob depactum Hippolythæ filiæ conjugium Ferdinandi filio perturbari debere, cum mulieris ætas viro prorsus dispari, natuque longe minori, minime consentaneum faceret, atque jam tunc Johannem ut nova necessitudine antiqua amicitia confirmaretur, se Hippolythàm desponsurum. Multa in Ferdinandum ipsis hæc

C exponentibus legatis, quod eo Regno, eaque affinitate esset indignus objectando, ac nullam prorsus conditionem, quam Franciscus ipse optasset, excipere, modo Johanni auxilio foret. Postremo si qua forte causa ad recuperandum Regnum Andegavensibus favendum sibi non videretur, saltem se belli spectatorem præberet, neutram in partem inclinans, operamque daret, ut Pius Pontifex, qui jam cum Ferdinando sentire videbatur, idem faceret. Legatis, ut facere jussi fuerant, postridie ejus diei reversis Franciscus respondit. Ad mutuam, veteremque amicitiam, quæ Andegavensi Familiæ cum Sfortiana semper fuerat, maxime pertinuisse,

D cum primum Renatus, Johannesque Genuensibus rebus, quibus ipse proximus esset, animùm applicuerunt, aliquid sibi significare. Sed quamquam se velut hostem caverant, Renatum tamen quemadmodum antea semper patris, & Johannem fratris loco habuerat, ita se in reliquum tempus habiturum. Quæ de invadendo Neapolitano Regno nuntiassent, sibique ut à præstandis Ferdinando auxiliis abstineret, suasissent, eos prudentissimos esse, alieno consilio non egere. Tamen amice monere, si arma Ferdinando intulissent, se jure Italici fœderis (288) ita esse obstrictum, ut quoties ab ipso Rege

E posceretur, arma pro eo sumeret, eorum omnium futurus hostis, qui Ferdinandum bello lacesserent. Nec dubitare idem facturos ceteros Italiæ Potentatus pari vinculo obstrictos. Itaque quamdiligentissime ab iis animadvertenda omnia prius esse, quàm desti-

(285) MS ut gens peregrina & barbara Gallica præsertim, quæ de sui natura insolens & superba est, & regnandi cupida, tam præclare &c.

(286) MS. viros quidem præclaros, & in paterno Senatu Principes. Hi ubi ad Franciscum venerunt, facta loquendi potestate primum unà cum Daniele, qui tertio legationis apud Principem ipsum munere fungebatur, eam, quam cepisset Franciscus de Johanne, qui eo insciente Genuam accessisset, indignationem &c.

(287) MS. quum non dubitaret, vindice justitia, & amicis adjutoribus, brevi futurum, ut in patrias sedes restitueretur; rogare &c.

(288) MS. cujus Johannes non erat ignarus, quandoquidem cum percuteretur, Florentiæ ageret. A quo non sine magna ignominiæ nota discedi poterat, ita esse obstrictum, ut non solùm spectator non foret, sed quoties ab &c.

stinata conarentur, & summa pace quiescentem Italiam novo bello incenderent. De affinitate quam Johannes pollicebatur, non videre quo jure ab ea discedere posset, quam per jurisjurandi religionem cum Alphonso firmasset. Nam etsi filia ætate virum anteibat, tamen conjugium rescindi non licere, quod mutua voluntate esset contractum, annis amborum plane antea utrisque cognitis. Quod si ob eam causam à conventis discedendum putaret, nemo sane esset, qui eum non tunc, sed initio usque ubi de ea affinitate ageretur, impuræ & fraude corruptæ mentis fuisse judicaret. Malle igitur mori, quàm tantam infamiæ labem subire, cum nihil sibi honore carius esset. Ad hæc legati cum multa nequicquam repetissent, Genuam legatione irrita magnaque animi ægritudine rediere. At Ferdinandus oblatam tam opportuno tempore rei Genuensis perturbandæ occasionem, nihil cunctatus, eo animo arripuit, ut nulla in re quoad posset, Petro deesset, quo Galli ejus consilio atque virtute Genua, Ligusticoque mari procul pellerentur. Nam eo majore cura angebatur, quod virum sibi æmulum in vicina & præpotenti Urbe præsidem esse, ubi arma, viri, classesque facile in suam perniciem comparari possent; quo Alphonso ejus patre imperio, opibus, & auctoritate inferior esset, qui etsi tot regnis potentissimus erat, tamen præterita revolvens animo, ægre ferebat, ut Galli Genuam possiderent, & in Italia Andegavensium nomen inveterasceret, cum quibus toties de Regno contendisset. Itaque Petrus accepta à regio legato pecunia, quam mutuo Mediolani coëgerat ex omnibus Civitatibus Francisci, equites peditesque veteranos partim ex iis, qui sub Tiberto Brandolino militabant, partim qui nullo alieno stipendio tenebantur, conducere festinat. Ita paucis diebus tot apud Novas milites convenere, quot adversus Genuenses bello gerendo usui fore censuerat. Quibus rebus cum rumoribus tum nuntiis Genuæ cognitis, gravis ad Franciscum querela à Johanne per Danielem legatum delata est, quod ex Civitatibus, finibusque ejus Petrus Fregosus rebellis regius pecuniam habuisset; quod conducto milite contra regiam Civitatem exercitum parasset; quod arma, tela, & quæ bello necessaria essent, comparasset. Hæc etsi hactenus satis perspecta fuissent, quorum consilio, operaque gererentur, tamen dissimulasse. Nunc verò amplius cunctandum non putabat, quin omnia Regi à se renuntiarentur, cujus auxilio Urbem ei dedititissimam, cui ipse præesset, facile ab æmulorum, rebelliumque insidiis tueri posse non dubitabat. His expositis Franciscus brevì oratione legato respondit. Cum nullis gentibus sibi bellum esse, nulli præter Italicos socios hoc tempore aliquibus legibus teneri, se cum mortalibus cunctis pace uti, per suos fines omnibus patere aditum. Si Ferdinandus Rex pecunias Mediolani per argentarios comparaverit, si Petrus Fregosus ejus pecunia militem in sua ditione conduxerit, cuinam injuriam fecisset, se non intelligere. Idem, si vellet, Johanni ipsi licere. Quod ad Carolum Francorum Regem querimoniam de se facturum dicat, neque id vereri, quo minus se à sua libertate, à sua consuetudine amoveret. Scire

A

B

C

D

E

prudentissimum Regem, si vera ad eum relata fuerint, pro sua justitia & æquitate nihil à se factum, nisi quod justum, honestumque sit, judicaturum. At Petrus coactis, ut prædiximus, copiis, percussoque cum Johanne Philippo Flisco fœdere, qui cum Gallorum dominationem odisset, illorum imperium subire noluerat, Novensium ex Oppido movit. Et superato Apennino, per Genuensium agrum progressus, in Albario Vico haud amplius duobus passuum millibus à Genua consedit. Johannes etsi non parvo militari præsidio muniebatur, Populusque omnis favere Gallicis rebus putabatur, Urbe tamen se continebat, tum quia hostis equitatu prævalebat, tum maxime quia non satis tutum videbatur, imperitam multitudinem cum veterano peditatu, & tanto equitatu conferre. Levia tamen prœlia quotidie committebantur. Interea literis, nuntiisque, & postremo missis legatis, à Carolo Rege impetrarant Genuenses, ut Rainaldus Astensis præfectus cum equitibus trecentis Genuam proficisceretur, & Renatus ex Provincia totidem delectos pedites eodem mitteret. Itaque Petrus anteaquam regia præsidia Genuam pervenirent, aditum in Urbem interdum insidiis, interdum admotis noctu muro scalis tentare, interdum totis copiis mœnibus appropinquare, cives terrere, exspectare, si qui forte motus intra Urbem excitarentur. Sed tanta erat & ad servandam Regi fidem civium voluntas, tantus ad tuendam adversùs exules Urbem consensus, tantoque universa prope Civitas odio in Petrum exarserat, ut cum omnes die noctuque armati excubias agerent, nemo umquam inventus sit, qui perfidiæ accusaretur. Et jam Rainaldum cum multo minore equitum numero, quàm fama esset, movisse ex Astensibus afferebatur, cum Petrus, & Johannes Philippus exercitum Urbi propinquius admovebant. Nec tamen Johannes pugnandi potestatem faciebat, sed sagittariis in mœnibus, vicinisque ædificiis dispositis intra Urbem consistebat. Ferunt Johannem Philippum ostentatione quadam, & juvenili ardore ductum, ad suburbia propius quam par esset accessisse; ubi in latus Colubrina trajectus, in castra ægre reductus, intra paucas horas excessit è vita. Quo mortuo, in Petrianis castris insequenti nocte tumultuatum est. Nam Orolandus, Hybletusque Johannis Philippi fratres, & Jacobus alterius fratris filius, inter sese dissidentes diversis itineribus Fliscorum Vicos, qui in Johannis Philippi fuerant potestate, petiere, ut quæ quisque posset, aut per voluntariam deditionem, aut per vim, aut per insidias sibi vindicaret. Quibus cum milites multi de exercitu abierunt, multique præterea orientalis Genuensis oræ municipes, qui Fliscum secuti erant, castra deseruerunt. Quod cum animadvertisset Petrus, veritus, ne Rainaldi cum novo equitatu Genuam adventu; qui jam Savonam pervenisse dicebatur, diminuto exercitu impar hostium viribus esset, adactis per noctem mœnibus scalis, non tam rei bene gerendæ fiduciâ, quàm ut inde fugam dissimularet, excubiis sentientibus, intempesta nocte castra movit. Et instructo agmine Segestam profectus Insulam ejus Vici, qui Arcem ac portum habet, defendentibus paucis vi cepit. Inde Clavarum rediens

diens, quod est Oppidum situ, munitione, & Populo non ignobile, oppidanos & blandis verbis, & pollicitationibus in suas partes traxit. Interim Rainaldus cum manu equestri Genuam pervenerat; sed non multo post cum parum usui equitatus in lapidosis montibus, scopulisque fore putaretur, consumto accepti stipendii tempore, unde discesserat, remeavit. Et nihilo tamen secius magno omnium consensu insequi hostem Genuæ constitutum est, cum Delphini portum, Insulamque Segestæ recuperare maxime necessarium videretur. Sed maritimarum Arcium expugnatio sine navali ope perdifficilis admodum existimabatur; quod Ferdinandus, uti demonstratum est, classe, milite, pecunia exules magno studio juvabat. Itaque inventâ ex civium tributis pecuniâ, placuit triremium decem, & onerariarum navium duarum classem parari. Qua confestim instructa, eique Johanne Coxa præfecto, missisque terrestribus copiis, Arx Delphini portus recepta est, & Clavarum deinde Oppidum, Segestæque Insula in Genuensium potestatem rediere. Petrus ubi vidit non posse in Genuensibus diutius consistere, deficientibus ad Genuenses iis quotidie incolis, quibus maxime confidebat, dimisso in Longobardorum fines exercitu, per Appenini montis cacumina iter faciens, Novas remigravit. Relinquebatur omnino ad victoriam Naulum Occidentalis oræ Oppidum, quod Johannis Carreti Finariensis præsidio tenebatur. Et cum loci natura & auxiliorum propinquitate id facile Oppidum defendi posse putaretur, visum est, per eam tempestatem illius oppugnationem intentatam relinquere. Sed fortuna, quæ plurimum in bello valet, sine ullo fere labore præstitit, quod perdifficile factu omnes judicabant. Nam exarmata Genuensium classe cum duodecim Ferdinandi Regis triremes, Villamarino duce, Ligusticum mare infestarent, & sumendorum cibariorum causâ in Naulensi portu starent, decretum est Genuæ rursus classem instruendam, quæ nihil hostile metuentes regias naves de improviso invaderet. Itaque dimissis per viarum angustias custodibus, clausisque Urbis portis, ne quis posset, quæ Genuæ agerentur, hostibus enuntiare, mira celeritate reficiuntur, instruunturque triremes decem. Et quod vix credi possit, cum aliquas in salum deducere necesse fuerit, armis, remis, velis, virisque, & omni necessario apparatu intra exiguum temporis spatium instructæ, intempesta nocte solverunt, & ventis prospere flantibus, in hostium conspectum sub lucem primam pervenerunt. At Villamarinus ubi hostilem classem conspicatus est, rei novitate perterritus, præcisis anchorariis rudentibus, fugæ in altum se mandavit; qui cum agilitate navium prævaleret, remorum beneficio ab ingenti imminentique se periculo exemit. Quem Genuenses aliquamdiu frustra insecuti, Naulensem in portum rediere, & primo impetu Urbem, Arcemque expugnaverunt. Nam tanta celeritate hæc gesta sunt, ut Carretus subsidia laborantibus Naulensibus mittere non potuerit.

His rebus gestis & Genuensis Civitas omnis cum maritima ora quiescebat, & Johannes ad destinatam recuperandi Neapolitani Regni expeditionem animum cogitationesque omnes convertit. Erantque plerique Regni ejus Principes, qui Johannem ipsum cum literis tum nuntiis, ut in Regnum trajiceret, adhortabantur. Præter ceteros Johannes Antonius Tarentinorum Princeps, qui & auctoritate & opibus reliquos anteibat, non adhortabatur modò, sed pollicitationibus multis incitabat. Johannes ne recipiendi paterni regni occasionem prætermitteret, cunctandum sibi amplius non putavit, ut & bellum adversùs Ferdinandum susciperetur, & quæ ei bello usui forent, conquirerentur. Jamque Renatus Rex, ne suæ causæ deesse videretur, classem triremium duodecim Massiliæ parabat, pecuniasque filio se missurum dixerat. Multi etiam Carolum Francorum Regem pecunia, adhortationibusque Renatum cognatum suum ad id suscipiendum conficiendumque bellum adjuturum affirmabant. Præterea cum à Genuensibus quoque Johannes auxilium petere statuisset, convocato Senatu & Civitatis primoribus, se ex patriis sedibus inquit Genuam advenisse, ut amicam Urbem, aut amicum Populum tot mutuis beneficiis sibi conjunctum à servitute, à calamitate liberaret, sublevaretque. Nunc quiescente Republica habere in animo paternum Regnum armis repetere, seque proinde eo cum exercitu velle transire. Si Genuenses aliter censeant, malintque, ut remaneat, spem omnem, quæ de recuperando Regno sibi in præsentia offerebatur, in aliud tempus dilaturum, ut regiæ causæ, & Genuensi quieti consulat. Sed cum maxima præteritorum bellorum pars, quibus multis magnisque sæpe incommodis Genuenses affecti sunt Ferdinandus sit, eos melius quieturos, si is domestico bello, intestinoque incendio impeditus, atque implicitus distineatur. His adjecit commoda & dignitates, quæ Genuensibus ipsis perventuræ essent, si ea Italiæ pars omnium fertilissima, & Genuensibus admodum vicina in suam potestatem redigeret. Hæc & ejusmodi eorum, qui aderant, sententia comprobantur. Postero die habito Senatu, & majore civium numero in concilium accersito, reque proposita, omnium sententia Johanni triremes decem cum trimestri stipendio decernuntur; quæ Coxa præfecto Massiliensi classi conjunctæ Johannem suosque in Regnum deferant. Additæ tres onerariæ, quibus equi & impedimenta omnia devehantur; millia præterea aureûm nummûm sexaginta ex iis pecuniis, quæ ex divi Georgii ærario in sumtus publicos erogari plerumque solent. A multis quoque Civibus Johannes pecunias mutuo impetravit, & tanta apud Genuenses omnes gratia valebat, ut multi sponte pecunias attulisse ferantur. Jam utraque classis in portu stabat instructa, atque omnia ita parata erant, ut nihil morari profectionem posse videretur. Et Ludovicus Valla novus præses à Rege designatus cum equitatu peditatuque Gallico Genuam pervenerat. Cum interim nuntiatur, Petrum Fregosum rursus equites peditesque scribere, novumque exercitum & priore validiorem comparare. Nec ea res vana. Nam Ferdinandus cum nulli rei magis Johannem studere intelligeret, quàm ut in Regnum, quo à multis clam vocari suspicabatur, cum viribus transiret, optimum judicavit, si illi à Genua recessus eo tempore impediretur. Ad quam rem conficien-

ciendam nulla aptior via offerebatur, quàm ut Petrus Fregosus licèt superiore conatu nihil profecisset, rursus in Genuenses immitteretur. Ob id repræsentatæ Mediolani pecuniæ, quæ ad reficiendum denuo exercitum satis viderentur. Petrus coacto exercitu, in Porciferæ Vallem descendit, castraque non longius quatuor passuum millibus à Genua posuit. Johannes (289) mœnibus custodes disponit, ipse quod superiore proximo bello fecerat, Urbe se continet. Petrus contra, cum jam autumni tempus adventare videret, invadere Urbem, prœliique fortunam experiri decrevit, veritus, ne si Porcifera amnis imbribus augeretur, non facilis esset illac futurus exercitui transitus. Præterea milites exacto stipendii tempore, ægre sine pecuniis retineri in castris poterant. Cumque missi sæpe exploratores renuntiassent nullum patêre in Urbem aditum, excubiis ubique vigilantibus, occasionem magis ejus capiendæ Urbis exspectabat, quàm inveniebat. Interim missa à Genuensibus utraque classis est ad insequendas Ferdinandi naves, quæ Labornam usque delatæ dicebantur. Qua re cum magna præsidii parte nudatam esse Urbem Petrus cognovisset, nequaquam tantam rei gerendæ opportunitatem prætermittendam duxit. Jam tertius decimus agebatur Septembris dies, cum per noctem dispositis inter virgulta juxta Urbis mœnia delectis militibus, jussisque occultare arma, vocemque supprimere, & signum exspectare, ipse mœnia silentio circumibat; & quid à vigilibus ageretur, explorabat. Et cum rariores jam custodes animadverteret, eorumque voces lassitudinem, somnumque indicarent, mittit, qui extemplo exercitum omnem armari, ad seque silentio venire juberent. Adactisque interim mœnibus scalis, qui in occulto aderant, milites conscendere murum imperat. Primi secundique sentientibus nullis, in muro constiterunt. Cumque jam satis magnus militum numerus intromissus videretur, dormientes custodes fugare, & terrore omnia complere cœperunt. Fractoque qui propinquus erat, postico, reliquos sibi socios adjungunt, proximumque mœnibus collem, quem Petram Minutam vocant, in Urbe occupant. Jam hostes adesse, & intra mœnia penetrasse per Urbem conclamabatur. Johannes missæ Pisanum in portum classis, consilium damnans, ne territus videretur, alacri vultu confestim arma capit, suosque armari, & demandatam stationem servare jubet; veritus ne alia quoque parte hostis irrumperet. Ipse omni suorum militum, civiumque nonnullorum conatu in hostes proficiscitur, atque in eo Urbis loco consistit, quem Vastatum appellant, quod non satis tutum montem subire videbatur, si hostes in planum descenderent, cum præsertim universum Petri exercitum intra Urbem penetrasse intelligeret. Sed faciebant nocturnæ tenebræ, ut Petriani milites minus late vagarentur. Missilibus ob id tantummodo pugnabatur; cumque dubia victoria certaretur, inter spem metumque contendentium res erat. Petrus in Urbe motus tumultusque à sua præsertim factione excitari exspectabat. Johannes, ne id in tanto rerum discrimine eveniret, magnopere timebat; sed præter utriusque opinionem magnum, ne dicam insolitum eo tempore, Genuensis Populus de se fidei experimentum præbuit, nullo in Urbe tumultu orto. Postquam dies illuxit, commissum est pro loci natura prœlium atrox. Petrianis munimento collis erat. Galli cum premerentur, intra vetera mœnia refugiebant, quos Arx etiam Castelletti Vastato imminens tutabatur. Nam inter gemina urbis mœnia, nova scilicet, quorum partem Petrus obtinebat, & vetera, quæ in Johannis erant potestate, utraque versabatur acies. Fertur multos desperatâ victoriâ, Johanni suasisse, ut in Arcem cum suis se reciperet. Quod consilium cum ipse nequaquam adhuc capiendum esse diceret, & vultu & oratione victoriam quasi præsagisse visus est. Petrianos inter milites rumor exoritur, Adurnorum per Urbem nomen conclamari. Jamque eo ipso tempore in portu ex locis superioribus Paulus ex Adurna familia trireme ad Urbem navigare conspicitur, quem Johannes eo consilio ex rure accersiverat, ut factionem Adurnam eo principe partium studio Fregosæ opponeret, seque facilius adversùs hostes tueretur. Quod hæ factiones duæ de principatu sæpe in Civitate contrario studio mutuisque odiis inter sese decertare consuevissent. Quam quidem rem ubi Petrus intellexit, gravi dolore affectus, & suis pæne rebus desperans, descendere de colle, adoririque hostem instituit. Quod non bono eum consilio fecisse constat, cum ex tutissimo loco, ubi se cum ingenti hostium terrore & desperatione continebat, in fortunæ casus se temere objecerit. Sed fecerat res nova, ut homo gloriæ, regnandique cupidus, non ratione sed impetu moveretur. Nam verebatur, ne suo suorumque labore atque periculo adversariis in Civitate principatus, de quo sæpe illos ejecerat, pararetur. Itaque statim cum delecta militum manu occidentalem Portam, quam Beati Thomæ nuncupant, eo animo petit, ut & portam ipsam præsidio muniret, & Ludovicum Vallam cum Gallorum manu in Sancti Thomæ ædibus stabulantem aut caperet, aut inde pelleret, ne quem post se hostem relinqueret, quo tutius universis copiis Johannem aggredi posset. Sed aliter quam putarat sors, prœliique eventus tulit. Ludovicus enim ubi videt in se venientes hostes, haud impigre eis occurrit. Petrus vi repulsus, ad suos redire cogitur; & cum antiquis Urbis mœnibus appropinquasset, Vaccarumque Portam patêre vidisset, prohibentibus nullis, alteram Urbis partem ingreditur. Ferunt eum non longe ab ea porta equestrem reliquisse ordinem, & cum eo Masinum fratrem, & Galeottum consobrinum, qui aditum servarent. Sed illos sive missilibus loco pulsos, sive neglecto Petri imperio, prædæ cupiditate ductos aditum deseruisse. Ex quo factum est, ut Portâ à Gallis occupatâ, Petrus & ab iis qui eum sequi debebant, & reliquis suis interclusus, tribus equitibus tantùm comitantibus, intra vetera Urbis mœnia in hostium manu relinqueretur. Qui ubi animadvertit neque ad suos redire posse, neque ullum sibi relictum esse locum, quo se recipere posset, per Urbem

(289) MS. autem quum statuisse eventum rerum exspectare, dat præcipue operam, ut mœnibus custodes disponantur. Ipse verò, ut superiore &c.

bem velut amnes furensque concitato equo salutem quærere cœpit. Cumque aliquantutulum processisset, occurrit ei cum paucis Johannes Coxa, quem ut ex insigni galeæ crista agnovit, obstinate insequitur. Petrus per plateas, forumque cursu fugiens, recto itinere orientalem Portam petit eo animo, ut ea egrediens pernicitate equi, mortis periculum evaderet. Sed clausâ portâ redeuntem statim Coxa in angustiis viarum consequitur, bisque ferreâ clavâ percutit in caput. Inde tamen equi beneficio se eripuit, vectusque ad Divi Andreæ Portam altis ex ædibus jactis lapidibus contusus, pæneque obrutus est; paululumque deinde progressus, & longo labore, & multis vulneribus confectus non longe à Prætorio cecidit. Quo semianimis delatus, nullique respondens interroganti, post paucas horas excessit è vita.

Petriani, ubi de sui ducis periculo, pauloque deinde post de crudeli cæde cognoverunt, desperatâ omnino victoriâ, omniumque salute, ægrius primo pugnare, latebras deinde quisque pro se quærere, ac paucis exulum resistentibus omnes fugam spectare. (290) Ex peditibus plures cæsi, nonnulli vulnerati, pauci eodem quo venerant itinere, Urbe egressi evasere. Equites fere omnes intercepti, & cum iis nonnulli equitum præfecti insignes, & inter hos Sigismundus Brandolinus Tiberti filius. Capti insuper sunt ex Genuensibus exulibus Masinus Petri frater, quem supra nominavimus, & Orolandus Fliscus. Captivi milites jurejurando obstricti, ne contra regium nomen rursus stipendia acciperent, incolumes abire permissi sunt. Sigismundus patris causâ, quod is Francisci Sfortiæ jussu omnem Petro militum opem subministrasse diceretur, in carcerem conjectus est. Masinus & Orolandus securi percussi sunt. Hæc parta victoria, Johannes cum pacata ac tuta omnia Genuæ videret, comparatis iis rebus omnibus, quas præsenti expeditioni usui fore putaverat, reversisque jam in portum triremibus, quæ audito ex itinere Genuensium periculo à cursu destiterunt, quarto Nonas Octobres idoneum nactus navigandi tempus, naves conscendit, Portumque Lunensem primum tenuit. Ibi recensendis cogendisque militum atque nautarum turmis biduum consumsit. Deinde Pisanum in Portum delatus, à Florentinis publicis muneribus munificentissime donatus est, statimque inde solvens secundis ventis die tertio Gajetæ litoribus appulit, Calabrorum oram petiturus; quo ab Antonio Vintimiliano Crotoniatum Marchione, quem Mediolano nondum recepto à Francisco comprehensum docuimus, magno studio accersebatur. Nam is Ferdinando propemodum infensus ultro fuerat Johanni pollicitus, si classe Calabriæ litora attigisset, se eum non tam maritimis, mediterraneisque Oppidis atque Urbibus, quibus ipse imperabat, recepturum, quàm Calabriæ reliquæ Regnique totius recuperandi causâ consilio, ope, opibus adjuturum. Sed ubi Vintimilianum ipsum à Ferdinando, qui in Calabros cum exercitu ea æstate pacandæ ejus provinciæ gratia accesserat, retentum cognovit, gravi affectus est cura, cum & amicum, cujus maxime hortatu eo anni tempore Genuâ movisset, & omnem, quam in eo adeundi Regni spem posuerat, amisisse diceret. Itaque ea spe derelictus, mutare navigationem cogitur. Et primùm Vulturni amnis ostium ingressus est. Exinde Pontiam Insulam, proximumque Bajarum Portum tenuit. Ubi cum omnia circumquaque hostilia essent, ac laborare cibariorum inopiâ cœpisset, nec quid ineundum consilium esset, satis decernere posset, (291) & jam de reditu cogitaret, contigit ex insperato, ut à Marino Martiano Suessanorum Duce, qui è regione erat, ad eum de deditione nuntii mitterentur. Quibus postulatis facile impetratis, Suessamque reversis, Johannes à Marino quamprimum excipitur, expositoque in terram milite ad Lirim flumen vulgatur ubique per Suessani fines & Johannis Andegavensis adventus & Suessani ipsius adversùs Ferdinandum rebellio, & bellum pro Andegavensibus susceptum. Factisque in proximas regiones, finitimosque Populos multis variisque excursionibus, omnis pœne Campaniæ ora absente Rege, terrore ac tumultu completur. Calvum Oppidum non longe à Capua nullo munitum præsidio nullo negotio Suessanus occupat. Sarnium pluribus à Johanne tentatum pugnis, oppidanis sese defendentibus in regia fide permansit. His primum rebus in Regno gestis, tanta subitò ad Andegavenses animorum inclinatio fuit, tantusque undique rerum motus & Procerum, Populorumque sese dedentium ad Johannem factus est concursus, ut amplissimum opulentissimumque Regnum tot annos Alphonsi Regis imperio administratum nutare, & paucos intra dies in eversionem tendere videretur. Conjurarant enim post Alphonsi mortem plerique Regni ejus Principes rerum novarum cupidi clandestinis inter sese initis consiliis adversùs Ferdinandum. Ejus conjurationis Johannes Antonius Tarentinus & princeps erat & concitator, & dissensionum omnium minister. Itaque facto ab Suessano defectionis initio, & Johanne in continentem recepto, Antonius Caudola Jacobi (292) filius cum omnibus gentilibus Principatum in Brutiis obtinebat, ad Johannem veniens ei sese, milites, Oppida, fortunasque omnes dedit. Hujus consilium secutus Petrus Johannes Paulus Cantelmus Soranorum Dux idem facit. Johannes multis ex iis, qui sub Ferdinando meruerant, copiis auctus in Brutios proficiscitur. Eo ubi pervenit, Aquilani (293) ad eum multis cum regionis ejus Oppidis atque clientibus defecere. Nec multo post Nicolaus Campobassius Comes, qui multa in ea provincia Oppida possidebat, desciscentibus ceteris, adjungitur, liberumque

per

(290) MS. cœperunt. Quibus ex rebus factum est, ut paucis exulum resistentibus, omnes in fugam verterentur. In eo prœlio Petrianos milites partim cæsos, partim vulneratos, partim eodem quo venerant itinere, Urbe egressos evasisse affirmatum est. Sed equites fere &c.

(291) MS. Quibus difficultatibus pressus, etsi ex die in diem alicumde in continentem, finesque Regni vocari admittique sperabat, tamen magis de reditu, quàm hostilia amplius incertis rebus litora circumvagari cogitabat. At dum his Johannes conflictatur curis, contigit fere ex insperato &c.

(292) MS. fortissimi quondam belli ducis filius, & universa gentilium suorum familia, quæ principatum &c.

(293) MS. qui populosam, bellicosamque, & opibus potentem incolunt Urbem, ad eum &c.

per suos fines Gallis in Apuliam transitum præbet. His confectis rebus, Johannes solicitatis Apulis Civitatibus, quæ suarum partium per superiora tempora fuerant, in patentissimos Apuliæ campos descendit. Ibi Herculem Estensem cum nova parva equitum manu suæ partis factum, quem Ferdinandus cum Alonso Davalo natione Hispano Apuliæ Urbibus præsidio præfecerat, ad sese recepit. Quod quidem facinus non suo sed Borsii fratris Mutinensium Ducis, qui Andegavensibus rebus summo studio favere cœperat, consilio impulsus admisisse ferebatur. Ejus discessum magnæ extemplo rerum mutationes in ea quoque provincia subsecutæ sunt. Nam regionis fere totius incolæ metu liberi, sese, ac Luceriam, Fogiam, Sanctum Severum, Trojam, postremò Sipontum, quam nunc Manfredoniam vocamus, reliquasque regionis ipsius Urbes atque Oppida voluntariis animis uno fere tempore Johanni tradiderunt. Hac tot Oppidorum, Urbiumque defectione factum est etiam, ut sine ullo periculo, hostilique metu iter ad Tarentinum, qui cum Ferdinando adhuc simulaverat, Johanni pateret. Quæ quidem res cum ita essent tot Regni provinciis pro Tarentini sententia constitutæ, non putavit amplius sibi simulandum, dissimulandumve, quin hostem se Ferdinando pronuntiaret, apertoque bello in eum prorumperet. Itaque facta palam ubique in ditione sua, quæ longa lataque erat intra Regni fines rebellione, multis locis uno atque eodem tempore Ferdinando bellum intulit, multosque finitimos Regni Proceres partim vi, partim metu, partim sponte sibi ascivit. Nam mortuo Alphonso, etsi se filii imperio obtemperaturum dicebat, tamen numquam destitit, donec ad tria equitum millia in suos fines coëgit: quibus Ursum Comitem (quem dum Franciscus cum Mediolanensibus, Venetisque bellum gereret, ad hostes transisse diximus) una cum Julio Aquavivano Josiæ filio præfecerat. At Ferdinandus interea, cum ex Calabris in Campaniam redeunti sibi de Johannis adventu, Suessanique defectione renuntiatum esset, magnis celeriter confectis itineribus, Neapolim pervenit. Collectoque ægre ex longo difficilique itinere, & continuo imbre exercitu, Calvum à Suessano, ut prædiximus, paulo ante occupatum, obsedit. Quod cum diu oppugnasset, tamdem & Oppidi munitione, & valido hostium præsidio, & gravissimo hyemis tempore desperatâ victoriâ obsidionem solvit, militesque in hiberna distribuit, ac Neapolim reversus, dat operam impigre, ut qui in fide adhuc erant Proceres, Oppida, atque Urbes in officio continerentur; & ad pellendos Regno advectos hostes ab Italica Societate in tanto rerum suarum discrimine auxilia peterentur. Primum in tanta Procerum, Populorumque suorum mobilitate atque perfidia ad alienam opem confugiens, à Pio Pontifice, & Francisco Sfortia, in quibus maxime spem omnem suæ salutis posuerat, auxilium petit: (294) quos cum non alia in se ac sperarat, mente futuros invenisset, à Venetis, Florentinisque, etsi eos non bono erga se animo multis argumentis intelligebat, tamen Pio, Franciscoque adhortantibus, quammodestissime petiit, ut tam aperto, tamque gravi bello ab externo hoste lacessito jure fœderis adessent. Sed fecerant crebri per Italiam de rebus à Johanne prospere gestis perlati rumores, ut is brevi futurus de Regno victor ab omnibus fere putaretur. Quare cum Ferdinandi fortunæ jam afflictæ viderentur, decretum est Venetiis Senatusconsulto, servata tamen in ceteros præterquam in unum Ferdinandum Italicæ Societatis fide, quod ab Alphonso ejus patre, dum Jacobo Picinino communi Italiæ hosti bellum Senensibus inferenti subsidia mari præstitisset, violatam dicerent, neutri Regum in præsentia de Regni possessione concertantium opem ferendam, sed belli finem exspectandum, & amicitiam interim cum utrisque servandam. Itaque cum Tarentini, veluti Venetæ Reipublicæ hospitis antiqui, legatus à Venetis exceptus esset, rogaretque is quotidie eos, ut Renati, Johannisque filii jam victoris partes susciperent, illorumq; justæ causæ adessent, facile impetratum est, ut suâ Tarentino pecuniâ viros, arma, tela, & quæ bello usui essent, in Venetorum finibus comparare liceret. At Florentini, qui à majoribus suis didicerant, eorum Rempublicam primo illo usque Carolo Francorum Rege, cui ex magnitudine rerum gestarum Magno cognomen fuit, regiæ Francorum Domui semper deditissimam exstitisse ob plurima & immortalia beneficia, regiaque Liliorum insignia, quæ inde acceperant, (295) publico decreto magno totius Civitatis consensu octoginta aureûm nummûm millia tot annis Andegavensi dependenda, quot cum Ferdinando quod inierat bellum gereret, decreverunt. Sed visum est Civibus ex primatibus quibusdam non prius exsolvendam Johanni pecuniam quàm Francisci Sfortiæ in ea re voluntatem intellexissent. Existimabant enim id, si fieret, aliquando Florentinæ Reipublicæ obfuturum. Itaque rem omnem cum Francisco tractandam Cosmo Medici demandant, quem unum ex Florentinis omnibus apud eum & gratia & auctoritate plurimum semper valuisse cognoverant. Cosmus & literas ipse ad eum dedit, & Nicodemo Pontremulano, qui Florentiæ pro Francisco rem gerebat, ut in eamdem sententiam scriberet, persuasit (296).

Sed

(294) MS. ut rebus suis consulere, auxiliarique maturarent, summopere contendit. Quos quum non alia in se, ac sperarat, mente futuros invenisset, veluti qui Mantuæ inter se se, ut ostendimus, de ferenda sibi ope constituissent, à Venetis &c.

(295) MS. ne suscepti quidem in Ferdinandum belli spectatores, quinimmo adjutores fore publico decreto constituerunt. Decreverunt enim magno totius Civitatis &c.

(296) MS. Hortabatur igitur Franciscum Cosmus, ut quod sua Respublica pro Andegavensibus adversùs Ferdinandum Regem decrevisset, æquo animo pateretur; quin etiam assentiretur, ut Johannes decretâ nuper pecuniâ juvaretur, quo citius è Neapolitano Regno Gotholana pestis tamdem evelleretur. Et nonmodò id ejus voluntate fieri posse pateretur, sed ipse quoque id consilii sequeretur. Utque facilius in suam partem Franciscum traheret, hæc commemorabat, proponebatque Florentinum Populum nullo pacto abduci posse, quin esset Regii Francorum nominis studiosissimus, & quod res omnes Johannis secundas non incredibili quadam animi voluptate acciperet, ob gloriosissimum præcipue rerum exitum, quem brevissimo tempore eventurum animadverterent. Idque præterea contingere pro-

propter viri illius singularem humanitatem, summamque virtutem. Quare Florentinum Populum haud cohiberi posse, quin Andegavensem re pecuniaria juvaret, quum in Neapolitani Regni potissimum victoria indignum sane censeri posset, si ei minus Florentini & propitii fuissent & adjutores. Quin illos etiam statuisse, majore eum in dies sibi conciliare benivolentia. De Taraconensium verò Familia omnia secus esse cogitanda, quòd ab ea Florentini non modò nullum umquam vel minimum beneficium accepissent, sed bella potius & calamitates non mediocres pertulissent. In primisque ab ipso Alphonso Rege, quod Francisco ipsi erat compertissimum. Quas ob res asseverabat esse adeo magnum in Florentinorum omnium animis conflatum odium adversùs Gotolanum nomen, ut difficillimum quidem esset, quominus decretâ pecuniâ Johannes juvaretur. Itaque Franciscum etiam atque etiam hortari, orareque, ut diligentius rem totam metiretur. Videri enim sibi optimum factu, ut ipse quoque cum Johanne sentiret, qui vel eo tempore facile judicari posset Regni illius victor; & ob id operam ei dandam esse, ut illum sibi etiam amicum faceret, & in pristinam rediret cum Andegavensibus amicitiam, pro quorum dignitate & amplitudine Sfortia pater vitam amiserat, & ipse tantum, ac tam pulcherrimum Principatum & in Neapolitano Regno, & in Piceno, & in Umbris per Alphonsum amiserat. Nunc autem illud tempus illuxisse, quo laborum suorum omnium fructus percipere posset, atque ea juste recuperare, quæ per summam injuriam amisisset. Debere præterea in eam sententiam facilius flecti, quo filiis suis, quos habebat multos, bene consuleretur. Posse enim tot tantisque Oppidis recuperatis, filiis uberiorem pacatioremque possessionem relinquere. Neque esse prudentiæ suæ, ut erat Princeps sapientissimus, frustra conari, ut hominem mortuum resuscitet cum ingenti & immortalis Dei & totius fere humani generis odio, & velle eum perire, qui vel jam perierat, vel certò esset brevi periturus. Illud etiam adjiciebat, si minus fortasse existimaret suæ esse dignitatis, ut sermonem de reconciliatione cum Johanne iniret ullum, id muneris sibi relinqueret. Facile enim se operam navaturum & effecturum, ut Andegavensis ipse ea de re non solùm primus agere, sed maximis etiam precibus de reconcilianda gratia, societateque ineunda rogare inciperet. Non enim illum esse ignarum, à nemine turbari, offendique posse; quin suis propediem optatis potiretur, ubi unus ipse Franciscus ei non adversaretur. Eumdem præterea conditiones eas omnes perfecturum pollicebatur, quas superiore Anno Mediolani per suos legatos obtulerat. Postremo satis superque fore Johanni, quando aliud ab eo consequi non posset, si ipse belli eventus spectator esset, neutram in partem propensior. Quibus rebus accuratissime auditis, & quamdiligentissime cum mente versatis, non potuit Franciscus non vehementer admirari cum illud Florentini Populi tum ipsius præcipue Cosmi consilium. Quem ob plurima ac maxima citro ultroque collata beneficia judicabat eum esse oportere, qui à sua voluntate nequaquam dissentiret. Quam ob causam etsi aperte intelligebat eam rem, quæ ad suam, suorumque salutem pertineret, magni esse momenti, tamen quum honoris ac justitiæ munus esse censeret & perseverare in sententia, & fidem servare erga Ferdinandum Regem pro societatis, honestatisque jure, ita rescripsit ad Cosmum, ipsomet Francisco vernacula lingua dictante, & Operis hujus Auctore celeri calamo sua manu notante. Esse sibi oblatam non mirandi solùm occasionem sed dolendi etiam de universo prope Florentino Populo, quòd ita inconsultò, ita repente verteretur in Andegavensium partes, ut contra Societatis Italicæ fœdera Johanni rei pecuniariæ opem afferre vellet. Ceterum & Cosmum ipsum & reliquos bonos, sapientesque Cives multo plus sibi & admirationis & molestiæ afferre, quod tam temere tamque subito in eam rem cum imperita multitudine conspiraverint; quæ ipsâ naturâ & mobilis est, & magis impetu ac fallaci quadam opinione, quàm ulla ratione ad quicquam deliberandum movetur. Quum longo jam tempore continuata inter se se amicitia postulasset, ut aliquam saltem de Francisco haberent rationem. Neque eos oportuisse ignorare, quæ sibi mens, qui animus foret; quippe qui nequaquam adduci posset, ut Italicæ Societati deesset, & quod minus Ferdinando Regi contra eos omnes auxilio foret, à quibus injuste oppugnaretur. Itaque eos certiores reddebat, se eodem esse futurumque animo in tuendo Ferdinando, quo antea fuerat, non modò adversùs Johannem Andegavensem, sed & adversùs alios omnes, qui bello eum lacesserent. Hoc enim esse officii in servanda fide, colendaque justitia; ac ita decere optimum quemque Principem, & bene institutas Respublicas judicabat. Quod si secus fecisset, & fidem & jurisjurandi religionem violaret, etiamsi ceteri socii animorum perturbationi servientes alio forent animo. Qui verò secus sentirent quàm satis suæ laudi honestatique satisfacerent, id eorum judicio relinquebat, qui æquiore animo judicaturi essent. Itaque Cosmum ipsum & pro antiqua mutuaque in illum usque diem benivolentia, & communi meritorum magnitudine hortabatur, rogabat, & quanto majore posset studio obsecrabat, ut eam cum suis operam daret, ne quod de solvenda pecunia, deque ferendo Johanni auxilio decretum erat, efficeretur. Sed ea re abrogata, studeret, ut Italicum fœdus erga Ferdinandum solveretur, eidemque Florentini omni ope adessent.

Nec se nescium esse, quantùm Cosmus Medices apud Populum Florentinum & gratia & auctoritate valeret. Quod si difficilius factu esset, auxilium à Populo pro Ferdinando consequi, id saltem suæ Civitati persuaderet, ut in neutram partem inclinaret, sed Florentini mallent Ferdinandi, Andegavensisque mutuis inter se se vulneribus digladiantium spectatores quam acceptatores esse, quæ res solet Populis esse gratissima. Et quoniam eum Cosmus multis erat argumentis hortatus, ut mallet deinceps cum Johanne quam cum Ferdinando sentire, præsertim cum injuriis non mediocribus ab Alphonso Rege fuerat affectus, inter Andegavensem vero, Sfortianamque Familiam magna semper benivolentia atque familiaritas intercessisset, respondebat ea vera esse omnia, quæ à Cosmo in medium afferebantur. Ceterum Alphonsum divino quodam judicio è medio esse sublatum, & ob id alia venisse tempora. Non enim se in inficias ire Alphonsum Regem & Florentinis & sibi infestissimum exstitisse, permagnasque injurias, dum vixit, utrisque intulisse. Sed Alphonsum, quum esset potentissimus, neque parem quemquam, neque socium ullo pacto, ut erat unus omnium superbissimus, admittere consuevisse, eumdemque fuisse arroganti adeo insolentia, ut dignum se existimaret, qui non modò inter homines veneraretur, verùm etiam inter superos coleretur, ita ut ipsæ etiam arbores atque mœnia, quacumque iter faceret, procidercnt ad se venerandum. Quare cum illo neque vitæ societas cuiquam, nec amicitia poterat esse communis. At cum Ferdinando ejus filio esse alia ratione vivendum, quum à patre præter Neapolitanum Regnum aliud successor nihil acceperit. Nam cetera illius regna Johanni Ferdinandi patruo hereditario jure contigerant. Quo fiebat, ut longe esset minore cum potentia, tum etiam auctoritate quàm Alphonsus pater exstitisset. Amicitiam verò ei esse aliam nullam præter eam, quam secum ob Hippolytham filiam conflaverat. Quas ob res necesse fore, ut Ferdinandus noster sit, nobiscum sentiat, quibus utatur amicis. Nam in barbaris nationibus illis, quibus pater imperabat, nullam erat auxilii spem habiturus. At de Gallorum dominatione in Neapolitano Regno se longe secus sentire. Quis enim ignoret, consuevisse Gallos & virium inopes & pecuniæ in Italiam transire, nec aliud quærere solitos quam ditiones, regnaque Italorum impensa sibi comparare? Qui ubi vicerint, quum naturâ petulantes, insolentesque sint, insolentiores fiunt,

Sed nullis umquam rationibus, nullis pollicitationibus induci Franciscus potuit, ut derelinquendum sibi Ferdinandum putaret. Cosmus ubi in sententia eum persistere videt, Florentinis persuasit ut decretum abrogarent, quo pecunia Andegavensi constituta fuerat, ne Francisci animus offenderetur.

A

Ita denuo decretum Florentinis in hac duarum regiarum Familiarum concertatione quiescendum: neutram neque copiis neque pecunia publice juvandam. Johannem tamen constat à quibusdam Civibus pro antiqua consuetudine privatis facultatibus adjutum,

& aliena pecunia, aliena ope, in tantam superbiam excandescunt, ut neminem recognoscant, beneficii, benivolentiæque immemores. Sed ut sunt dominandi omnes avidissimi, ita relicto omni humano divinoque jure, aliud nihil cogitant, nihil quærunt, quam fines per fas atque nefas propagare, alienaque occupare. Ejusmodi sane videri sibi Gallos omnes, ut eorum amicitia longius quam propius optanda sit. Possidere nunc Gallos in Italia & Astam Urbem & Genuam, quæ una qualis quantaque sit quem fugiat arbitrari se esse neminem. Et hæ quidem Urbes duæ Gallorum sunt ditioni finitimæ. Quare si nunc patiamur, ut sibi Neapolitanum etiam Regnum vindicent, illudque regnis & potentatibus ceteris, quos in Italia & extra Italiam amplissime possident, conjungant, facile conjecturâ assequi licet, qualis eorum animus esset futurus. Nam quis erit adeo hebeti obtusoque ingenio, ut eos existimet non modò eo Regno non quieturos, sed cogitaturos potius, ac die noctuque manibus pedibusque conaturos, in nobilissimam hanc Longobardiæ regionem irrumpere? quod semper in animo & habuerunt & habent. Id igitur neque Florentinis, neque sibi, nec alii cuiquam Italo Principi conducturum, ut Galli majore potentia, majoribusque viribus in Italiam invalescant.

B

At Ferdinandum ob eas quas modò causas commemoraverat, arbitrari certo poterat, secum semper sensurum, quem se nequaquam ambigere cum Pio Pontifice, in eo Regno tueri ac servare, ejusque deinde hostem expellere. Nam quamquam Johanni in Regno ipso ob quorumdam Principum, Populorumque mobilitatem secundior fortuna tunc esse videbatur, tamen Ferdinandus, quum Urbes Regni primarias, Oppida, & Castella præcipua adhuc in fide contineat, ubi ver adventarit, suis, Pontificiisque viribus adjutus, quidquid amiserit, brevì esset recuperaturus, victorque tamdem futurus. Ejusmodi quum legisset literas Cosmus, accepissetque etiam quæ coram Nicodemus explicarat, atque intelligeret, ut erat vir prudentissimus, cum rationes adductas, tum etiam Francisci voluntatem, eidemque omnino obsequendum putaret, pro mutua inter se amicitia effecit, ut quod Florentiæ de re pecuniaria in Andegavensis auxilium decretum fuerat, mox abrogaretur, decerneretурque insuper neutri contendentium parti auxilium ferendum, etsi privatim Johannes à quibusdam Florentinis Civibus, pro antiqua cum Andegavensi Domo familiaritate, pecuniâ sed eâ admodum parva adjutus est.

Explicit Liber Vigesimussextus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUSSEPTIMUS.

FErdinandus (297) interea ne uno eodemque tempore duplici bello implicaretur, cum Sigismundo Malatesta, Pio Pontifice & Francisco Sfortia auctoribus, pacem facit. Jacobus Picininus, qui ut demonstratum est, cum Friderico Urbinatum Comite ei bello priore biennio præfuerat, in Cæsenates ad Malatestam Novellum veterem hospitem omnibus copiis sese recepit, omni quietâ Flaminiâ eam pacem quammolestissime ferens, indignabundusque quod Pontifici, Regique eodem modo suspectus, despectusque videbatur; neque ab iis Urbe ulla, aut Oppido, ut sibi sæpe antea promissum fuerat, donatus exstitisset. Nam quod ipse accipere debuisset, Pius interceperat. Nam is per ejus pacis conditiones sic egerat, ut Castella quamplura, quæ in Piceno agro ultra Metaurum flumen Sigismundus possidebat, in Ecclesiæ potestatem transiret, quæ tamen paulo post Antonio sororis filio regio genero per feudum possidenda concessit. Accedebat ad indignationem quod stipendia à Ferdinando seu studio, seu pecuniæ inopia minus solverentur. Et ob id permulti ex militibus privati bellicæ prædæ usu, privati quoque stipendio, quibus rebus se sustentabant, ad Fridericum fugere cœperunt, & ab eo qui amicus, qui socius in eo bello paulo ante fuerat, velut ab hoste recepti pecunia equis armis sublevabantur. Quibus rebus Picininus majore quadam indignatione animi, majoreque ira permotus, in tanto novarum rerum motu, & à Ferdinando, cui militiæ jure obstringebatur, & ab incohata à parentibus amicitia discedere, & ad Johannem Andegavensem, Tarentinumque transire, acceptasque injurias ulcisci constituit (298). Ad eam rem transigendam & Borsius Estensis & Malatesta adhortatores, irarumque ministri non deerant. Quod cum esset Francisco enuntiatum, confestim Fridericum edocet, ut quamplurimos possit ex Picinini equitatu viros, propositis præmiis, ad se polliceat. Ad quam rem conficiendam missæ sunt ad eum quamprimum pecuniæ, quibus & perfugas alere, & reliquos corrumpere facilius posset. Ita non parvus Braccianorum equitum numerus, & eorum quidem robore insignium paucos intra dies ad Fridericum transfugit. Non destitit tamen Franciscus Picininum internuntiis hortari, ut in officio cum Ferdinando perseveraret, pollicitus si id faceret & pecuniam, & milites, & laborum merita ei cumulatissime redditurum. Drusianamque filiam ei jampridem desponsatam, cum vellet, se daturum pollicebatur, navaturumque insuper operam, ut à Ferdinando, Romanoque Pontifice promissis donaretur Oppidis, quibus honorifice vivere posset. Denique nihil, quod eo tempore ad reconciliandum Ferdinando Picinini animum conducere putavit, inexpertum reliquit (299). Picininus quum haud omnino aspernari videretur, ut Ferrariam ex suis aliquem mitteret, à Francisco postulavit, quo cum Borsii interventu negotium componi posset. Quod cum statim fecisset Franciscus, misissetque præterea pecuniam, quam Borsius mittendam dixerat, res per varias disputationes, querelasque in multos nequicquam dies deducta est. Et per longam tandem simulationem, quo melior Picinino cum adversariis conditio foret, cum Johannis, Tarentinique nuntiis, qui Ferrariæ & ipsi erant, ea lege composita est atque firmata, ut vere primo majoribus quam posset coactis copiis Picininus adversùs Ferdinandum transiret. Quod ubi Franciscus rescivit, graviter sane molesteque tulit, quod videbat quantum ea res Ferdinando esset detrimenti illatura; cui ipse opem ferre parabat, quantumve esset præterea à Borsio illusus. Qui etsi longioribus epistolis se purgare conabatur, (300) tamen eum assiduo, & præcipuo Borsii ipsius hortatu atque opera Andegavensium partium factum, satis superque exploratum habebat. Quamobrem cum majora ad Ferdinandum auxilia mitti oportere putaret, optimum esse judicavit, si destinato Picininus in Brutios, Apulosque transitu prohiberetur. Itaque cum duo illi omnino itinera essent, alterum per Etruscos atque Umbros iniquum & perdifficile, alterum per Picenum agrum æquius atque facilius, Alexandrum fratrem ad se primum advocat. Huic mandat, ut Pisaurum quamcelerrime contendat, quo ubi pervenerit, Friderico ejus genero junctus inter Pisaurum atque Urbinum copiis utriusque contractis, Picininum transitu prohibeat. Qua in re ut Isauri fluminis ripâ aggeribus eductâ munimento uteretur, edocet. Deinde in Etruriam, in Tifernates, quem in Bononiensibus habebat equitatum, Johanne Tolentinati, & Christophoro Taurello ducibus, proficisci jubet, ut si per ea loca Picininus iter facere conaretur quammaximis possent auxiliis ex locis proximis, quæ Romanæ Ecclesiæ parebant accersitis, illi eà transire conanti tamdiu repugnarent, donec Alexander, Fridericusque, aut eorum alter cum copiis reliquis eo advenisset. Sigismundum item velut his finitimum ducibus, per nuntios hortatur, rogatque ut nulla in primis re Picininum juvet. Deinde ut Alexandro Fridericoque, ne communi hosti eo maxime tempore in Neapolitani Regni fines transeundi facultas adsit, suis Oppidis, suisque copiis auxilio sit. Bosium Sfortiam fratrem, virum fortissimum præterea cum duobus circiter equitum millibus in transmissi jam auxilii supplementum in Flaminiam mittit, ut per Picentes vel per Etruscos nullo in-

(297) MS. Dum hæc per Italiam geruntur, & bellum Ferdinandus, quod adversùs Sigismundum Malatestam Alphonsus pater inierat, & ipse postea gesserat, Pio Pontifice, & Francisco Sfortia auctoribus, cum pace commutavit, & Jacobus &c.

(298) MS. ac mox ea de re cum paratos invenisset emtores, agere cœpit. Ad quam rem transigendam & Borsius Estensis & Malatesta, apud quem hospitabatur, adhortatores &c.

(299) MS. Quibus rebus cum nec omnino abnuisset Picininus, Ferrariam ut ex suis aliquem mitteret Francisco respondit, quo tum &c

(300) MS. à se non stetisse, quominus Ferdinando Picininus reconciliaretur, & rursus in illius diret gratiam. Tamen eum &c.

intermisso tempore Alexandro se jungeret. At Picininus acceptâ largiter à Tarentino pecuniâ, militem in transfugarum supplementum omni ex parte conducit. Qua in re Sigismundus, & Malatesta fratres multum ei profuerunt, quippe qui non solùm alienis, sed suis etiam per simulatam fugam militibus ita augere Picininum curaverunt, ut non multo temporis spatio ex septem circiter equitum peditumque millibus exercitum conflaverit. Itaque cum Sigismundus ei per suos fines transitum annuisset, & nullas ad Isaurum, qua esset transiturus, copias convenisse intelligeret, præmissis in Brutiorum litora per onerarias naves inutili turba, impedimentisque omnibus, circa Kal. Apriles Anno, qui fuit à Dominica Nativitate Sexagesimus & Quadringentesimus supra Millesimum, instructo exercitu ex Cæsenatibus movit, & per Ariminenses, Pisaurenses, Fanensesque binis castris non modò Isaurum, sed Metaurum etiam magna incredibilique celeritate trajecit. Et continuato ex eo loco per Picentes itinere, sola dumtaxat noctium parte quieti militibus data, Truento flumine superato, die tertio in Brutios pervenit: ubi à Josia primum, qui paulo ante à Ferdinando Rege defecerat, exceptus, & commeatu & reliquis necessariis à longo itinerum labore exercitum refecit. Alexander & Fridericus opinione magis decepti, quàm celeritate à Picinino superati, quia quod non crediderant, ille præfecerat, extemplo iis militibus collectis omnibus, quos pro temporis angustia potuerunt, ceteris se subsequi jussis, Picininum nullis diurnis nocturnisque intermissis itineribus per Picentes insequi cœperunt, quem in viarum angustiis à Firmanis tardatum opprimere posse sperabant. Sed cum ille diei fere unius itinere, prohibentibus nullis eos præcessisset, consequi non potuerunt. Ferunt tamen Picininum non minus Alexandro Fridericoque, quam Sigismundo annuentibus, patientibusque, Isaurum ubi ei erat ab iis maxime repugnandum transisse, quod sibi quisque timeret, ne bellum in sua finitimorumque ditione renovatum diutius, quam vellent, duceretur. Et ob id eos in alienis quam in suis finibus bellum geri maluisse, eademque Pium Pontificem ratione motum, impune per Picentes ire illum permisisse. Alexander, & Fridericus ad Truentum cum pervenissent, non ultra insequendum hostem sibi rati, haud longe ab eo flumine castra posuerunt, ut ad dandam militibus longa itineris festinatione defatigatis quietem, & ad augendum advenientibus copiis exercitum spatium interesset: quæ ut erant remotioribus diversisque locis per hiberna distributæ, ita sensim seriusque veniebant. Præterea Bosii etiam adventum exspectandum necesse videbatur, quo majoribus inde quam possent, coactis viribus in hostium finibus bellum gererent, cum præsertim omnia fere in Brutiis hostilia esse renuntiarentur. Itaque cum & Bosius justis per Picentes confectis itineribus, & cohortes reliquæ eo convenissent, Josiæ qui primus offerebatur, bellum acriter inferre cœperunt, continuoque ejus regionis agros late depopulati, multa Oppida & loci naturâ & militum præsidio communita, nonnullis infirmioribus expugnatis, ad deditionem acceperunt. Postremo Sanctum Flavianum haud longe à mari Oppidum fama magis quàm re in ea regione clarum, vi captum prædæ militibus concesserunt. Et quoniam sine tormentis, machinisque nihil adversùs ea Oppida, quæ in Josiæ fide perstabant, proficerent, visum est castra non procul ab eo Oppido tamdiu habere, quoad à Francisco è Mediolano tormenta Pado, marique demissa eo importarentur, cum aliunde nihil earum rerum consequi possent. Scripserat enim ad eos Franciscus, se nulla in re pro Ferdinando ei bello defuturum. Sed ne tempus interim iisdem castris consumeretur, Aternum amnem superandum censebat, ut Matthæo Campano, qui Theatinorum Urbi præsidio erat, sibi adjuncto, & hostem audacius premerent, & Brutias Urbes, quæ nondum ad hostes desciverant, firmiores redderent. Sed rescribebat Alexander, se tam omnibus pontibus quam aditibus Aterni occupatis, omnibusque in hostium manu redactis, sine manifesto exercitus periculo minus id efficere posse. Nam profectus ad ea loca Picininus, Caudolæque gentis copiis auctus, cuncta, quæ in Ferdinandi potestate Oppida relinquebantur, præter Sulmonem, atque ea quæ Campani præsidio tenebantur, partim sponte, partim metu occupaverat.

Per idem tempus & Pius Pontifex è Romano agro Simonetum cum valida equestri manu ad Ferdinandum misit, & Ferdinandus in Marinum Suessanum ex hibernis eduxit, factusque est Simoneto obvius, & Roberto Ursino, qui cum eo ad Regem ferendæ opis causâ ibat. At Andegavensis, & Tarentinus magnis in Apulia coactis viribus, in Campaniam adversùs Ferdinandum descenderunt, & non procul Nolâ castra firmarunt. Classis item triremium viginti rursus Genuæ affatim instructa, in eadem maris litora rediit, unde anno priore discesserat. Quorum adventu Nolani, Sarnensesque cum plerisque aliis regionis ejus Oppidis, jussu eorum Principum, qui jam secreto cum hostibus conspirarant, miro quodam deditionis studio, velut de Ferdinando actum omnino esset, sese Johanni Tarentinoque tradiderunt. At Ferdinandus auxiliaribus copiis sibi additis, cùm tot crevisset viribus, ut multo se hostibus superiorem esse putaret, retrorsum in hostes conversus non prius ab itinere destitit, quàm ad Sarnum flumen pervenit; & non longius duobus passuum millibus ab hostium castris, qui ad Sarnum Oppidum erant, castra posuit. Deinde occupatis aditibus fluminis, pontem lintribus in eo flumine faciendum curavit. Ejus adventu & hostibus auctoritas diminuta est, moxque audacia repressa, & Nolani, & qui proximi erant Populi, quos paulò ante ad hostem defecisse diximus, territi in pristinam Ferdinandi fidem redierunt. Johannis Tarentinique exercitus undique ferè interclusus, gravi cibariorum inopia laborare, ducesque ipsi jam desperatâ victoriâ non tam militum quàm propriæ saluti diffidere cœpere. Quare Tarentinus omnibus ab hoste occupatis itineribus, per saltus, asperosque & invios, qui impendebant, montes semitâ factâ pedestre itinere fuga salutem petere cogitabat. Ferdinandus advocato concilio, quid agendum esset, exquirit. Simonetus, & rei bellicæ periti affirmabant, cùm

anceps

anceps semper prœlii eventus sit, iisdem castris sedendum, nec acie cum hostibus, collatisque signis confligendum, ne speratam ac prope certam victoriam fortunæ casibus temere objectarent, quando sedendo sine ullius periculo hostes brevì essent superaturi. Sed cùm dies aliquot Rex ibi consumsisset, ac ex perfugis captivisque cognovisset, haud omnino difficilem esse ad invadendos hostes accessum (301) juvenili quodam confligendi ardore incensus statuit omnino adoriri hostem, & manum conserere. Ad quam rem Parentis Ursini transfugæ cum equestri turma adventus recens plurimum incitarat. Itaque improbante Simoneto, veluti futuram exercitus calamitatem & infelicem suæ vitæ finem præsagiret, instructo agmine, collatisque signis castra hostium invadit. Et primo congressu majorem ædificiorum partem, quæ extra Sarnum sunt, ubi pars hostilis exercitus consederat, vi occupat. Permulti ex hostibus capiuntur. Quo successu Rex, qui jam se victorem sperabat, suos ad premendum hostem, loco iniquo audentius urget. Sed fortuna, quæ varios atque insperatos in bello casus plerumque afferre solet, aliter statuisse visa est. Duces (302) hostium in maximum discrimen sese deductos cernentes, milites hortabantur, ut quisque pro salute propria fortissime rem ederet, & virtute vim hostium non modò sustinere, sed repellere conaretur. Quod non difficile futurum sperarent, cùm ab iis & prædæ cupiditate & victoriæ nondum partæ insolentiâ temere omnia & sine ordine agi conspicerent. Itaque cùm ad Oppidi mœnia terga vertissent, unde tuti reddebantur, in regiam phalangem, quæ secundis rebus elata, ita in angustum sese coëgerat, ut nullo fere spatio inter equestres turmas relicto ægre se explicare, remque gerere posset, quod maxime ex inconditæ multitudinis eo spe prædæ concursu accidebat, confertissima acie, magnisque viribus impetum faciunt. Regii milites repulsi multo inter sese arctius implicantur, adeò ut ne paululum quidem locorum angustiâ impediti ingruentium à fronte hostium impetum ferre potuerint. Funduntur igitur continuò, & in fugam resistentibus nullis effuse vertuntur. Fugiendo passim capiuntur, moxque regia castra diripiuntur. Simonetus in medio pugnantium furore exanimis sine ullo vulnere repertus est, qui ætate & corpore gravis, ac labore insuper, & calore confectus, cecidisse creditur. Et Parentes Ursinus cùm interceptus esset, & ad Tarentinum, à quo paulò ante fuerat, perductus, mox illius jussu laqueo suspensus est. Rex ubi suos terga dare, nec ullam saluti spem relictam vidit, prœlio excessit, & cum paucis amissa majore exercitus parte, captisque castris, Neapolim se recepit. Hac tanta ex insperato victoria Johannes, Tarentinusque elati in Nolanum agrum moverunt. Nolani & ceteri, qui paucis ante diebus ad Ferdinandum redierant, (303) rursus ad hostes defecerant. Sed & Robertus Sancti Severini Comes & Lucas, quem Sancti Marci Ducem dicebant, cum omni Sanctoseverinatum Familia, quæ in eo Regno non exiguum obtinebat principatum, & Taraconensium Domui deditissima semper fuerat, temporum conditioni cedentes, ad Johannem de deditione miserunt. Cosentini quoque in Calabris de Sarnensi prœlio rumore perlato præter Arcem, quæ editissima, atque munitissima eorum impendet Urbi, idem fecere. Multi præterea Proceres, ac Populi, qui eo usque fidem Ferdinando servaverant, magno studio, veluti jam actum de eorum Rege existimantes ad Johannem desciverunt. Ceterum cùm pleraque Campaniæ Oppida partim metu, partim obsidione hostes in fidem accepissent, & Castellum, quod Ad Mare vocant, cùm juxta maris litus è regione Neapolis positum sit, postremo circumsedissent, Oppidani Arcis metu, quæ eorum cervicibus imminet, & loci situ, & muro, artificioque permunitissima, cui præerat Galiardus quidam patria Gotholanus, in regia fide pertinaciter manebant. Sed à præfecto pecuniâ corrupto Arce tradita, ipsi quoque Andegavensi sese permiserunt. Et tanta adeo Populorum undique per Regnum ad Johannem post Sarnensem pugnam deditio facta est, ut præter Honoratum Cajetanum Fundorum Comitem nonnullosque alios Proceres rarissimos, præterque Neapolim, & primarias quasdam Campaniæ Urbes, aliasque perpaucas, quæ in Brutiis, Apulis, Calabrisque, arcibus, & firmo Regis præsidio tenebantur, nihil fere amplius Ferdinando superesset, quin universum prope Regnum in Andegavensis fidem pervenisset. Ferunt permultos profligatis hostibus Johanni suasisse, ut in Neapolitanos signa verteret, cùm haud dubitandum videretur trepidante recenti prœlio Civitate, cives Andegavensis factionis, quæ magna erat in ea Urbe, & non tam Gotholanorum dominationem, quàm illorum nomen semper oderat, proximis auxiliis fretos, & arma in Ferdinandum sumturos, & eum in Urbem introducturos, & ob id Johannem Tarentino dixisse, placere sibi, ut Neapolim peterent. At illum, qui nec vinci, nec vincere patiebatur, sed bellum diuturnius trahi volebat, quod ex ea re majore in dies in eo Regno auctoritate haberetur, & majoribus viribus majoribusque Opibus augeretur, ei respondisse, non fore præsenti expeditioni utile, ut tantus exercitus tantâ partâ victoriâ ad Neapolim tempus tereret, sed oportere priusquam eo flecteretur, proxima Neapoli Oppida, quæ in hostis essent manu, in potestatem redigere, ut circumsessi undique Neapolitani, rerumque inopia pressi sese dederent. Ita simulando, dissimulandoque, Johannem regionis ignarum per Campanos agros circumducens, æstatem consumsit. Interim Ferdinandus cum esset Neapoli, quo ut ostendimus fugato exercitu se contulerat, milites omnes, & qui prœlio superfuerant, & captivos missos ab hoste factos Neapolim reducere, comparatâque parce à Neapolitano Populo per tributionem pecuniâ, summa celeritate reficere contende-

(301) MS. nec dubitandum, quin speratam inde victoriam reportaret, juvenili &c.

(302) MS. Duces enim hostium, qui non minus ante, ut supra docuimus, quàm eo die in maximum communis omnium incolumitatis discrimen se se deductos cernebant, suos milites &c.

(303) MS. ea adverso prœlio territi, rursus ad hostes recenti victoria gloriabundos defecerunt. Et non tam ipsi à regia fide discesserunt, sed etiam Robertus &c.

debat, & proximas Urbes Sarnensi clade exterritas, præsidio firmare, & in officio continere curabat. Ad Pontificem præterea, & ad Franciscum, quos de adverso prœlio certiores fecerat, non tam copiarum supplementa, quàm pecuniarum auxilia ad instaurandum quammaturime in adversarios exercitum imploratum mittit. Franciscum præcipue, in quo omnem suæ salutis spem post Alphonsi patris obitum unice collocarat, nuntiis literisque propria manu conscriptis orabat, ne se in tanta fortunæ iniquitate desereret, neu victo sibi, cui etsi vires deerant, animus tamen non deerat, rursus opem ferre deterreretur; cum, si quis ullo umquam tempore adversæ fortunæ vim fortissime & pertulisset & superesset, eum illum esse affirmaret, quem ex ea re per omnem terrarum orbem summam virtutis laudem reportare, & in maximam denique dignitatem rerumque gloriam jure merito perductum apertissime constaret. Addebat etiam, ut Pium Pontificem, quem timebat, ne adverso prœlio territus, & adversariorum vel hortatu, vel minis oppugnatus se averteret, ita hortaretur, ut in sententia persisteret. Quod quamquam se juveniliter in commisso ad Sarnum prœlio errasse, errorisque pœnam dedisse non negabat, tamen si celeriter petita sibi subsidia subministrarentur, fore non dubitabat, quin brevi res suæ ex magna calamitate ad meliorem fortunam verterentur. Pollicebatur præterea epistolis, nuntiis, legatisque suis omnibus, quos nutantibus Regni sui rebus sæpe ad Franciscum mittebat, si umquam ad pristinam rediret fortunam, quamdiu Regno incolumi vixisset, semper ita se tot immortalium beneficiorum memorem futurum, ut ingratitudinis vitio numquam damnari posset. Et si forte erga Franciscum dignam meritorum gratiam reddere nequisset, se tamen, cum ætatis jure post eum supervicturus esset, quod patri referre non potuisset, liberis, ubi opus esset, cumulatissime relaturum. Franciscus, (304) etsi eum imprudentiæ accusabat, quod ita temere non tam suas, quam sociorum res, fortunasque summum in discrimen adduxisset, tamen omnibus remediis illius periculo quamcelerrime occurrendum putavit; cum amici præsertim officium esse judicaret, in adversa magis quàm in prospera fortuna beneficium conferre petenti. Itaque & Regem ipsum, ut bono esset animo, sese illi numquam defuturum recipiens adhortatur; & Pium Pontificem Sarnensi clade exterritum, consiliique incertum, ut erga Ferdinandum in officio perseveraret, literis nuntiisque confirmat. Deinde pecuniam non parvam, & Robertum Sanctoseverinatem ad eum cum equitatu summa celeritate proficisci jubet.

Hæc dum insigni prope Ferdinandi calamitate in Campania geruntur, in Brutiis quoque, unde accersitis in tanto rerum discrimine frequenter auxiliis, maxime ac propediem sublevari exspectabat, res non meliore fortuna gestæ. Picininus enim, qui ut supra docuimus, Aternum amnem transierat, & omnia circumquaque per regionem præter ea, quæ Campani præsidio tenebantur, hostium potestati subegerat, post Sarnensem pugnam propensiore quodam dedititiorum studio magnis copiis auctus, recentique Johannis victoria insolens, qua ierat rediens non longius ab Alexandri, Fridericique castris passibus mille in edito colle contra Sanctum Fabianum posito, castra firmat. Quare incolis, qui proximi erant, & paulo ante Alexandro sese dediderant, mox descíscentibus nostri milites magna ex parte commeatu, pabulationeque prohibentur. Inter bina hæc castra planicies intercedebat non admodum patens. Huc militibus utrimque haud magno numero primo biduo convenientibus, levi prœlio pugnari cœptum est. At die tertio, qui fuit ad decimum Kal. Julias, posteaquam eò à Picinino ventum est, ejus milites multo majore numero quàm antea in eam planiciem descendere cœperunt eo consilio, ut postea cognitum est, ut pulsis inde uno impetu adversariis mox aut in ipsa castra irruerent, aut tumultuantem exercitum in planiciem traherent. Quod ubi animadvertit Alexander, nam Fridericus invalitudinis causâ tabernaculo se continebat, extemplo jubet armari exercitum, & in acie consistere. Deinde ne planicie ab hoste occupata, ad castrorum munitiones claustraque dimicaretur, quod cognoscebat & sibi & universo exercitui propter hostium multitudinem non minus periculosum quam ignominiosum fore, prioribus imperat, ut hostes, qui jam in planiciem conspiciebantur, acriter invaderent, nec ab insequendo desisterent, donec eos ad collis usque radicem ultra fossam, quæ planiciem à colle dividebat, repellerent. Quod cum non multo labore factum esset, Picininus, & magno copiarum numero, & loci opportunitate fretus, quippe qui propter declivitatem sibi æquus, hostibus vero periniquus esset, & ob id ipse hostem premere, nec premi posset, instabat audentius, ut fossa superata, quæ multis locis facile transiri poterat, æquis campis confligeretur; cum non dubitaret, quin eo die vel de hostibus victor evaderet omnino, vel integro exercitu in castra rediret. Alexander contra, cognito periculo, diffisus castrorum munitionibus, si in planum hostis descenderet, mandat præcipue Bosio fratri, omnium fortissimo, & plerisque aliis equitum præfectis, longo rei militaris usu præclaris, quorum virtuti maxime confidebat, ut veteranorum militum robore insignium cohortibus stipati singula singuli fossæ vada servantes fortiter pugnando vim hostium trans fossam sustinerent. Quare orto acri ac perdenso pluribus locis certamine, fit magna ubique equorum strages, ubique hominum cædes. Sed de Alexandri exercitu ob pedestrem multitudinem, qua hostis, ut supra demonstravimus, plurimum abundabat, multo plures cadebant. Idque potissimum accidebat, quod sagittarii per virgulta, vepresque dispositi è superiore loco jacula, tela, & omne missilium genus conjicientes permultos multis vulneribus equos, virosque confodiebant. Pugnatum est eodem loco à vigesima ad tertiam usque noctis horam enixissime, atrocissimeque, quantùm numquam antea ducum nostrorum memoriâ, duobus ma-

(304) MS. etsi tantum Regis errorem & peccatum in conferendo prœlio ægre ferebat eumque imprudentiæ accusabat, quod ita temere non tam ejus, plurimorumque salutem unâ horâ in hostium manus objecisset, quàm belli sociorum res &c.

magnis inter sese collatis exercitibus neutram in partem inclinante fortuna confligere accidisset. Verumtamen non pugnandi diuturnitas, non virorum vulnera, non frequenter cadentium corpora, non insignis equorum calamitas, non noctis adventus, non tenebræ, cum duces hinc atque inde crebris funalibus obstinate uterentur, ea nocte prœlium dirimere potuerunt, ducibus utrisque, altero fossam transire, altero ne transeat, fortissime, pertinacissimeque contendentibus. Sed Picininus postremo, cui & pergere in prœlio, & referre pedem, collis munimento erat potestas, ubi nec hostem obstinatissime, acerrimeque in fronte repugnantem fundere, abmovereve loco posse, nec suum minus quàm adversantem exercitum, defatigatum ac prope confectum videt, receptui cani jussit. Itaque ab utraque parte sedato ubique tumultu, sedatoque dimicantium furore ad multam noctem in castra reditum est. Desiderati sunt in ea pugna utrimque viri fortes permulti, sed ex multitudine multo plures cecidere. Nudatus est Alexandri, Fridericique exercitus equis prœlio conferendo idoneis pæne omnibus. Nam fuere quidem perpauci milites, qui per vicissitudinem non manus eo die conseruerint. Atqui exercitus noster ob eas, quas commemoravimus, causas longe nobiliorem equorum præsertim cladem accepit. Nam adeo fere quisque in stationes lassus confectusque rediit, ut fusi profligatique omnes viderentur. Fuerunt autem nonnulli, qui etsi castris præsidio ab Alexandro destinati erant, tamen perspecto in quanto discrimine exercitus versabatur, collectis raptim sarcinulis, castrisque relictis, sese fugæ mandarunt, nec ab itinere prius cessarunt, quàm Truento superato in Firmanum agrum pervenerunt. Inter reliquos autem, qui militiæ munus eo die perstrenue, fortissimeque obierunt, Bosius Sfortia, Marcus Antonius Taurellus, Christophori filius, Johannes Palavicinus ex Scipiono, Barthelomæus Quarterius, egregii exstitere, veluti ii, qui ab initio ad prœlii usque finem semper primi in fossæ labris inter mille telorum ictus, milleque pilorum cuspides, versantes numquam nisi in equorum aut interemtorum, aut labore confectorum commutatione pedem retulere. Quare proximis militibus partim propria virtute, partim ignominiæ metu forciter persistentibus, & tardatus est hostium impetus, & vi magna ubique repressus. Horum sane præcipua virtute, præter summam Alexandri in administrando, conficiendoque celeritatem, ac in providendo solertiam, prudentiamque singularem, servatum eo die exercitum ferunt. Picininum etiam contra inter prœliantes cervice inermi nunc hos nunc illos adhortando, ad pugnam impellendo, tardos, ignavosque increpando, arma, tela, colubrinasque subministrando à nostris sæpe visum. At cum multa uno tempore Alexandri animum tanto accepto detrimento, quod diligentius, apertiusque die postero cognitum est, non mediocriter perturbarent, illud magis omnibus unum premebat, quod nec ibi manere amplius, nec inde tam propinquis hostibus sine magno omnium periculo abire posse intelligebat. Cum equites fere omnes amissis equis, pedibus ire cogerentur, & magnus præterea militum numerus multis acceptis vulneribus laboraret, in tot difficultatibus constitutis illud ducibus potissimum placuit, ut insequenti nocte magno silentio toto exercitu discederent. Itaque extinctis ubique ignibus, præmissis sauciis, impedimentisque omnibus de quinta vigilia per noctis silentia, inscientibus hostibus, juxta maris litus iere. Nec prius constiterunt, quam ad Truentum pervenerunt. Ibi loco tuto locatis castris reficiendum, resarciendumque à tot incommodis exercitum summa celeritate curarunt. Ad quas res conficiendas non parum profuit missa eo celeriter ex Roma, Mediolanoque pecunia. Terruerat mirum in modum Pontificem non minùs prœlium ad Sanctum Fabianum novissime factum, quam quod fuerat paulo ante ad Sarnum infeliciter commissum. Quare multis etiam Romanæ Curiæ suadentibus viris primariis, de deserendo Ferdinando agitare animo Pontifex cœpit. Quod cum intellexisset Franciscus, ita illius animum confirmavit, ut se in suscepto bello ad certam usque firmamque pacem perseveraturum affirmaverit. Picininus velut in Brutiis quoque victor, in Teatinos reversus, quod per ea loca Ferdinando reliquum fuerat, præter Urbem à Campano, civibusque defensam ad deditionem compulit. Ceterum cum aliquamdiu eorum agros depopulatus, ipsi etiam Urbi multa ac varia detrimenta intulisset, visum est non tam ei vel maxime cupienti quàm Johanni, Tarentinoque, quorum imperio omnia gerebantur, ut relictis Regni finibus in agrum Romanum adversùs Pontificem exercitus celeriter traduceretur, quo ex Brutiis bello in alienos fines translato, & miles prædâ opulentâ ditaretur, & Pius à Ferdinandi auxiliis facilius averteretur. Itaque circa Autumni tempus Picininus, quàm majoribus potest contractis denuo copiis per Pelignos, Marsosque Apenninum transgressus, in Reatinorum agrum primùm irrupit. Nonnulla primo adventu Ursinorum municipia infirma vi capta diripuit, quædam territa per deditionem accepit. Jacobus Sabellus, qui plura in Sabinis Oppida possidebat, sponte ad eum defecit. Quare multis cis transque Anienem flumen longe lateque excursionibus factis, omnia per regionem tumultu & trepidatione ingenti permiscebantur. Jamque non minus Romæ, ac Tiburi, quàm Reate trepidatum. Impuri & perditi homines rerumque novarum cupidi, ubique seditionibus, conspirationibusque studere, & de prodenda patria clandestina inter sese consilia inire cœperunt. Quod & Senis longa, ut supra diximus, Pontificis cunctatio, & nimia peccandi licentia, nullo, quod repugnaret hosti, relicto per ea loca præsidio, maxime faciebant. At ubi Alexander, Fridericusque de tam repentino, inopinatoque Picinini ex Brutiis discessu certiores facti sunt, re diu in concilio communicata, visum est denique omnibus, potius hostis ausibus occurrendum, quàm in Campaniam, quo à Ferdinando post Sarnensem pugnam incredibili studio accersebantur, proficiscendum. Existimabant enim id quod erat, nisi quamprimum ejusmodi Picinini conatibus obstaretur, futurum, ut cuncta illi Romæ ex sententia succederent, quo

nihil

nihil erat ad celerem Johannis, Tarentinique victoria eo tempore magis opportunum nihilque utilius. Ex Asculano igitur agro castra movent, ac per Picentes, & quos Sibyllæ vocant montes in Nursinos, superatis Apennini jugis descenderunt. Deinde per lapidosos difficilesque montes magnis dimensis itineribus in Reatinos campos pervenerunt. Quorum adventu mox omnis repressus est hostis impetus; magni agrestium tumultus, hostiumque populationes, & omnes demum tumultuarii earum, quas diximus, Urbium motus sedati. Amissa Ursinorum Castella non multo negotio recuperata. In Sabinorum fines invasionibus undique factis cuncta Jacobi Sabelli Oppida partim tormentorum vi expugnata, partim obsidione in Pontificis potestatem redacta, præter duo tantummodo Columbarium, & Asperam, quæ erant Jacobo ipsi præcipua, & magno Picinini præsidio, Silvestro Lucino præfecto, munita, & intacta ob supervenientem magnis imbribus hyemem à ducibus relicta. Quibus rebus Picininus cum reliquo exercitu, quo venerat, itinere in Brutios hibernatum redire coactus est. Nec minus Pontifex eadem de causa suas, auxiliaresque copias in propinquas Romæ Urbes, atque Oppida hyematum dimisit. Atque hac tanta rerum novitate, difficultatibusque perterritus denuo scripsit ad Franciscum, orto in ipsius Romæ Urbis portis, ac prope visceribus bello, neque laboranti Ferdinando Regi amplius subsidia subministrare, neque se ab intestinis perfidorum insidiis tueri posse. Ob id oportere ab eo majora è Longobardia auxilia mitti, quibus nonnullorum insolentiam atque temeritatem comprimere, & bello pæne domestico se liberare posset. Quod nisi fieret, ne ipse una cum Ecclesiæ Patrimonio pereat, fore sibi necesse, ut alia suæ saluti, Ecclesiæque rebus consilia sumeret. Quare Franciscus, etsi tanta Pontificis ignavia atque inconstantia non poterat non commoveri & sæpe dolere quod eum haberet in tanto gerendo bello socium, qui quotidie plus molestiæ, plusque negotii daret, quàm ipsi hostes, tamen cum omnia Ferdinandi causâ æquo animo sibi ferenda censeret, ad eum ut bono esset animo, Romamque rediret, adhortatus est, quod omnia propediem ita esset provisurus, ut tuto vivere posset. Misitque propterea cum duabus prætorianis turmis Donatum Mediolanensem, qui se Alexandro adderet. Hæc in Brutiis, Sabinisque gesta. In Campania verò hunc Annus per variam belli fortunam exitum habuit, ut ex Campano agro autumni tempore nondum exacto ab hoste in Apulos reditum est, exercitusque in hiberna distributus. Ferdinandus refecto quamvis ægre præ rerum inopia milite, & Roberti Sanctoseverinatis, quem à Francisco ad eum auxilio missum diximus, recenti Neapolim adventu tantos spiritus resumsit, ut educendum sibi non dubitaret. Quare coacto exercitu, Argensinos primum, deinde Arpos, quorum Oppida, cum & loci natura & opere munitissima sint, in Apuliam ex Campania iter pro temporum conditionibus & præcludunt, & aperiunt, in hostium fere conspectu obsedit. Hos cum non parva tormentorum vi per magnam hyemis acerbitatem diu oppugnasset, per pactionem tamdem in deditionem accepit. Quibus receptis, multa circumquaque Oppida, quibus propemodum Neapolitani premebantur, ad Regem voluntariis animis rediere. Ea adducti Lucas, & Robertus Sanctoseverinates, quos post Sarnense prœlium ad Johannem metu desciviſſe ostendimus, in pristinam Regis fidem reverterunt. Quorum per fines patefactis in Cusentinos itineribus, qui, ut demonstratum est, ad hostes defecerant, Arce in regia fide persistente, misit eo Ferdinandus post suum in hiberna reditum non exiguam militum manum, Luca Sanctoseverinate, & Roberto Ursino ducibus, qui Arce Cusentiam ingressi Urbem sane & antiquitate & auctoritate nobilem, atque opulentam, & Calabrorum caput, in prædam verterunt.

Explicit Liber Vigesimusseptimus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUSOCTAVUS.

INitio insequentis Anni, cum omnia Genuæ quieta esse viderentur, & de bello secura jam Civitas negotiationi intenderet, quod magnæ hostium vires magnaque ducum ingenia priore triennio facere non potuerunt, quies, otiumque discordias peperit. Exhausto tot classibus, præteritorum temporum bellis, ærario Civitas publicæ pecuniæ inopiâ laborabat. Nam ita omnes inveniendarum pecuniarum viæ præclusæ erant, ut quicquid in annuos Urbis sumtus impendebatur, ex privato civium censu peteretur. His igitur quotidianis sumtibus fessi cives quærebant avidius, si qua publicæ habendæ pecuniæ via reperiri posset, qua in tolerando tributorum onere vel liberarentur, vel saltem levarentur. Fuere qui vectigalia quædam nova decernerent, ut ea pecunia in publicos usus erogaretur. Huic sententiæ omnis Nobilitas, omnesque ditioris fortunæ cives assentiebantur. Contra Plebs repugnabat, vociferabaturque nihil hoc aliud esse, quam ut onera, quæ divites pauperesque simul perferre consueverant, in solos pauperes relinquerentur. In hac contentione cum illi nunc arte blandisque nunc asperis verbis Plebem in suam sententiam trahere conarentur, Plebei nequaquam assentientes, murmure, querelisque Urbem replere atque incendere, concilia inter sese habere, regiumque Præsidem orare, & obtestari, ne pauperes tanta injuria affici pateretur. Hoc modo paulatim odia succrescere, plerisque iratum fomenta subministrantibus, qui vel odio regiæ dominationis vel partium studio novis rebus intendebant. Verùm cum sit omnis ejusmodi multitudo sine duce abjecta, clamoribus tantùm sæviens, nihil in Urbe periculi imminere putabatur, nisi additæ essent aliæ seditionum causæ. Erant Genuæ nonnulli & genere & opibus clari, quos Respublica ob eorum plurima merita, vectigalium, tributorumque immunitate donarat. Hos etiam, ut onera in plures divisa tolerabiliora forent, volebant contra fidem publicis oneribus obstrictos esse, asseverantes æquum esse, ut quemadmodum omnes pari honorum commodorumque beneficio uterentur, ita etiam labores, oneraque perferrent. Erant & hi quoque, quos immunes vocant, Regi fideles, & ob id modeste contradicentibus respondere. Sed Præsidem admonere, instare, & obsecrare, ut civiles discordias sedaret, datisque insuper ad Regem literis precabantur, quo rem omnibus seculis inauditam suo decreto rejiciendam juberet. Ubi nihil proficere, remque urgere viderunt, aperte jam renuere, & communicato consilio omnem causam suam tuebantur. Plebi deinde persuadere cœperunt, communem esse causam, communem injuriam, communique consilio tuendam. Plebs igitur horum consiliis subnixa, non languide ut prius, sed audacius obsistebat. Convocabatur fere quotidie Senatus, ac ex omni ordine Cives, ibique disceptationibus tempus terebatur. Jam agebatur nonus Martii dies, cum Plebei Magistratus destinatum in locum convenere, super his controversiis deliberaturi. Ibi cum

A sine ordine, ut vulgi mos est, sententiæ dicerentur, pluresque essent, qui Nobilium injurias quererentur, quàm qui turbulentis rebus remedia adhiberent, multis, ut supra diximus, novandarum rerum cupidis concitantibus, ferunt juvenem obscuro loco natum, & inter obscuros etiam incognitum clamasse. Non opus esse consilio; has gladio contentiones esse dirimendas. Statimque his dictis prosiliisse, & ad arma conclamasse. Qua tamen voce nullus tunc in Urbe motus factus est. Sed ubi ea in Burgo Beati Stephani audita vox est, seditiosissimus quisque, & qui novarum rerum avidi erant, arma corripiunt, impositoque in vicinas Turres

B Divi Andreæ præsidio, palam principio regium nomen invocantes, dissimulabant contra regiam dignitatem haud sumsisse arma, sed ut ab injuriis sese tutarentur. Constat exigua adhuc manu tumultum sedari potuisse, si in ipso initio Præses vulgi furori, ut sæpe ei suasum fuerat, occurrisset. Sed primo missi sunt, qui intemperantes multitudinis animos ratione mulcerent, & per omnes Urbis vicos profecti, ceteros ne arma caperent, prohiberent. Interea armatorum per Urbem numerus augebatur. Superveniente deinde nocte omnes deposito metu arma sumsere. Postquam illuxit, Præses tantum in Urbe accensum ignem extingui non posse

C ratus, nec tutum esse, tantam multitudinem prœlio aggredi, composito agmine, in Arcem Castelletti se recepit. Nec tamen deerant, qui hortarentur, ut arma deponerentur. Sed interim supervenerunt tumultuaria cum agrestium manu Paulus Fregosus Genuensis Archiepiscopus, & Prosper Adurnus. Quibus Urbem ingressis omnis componendæ rei spes sublata est, pulsisque in Arcem Gallis, Fregosa, Adurnaque factio de imperio certabant. Et cum in pluribus per Urbem locis dimicatum esset, omnesque intelligerent illum victorem futurum, qui Arcem obtineret, utraque factio omni studio contendebat, Castellettum in suam redigere po-

D testatem; utque postea à nonnullis firmatum est, operâ Familiæ Spinulæ, quæ simul cum reliqua Nobilitate omni ope regiis rebus obnixe favebat, factum est, ut Adurnus, inito clam fœdere, cum Gallis consentiret, statutumque inter eos fuisse fertur, ut hinc Prosper cum suis, inde Galli Paulum adorirentur. Deinde fusa pulsaque factione Fregosa, Civitas iterum regio præsidi traderetur. Id verum ne sit, non habeo compertum. Plerisque tamen non incredibile videbatur, cum multi præsertim metu, ne si Paulus imperio potiretur, fraternum sanguinem ulcisceretur, & negatam Petro fratri pecuniam repeteret, illum magis magisque metuebant. Certum

E tamen est, Paulum ea suspicione territum noctu cum paucis in proximos montes aufugisse, rerum exitum exspectaturum. Ubi verò dies venit, Fregosæ factionis fautores nunc hos, nunc illos apprehendere, plurimorum animos conciliare, dolos inesse prædicare, & omnia quæ agerentur, in Plebis perniciem à Nobilibus agi pronuntiare; quod expulsa Fregosa factione, Adurna facilius expel-

pelleretur, repositoque regio statu, exilio, carcere, cædibusque in Plebem sæviretur. His in vulgus disseminatis rumoribus omnis repente Populus arma resumsit, utque omnia communi consilio pari spe, æquatoque periculo gererentur, convocatis promiscue omnibus Plebei nominis, quos Artifices nominant: deliguntur viri octo, quibus summa rerum omnium potestas tradita est. Hi primum omnium jusserunt Urbe Prosperum abire. Dein cum omnes expugnandam Arcem censerent, sese operi accingebant. Inter hæc inita per internuntios concordia Fregosus, Adurnusque nullo repugnante in Urbem rediere. Advocatisque in concionem pro more patriæ trecentis prope civibus, præsente, faventeque Paulo, deligitur Genuensium Dux Prosper Adurnus. Compositis per hunc modum inter duas jamdiu æmulas factiones rebus, communi omnium consilio Arcis obsidionem aggrediuntur. Et quoniam his non tam deerant pecuniæ quàm peregrini milites, cùm nec hæ Genuensibus, Civitate omni nondum idem sentiente, vires essent, ut contra potentissimum Regem oppugnandæ Arcis situ, muro, præsidioque munitissimæ, sumtibus diu suppetere possent, & ob id ad alienam opem confugiendum esset, ad Franciscum Sfortiam mittunt rogatum earum rerum auxilium, quas ad expugnandam Arcem usui fore putabant. Francisco, qui jam de repentino motu factus erat certior, eo gratior, jucundiorque ea petitio fuit, quo apertius cognoscebat in sua esse potestate, Gallicam gentem Ferdinando sibique infestam ex ora Ligustica pellere. Et quamquam intelligebat, id negotii multis de causis potius ad Ferdinandum, velut armis à Gallis lacessitum, quam ad se pertinere, ipsumque justius amicorum causam adversùs communes hostes tueri posse, tamen quoniam nec pecunia ille tanto bello pressus ulla, nec milite eo tempore juvare eos valebat, rem ipse eo animo amplexus est, ut nihil ad eam conficiendam sibi prætermittendum putaret. Et tanto libentius audaciusque Genuensis Populi adversùs Carolum Regem causam tuendam suscepit, quod sciebat Ludovico ejus Regis primogenito, quo cum Anno superiore Philippi Burgundionum Ducis interventu amicitiam non vulgarem inierat, se rem non modò gratam, sed gratissimam facturum. Is enim cùm minus eo tempore paternis imperiis obtemperaret, apud Philippum agebat; cujus etiam operâ Franciscus cum Ludovico ipso post inchoatam inter eos amicitiam fœdus percussit. Hortabatur Franciscum propterea Ludovicus, quo patri, Johannique Andegavensi consobrino suo magis incommodaret, ut Genuenses ab illorum imperio sejungi, avertique curaret. Itaque & pedites Genuam proficisci jubet amplius mille, & Thomam Reatinum eo legatum mittit, qui & Arcem expugnandam curaret, & Paulum, Prosperumque in amicitia contineret. Pecunias item mittere non cessavit, quibus milites in ea oppugnatione alerentur, quam sane duram ac diuturnam fore acceperat. Primum Genuæ ex civium censu statuta legibus quotannis publica impensa exigitur, conflatisque magnæ molis bombardis, muro per Urbis Vicos educto, ne erumpere in Urbem obsessi possent, cu-

A stodibusque circumquaque dispositis obsideri summo ardore Arx cœpta. Tenebatur à Gallico præsidio præter Castellettum permunitum Divi Francisci Templum. Quo in loco stabat lectissima trecentorum peditum manus, armis egregie instructa, & animo in quodcumque periculum parata. Unde crebræ in Urbem eruptiones fiebant, & plerumque pro munitionibus acriter pugnabatur. Interdum Scorpionibus, Catapultis, Colubrinisque obsidentes eminus impetebantur. Balistis præterea, bombardisque tecta cum incolentibus ipsis ruebant. Quapropter quotidie vulnera, & magnæ hominum cædes ante oculos erant. Ex quo cognita potiundæ munitissimæ
B Arcis difficultate in sola obsidione spes posita videbatur. Et tamen contra, ne obsessis quies daretur, bombardis, missilibusque quantum ex tuto licebat, oppugnabantur. Missus est sub idem tempus contra Savonam exercitus, qui ubi Urbem firmo Gallorum præsidio servari, Savonensesque in fide perstare cognovit, irrito conatu Genuam rediit.

Dum hæc geruntur, rursus orta est inter Paulum, Prosperumque dissensio. Omnia enim delatorum causâ suspicionis plena erant. Itaque delatis per Prosperum ad Thomam legatum adversùs Fregosos clam querelis, Franciscus cujus nutu omnia Genuæ agebantur, Paulum ad se Mediolanum vocat. Pro-
C sper adversariorum metu liber, majoribus viribus obsidionem instauravit, majoreque diligentia omnia obit. Carolus Francorum Rex, cognita Genuensium defectione, comparari in Lugdunensibus, Viennensibusque quamcelerrime exercitum, Genuamque subsidio obsessis properare jubet. Et Renatus instructis navibus longis decem, post quartum fere obsidionis mensem Savonam applicat. Ac eodem fere tempore ex ulteriore Gallia exercitus eo pervenit. Erant terrestres copiæ, ut à probatissimis auctoribus accepimus, supra sex millia, & omnes equestris ordinis erant thorace & galea tecti. Et
D præter navales socios Renatus pedites circiter mille triremibus imposuerat. Additi sunt plerique Genuensium Nobiles, qui metu Savonam abierant, non exiguam peditum manum ducentes, quos aut mercede conductos habebant, aut beneficiis obnoxios contraxerant. Bidui spatium reficiendo militi, consultandisque rebus datum est. Omnibus deinde paratis, Savona terra marique moventes, in ipso itinere Viraginem Oppidum non multo labore expugnant. Genuenses, auditâ tantarum virium famâ, timor ingens invaserat. Ubi verò tantam multitudinem & terra & mari cum Renato Rege magis appropinquare, Viraginenseque Oppidum expugna-
E tum Genuæ allatum est, tum demum concursare per Urbem, modò Curiam complere, modò per Vicos sine ordine discurrere, & ut in magnis timoribus fieri solet, ad omnem rumorem trepidare. Animadvertebant multi quam difficile futurum terra marique uno tempore magnis irruentium hostium viribus posse resistere, præsertim inter sese Populo diffidente, multisque insuper ex Civitatis primoribus regias partes sequentibus. Illud etiam magis magisque famam, virtutemque hostium augebat, quod feri invictique esse viri & belli periti dicerentur, & qui

qui pro gloria vitam contemnerent. Itaque in tanto rerum timore atque discrimine, Francisco, cui omnia nota erant, & augere ex suo milite, quas ante Genuam copias miserat, non videbatur, ne majore ira duos in se Reges concitaret, quamvis Marcum Pium Carpensem ejus consilio atque pecunia cum equitatu Genuenses magna celeritate in Urbem accersissent. Unicum remedium putavit, ut inter Paulum, Prosperumque renovata rursus concordia, Paulus ipse Genuam revocaretur. Quibus de bello gerendo simul consultantibus visum est utile, præter eas pecunias, quæ è Mediolano mittebantur, alias conquiri, quæ in sumtus publicos satis esse putarentur. Et quoniam sine Magistratuum decreto exigi tributa non poterant, Prosper triginta ex ditioribus retentos Cives, & in vincula conjectos, pecuniam ut quisque pro facultate conferret, obstinate cogebat. Quorum in numero erant multi nobiles ac ex popularibus nonnulli, omnes quidem & genere & opibus clari, ac ex iis plerique Adurnarum partium benivoli. Sed ferunt, id Paulum Prospero persuasisse, ut illata præstantibus viris injuria Adurnum nomen execrabile in Urbe redderetur. Sed tanta fuit eorum, qui retenti erant, patientia, ut neminem fuisse credatur, qui omnia pati potius non maluerit, quàm pessimo & inaudito ad id temporis exemplo pecunia sese redimere. Præter hæc Prosper naves duas onerarias, quæ in Portu stabant, depositis dominis, in sua retinuit potestate, & ad fugam, & ad quodcumque effugiendum periculum paratas. Deinde inter sese constituunt, ut Paulus cum electa ex omni Populo juventute, & Sfortiano milite, in quo omnis spes victoriæ posita erat, in proximos montes consideret, prohiberetque, ne hostes ea parte aut Urbem aggrederentur, aut in Arcem penetrarent. Prosper cum reliquo Populo tutandæ Urbis, ne quis inde motus oriretur, neve aliquis impetus, neve eruptiones fierent ab iis, qui in Arce erant, curam suscepit. Hoc modo majore metu quàm spe adventus hostium exspectabatur. Jamque Galli relicto Viragine præsidio, pacato agmine ad Cornelianum Vicum quinque passuum millibus ab Urbe pervenerant. Quo Prosper, Paulusque cum magna Populi parte, & Marco Pio cum equitatu occurrerunt. Sed prœlium inire non ausi magna multitudine insequentium hostium trepidi pavidique in Urbem rediere. Hostes igitur nullo repugnante, Sancti Benigni Templum, & circumpositos colles occupant. Renatus in vicino litore, Sancti Petri ad Arenam vocant, jactis anchoris stabat. Certum est primo adventu capi Urbem potuisse, si classis in portum recta cursum tenuisset, admotusque statim uno tempore mœnibus exercitus Urbem invasisset. Sed sive reficere fessos milites voluerint, sive aliquos excitari intra Urbem motus confiderent, sive, ut plerique credidere, id consilio, operaque eorum civium, qui in castris erant, factum sit, quos patriæ caritas movisset, ut sine ferro, sine sanguine victoriam adipiscerentur, positis castris eo die, & insequenti nocte quieverunt. Postridie levibus prœliis pro porta certatum est. Genuensibus plerumque victoribus animus in meliorem spem augebatur. Biduo postquam eo ventum est, ante

A solis ortum, exposito Massiliensi milite, instructa acie, subire montem universum exercitum Renatus jubet, ratus si montis cacumine hostes pellerentur, facili deinde in Arcem aditu se Urbem sine periculo, sine labore recepturum. Ipse è navi eventum pugnæ exspectabat. Tripartito agmine incedebant Galli. Ante omnes levis armaturæ milites cum sagittariorum parte præmiserant. In secundo agmine eos, qui bombardulis, Colubrinisque majoribus, quas vehiculis trahebant, utebantur, & totius exercitus robur collocaverant. Gregarius quisque miles, & reliqua navibus advecta calonum, lixarumque turba in subsidiis sequebantur. Paulus

B contra levis item armaturæ militibus sagittariisque præire, & non congredi, sed missilibus tantummodo hostem lacessere jubet. Ipse cum delecta ex omni Civitate juventute, & Sfortiano milite, ut erat ante constitutum, in medio monte constitit, ut subeuntem hostium phalangem ex superiore loco facilius ab Arcis ingressu prohiberet. Reliquam omnem multitudinem ex proximis montibus clamore & concursatione pro loci natura terrere à lateribus hostes imperat. Ex Urbe Prosper, ut prœlio æstuque pugnantes defessi reficerentur, commeatum in montes comportari curabat, & ad mare, si forte classis impetum faceret, juventutem armatam

C reliquit, contraque obsessos copiarum partem collocavit. Ipse cum electis ex reliquo Populo viris in Prætorio ad omnes impetus paratus erat. Jam Galli eam planiciem, quæ in primo colle conspicitur, nullo obsistente prætererant, & per ardua montis subeuntes primam Genuensium aciem, paucis vulneratis propulerant. Inde audacius progressi, secundam adoriuntur. Ibi acriter dimicatum. Submissaque deinde secunda Gallorum cohorte, prœlium acrius crudeliusque instauratur. Genuenses cum fessis ac sauciis integri succederent, ex loco superiore tela conjicientes facile hostem aut repellebant, aut retardabant. Contra Galli & loci iniquitate &

D armorum pondere fatigati, æstu quoque & siti deficientes, ægrius languidiusque pugnare cœperunt. Jam ad meridiem usque certatum erat, pari omnium periculo. Cum eo tamdem certamen, ut plerumque in committendis prœliis fieri solet, deductum est, ut ex duobus adversis collibus, qui ceteris in excelso monte editiores essent, acriter pugnaretur, hoste utroque illorum se munimento tutanti. Nam hinc Galli bombardulis, Colubrinisque frequentibus terrere Genuenses, atque è collis tumulo, ubi se vallo Paulus & Sfortiano peditum robore pro tempore munierat, pellere conabantur. Inde

E Paulus Gallos confertissima acie in colle persistentes catapultisque & omni missilium genere, quorum Genuæ magna erat copia, è regione acerrime impetebat. Confligebatur præterea eodem tempore cominus hastis in convalle, quæ inter colles erat, non admodum lata, fortissime, cum nunc Galli equites Sfortianos milites ad Pauli usque tumulum rejectos insequerentur, nunc Sfortianis rursus resistentibus & telorum vi repulsi Galli ad suos redire cogerentur. Cum sic aliquamdiu dimicatum esset æquo certamine, dubiâque victoriâ, supervenerunt eo ex insperato in ipso propo prœlii furore tres soli

ex

ex Sfortianis peditum præfectis, Carolus Cademustus Laudensis, Georgius Dalmata, qui à pelta, quam vulgo Targetam dicunt, cognominabatur, & Nicolaus Epiro oriundus, viri fortissimi, & rei militaris peritissimi, & inter Sfortianos virtute clarissimi. Quos idcirco Franciscus è Mediolano ad Paulum, Prosperumque miserat, ut magnam equitum peditumque vim Tiberto Brandolino duce, à se ad Genuenses auxilio missam palam pronuntiarent in vulgus, & illorum ipsi opera in bello uterentur. Qui ut jussi erant, faciunt, adduntque eas jam copias appropinquare, & multos qui procul venientes conspiciebantur, manu ostendebant, quos ipsi ex proximis Portiferæ Vallis vicis sibi ex itinere asciverant. Quo nuntio tanta subito omnium gratulatio fuit, tanta omnes lætitia cepit, tantaque omnium animos virtus incessit, ut omnes uno tempore ac undique sublato clamore ingenti Sfortianum, Ducaleque nomen invocantes, in hostes summa alacritate impetum facerent. Quem cum nec ipsi Galli jam tantis clamoribus & novo, ut credebant, hostium subsidio perterriti, paululum sustinere potuerint, terga priores verterunt. Et quamvis subsidiaria acies prœlium susceperit, pugnamque paulisper redintegraverit, tamen ab universa multitudine, quæ in montibus circumstabat, pugnæ eventum prospectans, clamore terribili à multis lateribus facto concursu, Galli impetuntur. Paulus ante primos suos hortatus, hostes insequi cædereque jubet. Ita telorum, hominumque multitudine obruti, & timore, laboreque languentes Galli in fugam vertuntur. Quos Genuenses, Sfortianique milites per declivum ad ipsum usque maris litus cædendo insecuti sunt. Ferunt Renatum Regem, cum multi suaderent, ut fugientes suos navibus recipi juberet, indignatione permotum respondisse, fugientes prœlio milites nullo pacto recipiendos esse, prohibuisseque, ne classis litori appulsa quemquam exciperet, ut omni ad classem spe reductionis sublata, æquatoque omnium discrimine ad resistendum constantiores, & ad subeunda pericula paratiores essent. Sed ne id quidem consilii quicquam jam victis profuit. Deletus est exiguo temporis spatio ad internecionem exercitus omnis. Cæsa sunt ab agresti & immani multitudine, Populoque Genuensi, ut postea Franciscus à verissimis auctoribus cognovit, ex Gallis duo millia supra quingentos. Quorum cadavera cum die postero pluribus locis nuda humi jacentia reperirentur, fuere à sepelientibus diligentissime enumerata, præter eos, qui cum nando graves armis naves peterent, unda exceperat, quique ad necem vulnerati commiseratione multorum, & eorum præsertim, qui militarem disciplinam profitebantur, aut in Urbem, aut in proxima extra Urbem ædificia semianimes relati sunt. Quo in tanto occisorum numero fuere multi cum nobilitate tum rebus gestis viri insignes. Reliqui ad unum omnes capti, & spe redemtionis servati. Ex Genuensibus tres aut quatuor ad summum in ipso pugnæ initio interemtos, vulneratos complures ferunt.

At vix dum parta victoria fuerat, cum nova, civilisque contentio orta est, & occulta pectoribus odia emersere. Prosper veritus id, quod paulo post evenit, misit statim, qui Fregosos prohiberent, ne Urbem ingrederentur, & Mediolanensem peditatum, obæratos, fautoresque suos ad eum ire edicerent. Quod ubi Pandulfus Pauli frater persensit, piscatorio lembo celeriter Pharo trajecta, per angustias portus in Urbem penetravit. Et non multo post Paulus quoque mari Urbem ingressus fratri se adjunxit. Prosper denuntiari Fregosis jubet, ut Urbe excederent. Illi primum modeste respondere, si ita Prosper velit, se abituros, sed ignorare quid causæ sit, cur initâ paulo ante tantâ inter sese concordiâ, & tanto suo, suorumque periculo partâ victoriâ ita repente patriâ pellantur. His atque aliis verbis cum tempus tereretur, Bartholomæus Auria Lambæ filius, qui in regia navi erat, ubi actum esse de Gallis vidit, duabus triremibus in portum vectus, expositisque navalibus sociis, collectisque clientum quibusdam, non parvo Fregosæ parti adjumento fuit. At Prosper Carolo fratri cum parte copiarum Paulum adoriri jubet. Itaque cum pugnatum esset aliqum diu, victor apparebat Adurnus, fuissetque, ut fert multorum opinio, nisi Mediolanensis cohors prœlio abstinuisset, neutri parti propensior, incerta quidem illa uter de Civitatis principatu in tanto rerum motu contendentium futurus esset victor, Thoma legato præsertim absente, & præfectis omnibus unum se tantum scire asserentibus, Mediolanensium Ducem factionem utramque diligere, & pulsis Genua Gallis quicumque Urbis Principatum obtinuerit, eum in amicorum numero habiturum. Tanto Adurnus præsidio destitutus, urgentibusque Fregosis, paucis comitantibus fugiens, Urbe excessit. Quare victores, resistentibus nullis, Fregosi mox Urbis totius imperio potiti sunt, declaratusque est deinde Genuensium Dux, Paulo assentiente, Spineta ejus consobrinus. Inter hæc Ludovicus Fregosus, qui jam Genuensium Dux fuerat, Civitati non ingratus, Serzanæ agens de his, quæ Genuæ gesta erant, certior factus, contractis extemplo in Lunensibus per delectum copiis, terrestrique itinere contendere jussis, ipse Genuam mari proficiscitur. Quo cum pervenisset, insequenti nocte, regio præfecto in classem ad Renatum perducto, Bartholomæo Auria, & aliis civibus multis annitentibus, Renatus ipse Castelletti Arcem ei tradi jussit. Ita triduo post deposito Spineta, Ludovicus Genuensium Dux deligitur. At Renatus Genua solvens Savonam, re infeliciter gesta, petiit, ibique non multos dies moratus relicto Ludovico Valla cum eodem præsidio, quod in Castelletto secum habuerat, Massiliam classe redit. Quem cum sæpe insignem suorum calamitatem indoleret, dicere solitum ferunt, non à Genuensibus regium exercitum, sed à Sfortiano primum peditatu profligatum, mox deinde à Genuensibus deletum. Hoc tantæ cladis ad Carolum Regem gravissimo jam morbo laborantem nuntio perlato, ferunt, qui illius curam habebant, prohibuisse, ne ejus tam injucundæ rei quicquam persentiret, & tamen paucis post diebus Regem magna rerum gestarum gloria excellentem vitâ excessisse. Quo mortuo Ludovicus ejus primogenitus, quem apud Philippum Burgundionem in Belgis agentem diximus Philippo ipso, & Carolo unico ejus filio comitantibus,

bus, in Urbem Parisios profectus, communique omnium voluntate exceptus, in regno successit. Hunc cum salutatum, gratulatumque adiisset Francisci legatus, qui apud eum moram trahebat, rogassetque, ut cum esset divina clementia regiam dignitatem assecutus, ictum cum Francisco fœdus probaret, mox se in Franciscum haud mediocriter iratum ostendit, cum illius consilio, ope, opera, patrium ad Genuam missum exercitum periisse diceret, eumque Johanni Calabrorum Duci consobrino infestum adversari, & Ferdinando regiæ Francorum Domui hosti amicissimum magnis viribus auxiliari. Cui cum respondisset legatus, ea omnia non modò ejus voluntate sed hortatu etiam gesta esse, rursus Regem dixisse accepimus, honoribus mores mutari, graviterque suos incusasse, qui Mediolani cum Francisco fœdus inierant; seque propediem in Italiam ad ulciscendas adversùs Genuenses injurias majoribus exercitum viribus missurum affirmasse. Interea & Alexander, Fridericusque in Sabinis, & Ferdinandus in Campania, facta pabuli copia, ex hibernis eduxerunt. Dein Fridericus, Ecclesiasticis copiis sibi adjunctis, in Jacobum Sabellum à Pio Pontifice ingenti studio missus. Alexander adversùs Picininum, qui Sulmonenses in regia fide persistentes à proximis Populis undique interclusos gravius premebat, proficisci jussus est. Sabellus Picinini auxilio destitutus, in gratiam cum Pontifice rediit, Silvestro Lucino cum præsidio incolumi abire permisso. Ex quo pacatis omni ex parte Romanis rebus, Fridericus Petrum Johannem Paulum Cantelmum, quem initio Gallici belli à Ferdinando defecisse demonstravimus, propinquosque incolentes Populos Pontificis jussu invasit, qui multa per eam æstatem Campani agri Castella atque Oppida, quæ Andegavensium insignia erexerant, Caudolis etiam magnis proximorum Procerum, Brutiorumque Populorum viribus auctis fortissime repugnantibus, partim expugnavit, partim per voluntariam deditionem in fidem recepit. Quæ etsi in Neapolitani Regni finibus sita erant, Pius tamen Ferdinando, Franciscoque id ægre ferentibus, præter jus fasque in suam retinuit potestatem; effeceratque is quoque incredibili pæne studio post Sarnensem pugnam, ut Andreas alter sororis filius Castelleono Piscariæ Oppido à Rege donaretur. Quod ut docuimus, in Etruria est Senensium finibus proximum, ab Alphonso primo, quod cum Florentinis gesserat, bello occupatum. Alexander per Sabinos, Marsosque in Sulmonensium fines pervenit. Dein factis circumquaque incursionibus multis, prædaque ingenti ex agris abacta, in planum, quod Sulmonense appellant, descendit. Ejus adventu Picininus montuosis iniquisque locis se continere cœpit. Ob id levia tantummodo prœlia fieri cœpta. Acciditque ut per eos dies Donatus Mediolanensis itinerum locorumque situm speculandi gratiâ castris cum paucis egressus in hostium insidias incaute prolapsus caperetur, moxque ad Picininum perductus in vincula conjiceretur. Multa interim Oppida cum ipsis Dominis Sulmonensibus proxima, quorum Cellanum, Populumque fuere primaria, Alexandro sese dediderunt, liberamque illi deinde Aterni trajiciendi amnis potestatem fece-

A runt. Sed dum Alexander Matthæo Campano sibi addito, Picininum æquum in locum trahere conatur, & ille se montibus, munitisque locis continet, tempus teritur. Quare perspecta Alexander, omnibus copiis adoriri hostes ubicumque esset, instituit. Itaque instructa acie cum in eum ire contenderet, ille metu territus præcisis à pabulatoribus magna celeritate funibus, levatisque onere jumentis, ac uno eodemque tempore collectis per castra sarcinis, longiore omnium opinione, intervallo ab ejus castris in munitiora loca fugiendo secessit; continuatisque deinde itineribus non prius restitit, quam se Johanni adjunxerit. Dum hæc agerentur, Ferdinan- B dus in Apuliam transierat. Johannem, qui se Apulis Urbibus continebat, sæpius in pugnam provocarat; feceratque, ut hostes neque unum in locum coire, neque munitionibus exire auderent. Ipse per Apuliæ campos impune vagatur, Sanctumque Angelum Oppidum in Gargano monte situm, opibus non obscurum, vi cum præsidio captum prædæ militibus concedit. Sed ubi de Picinini adventu certior factus est, Alexandrum ut ad se quammaturime contendat, multis nuntiis edocet. Ipse, quod in apertissimis Apuliæ campis, ubi omnia hostilia erant, contracto magno ab hoste exercitu, amplius consistendum non videbatur, per patentissimam Sipontinorum plani- C ciem ad Aufidum flumen profectus non procul à Barulo resedit; quod est Oppidum mœnibus apprime munitum, & Populo frequens, & inter reliqua illius Regni Oppida nobile, famaque celebre, & Gottholano nomini deditissimum. Huic proxima est Tranensium Urbs in Apulis clara atque opulenta & Regi item fidelissima. Præter duo hæc Oppida, & quæ à Francisco Baucio Adrianorum Duce possidebantur, ad id temporis nihil fere in omni Apulia Regi fuerat reliquum. Andegavensis cum primum appropinquare Apulorum finibus Picininum cum exercitu cognovit, confestim eduxit, & Picinino conjungitur. Idem facit Tarentinus. Deinde nulla D cunctatione Baucium invadunt; compositisque paucis post diebus per inducias rebus, ad Aufidum & ipsi quoque à loco superiore castra ponunt. Ferdinandus eo hostium adventu, quo tutiore loco esset, Oppido admovet, ibi eo usque moraturus, quoad Alexander cum auxiliaribus copiis advenisset. Fuerunt permulti, qui advocato concilio suadebant, ut se Oppido Rex cum exercitu includeret. Sed Robertus Sanctoseverinas oratione & auctoritate sua prohibuit, cum nihil eo tempore Regiæ auctoritati turpius, nihil ad augendam hostibus æstimationem utilius diceret. Quare extra Oppidi mœnia toto exercitu munitione ab apertis castrorum lateribus celeriter perfecta, se plures E dies continuit. Cui repens & inopinatus pæne adventus Georgii Castriotæ viri fortissimi, & rei militaris usu Turcarum more insignis, quem barbaro vocabulo Scanderbech nominabant, ex Epyro moventis cum octingentis circiter equitibus, navibus in Tranensem portum advectis, non mediocri adjumento fuit. Is enim cum graviter continenterque per superiora tempora à Turcis premeretur, sæpe ab Alphonso Rege & milite & frumento adjutus, voluit accepti beneficii memor Ferdinando filio beneficium coram-

tam

tam necessario tempore reddere cumulatius. Pugnabatur pæne quotidie inter bina castra non multo milite, pari fere certamine; cum nec totam hosti Ferdinandus pugnandi potestatem faceret. At posteaquam Alexander Brutiis cessisse Picininum cognovit, ad Johannem profectum ratus, relicto in Teatinis Campano, comparatisque pro tempore haud multorum dierum cibariis, ex Brutiis movet, & per Apennini saltus magnis tamdem difficilibusque confectis itineribus, post octavum diem Beneventum pervenit, magno pecorum abducto numero, quæ per montium juga vagus miles ex itinere ceperat; quorum ope exercitus cibariorum inopia pressus plures se dies aluit. Exin in Apulos non longe à Luceria descendit. De Alexandri adventu hostes crebris nuntiis certiores facti, castra quamprimum movent, seque à Ferdinandi castris procul avertentes, in loca tuta duxerunt. Ferdinandus ab Alexandro de suo in Apuliam accessu edoctus, facta sibi ab hoste abeundi ex Barulo potestate, ubi dies complures pæne obsessus manserat, ad Alexandrum exercitu omni contendit; junctisque copiis Jesualdum Oppidum circumsedit. Quo haud multis post diebus simul cum Arce, cernentibus hostibus, expugnato ac in prædam verso, Ferdinandus, hostesque eodem fere tempore in hiberna rediere. Per eam hyemem Nolani præclusis à Rege Apennini itineribus, quibus ad eos ex Lucanis frumentum quotidie importabatur, laborare durius rei frumentariæ inopia cœperunt. His Ursus Comes, quem à Venetis ad Tarentinum cum equitatu profectum commemoravimus, à Tarentino ipso cum præsidio destinatus præerat. Qui seu ea frumenti penuria coactus, seu alia ratione ductus, assentientibus Nolanis, amicus ex hoste factus, Regi sese dedidit. Quæ sane res quacumque ex causa profecta sit, tum Neapolitanis ea tempestate, tum Regi ad res benegerendas magno usui fuit.

Sub idem fere tempus Sigismundus Malatesta Andegaviensium partis factus, ruptis ejus pacis fœderibus, quæ priore biennio cum Pio Pontifice firmaverat, primum Mondavinorum Arcem in agro Piceno per proditionem cepit. Deinde infesto exercitu Romanæ Ecclesiæ fines ingressus, aperte bellum Picentibus intulit; & non multo temporis spatio cuncta oppida atque municipia, quæ Pius per eam pacem Ecclesiæ patrimonio adjudicaverat, & postea uti demonstratum est, (305) Antonio concesserat, præter Senogalliam per deditionem occupavit. Ludovicum Malvicium præterea, quem Pius cum non parvo militum numero Picentibus auxilio miserat, adortus primo fere impetu profligatum fugavit. Hoc præceps Sigismundi consilium Francisco molestissimum fuit: quippe qui eum post firmatam cum Pontifice Pio pacem assidue monuisset, rogassetque, ut pro ejus commodo in pace mallet cum stipendio etiam non indigno vivere, (306) quam se rursus ancipitis belli casibus objectare; sed si tanta belli gerendi cupido incessisset, ut omnino in alteram decertantium de Regno partem sumere arma instituisset, prospiciendum esse quo se verteret. Consilii sui esse, cum Dominicus Malatesta frater, Andegavensis, Braccianæque factionis esset, ei Pontificis, Ferdinandique partes amplectendas; quod utravis pars bello cessisset, ipse in tuto esset. Nam si Ferdinandum Andegavenses superaverint, fratris causa nihil ei mali accidere posset, Sin Andegavenses ipsi cesserint, res sua, fratrisque ejus etiam causa in portu semper foret. At ille studio contrario ductus sapientissimi Principis consilium neglexit, sed brevi spreti consilii pœnas dedit. Eodem Anno circa Kal. Augustas Franciscus ob continuam animi solicitudinem, Italiâ novis bellorum exæstuante incendiis, quibus & consulere & occurrere sui officii esse judicabat, in febrem incidit continuam, eamque adeo gravem ut dies noctesque cruciaretur. Nec multo post & aqua intercute, articularibusque morbis universo prope corpore ita vexatus, ut sæpe ac multum de ejus vita fuerit dubitatum. Nec tamen in tanta malorum mole atque discrimine destitit umquam excelsi ac invicti animi vir, quominus omnia provideret, pararet, moderaretur, quæ tum suis, tum Ferdinandi rebus conducere arbitrabatur. Itaque cum & optimum factu fore, & ad res præsentes maxime pertinere existimaret, tametsi in dies magis atque magis ea invalitudine conflictabatur, legatos misit ad Ludovicum Francorum Regem (307) Petrum Posterlam, Thomam Rheatinum, & Laurentium Pisaurensem, qui & acceptum de illius patris obitu dolorem exponerent, & quod tanti regni gubernacula cepisset, ei gratularentur. Per idem quoque tempus Veneti, ac Florentini eamdem ob causam legationes miserunt, omnes humaniter Rex, quos tamen Franciscus miserat, benignus, excepit. (308) Quo tempore omni adhibita diligentia tentavit eum à Ferdinandi amicitia avertere, &

(305) MS. Antonio sororio concesserat &c.
(306) MS. neutram in partem inclinans, quam se, ditionemque suam rursus &c.
(307) MS. qui, ut supra ostendimus, mortuo patri Carolo in regnum successerat, magnæ fidei & auctoritatis apud eum viros, Petrum &c.
(308) MS. Ducales autem legati, qui diutius apud Regem mansere, per literas Francisco significarunt; Florentini verò, quorum principes erant Philippus Medices Archiepiscopus Pisanus, & Petrus Pazius Eques Auratus, in patriam redeuntes, coram ex itinere, regio nomine eidem renunciarunt, ut à ferendo in reliquum tempus Ferdinando Tarraconensi auxilio desisteret; quin potius in Renati Regis avunculi sibi carissimi partes ascisceret. Quare eum hortari & rogare, ut Renato avunculo, ac Johanni Calabrorum Duci ejus filio, consobrinoque suo, quidquid posset opis ferre studeret. Id enim Ludovico Regi futurum quamgratissimum. Addebatque id summi se beneficii loco habiturum, operamque daturum, ut gratissimum se fuisse judicaret. Quod si minus ad id animum induceret, unum saltem, quod honeste præstare poterat, efficere eum poscebat, ut neutram in partem se propensiorem redderet. Illudque etiam firmum, exploratissimumque haberet, ubi cum Renato Rege sentire, suisque rebus adesse instituisset, quamcumque ab eo conditionem exposceret, facile assecuturum. Quod si secus faceret, perseveraretque adversus suos Tarraconensium causæ favere, se omni spe ad consequendum Siciliæ Regnum suis necessariis affuturum; foreque deinceps, ut ei semper adversaretur. Quibus auditis rebus Franciscus etsi ea morborum mole, doloreque gravissime premebatur, intelligebatque, si Andegavenses citeriore Siciliæ Regno potirentur, magnum sibi suisque periculum imminere, nihilo tamen secius à pristina sui animi sententia ullo pacto discedere instituit, quo-

& Renato avunculo, ejusque filio Johanni consobrino suo reconciliare. Sed ea fides & constantia Francisci fuit, ut neque tanti Regis auctoritate, nullis præmiis, nulla periculorum denuntiatione abduci potuerit. Moriturum se prius adjurabat, quàm in calamitate amicum deserturum. In ea re amicorum, familiarium, consiliariorum adhortationes precesque negligebat. Egerat idem Rex per legatos primum cum Pontifice, mox per Johannem Atrebatensem Cardinalem, ut Tarraconensis partes desereret. Nisi id fecisset, novum Concilium minitabatur. Pontifex respondebat, se id in tuendo eo Rege in Regni possessione facere, quod è justitia honoreque suo esset. Hæc palam pronuntiabat Pius. Clam verò ea se facturum dicebat, quæ Franciscus Mediolanensium Dux, qui esset in causa, bellique societate primus, facere tamdem instituisset. Rursusque ut erat ingenio astuto callidoque, cum suis, tum Othonis Carreti, qui apud eum pro Francisco legati munus gerebat, literis significabat, se nullo pacto perferre amplius posse infinitas pæne molestias, quæ ei & à Francorum Rege, & à plerisque Ecclesiæ Prælatis, & ab universa prope Romana Curia quotidie inferebantur. Quod Ecclesiam Dei in tantis bellorum periculis atque incendiis posuisset, dum Ferdinandum in Regni possessione tueretur. Esse satius contendentium exitum spectare, & neutram in partem inclinare, Romanæ Ecclesiæ patrimonium in pace regere, & tantam pecuniæ vim pro Fidei Christianæ beneficio adversùs Turcas erogare. Hæc & hujusmodi Pontificis animum plurimum solicitantibus, (309) & ab instituto non mediocriter deterrebant, præcipue cum intelligeret Franciscum graviter ægrotare; de cujus vita plurimum dubitabatur, & rem Ferdinandi in maximo periculo positam. Franciscus contra perterritum Pontificis animum iterum erigebat, augebat, constantioremque ad præstanda Ferdinando Regi auxilia reddebat, cum præsertim ostenderet non modo nihil amissurum, sed ampliorem potius cum Romanæ Ecclesiæ, tum necessariis suis ditionem adepturum. Quas ob res dicere Franciscus solitus est, longe difficilius, laboriosiusque sibi esse, continere Pontificem in officio, quam ejus belli sumtus, molestiasque perferre. Per idem fere tempus, cum rumor circumquaque vagaretur non modò per cisalpinam Galliam, sed per universam prope Europam, Franciscum aut mortuum, aut propediem moriturum, Placentini agricolæ, viri in primis seditiosi atque improbi, rerumque novarum cupidi, magno undique coacto numero cœperunt primùm in Francisci Magistratum jura ruri reddentem, Quæstoresque impetum facere, cum dicerent nolle amplius oneris quicquam subire, aut pecuniarum aliquid pendere, quod pro patriæ more hactenus pendere consuevissent. Suntque tanta amentia, furoreque incensi, ut Placentiam Urbem, quam omnino defecturam arbitrabantur, infesto agmine adorirentur. Civitas omnis in factiones quatuor divisa tanto agrestium tumultu confestim in arma commota est, cum ipsæ inter se factiones divisæ altera alteri maxime diffideret. Quibus de causis, cum esset ingens rusticorum manus elata, & ab amicis in Urbem per muros admissa, in id res

---

quominus & fidei & officio & Societatis Italicæ fœderi incorrupte sancteque satisfaceret. Qua quidem in re non tam amicos quam domesticos suos omnes adversam in sententiam habebat, & in primis Blancam conjugem, Senatumque universum ac reliquos, quibus erat carissimus, præter unum Angelum Acciarolum honestissimum Florentinum, Equitem Auratum, de quo in superioribus commentariis mentionem fecimus. Qui etsi antea factionem Andegavensem miro quodam studio sequebatur, tamen mutato consilio cum Ferdinando unice sentiebat. At Blanca ut erat mulier prudentissima, quum de viri vita in tanta morborum magnitudine non temere dubitaret, cupiebat Francos, Andegavensesque simul sibi ac filiis reconciliare, uxoremque tradere Johanni Duci Hippolytham filiam, quam proximis annis, ut ostendimus, magno studio petierat, idemque novissime per legatos renovarat. Quam ob causam Blanca & per se & per alios magnæ auctoritatis viros, quum per tempus licebat, sæpissime virum hortata est, ut secum animo volutaret, quanto in periculo res suæ nutarent; & ob id, dum poterat, vellet suæ, liberorumque saluti prospicere. Quod solùm fieri posse intelligebat, si cum Andegavensibus sentiret. Quæ quum Franciscus audisset, non potuit tamdem se prorsus continere quin paulo excandesceret, non solùm quod animadvertebat multis indiciis uxorem de ejus vita dubitare, sed quod auderet quispiam eum à justitia honestateque avertere. Itaque jussit, ne quis post hac tentaret ea de re minimum quidem verbum facere, quum semper diceret, malle se non Principatum modò, sed vitam etiam ipsam amittere, quàm à fide promissisque discedere, & virum inconstantem atque perfidum existimari. Eodemque modo responderat Florentinis legatis. Respondebatque omnibus Mediolanum flectentibus, qui eum de re hujusmodi alloquebantur. Quum nihil esse diceret in humana vita præclarius, nihilque Principe dignius, quàm inviolate fidem servare: nihil contra turpius, nihilque homine libero indignius quàm fidem fallere. Quæ verò Ludovicus Rex, ut supra demonstravimus, Francisco renuncianda jusserat, eadem fere Pio Pontifici per suos primum nuntios, postremo per Johannem Atrebatensem Cardinalem referenda curavit, adjecitque, nisi desisteret Pius Tarraconensi causæ studere, se navaturum quamprime operam, ut novum celebraretur Concilium, quod in ejus auctoritatis dignitatisque diminutionem futurum esset. Qua re Pontifex adductus, respondebat iis, qui Ferdinandum oppugnabant, se id in tuendo &c.

(309) MS. & ab instituto non mediocriter deterrebant; præcipue quum intelligeret Franciscum graviter ægrotare, de cujus vita plurimum dubitabatur; videretque rem Ferdinandi in maximo periculo positam. Et ob id diceret, esse præsens Ferdinandi negotium illius hydræ persimile, cui septem capita exstitisse fabulantur, pro quorum singulis præcisis, septem extemplo pullularent. Quandoquidem in eo bello, si quicquam prospere Ferdinando semel successisset, hostes septies essent superiores. Itaque non minus esse Francisco Duci de sua, suorumque salute, quàm sibi de re Ecclesiastica consultandum, donec res integræ adhuc essent, haberentque non minus auctoritatem quàm facultatem. Ad hæc eodem modo Franciscus contra respondebat semper, se omnino id curaturum in tuendo Ferdinando Rege, quod honestum, honosque suus expeteret. Et ut idem ipse Pius faceret, etiam atque etiam multis argumentis hortabatur, addebatque, ne aliquorum minas, inanesque sermones, quibus Galli maxime studebant præsertim, metui sibi duceret. Non enim vereri se, si ii fierent ab utroque conatus, qui fieri facile poterant, quin brevì optata essent victoria potituri. His Franciscus contra responsis perterritum Pontificis animum &c.

res urbana discriminis adducta est, ut parum defuerit, quo minus per aliquos seditiosos Cives à sui Principis fide deficeret. Sed ea fuit singularis Conradi Foliani, qui eo celeriter missus fuerat, diligentia atque solertia, ut & Urbs servata sit, & rustici ipsi multis pollicitationibus adducti ad sanitatem redierint, reconciliatique in loca quisque sua remigraverint. At Florentini, (310) ubi intellexerunt, quanto in periculo ejus Principis vita versaretur, veriti, ne quid Veneti, ceterique finitimi molirentur, confestim duos è Civitatis primoribus Bernardum Medicem, & Detesalvium Nigium, Mediolanum legatos miserunt, qui si quid Francisco accidisset, Blancæ uxori, filiisque consilio, auxilioque adessent. Ceterum non multo post tempore rustici iidem Placentini coacta majore manu, rursus maximo in arma tumultu concurrerunt, sibique præfecerunt hominem temerarium, atque improbum, Comitem Honofrium Anguissolam, quem priori tumultu clam initium dedisse ferunt. Et nunc hæc nunc illa Nobilium municipia invadebant, obsidebantque, omnia se ferro, ignique vastaturos interminantes, ni sese municipes dederent, qui eos in tanto facinore sequi noluerant. Qua re cognita, eo mittitur celeriter Francisci jussu Donatus Mediolanensis, qui post longam captivitatem à Picinino tamdem in libertatem restitutus in Longobardiam per hyemem redierat. (311) Is è Placentia cum fortissima instructaque militum acie movens, primo impetu facinorosissimorum hominum phalangem fudit, fugavitque. Magna pars capta est atque interemta. Ipse Honofrius, qui & tam nefandi facinoris auctor, & scelestorum dux fuerat, exterritus in sua se municipia receperat. Sed à suis etiam necessariis & agnatis non multo post cum in Genuensium fines fuga contenderet, interceptus, & ad Franciscum perductus, multis assiduisque gentilium precibus, ne quid in eum acerbius statueretur, vitâ donatus, in carcerem tamen conjectus est. Bona publicata. Per eosdem dies Tibertus Brandolinus, quem ob spectatam in re militari virtutem Franciscus multum semper dilexerat, quod primo rusticorum motu, ut postea cognitum est, futurum existimaret, ut is ex hac luce migraret, clam cum rusticis conjurarat; eosque ut arma caperent, secreto hortabatur, affirmans se illis una cum Picinini copiis, quæ in Flaminia erant, auxilio fore. Sed ubi Franciscum (312) convalescere vidit, transfugere decrevit, Johannis Andegavensis, Picininique partes secuturus, quibus cum jam conspirarat. Utque fugam facilius commodiusque pararet, simulat se cùm Cornelia conjuge Flaminiam petere instituisse, ut uxorem daret Leonello filio, brevi Mediolanum rediturum. Itaque venia à Francisco facile impetrata, qui nihil mali de homine suspicabatur, ob magna præsertim in eum collata beneficia, evenit interim, ut Franciscus à quibusdam Tiberto carissimis, quibus cum omnia consilia communicare solebat, fieret certior, Tibertum cum magna militum manu è Longobardia in Flaminiam brevi abiturum. Franciscus hominem, dum adhuc Mediolani esset, retineri jussit, qui nec quæ de ejus fuga enuntiata fuerant, negavit. Eo igitur in carcerem conjecto, diu ac multum Franciscus, ut erat humanissimo clementissimoque ingenio, quid de homine agendum esset, addubitavit. Sed tamdem cum & ipse per superiora tempora satis superque hominis mores cognovisset, didicissetque per eos, quos illius custodiæ præfecerat, animo esse Tibertum ulcerato, & ad quodcumque perpetrandum facinus promtiore, quam umquam antea exstitisset, decrevit non necandum sed perpetuo carcere asservandum. At ille, ut erat immani, diro, efferatoque animo, conscius sibi perfidiæ, veritus, ne publico judicio obtruncaretur, sibi ipse (313) mortem conscivit, vir ingenio acri, callidoque, & animo insuper feroci, corpore robusto, longo rerum bellicarum usu peritus. Sed nulla ei fides, nulla pietas, nulla religio, nullus Dei metus, & dira in primis crudelitas, varius quoque, & mutabilis gloriæ, divitiarumque appetens, & rerum novarum cupidus. At Franciscus, etsi diutius incurabili illa vi morborum vexatus est, tamdem in ipso vere partim singulari peritissimorum medicorum diligentia, partim ob miram corporis fortitudinem atque temperamentum summamque animi patientiam, cùm nulla in re detrectasset ulla umquam remedia, quæ ipsa pæne morte acerbiora videbantur, liberatus est à perpetua illa febri, & ab intolerandis articulorum doloribus. Et quantum videri poterat, ab ipsa etiam aqua intercute; qua tamen ob malam hepatis dispositionem numquam omnino liber redditus est. Itaque etsi convaluisse videbatur, numquam tamen postea eodem fuit oris colore, neque ea membrorum agilitate, cum eadem semper esset animi magnitudine & tolerantia ad munus omne & privatim & publice obeundum.

(310) MS. ut sunt magna prudentia, animique virtute viri, & Francisci præterea amantissimi ubi &c.

(311) MS. adversùs inconditam multitudinem, perditamque agrestium factionem is è Placentia &c.

(312) MS. primo vere, quo tempore eum vitâ functurum putarat, convalescere vidit, transfugere universo suo cum milite decrevit, &c.

(313) MS. per jugulum mortem conscivit. Et ita vir impius multorum annorum scelerum supplicium tulit, ac vitæ finem fecit miserandum. Fuit enim Tibertus ingenio &c.

Explicit Liber Vigesimusoctavus.

INCIPIT LIBER VIGESIMUSNONUS.

(314) PRincipio sequentis æstatis Anno Sexagesimo Secundo supra Quadringentesimum & Millesimum Tarentinus, Piciniusque contracto in Apulis non multo militum numero, Juvenatium primùm obsederunt, quassatisque diu bombardarum ictu mœnibus oppidanos ad deditionem compulerunt. Trano inde Urbi admoventes haud multo temporis spatio Cives partim frumenti penuriâ, partim artibus iisdem, quibus Juvenatinos subegerant, in potestatem redegerunt, Arce, quæ munitissima est, & ad mare pertinet, in regia fide permanente. Post hæc in proximos Barolensium agros progressi nunc per proditionem Oppidum, nunc per vim metumque capere tentant. Sed ubi cum propter eximiam oppidanorum in Ferdinandum fidem, tum propter egregiam murorum structuram (315) nihil proficere vident, devastatis circumquaque agris, in Adrianos duxerunt. Quorum Oppidum cum dies plures acriter oppugnassent, Franciscus Baucius, de quo supra mentionem fecimus, cujus imperio oppidani parebant, omni spe auxilii destitutus, cum nullæ neque essent in regione ea regiæ copiæ, neque propediem futuræ dicerentur, subactis præsertim duabus vicinis Urbibus, sese simul cum oppidanis per pactionem hostibus tradidit. Per idem tempus Johannes coacta altera militum manu, in Garganum Montem profectus, Oppida universa, quæ superiore Anno Ferdinandus magno labore recuperaverat, dedentibus sese rursus oppidanis, non multo negotio in fidem recepit. Inter hæc Alexander Sfortianas copias ex hibernis eduxerat, & non longe à Benevento consederat; quod propter copiarum paucitatem progrediendum longius non videbatur, sed Ferdinandum Regem cum reliquo exercitu tutis locis exspectandum. Verùm pecuniæ inopia (316) fecerat, ut diutius quàm temporis, bellique ratio, & rerum præsentium conditio deposcebat, ex Campania in Apulos Ferdinandi reditus retardaretur, quare interim nulla pressis, obsessisque ferri auxilia potuerint. Vagari per amplissimos Apuliæ campos, populari, vastareque omnia impune hostibus licuit. Hæc cum & literis & nuntiis quotidie fere Franciscus intelligeret, non poterat graviter non commoveri, quippe qui & ad Alexandrum Neapolim, & ad Fridericum Urbinatem Romam abunde opportuneque pecunias misisset. Huic enim altera stipendii pars à Francisco ipso, altera à Pio Pontifice Regis causâ quotannis exsolvebatur. Alias præterea pecunias, præter arma, tela, & quæ bello usui sunt, ad Campanum in Brutios dederat, qui cum nihil seu parum à Rege pecuniarum consequi posset, ad eum sæpe querulus confugerat. Et quicquid insuper aut duces ab eo petebant, aut ipse ad res gerendas usui fore putabat, largiter ex Mediolano subministrabat,

A eosque hortabatur pro Regis commodo, ut quanto celerius fieri posset, in apertum exirent, tempusque hostibus praeriperent. Nam nihil ea tempestate Francisco magis cordi erat, nihilque illius animum magis sollicitabat, quàm præsens bellum Regni. Omnia vincendi studio impigrè excogitabat, parabat, efficiebat. Sed tamdem majore æstatis parte exacta, Rex ex Campania movens circa Kal. Augustas Alexandro adjungitur. Tum hostium fines ingressus, Aquadiam in Apulis Oppidum non ignobile circumsistit. Johannes & Picininus (nam Tarentinus invalitudinis causâ in sua Oppida paucis ante diebus lecticâ delatus redierat) omnibus
B omnium junctis copiis, instructaque acie, eo profecti, in summo colle non procul Oppido constiterunt. Nonnulli in campum ad speciem committendi prœlii descendere cœperunt, sperantes loco cessurum Regem, obsidionemque deserturum. At Rex & Alexander, instructo exercitu, eos nulla cunctatione invadunt, factaque pugnandi potestate, qui in campum descenderant, ad suos confestim repulsi sunt. Quod ubi hostium duces conspexerunt, tanta celeritate in castra reversi sunt, ut præmissi levis armaturæ equites novissimas eorum cohortes consequi non potuerint. Itaque diruto tormentorum vi muro, paucis post diebus quàm eo ven-
C tum est, Oppidum expugnatur, & in prædam vertitur; regio deinde jussu incenditur. Rex dein Ursariæ admovit. Die tertio ad colloquium de deditione oppidani venerunt, pactique sunt datis obsidibus, sese, atque Oppidum intra quatriduum dedituros, nisi à suis interim obsidione liberarentur. Hostes ea re cognita, ad XV. Kal. Septembres ex Asculo Urbe Apuliæ movent; & minus ab Urbe Troja passibus mille, qua ad Orientem spectat, castra ponunt eo consilio, ut inde propinquiores castris adversariorum facti ante destinatam deditioni diem obsessis opem ferrent. Itaque postridie ejus diei prima luce Johannes, Picininusque instructo exerci-
D tu mittunt, qui collem quemdam inter utraque castra caperent, ut illo occupato, castra eo confestim transferrent. Quod cum renuntiatum esset Regi, mittit & ipse statim Johannem Comitem, virum fortem, & rei militaris peritum, ut quid agant hostes, quave iter faciant, velociter ab eo cognoscat. (317) Interim procul cernitur non modò collis sed Tumulus etiam quidam, qui Ursariæ propius adjacet, ab equestribus hostium turmis teneri. Unde hostes facile regium exercitum aquatione, pabulationeque prohibere poterant. Quâ re perspecta Rex armato celeriter exercitu ordinibusque instructis, eo in hostes animo educit, ut qui collem,
E Tumulumque occupavant, adortus loco omnino pelleret. Alexander parte peditatus sumta & non multo equite, Sfortianoque in primis peditum robore ad altera addito, in hostem ire contendit. Ubi tumulo appropinqua-

(314) MS. At vix dum ea, quæ secuta est, æstas incœperat, quum Tarentinus &c.

(315) MS. qua mirifice circumvallantur, nihil &c.

(316) MS. sine qua nihil in bello fieri potest, fecerat &c.

(317) MS. At vix quæ missus de hoste intellexerat, videratque, per nuntios refert, quum interim &c.

A quatum est, Robertum Sanctoseverinatem, & alterum Robertum Ursinum, & Antonellum Burgensem, quem Alexandrino bello adversùs Guilielmum Monferratensem affuisse commemoravimus, virum fortem, & manu promptum, turmæ primæ præficit, & tumulum primùm, deinde collem (quibus in locis omnis jam hostium peditatus cum equitatus parte constiterat) acriter invadere jubet. Qui non secus ac jussi facientes, alacri animo, citatoque gradu tumulum nulla mora superant, impetuque facto, hostes depulsi ad suos in proximum collem refugiunt, quos præfecti acrius insecuti, collem & ipsi subeunt. Eorum impetum cum paulum sustinere adversarii non potuerint, non minus inde quam ex tumulo turpiter dejiciuntur. Alexander tumulo, colleque pro Regis sententia haud multo labore potitus, paulum progreditur. Aciem subsequi jubet, conspicatusque loco edito magnam hostium partem post collem in plano perturbatam, etsi alius non procul à Troja equitatus conspiciebatur instructus ad pugnamque paratus, persequendum tamen in prælio censet, & ob id alacrius urgeri hostem mandat. Itaque facto magnis viribus impetu, hostes planicie item pulsi trans torrentem quemdam tunc aridum, qui inter Trojam, collemque illuvionibus interfluit, festinantissime aguntur; ubi à recenti equitatu excepti in ripæ torrentis aditu constiterunt. Committitur rursus in ipso torrentis alveo majus, acriusque prœlium Tarraconensibus, Sfortianisque à tergo enixius ingruentibus, & inter cæteros Roberto Sanctoseverinati strenue rem gerente, Andegavensibus, Bracianisque contra à fronte pertinacius resistentibus. Quare cum aliquamdiu pari certamine pugnatum esset, animadvertissetque Alexander, hostes difficilius eo loco moveri posse, quod ripæ munimento, quæ nisi certis vadis transiri non poterat, pro vallo uterentur, censet aliâ etiam viâ eos urgeri oportere; quæ nulla inveniebatur, nisi per quingentos circiter passus procul inde per superiorem alvei partem iretur. Proinde ad Regem propere in media fere acie versantem velut omnium, quæ gerebantur, moderatorem, quæque prœliantibus usui esse cernebat, intelligebatque, subministratorem mittit. Qui quod sui esset ad victoriam consilii ostenderet, ad seque alios equitum ordines viribus integros celeriter mitti peteret. Ferunt Regem, velut qui Sarnensis adhuc pugnæ memor, rem tanti momenti rursus ancipiti prœlii fortunæ unâ horâ haud committendam judicabat, respondisse satis eo die suo, exercitusque honori atque commodo factum esse. Iterum ad eum remisit Alexander, qui diceret, progrediendum omnino; victoriam in manu esse, hostibus à ripæ aditu repulsis, quos jam subdubitare, & nutare, ac fere profligatos cernebat. Rex prudentissimi ducis consilio obtemperans, equestres ordines confestim submittit, qui alæ instar è superiore torrentis parte immissi, tanto impetu in dimicantium hostium latus delati sunt, ut superatis etiam uno eodemque tempore ex alia parte alvei ripis, nulla cunctatione hostes loco cedere, tergaque verte-

re cogerentur. Quos cum regia manus audacius ad montis usque radices, ubi Troja posita est, hinc atque inde cædendo, capiendoque insecuta esset, instauratur per teli jactum ab Urbis mœnibus prœlium ingens, duobus exercitibus inter sese confertissima acie, collatisque signis confligentibus. Certatum est per hunc modum paulo minus horæ unius spatio. Nam is locus ad declivitatem castigatus, regio erat militi ascendendo, urgendoque periniquus, adversariis verò resistendo, prohibendoque accommodatissimus. Pugnabatur enim ab iis omni conatu obstinatissime, ita ut nulla vi propter loci iniquitatem uno aditu neque superari neque submoveri loco possent. Quod cum satis perspexisset Alexander; *Si hodie vincere*, inquit, *volumus*, *alio nobis consilio utendum est*. *Ab alio etiam latere, ut in torrentis modò aditu fecimus, cum hostibus confligendum*. Itaque explorata, provisaque via, qua hostes ex latere invasurus esset, quid sit acturus Regem edocet, rogatque simul, ut quinque vel sex ad summum equitum turmas, quæ ex Sfortiano sint equitatu, quorum virtuti plurimum confideret, ad se quamprimum proficisci jubeat. Nam pro instituta lege acies regia eo die Sfortianam itinere præibat.

Rex rursus Alexandri consilio annuens, quod petierat, continuo effici imperat, professus se eo die Alexandro morem gesturum, eumdemque ducem secuturum. Collis est editus ante Trojæ Urbis portam per Scorpionis jactum. Hunc hostium duces velut in arcem militaria signa cum magno militum robore contulerant, ubi præcipue omnis Tarentini manus, Julio duce, & magna Braccianarum copiarum pars consederat. Alexander missis à Rege ordinibus, inter quos præcipue Inicum Arianensium Comitem natione Hispanum, nobili loco natum, & rei militaris non imperitum, cum ea, cui præerat, turma esse jusserat, quid fieri velit, ostendit. (318) Bosium fratrem præterea, & Robertum utrumque, qui hostem continenter lacessere non desistebant, admonet, ut dum ipse eos, qui in colle consistebant, hostes à tergo premeret, ipsi quoque à fronte ceteros acrius urgerent; quo undique uno atque eodem tempore pressi, facilius citiusque funderentur. Ita Alexander Sfortiana equestri, pedestrique manu stipatus, circumacto ad sinistram celeriter itinere, ingenti animo collem subit. (319) Funduntur illico hostes, profliganturque non multo labore, adeo ut in Urbem quisque fugere cœpit. Ita autem aguntur præcipites in ipsas Urbis fossas, ut parum absfuerit, quin regii milites hostibus immixti in Urbem irruperint. Sed portis continuo à civibus, militibusque qui intra mœnia confugerant, clausis, plurimi cum ex iis, qui pro portis stabant, tum ex iis, qui sese in fossas dejecerant, capti sunt. Reliqui aut per funes relictis equis in Urbem introducti, aut per ipsas fossarum ripas in castra refugientes partim capti, cæsique, partim fuga evasere. Post hæc in castra concursum est, quæ nullo defendente, direpta atque nudata. Impedimenta quamplurima in fuga intercepta. Militaria verò signa ab iis, qui ex murorum pro-

(318) MS. eos, ut pristinæ virtutis meminerint, paucis hortatus. Bosium &c.

(319) MS. factoque hinc atque inde magnis clamoribus, magnisque viribus impetu, funduntur &c.

propugnaculis certabant, recepta sunt. Pauci ex hostibus eo die evasissent, ni propinquitas Urbis magnum eorum numerum excepisset, exceptosque servasset. Quo in numero duces ipsi fuere. In castris autem, ut in tanta victoria, tantoque rapiendæ, quærendæque prædæ ardore fieri solet, omnia à Regio, Sfortianoque milite sine imperio agebantur. Alii præda onusti in castra Ursariam redibant, alii lucri expertes inquirendo occupati, hac illac discurrebant, alii Luceriam, Fogiamque versus fugientes hostes insectabantur. Quo quidem tempore perspectum est, cupiditatem secundis in rebus non minus, quam in adversis metum, esse damnosam. Nam cum milites arbitrarentur jam profligatis hostibus certam esse victoriam, cujusquam adhortationibus, imperiove minime coëreeri, compescique potuerunt, ut sese in ordine continerent. Itaque vacui omni metu, nec sibi præcaventes quicquam, ad prædam omnes conversi sunt. Quod Picininus è Troja conspicatus, eruptione facta, palantem exercitum magno impetu invadit. Multos ex suis captivos redimit, multos insuper ex hostibus capit, multos in fugam vertit. Turbassetque sane eo die partam summo labore victoriam, nisi & Ferdinandus, & Robertus Sanctoseverinas collectis propere equitibus iis, quos pro temporis angustia colligere potuerunt, illi occurrissent, primoque congressu magna vi restitissent, & deinde majore coacto militum numero in Urbem repulissent. Eo in prœlio Ferdinandus judicio eorum, qui interfuerunt, prudentissimi, fortissimique ducis, ac strenui & acerrimi militis munus obivit, adeo ut magnum eo die virtutis suæ experimentum præbuerit, magnamque & egregiam laudem reportarit. Robertus item tanta celeritate atque virtute omnia in ipso hostis repentino, inopinatoque impetu egit, ut rem postremo in summum pæne periculum adductam, Regis judicio ad salutem restituerit. Pugnatum est eo die à tertia decima ad decimam nonam usque diei horam, interfectis vulneratisque ex hoste quamplurimis, magna equorum strage facta, ex Regio exercitu interemtis perpaucis, vulneratis permultis. Sed æstimatione eorum, qui simul ac pugnari cœptum est, ad pugnæ usque exitum semper interfuerunt, & militaris disciplinæ scientissimi habiti sunt, quamvis omnes de regio exercitu, ubi facto opus fuit, rem egregie ediderint, hos tamen præter ceteros optimam laudem promeruisse affirmatum est; ipsum scilicet in primis Regem, qui magno atque infracto animo prœlium & inivit & obivit, præter præclarum etiam illud, quod in conserendo novissimo prœlio de se periculum maximum præstitit. Post eum Alexander prudentia, consilio, celeritate, & virtute singulari omnia providit, atque confecit. Johannem præterea, & Ursum Comites, cum subsidiariis turmis eo die præessent, ubi erat opus, rem perstrenue gessisse, & delato sibi munere eximia fortitudine & moderatione perfunctos fuisse ferunt. Sed Bosium, & Robertum utrumque, Rege, Alexandroque exceptis, adeo fortiter, adeo prudenter, continenterque ad finem usque prœlii, cum primi semper in certamine exstiterint, rem edidisse, ut omnes superaverint. Inter reliquos equitum ductores Johannem Palavicinum, Antonellum Burgensem, & Franciscum Taurellum Christophori filium, præclaræ indolis adolescentem, qui ob multa & pulcherrima facta inter magnæ laudis viros jure merito non in postremis habiti sunt. At posteaquam profligatis hostibus, castrisque direptis, in castra victore exercitu reditum est, oppidani non exspectata deditionis die, sese Regi permisere. Verum Johannes, & Picininus tam insigni clade accepta diffisi Urbis mœnibus, civiumque animis, cum victis nihil tutum, nihil victoribus impeditum esse putarent, Johanne Coxa cum præsidio Trojæ relicto, qua eum Civitate Andegavensis donaverat, nocte insequenti Luceriam primo, deinde Manfredoniam alter, alter Tranum, sese receperunt. Postremo consultandis rebus ambo Vigilias, quæ Apula est Urbs Trano propinqua juxta Adriatici maris litus, ad Tarentinum profecti sunt. Ferdinandus biduo ad Ursariam consumto, Trojæ castra admovit. Ejus adventu cives territi, ad Alexandrum nocte proxima oratum mittunt, ut ipsis in antiquam Sfortianorum fidem jamdiu redire optantibus, sese atque eorum Urbem in Francisci Sfortiæ fratris ditionem acciperet, nec pati vellet, Trojanum Populum Sfortiano nomini jamdiu deditissimum, rursus Tarraconensem dominationem, quam semper odisset, quamque tot annos enixe, permolesteque tulisset, invitum subire. Alexander conditionibus repudiatis, ne omnino à se tristes discederent, sed aliqua ex parte eorum postulatis satisfecisse videretur, à Rege obtinuit, ut Hippolythæ Mariæ Francisci Ducis filiæ, regiæque nurus nomine in fidem Trojani reciperentur. Ea re per hunc modum composita, postulatisque ceteris facile impetratis, Trojani se, atque Urbem simul cum præsidio dediderunt. Coxa Urbe amissa, præsidioque in prædam verso, Arcem & ipse, quo se receperat, & quicquid insuper Trojani agri in potestate retinebat, sine cunctatione Regi tradidit. Inventi sunt in ea Urbe præter impedimenta hostium quamplurima, cum multa supellectile, quæ ibi ob temporis angustiam reliquerant, equites plusquam quingenti, qui prœlio incolumes superfuerant. (320) Troja recepta Rex Fogiam, & Sanctum Severum, non multo deinde post Asculum recepit. Postremo oppidulis quibusdam reficiendi exercitus causa expugnatis, in prædamque militibus concessis, ad flumen Aufidum profectus consedit. Quo tempore nonnulli ex locis proximis Regni Proceres ad eum in fidem redierunt. Tarentinus quoque, qui tantos jam spiritus (321) sumserat, ut non inferiorem se Rege esse putaret, ea ad Trojam calamitate accepta concussus, de reconcilia-

(320) MS. Quibus rebus feliciter gestis, tantus dein fuit Ferdinando victoriæ cursus, ut mutatâ fortunâ multò illi omnia insequenti triennio secundiora fuerint, quam priore insecundiora fuissent. Trojâ igitur receptâ, Rex Fogiam, & Sanctum Severum, non multo deinde post Asculum, quorum ad mœnia singillatim exercitum duxerat, in potestatem recepit &c.

(321) MS. tantamque arrogantiam sumserat, ut non inferiorem, quin sæpe parem, interdum etiam superiorem se Rege esse putaret; nec pati quidem poterat, ut eo in Regno quispiam tantis viribus auctus esset, qui sibi aliquando imperaret, tamen ea ad Trojam &c.

ciliatione cum Rege agere cœpit. De his rebus Franciscus tum Regis, tum Alexandri, Antoniique Tricini legati literis certior factus, haud sibi cunctandum putavit, quin & ipse etiam Regni Procerum Andegavensium partes sequentium animos per suos demulceret, & Regi reconciliaret. Quod ut liberiore efficerent animo, sublata omni ultionis suspicione, se pro Rege quicquid ab eo promissum exstitisset, inviolate præstiturum asseverabat. Fuerunt qui Francisci hortatu moti, Regi obtemperavere. Sed multi id rursus commemoraverunt, quod non multo post Alphonsi Regis mortem ejus nuntiis in Campano conventu legatisque postea secretò dixerant. Nam cum se Regis fidei committere non auderent, admissi in eum criminis conscii, Franciscum mirum in modum rogabant, ne Ferdinandi Tarraconensis, sed sua potius, suorumque causa, dignitate, atque commodo tantos labores caperet, tantosque sumtus faceret. Quod si reciperet, sese, amicosque suos ei deditionem facturos magno studio pollicebantur. Nec dubitare, quin perspecta jampridem tanti Principis singulari cum in suos tum in omnes mansuetudine, clementia, atque liberalitate, reliqui omnes id essent facturi, quod ipsi fecissent. At Franciscus omnibus hujusmodi pollicitationibus rejectis, rursus iisdem suum erga Ferdinandum constantem animum ostendere persuadereque, ut in gratiam cum Rege redirent, non cessabat. Quæ quidem res præter cetera immortalia in ipsum Regem beneficia, ad reconciliandos ei multorum animos plurimum profuit.

Dum hæc in Apulia geruntur, Sigismundus, quem Andegavensium partis factum Picentibus superiore Anno bellum intulisse diximus, exercitum haud exiguo militum numero ad Metaurum contraxerat. Silvester Lucinus item non parvam equitum manum, quam Picinini jussu in Flaminia scripserat, in Cesenates coëgerat. His Johannes, Tarentinusque jusserant, ut in Brutios adversùs Campanum celeriter trajicerent. Nam Campanus nullis fere obsistentibus, adeò post Picinini ex iis locis discessum Populos Johanni deditos quotidianis incursionibus turbaverat, ut & Iosiam universa prope ditione nudaverit (322) (quem ex tanto Oppidorum numero nullo ei præter Cellinum relicto, dolore mortem obiisse ferunt) & ceteros regionis ejus Regi infestos coëgerit, ut à Johanne, Tarentinoque auxilia propere ad se mitti gravibus querelis assidue peterent, præsertim quod crebri afferebantur rumores, eo Fridericum ex Romano agro propediem cum exercitu accessurum. Sed Sigismundus, qui plerumque aliud in pectore, aliud in ore habere solebat, quod invitus in alienos fines eo maxime tempore proficiscebatur, Silvestro sibi adjuncto, profectionem simulat, ac eo animo per Picentes pergit, ut si qui in itinere se opponerent, domum quamprimum rediret. Jamque in agrum Firmanum pervenerat, cum Napoleo Ursinus Ecclesiæ copiis multo illi quidem inferior, montuosis iniquisque locis se continens ei factus est obvius. Ex quo redeundi occasione oblata regreditur, & longis itineribus non prius restitit, quam superato Hæsi flumine, populatus qua transierat agros, in suos fines pervenit. Nihilque deinde cunctatus una cum Silvestro Senogalliam obsedit, quod erat Oppidorum reliquum ex iis quæ Pius Pontifex, ut supra ostendimus, Antonio donaverat. Quo Oppido non difficulter potitus Arcem fossa, muroque munitam multa tormentorum vi oppugnare adortus est. Napoleo longis itinerum spatiis, interjectisque diebus subsecutus, tamen congredi non audebat, sed tutis locis in frontibus militem servare incolumem populationibusque hostem prohibere studebat. At Pius his cognitis, etsi Fridericus, ut erat ante ab eo, Franciscoque jussus, in Brutios transierat, bellumque acre Aquilanis inferre cœperat, huic tamen imperat, ut in agrum Picenum (323) adversùs Sigismundum flecteret, obsessisque opem ferre maturaret. Enimvero Fridericus, qui in patriam capitali hosti bellum illaturus revertebatur, non invitus, quammaximis potest itineribus in Sigismundum ire contendit. Ac eodem die, qui fuit ad Idus Augustas, Napoleoni non longe ab hostium castris adjungitur. Quo Sigismundus per pactionem Senogalliæ Arcem receperat. Jamque de hostis adventu certior factus occidente Sole, profectionem fugæ similem paraverat, castrisque educebat; cum Fridericus nihilo segnius eum prima noctis hora toto exercitu magna celeritate invadit, & à tergo magno impetu facto, nullis fere resistentibus, profligavit fugavitque. Unde factum est, ut plenâ Lunâ lumenque euntibus affatim dante, Sigismundi militibus deposito fugæ per noctem pudore, hac illac salutis petendæ gratia diffugientibus adversariisque eos acrius præmentibus, major eorum pars cum impedimentis fere omnibus caperetur. Ex præfectis equitum Johannes Franciscus Mirandolanus solus captus est. Ceteri in proxima Oppida confugerunt. Sigismundus cum paucis Fanum se recepit. Hoc tam gravi accepto vulnere: adeo fractus est animo, ut de omnium fere fortunarum suarum summa non mediocriter dubitare cœperit. Quare paucis post diebus desperata quodammodo salute biremem cum Silvestro conscendit, & in Apuliam ad Johannem Tarentinumque adnavigavit, victus à jam victis auxilium petiturus. Nondum enim alter alterius calamitatem profligati cognoverat; dies siquidem tantummodo quatuor inter Senogallicum, Trojanumque prœlium intercesserant. (324) Cum suam quisque infelicem sortem deplorasset, Sigismundus majore rerum suarum desperatione Ariminum revertitur.

Ta-

(322) MS. quippe quod ex tanto Oppidorum numero, quæ possederat, nihil ei præter Cellinum reliqui fuerat; quem paulo post ea de causa summo dolore morboque confectum, mortem obiisse &c.

(323) MS. adversùs Sigismundum iniquitatis filium, Deoque & hominibus infestum, flecteret, obsessisque opem ferre maturaret. Enimvero Fridericus, qui Principum jussis, quibus obstrictus esset, parere semper didicerat, quique in patriam capitalissimo hosti bellum &c.

(324) MS. Quo ubi pervenit, etsi facti è medio itinere domum reditus à Silvestro graviter incusabatur, ejus tamen miserabilis casus alienum etiam miserabiliorem fecit. Nam Johannes simul & socii post acceptam Trojanam cladem, in iis præcipue copiis, quæ cum eo erant, auxilii spem posuerant. Qua amissa suam quisque infelicem sortem deplorabat. Quas ob res & Sigismundus majore rerum suarum desperatione Ariminum revertit, & Tarentinus majore etiam timore territus &c.

Tarentinus territus, majore studio ad res de concordia cum Ferdinando transfigendas animum intendit. Et non multo tempore Bartholomæi Cardinalis Ravennatis viri præstantissimi, qui pro Pio Pontifice tunc Beneventanis præerat, & Antonii Tricini Francisci legati interventu res composita est. Qua in re Tarentinus legatos interesse voluit, ut pro eorum Principibus caverent, quæ Rex promisisset, eum integre servaturum. Ex quo Tarentinus ex hoste acerrimo amicus subjectusque Ferdinando per metum factus est. Johannes, & Picininus omni Tarentini auxilio destituti, cedere Apulia coguntur. Itaque data à Rege abeundi fide publica, Johannes, & Picininus ipsi maritimo, copiæ verò equis, armis, & bonis fere omnibus denudatæ, terrestri itinere in Brutios remigrarunt, Orthonamque, & Caudolarum in Oppida sese contulerunt. Dein ex insperato Picininus à Rogerione Cellani Comite adolescente per iram in paternas sedes accitus est. Rogerio enim matri gubernanti, mulieri quidem non imprudenti, quod juvenilibus luxuriantis filii vouptatibus non indulgeret, plurimum adversabatur. Picininus igitur in Cellanum Oppidum per fraudem introductus, confestim Arcem cum amplissima suppellectile, (325) muliere Oppido ejecta, occupavit, ac universa deinde, quæ illius erant ditionis Castella, in potestatem accepit. Nec Rogerius tamen in patrimonium admissus est. Quibus in locis præter aurum, argentumque, & gemmas, quæ non parvi ponderis, pretiique erant, magnam vim frumenti, lanæque reperit, & pecorum numerum non parvum. Quibus rebus se ac milites summa miseria pressos sublevavit, & per hyemem facile aluit. Sulmonensesque præterea propter locorum, quibus potiebatur, opportunitatem ita per nivalem tempestatem fame oppressit, ut eos ad deditionem compulerit. Ferdinandus autem, quia acris adventarat hyems, in Campaniam rediit, nonnullis ex itinere Oppidis in potestatem receptis, exercitumque in hiberna distribuit. Interim Fridericus, fusis hostibus, receptisque nonnullis munitione infirmis ultra Metaurum municipiis, ad Mondavinam Arcem, quam per proditionem Sigismundum superiore Anno recepisse ostendimus exercitum admovit. Hanc cum aliquamdiu oppugnasset, vi cepit, validoque simul cum præsidio in prædam vertit. Ea recepta Arce, quæ multum loci natura, & opere edita, atque insigni militum robore permunita erat, tantus est reliquis regionis ejus accolis injectus repente timor, tantaque fuit omnium deinceps animorum ad deditionem inclinatio, ut brevì præter Senogalliam, Arcemque nihil Sigismundo ultra Metaurum in Piceno agro reliquum fuerit. Quo rerum successu Fridericus progrediendum celeriter sibi ratus, Metaurum in Fanenses trajecit; continuoque ejus agri municipes in Pontificis ditionem redegit, ita ut Fanum à terra undique circumsessum relinqueretur. Ea Urbs, qua ad Orientem vergit, Adriatico mari abluitur; quæ si obsidenda, oppugnandaque erat, classem in primis parare oportebat, ut maritimo quoque aditu præcluderetur. Huic difficultati etsi Nicolaus Cardinalis Theanensis, Apostolicus in exercitu legatus providere posse sperabat, cum navigia quædam ex proximo Anconitano portu ob id eo misisset, tamen nihil, quod in rem esset, fieri potuit. Nam Venetorum triremes, quæ illius maris custodiæ ab iis destinantur, quod ægre ferrent, maritimas Sigismundi Urbes in Romanæ Ecclesiæ potestatem devenire, invitis Anconitanorum navigiis, aditum omnibus in Urbe mari aperiebant, indeque commeatus, & militaria præsidia sine periculo importabantur. Quod cum animadverteret Fredericus, in aliud tempus ejus Urbis obsidionem relinquendam putavit. Itaque cum Isaurum in Ariminensium fines transisset, adeo magnus confestim undique fuit municipum sese dedentium ad eum concursus, ut longe ceteros & animorum inclinatione & celeritate superaverint. Quo factum est, ut neque tempore neque labore multo universus prope Ariminensis ager munitissimis Oppidis magis quàm Vicis frequens, in Pii Pontificis, Romanæque Ecclesiæ ditionem devenerit. Arces quoque situ, ædificiisque editissimæ, partim per voluntariam præfectorum traditionem, partim ipsorum oppidanorum operâ, partim etiam Friderici Ducis arte & solertia singulari, in Pontificis potestatem redactæ sint usque adeo, ut Ariminum Urbs antiqua ac nobilis tot oppidis, totque præmunitis Arcibus potens non minus quàm Fanum omni fere agro exueretur. Quare apertis undique itineribus Cæsenam usque infestis signis à Friderico penetratum est, quæ etiam Urbs magna agri parte nudata est. Sed fecit importuna hyems, ut relictis his quoque Urbibus intentatis, magno sit cum imbre ac frigore in stativa concessum.

Videtur profecto res miranda & memoratu digna, cum tot Oppida, tot municipia, totque Arces situ, opere, & præsidio firmissimæ, & per centenos annos à Malatesta familia possessæ, tam brevi tempore, nulla vi à Sigismundo defecerint, & ab ejus manu velut temporum horæ, umbræque evolaverint, evanuerintque. Et cum à multis non tam Italicis quam peregrinis Principibus auxilia implorasset, nemo usquam inventus sit, qui non re ne verbo quidem eum in tanta calamitate juverit præter Venetos, qui, ut prædiximus, mari, non diu tamen, ei opem tulerunt. Sed si versare animo malum depravatumque hominis ingenium, & maleactæ vitæ rationem habere voluerimus, nemo certe mirandum duxerit. Sed divino quodam judicio factum, ut qui tantorum scelerum ac flagitiorum tamdiu impunitate usus fuisset, aliquando debitas pœnas lueret. Ex quo facile intelligi potest, quæcumque illi humanis in rebus secunda prius optataque contigerant, idcirco immortalis Dei judicio contigisse, quo ex rerum commutatione vehementius acerbiusque doleret. Per idem tempus Veneti, qui propter opum magnitudinem & potentissimi sunt, & in rebus secundis audacissimi, non modò adversùs Pontificem Pium, ut prædiximus, Sigismundo auxilium tulerunt, verùm & adversùs Romanorum Imperatorem Fridericum Tertium, &

(325) MS. velut longis eo congesta temporibus, muliere &c.

& Mahometum Turcarum Regem, terra marique bellum susceperunt. Nam & Tergestas Urbem eis finitimam, quæ Friderici parebat imperio, magnis copiis obsederunt, & Peloponnesum, quam Turcæ obtinebant, & mari valida classe, & terra exercitu cum hominibus supra triginta millia partim ex Italia missis, partim ex Græcia, locisque finitimis undequaque contractis, uno atque eodem tempore invaserunt; cum de ea obtinenda propter maritimas Urbes, quas in ea regione possidebant, minime dubitarent. Qua in ditionem redacta, ob magnam loci fertilitatem, magnamque belli gerendi opportunitatem, cujus rei gratia quondam à Romanis Græciæ Arx appellabatur, tanta Venetorum animos dominandi libido invaserat, ut se brevì non Græcia solùm, sed Asia quoque, ac universo prope deinde terrarum orbe potituros arbitrarentur. Verùm utrumque bellum & adversùs Imperatorem & adversùs Turcam frustra susceptum est. Nam etsi Fridericus Imperator vel negligentia, vel alia ex causa nullum Tergestinis auxilium miserit, ii tamen Venetis maxime omnium infesti, sese constantissime pertinacissimeque per omnem æstatem, autumnumque tutati sunt; adeo ut adveniente hyeme Veneti coacti fuerint, honesto quodam fœdere cum ipsis percusso, irrito conatu, inde discedere. Peloponnesum verò sua Veneti vel imprudentia, vel negligentia, vel divino consilio amiserunt. Nam cum terrestribus copiis Bertoldum Estensem præfecissent, juvenem sane audacem potius quam prudentem, facile ejus consilio atque ductu victoria, quam, ut ferunt, in manu habebant, evanuit. Constituerant enim Isthmum, quo universa clauditur Græcia, à Jonio ad Ægeum mare muro cingere, (326) jamque ingenti opere tutum à Turcarum impetu reddere cœperant; cum Bertoldus ea nondum munitione perfecta, relicta ibi exercitus parte, cum reliqua oppugnare Corinthum, quæ non longe abest, aggressus est; ratus si ea Urbe potiretur, (327) universam Peloponnesum, quam jam Turcæ præsidio tantummodo Corinthi relicto deseruerant, facile se ac sine periculo retenturum. Est enim Corinthus in montis dorso editiore sita, muro cincta & vetere, & fragili. Quare Bertoldus existimabat fore, ut eam Urbem haud multo negotio obtineret, præsertim cum non magna Turcarum manu defenderetur. Ceterum Bertoldus non satis pugnandi peritus, cum nudo capite pugnam iniisset, lapidis ictu graviter percussus, non multo post vitâ excessit. Perterriti amisso duce milites, non tam à Corinthi oppugnatione destiterunt, quàm obsidionem non sine magno etiam accepto detrimento à Turcis eruptionibus factis solverunt, & ad priora castra refugerunt. Quamobrem & classis præfectus non multo quàm Bertoldus rerum bellicarum peritior, & terrestris exercitus omnis (328) Isthmum præ metu deseruerunt, & sese Nauplium, quam nunc Romaniæ Neapolim vocant, confestim receperunt. At triduo vix exacto; Turci, qui jam de Peloponneso desperarant, cognita Christianorum socordia, magnis viribus eo advenerunt, & captis, ac in mare præcipitatis Isthmi munitionibus, repugnante nemine, Peloponnesum, quam amiserant, recuperarunt. Ex eo tempore cum animadvertisset Turcarum Rex Venetos, quos antea metuerat, esse longe sua opinione inferiores, in hanc usque diem Anno undecimo jam exacto, nec legationibus, nec precibus, nec pollicitationibus ullis adduci potuit, ut Venetis reconciliaretur, pacemque cum iis faceret. Quin potius majore in eos ira incensus; ob rupta ab iis inter sese pacis fœdera, usque in Italiæ fauces maximis calamitatibus affecit, afficitque quotidie. Et ob id Veneti, ut prædiximus, supra decennium mari cum Turcis continenter bellum inviti gesserunt, geruntque, adeo ut maritimis eorum rebus sæpe ac plurimum & metuerint, & metuant, præsertim post captam Euboeam Insulam, ac expugnatam, direptamque Chalcidem Urbem.

(326) MS. quibus olim Romani alium induxerant; jamque &c.

(327) MS. quæ Peloponnesi caput habetur, universam &c.

(328) MS. velut tumultuarius atque collectitius; Isthmum &c.

Explicit Liber Vigesimusnonus.

IN-

INCIPIT LIBER TRIGESIMUS.

(329) AD prima signa æstatis Ferdinandus assiduis Pontificis, & Francisci literis, nuntiisque compulsus, non procul ab Urbe Capua exercitum coëgit, pauloque post Marini Sinuessani fines ingressus, oppidis quibusdam subactis, Theanensium agros ferro vastare cœpit. At Alexander cum Sfortiana manu, præter Robertum Sanctoseverinatem, qui apud Regem esse voluerat; in Apuliam ad devastandos rebellium agros revertit. Luceriani ejus adventu territi, ad Regem confestim de deditione miserunt. (330) Tum populabundus Severinatium agros intrat, quod non multis ante diebus temere in regium præsidium impetum fecerant; eodemque bonis omnibus exuto, atque ex Oppido ejecto, rursus ad Johannem defecerant. Deinde in Brutios adversus Picininum, ut erat ante constitutum, proficiscitur. Ferdinandus interim circumquaque per regionem segetibus succisis, in Sinuessanum flectit agrum, ac superatis montium jugis, quibus Sinuessana planicies clauditur, captisque vi cum præsidio claustris, eam toto exercitu ingreditur. Marinus, qui cum reliquis copiis montium, munitionumque reliquarum fiducia non longe tendebat, ea re cognita, in fugam versus regio insequente equitatu Sinuessam se recepit. Ceterum Johannes, qui adhuc cum Picinino in Brutiis erat, veritus, ne Sinuessanus iis rebus territus ad hostem rediret, Sinuessam cum paucis copiis profectus, Marinum, ut bono esset animo, hortatur; ac multis de sustinendo bello rebus propositis, continere in fide conatur, præsertim cum diceret esse propediem eo classem cum pecunia è Massilia, Genuaque venturam, esseque insuper Pontificem Maximum eas de Regno controversias per inducias pacaturum. Quæ quidem res Sinuessanum tot adversis rebus trepidum, jamque de reconciliatione cum Ferdinando agentem aliquamdiu suspensum tenuere. At posteaquam Alexander in Brutios pervenit, & Campanum sibi adjunxit, eo consilio animoque in Picininum, qui Caudolarum in ditione editioribus sese locis continebat, progreditur, ut ubicumque esset, prœlio decerneret. Jamque ad mille circiter passus hostium castris propinquior factus, Picininum æquum in locum deducere studebat, provocabatque. Sed ille patentes campos timens, collibus, munitioribusque locis utebatur, nec ullam omnino pugnandi potestatem faciebat. Certabatur tamen ex adversis collibus levi quotidie prœlio. At ubi se Picininus in diem arctius premi, nec tantas hostium vires sustinere posse videt, cum ceteri adhuc in Andegavensium fide manentes ægrius opem ferrent, ad Alexandrum de suis cum Ferdinando Rege componendis rebus mittit. Alexander qui non tam Ferdinandum quam socios magnis diuturni belli sumptibus & infinitis prope

A molestiis fessos, & liberari se jam tandem iis curis, & bello finem imponi maxime cupere sciebat, optimum factu judicavit, si Picininum ceteros in Regno Ferdinandi rebelles spe vana nutrientem una hora ex hoste Regi amicum redderet. Itaque ad has cum eo conditiones devenit: Ut pax inter utrumque esset, annuum Picinino stipendium decem supra centum aureûm nummûm millium à Pio Pontifice, sociisque in sequentem annum dependatur. In reliquum tempus à Rege dumtaxat. (331) Utroque tamen tempore Picininus Regio pareat imperio. Sulmo cum aliis quibusdam regionis ejus Oppidis in Picinini, uti tunc erat, sit potestate; sed pro B iis Regiis obediat legibus. Postremo Antonio Caudolæ, & reliquis ejus gentis in Regis fidem redeuntibus, quod de Patrimonio possident, retinere liceat. Hæc etsi Ferdinando ingrata erant, quod hostis qui & in summam esset omnium fere rerum inopiam, & in extremum salutis discrimen adductus, non accepisse sed dedisse conditiones videbatur, tamen & ipse & socii, quorum auctoritate Alexander ea transegerat, idoneo quisque tempore comprobarunt. His confectis rebus, Alexander in Aquilanum agrum progressus, factis ubique per montanam regionem excursionibus, ingentem inde prædam abegit. C Dein cum Aquilam propius accessisset, ac cives undique infestare, duriusque premere cœpisset, Aquilani omni auxilii spe derelicti ad Alexandrum in castra de dedenda Regi Urbe miserunt, eumque paulo post summo omnium consensu in Urbem receperunt. Miserant enim Aquilani, ubi in dies Andegavensium res labi, deteriusque habere viderunt, ad Pontificem, ab eo, Ecclesiaque Romana imperii accipiendi causâ; receptique certe fuissent, Ferdinando posthabito, nisi Otho Carretus de Francisci Ducis in ea re animo edoctus obstitisset, acriterque eam Urbis deditionem & improbasset & impugnasset. D Hæc ut ex interceptis Aquilanorum ad Ferdinandum cum Alexandri literis proficiscentibus nuntiis Sinuessanus cognovit, majore metu concussus, quæ de concordia paulo ante ut ostendimus cum Rege inierat, remissis propere in regia castra nuntiis, firmavit. Quibus in rebus cum esset præcipue cautum, ut Johanni Sinuessæ continenti sese, quo vellet, incolumi abire liceret, is ab omnibus destitutus, ad Ænariam Insulam cum paucis trajecit, in Oppido, quod Isclam vocant, classem è Massilia exspectaturus. Huic Insulæ cum præesset Petrus Torilia Gottholanus ab Alphonso jam præfectus, ad Johannem defecerat; quem postea in tanta infelicitate eo Oppido recipi passus est. Quo etiam tempore E præfectus Arcis, quam Ovi appellant, Neapoli proximæ, qui & natione Gottholanus erat, Petri proditoris exemplum secutus, pecuniâ non multâ corruptus, Arcem Johanni tradidit. Compositis pacatisque per eam æstatem non tam Brutiis quàm Campanis rebus, ho-

(329) MS. Jam prope ver primum insequentis Anni præterierat, quum Ferdinandus & ingenti de hoste cura, & assiduis cum Pii Pontificis tum Francisci &c.

(330) MS. Itaque factis late per Sanctoseverinorum fines succisionibus; quippe qui non multis ante diebus temerario tumultuarioque motu in regium &c.

(331) MS. si placuerit ei, solvatur. Et utroque &c.

hoste ex continenti undique pulso, Ferdinandus cum jam autumnus subesset, militem utriusque exercitus in stativa distributum paulum à tantis laboribus quiescere jussit. Dum hæc in Campania Brutiisque geruntur, Fridericus Urbinas coacto terrestri exercitu, comparataque à Jacobo Cardinali Theanensi legato Anconæ classe, Fanum circa æstatis initium terra marique circumsedit. Deinde oppugnandæ Urbis negotium aggressus, die noctuque ingenti cura, assiduoque labore, duobus Urbis ejus lateribus muros tormentis quatiendo, cuniculis ad ruinam tuto penetrare, turribusque è regione eductis, mœnia defensoribus nudare conando, totam fere eam æstatem consumsit. Nam obsessi velut in Urbe muro, fossa, validoque præterea militum præsidio, Roberto Malatesta Sigismundi filio præfecto, munitissima, & facile se tuebantur, & magna sæpe obsidentibus detrimenta inferebant. Interim tamen Fredericus Senogalliam recuperavit. Fanenses ubi prostrata duobus locis mœnia, prostratasque humi turres viderunt, diffisi sese amplius defendere posse, ædificatis maxime sub ipsis prope muris imminentibus Urbi turribus, iniere clam consilium de dedenda Urbe primùm; & ob id colloquia cum hoste habere, deque Urbis conditionibus agere cœperunt. Dein postulatis facile impetratis, palam ad Fridericum, Roberto invito, legatos de deditione emiserunt. Itaque quarto fere mense posteaquam oppugnari cœpta est Urbs, præsidio incolumi abire permisso, in summi Pontificis, Ecclesiæque Romanæ potestatem devenit. Nec multo post Arx quoque, in quam Robertus confugerat, tradita est. (332) Inter hæc Sigismundus undique conflictatus, & virium inops pariter & animi, Fanensis obsidionis exitum spectando, se Arimini continebat. Qui non pestilentia minus intra Urbem quàm foris terra marique hostibus adeo vehementer acerbeque pressus, ac labefactatus est, ut omni humana, divinaque ope destitutus videretur. Eodem tempore Dominicus Malatesta frater diuturno incurabilique morbo prope confectus Cæsenæ agebat; cumque imminentis belli solicitudine graviter laboraret, Cerviam non ignobile Flaminiæ Oppidum Venetis, spreto Romanæ Ecclesiæ optimo jure cum summo omnium odio, (333) vendidit. Ceteris Italiæ Potentatibus molestissimum fuit. Sed demum uterque frater cum Pontifice pepigit, ut quamdiu vixissent, Ariminum, Cæsenamque in pace possiderent; postea Urbes ad Romanæ Ecclesiæ fidem redirent, illiusque ditionis forent. Ceterum Ferdinandus, quemadmodum reliquas sui regni regiones per superiorem æstatem pacaverat, ita pacandæ Apuliæ per subeuntem hyemem, quæ mitis semper per ea loca esse solet, animum intenderat. Soli enim Manfredoniani, & Sanctoseverini per eam oram in hostis fide pertinacius manebant. Qui cum finitimos ejus regionis Populos infestius perturbarent, non videbatur amplius ad eos subjugandos cunctandum, quo perdomitis rebellibus, universa deinde regio quiesceret. Accedebat ad id, quod multis indiciis non obscure Ferdinandus cognoverat, Tarentinum non bono in se esse animo; quippe copias & ornasset, & (334) convenire jussisset, Johannemque præterea ne regno abiret, quotidie hortaretur. Quæ quidem omnia eum aut regiis rebellibus esse auxilium per dissimulationem propediem laturum, aut aperte bellum pro Johanne rursus Regi illaturum indicare videbantur.

Itaque majore autumni parte jam exacta, Ferdinandus, & Alexander cum expedita manu ex Campanis, Brutiisque hibernis in Apuliam regrediuntur. Quo vix pervenerant, cum Sanctoseverinates obviam supplices facti, sese atque Oppidum Regi dediderunt. His tamen ob direptum, ut ostendimus, præsidium pecuniam imperavit, qua facile damna passi resarcirentur. Dein continuato itinere (335) Manfredoniam pergunt. Cives territi, sibique ipsis diffisi, cum nullum alicunde auxilium missum iri sperarent, haud multos dies obsidione tolerata, ad Regem pacem, misericordiamque petentes, de deditione miserunt. Sed accidit, dum legati in Urbem revertuntur, ut triremis quædam Andegavensium nomen conclamans cum circiter peditum ducentorum præsidio eo appelleret, quo in terram exposito, extemplo per Urbem excitato tumultu, audacius Johannis nomen à perditissimo, & seditiosissimo quoque invocatur. Et ob id cum interturbata urbis deditio, & præter prudentium proborumque civium voluntatem tardior aliquanto futura videretur, petierunt iidem à Rege legati, ut aliquam militum manum in Urbem mitteret, qua advectis trireme hostibus aditus prohiberetur. Mittuntur confestim destinati à Rege in Urbem milites. Sed ejus rei continuo per castra rumore perlato, totus exercitus prædæ intentus excitatur in arma; sequiturque mox euntes in Urbem copias incondita turba, quæ nullo contineri imperio potuit. Nec præ intrantium festinantius multitudine ulla claudendæ Urbis portæ custodibus facultas datur. Omnia ipso in aditu tumultuarie aguntur. Ob id extemplo Urbs tota discurrenti repletur milite. Fit primum à paucis prædandi initium. Dein reliqui omnes prædæ avidi idem facere cœperunt. Quare paulo momento Urbs nobilis & opulenta passim versa est in prædam. Rex quamvis Urbis casum moleste ferre visus est, tamen rapta militibus permisit. Cives verò, mulieresque omnes ab injuria liberos esse jussit. At vixdum hæc gesta sunt, cum Ferdinandus per noctem factus est multis nunctiis certior, Johannem Antonium Tarentinorum Principem, decimo sexto Kalendas Decembres, senio & morbo confectum diem obiisse. Accersebaturque proinde ab amicis, ut ad capessendam tot Oppidorum, totque Urbium possessionem eo quammaturrime contenderet, futurum affirmantibus, eum cuncta suo adventu, quæ illius fuissent, prope diem consecuturum. Esse insuper in eo loco, ubi Tarentinus exspiraverat, magnam pecuniæ vim congestam, quæ ipsi intacta asser-

(332) MS. Ea autem Urbs multa ac varia priore dominatu maleficia, injuriasque perpessa, nunc sub sanctæ matris Ecclesiæ imperio mansuetudinis quiescit. Inter hæc &c.

(333) MS. acceptâ pecuniâ transtulit. Quod non tam Pontifici quam ceteris &c.

(334) MS. & in convicina inter se se Oppida in frontibus ditionis suæ posita convenire &c.

(335) MS. Manfredoniæ Urbi admovit. Ejus insperato per hyemem adventu, cives &c.

servaretur. Ferdinandus tanto diu sperato, exspectatoque nuntio lætus, relicto Alexandri curæ exercitu; cum paucis ad locum proficiscitur. Cui primo adventu Oppida, proximaque municipia cum pecunia deduntur. Dein Julium Tarentini generum cum omnibus copiis, quæ defuncti fuerant, quarum numerus quatuor hominum millia superabat, voluntariis animis sibi asciscit (336). Rex Tarentum profectus, eo itinere passim & Oppidorum, & Urbium, & munitissimarum quoque Arcium (337) velut heres à Tarentino, qui sine liberis maribus decesserat, relictus potitus, ab omnibus perbenigne exceptus est. Non defuit fama, Tarentinum in lecto languentem à familiaribus, quo Regis inirent gratiam, fuisse necatum, Regemque ab iisdem accersitum. Ferunt ingentes Ferdinandum thesauros eo tempore pluribus in Arcibus abditos comperisse. Nam magnum auri, argentique pondus, amplissimam ac pretiosissimam supellectilem, magnamque insuper mercimoniorum vim, & complura jumentorum armenta consecutus est; quæ Tarentinus multis annis suâ industriâ congesserat. Quarum rerum omnium pretium decies centena aureûm nummûm millia superasse affirmatum est. Ex quo Ferdinandus ex summa inopia ad summam rerum copiam pervenit, victorque tanti Regni uno atque eodem tempore liber & potentissimus Rex factus est. Redilt Neapolim circumacto jam Anni tempore, remissis in hyberna copiis magnâ victoriâ, magnisque spoliis onustus. Per idem tempus Savonensium Urbs in Liguribus nobilis, de qua supra mentionem fecimus, post insignem illam ad Genuam à Gallis acceptam cladem, magno Ludovici Regis præsidio, magnoque etiam impendio tenebatur. Stipendia enim omnia, cum nullum Savonæ Regi vectigal esset, nullumque cives tributum penderent, ex ulteriore Gallia mitti oportebat. Quæ cum triennio fere Ludovicus Rex nequicquam impendisset, moleste, ut ferunt, ferre cœpit. Sed cogitanti quemadmodum ea se molestia levaret, in mentem venerat, in quempiam præstantem virum sibi amicum ejus Urbis imperium transferre. Optabat præcipue Rex Franciscum, quem superioribus annis, ut ostendimus, Johannis Andegavensis causâ renuerat, ob inclitam virtutum suarum famam sibi conciliare, virumque talem in Italia habere beneficio devinctum & fœdere obstrictum. Verùm etsi ad rem ineundam unum repugnare videbatur, quod non decere tantum Regem assereretur, prius inferiorem & peregrinum Principem ad accipiendum beneficium invitare, & conciliationis initium facere, Rex diuturnum tamen silentium rumpit; mandatque, qui Antonio Nuceto tunc forte apud eum pro Pio Pontifice agenti per sese diceret, Ludovicum Regem miro quodam studio Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem ob eximiam illius virtutem

A diligere, remque ob id illi gratam, si offerretur occasio, facturum. Quare si ad eum Franciscus ex suis aliquem mittat, Savonam petiturum, fore, ut non modò Savonam, sed Genuæ quoque jura facile à benivolentissimo Rege impetret. Quibus de rebus Franciscus ab Antonio certior factus, mittit ad Regem quamprimum Manuelem Jacoppum Papiensem, (338) qui vera ne essent, quæ Antonius docuisset, inquireret, mentemque Regis super his diligentius cognosceret. Is non multo post tempore ex Gallia rediens, quæ ab Antonio scripta fuerant, refert vera esse omnia; quippe quod eadem ex Rege ipso coram affirmante apertius intellexisset, eumque inter

B cetera, quæ de Francisci laudibus prædicabat, dixisse; idcirco hæc in eum conferre beneficia constituisse, quod digniorem comperisset neminem, in quem potissimum transferre Genuensium Principatus jura posset: (339) quique facilius & eum adipisci Principatum, & adeptum pro singulari ejus virtute regere & sciret & posset. Nihilque demum ad rem conficiendam esse reliqui, nisi ut legatus cum mandatis ad Regem mitteretur. (340) Mittitur proinde à Francisco in Galliam Albericus Maleta Senatorii Ordinis, qui perhumaniter à Ludovico exceptus, ita brevì egit, ut Savona à Rege ultro sit Francisco, heredibusque dono concessa,

C & quæcumque essent in Genuenses Regi jura in eumdem translata, ictumque præterea fœdus, Societate Italica manente. Post hæc quoniam existimabatur fore ex Italicis Potentatibus aliquos, & præsertim Venetos, qui eam Genuensium rerum Francisci imperio accessionem ægre ferrent, visum est Regi, quæ cum Francisci legato de Ligusticis rebus egisset, eadem per literas Potentatibus ipsis significare, simulque eos admonere, si forte Genuenses subire Francisci imperium noluerint, opemque proinde ab alienis petierint, ne eos ulla re juvarent. Quod si secus fecerint, se hostium loco eos habiturum. His rebus in Gallia peractis, Manueleque

D propere ad Franciscum reverso, quo tempore jam Millesimus Quadringentesimus & Sexagesimus Quartus à Natali Christiano Annus cœperat, circa Kalendas Februarias missus est in Ligures è Mediolano cum pedestribus copiis Conradus Folianus, qui primo adventu Savonam magna omnium lætitia ingressus, tribus à regio præfecto traditis Arcibus, præsidium imposuit. Paulò deinde post Albingaunum, dedentibus sese sponte civibus, in potestatem accepit. Qua Urbe recepta, accolæ totius Ligusticæ occidentalis oræ, quæ ab Urbe Genua amplius passuum millibus centum in longitudinem patet, Vicis, Oppidisque frequens, velut

E armis, novisque rebus assueti, Johanne Carreto Finariensi, & Lamberto Grimaldo, qui tunc Albintimillium, & Monachum promontorium obtinebat, adjutoribus, magno animorum studio, magnoque ardore uno fere tem-

(336) MS. Quo factum est, ut cum pacata ac tuta ubique omnia fore viderentur, Rex &c.

(337) MS. portæ ultro panderentur; ipseque velut heres &c.

(338) MS. ei notum & familiarem, qui vera &c.

(339) MS. præter unum Franciscum Mediolanensium Ducem, qui facilius &c.

(340) MS. Fuit profectò oratio hæc, utpote ab optimo munificentissimi Regis animo profecta, Francisco quamgratissima. Quandoquidem se tanti Regis gratiam, quam tantopere antea parare sibi optasset, nullo suo præsertim in eum adhuc merito, seque tacente, consequutum esse videret. Mittitur proinde à Francisco in Galliam Albericus Maleta Senatorii ordinis ad Regem legatus, admissurus quæque ad negotium conficiendum, amicitiamque cum eo Rege firmandam expedirent. Qui quidem perhumaniter &c.

tempore Conrado deditionem fecerunt. At Genuæ eo, quod præterierat, biennio crebra, intestinaque inter Fregosos nata dissensio sæpe Rectorem mutaverat. Nam Paulus Archiepiscopus cum Urbis principatum maxime appeteret, semper armis, novisque rebus studuerat, Ludovicumque Ducem sæpius turbaverat. Nec homo inquietus, intestinoque exæstuans odio, requievit, donec insidias struendo, Ludovicum à Ducatus dignitate per metum, vimque Arce Castelleto tradita deposuerit, Urbisque Principatum ipse sibi assumserit. Quibus rebus Civitas multis interim malis exagitabatur. Sed multo majoribus exagitata est, posteaquam ad Paulum publici status administratio devenit; quippe qui vitæ, necisque potestate in Genuensem Populum sumta, & Hybletus Fliscus, ceterique fautores omni deposito pudore, nimium publica libertate perinde ac tyrannide abutebantur. Multi acceptas injurias ulciscebantur, novisque contumeliis, quos oderant, afficiebant. Nullus Urbis Magistratibus honos erat; nullus virtuti locus. Seditiosissimus quisque, & notæ temeritatis homines in præcipuo honore habebantur. Scelera quæque impune admittebantur. Bonorum innocentia in tanta perditissimorum hominum licentia parum tuta videbatur. Omnia pro Pauli Hybletique libidine gerebantur. Omnia demum humana, divinaque jura (341) miscebantur, adeo ut omnes fere jam præsenti fortuna dolerent, tacitique communes miserias deplorarent. Quibus de causis major bonorum civium factionis cujusque pars Urbe paulatim in loca tuta excesserat. Multi Savonam Nobiles concesserant, Franciscumque orabant & obsecrabant, ut ad liberandam à tyrannico Fregosorum jugo, improborumque manu miserabilem eorum patriam maturaret, & sic adeo nullo bello Civitas in pace affligebatur, quotidieque durius premebatur. Itaque tot diuturnis seditionibus, totque per decennium bellorum calamitatibus fatigatus, & jam prope exinanitus Genuensis Populus finem aliquando tantis ærumnis vel humano vel divino aliquo consilio imponi, quietemque sibi dari optabat.

Hæc quum ita essent, Franciscus alacriore animo, majoreque spe Genuæ brevì potiundæ negotium sumsit. Sed visum tamen est prius tentandum, si Pauli voluntate, cujus præsidio Arx Castelletum custodiebatur, Urbem obtinere posset. Quamobrem mittit Georgium Annonensem longo usu rerum peritum Genuam, qui Paulum multis propositis præmiis, sponte ad Arcem tradendam hortaretur. Sed eo recusante, alia ratione rem Genuensem aggrediendam putavit. Quare Hybletum Genuæ, ut prædiximus, apud Paulum agentem, Spinetam Fregosum, Spediensium, totiusque fere Ligusticæ orientalis plagæ præfectum, & Prosperum Adurnum ad se celeriter advocat, & quid fieri velit, ostendit. Hybletus veritus, ne si Francisci voluntati adversaretur, municipiis ac Oppidis, quæ in Derthonensi, Placentinoque agro possidebat, privaretur, dixit se ejus imperio obtemperaturum, & quæ jussisset, libenter facturum. Spineta item, qui Gavium Oppidum in Derthonensi obtinebat, cum iis, quibus præerat, Francisco deditionem fecit. Prosper autem multo se ceteris difficiliorem præbuit, cum multa, ac dura efflagitaret. At Franciscus, quamquam nil aliud illius postulata tam necessario præsertim tempore indicare videbat, quàm nondum acceptum exigi à se beneficium velle, quod certe sibi molestissimum erat, atque ejus animum non mediocriter perturbabat, tamen prætermissâ hominis petulantiâ, ut illum sibi eo tempore benivolum obstrictumque redderet, quo ejus causa Adurnæ factionis voluntatem sibi conciliaret, sese ei quamliberalissimum præstitit. (342) Et inter reliqua ac præcipua in eum collata beneficia VVadâ donatus est, quod est Oppidum ad Apennini radices in Genuensibus, Alexandrinisque confinibus, maxime ab ipso Prospero desideratum. Hybletus in Ligures reversus, delectu ex agrestium turba suæ factionis habito, Genuam versùs progreditur. Interim Jacobus Fliscus, qui Arcem in Montegino, quem nunc Montobium vocant, editam non procul Genuâ sitam obtinebat, sese Francisco dedidit, ejusque signa erexit. Quibus constitutis rebus mittitur è Mediolano magno cum peditatu & equitatu non multo Gaspar Vicomercatus, qui per Pulciferam Vallem ad Cornelianum Vicum, ad tria passuum millia Genuæ proximum, pervenit. Ibi novo milite augendi exercitus causa consedit, Donatumque Mediolanensem qui Savonam cum Conrado ierat, confestim altero cum peditatu sibi adjungit. Multi præterea Genuensium Nobiles cum agrestium manu eo convenere, quorum Paulus Auria, & Hieronymus Spinula principes erant. Paulus Archiepiscopus, qui nisi vi coactus, Urbis principatu cedere nolebat, ubi utramque maritimam oram ad hostem defecisse, civiumque fere omnium animos à se discessisse, & Francisci Sfortiæ nomini propemodum studere vidit, diffisus rebus præsentibus, statuit Urbe abire, & aliis belli artibus amissam recuperare atque retinere. Relicta igitur in Arce Bartholomæa, quæ Petri fuerat uxor, & Pandulfo fratre cum quingentorum prope peditum præsidio, naves quatuor onerarias, quas in portu stantes in suam invitis dominis redegerat potestatem, plerisque clientium comitantibus, conscendit; paucisque post inde diebus submersa studio ex navibus una, quam fatiscentem navigationi inutilem cognoverat, cum reliquis tribus ventis eo consilio vela dedit, ut alias Genuensium naves, quæ frumento onustæ Genuam propediem appulsuræ dicebantur, caperet, captasque ex prædæ emolumento armaret, reliquasque aleret, quibus deinde Genuensibus ubique gentium mari bellum inferret, magnoque exinde armatorum coacto numero Genuam rediret, & per Arcem, quemadmodum Petrus frater superioribus Annis fecerat, in Urbem irrumpens, factione adjutus sua, rursus in ditionem redigeret. Ejus discessu cognito, fit continuo Hybletus Urbi propinquior. Porta est Arcus appellata, quæ ad Orientem spectat, & intra Sancti Stephani suburbia aditum præbet. Hanc nullo

(341) MS. sine ordine, sine religione, & sine ullo Dei metu miscebantur &c.

(342) MS. Nam quidquid petierat, Prosper impetravit. Et inter &c.

nullo defendente Hybletus occupat; præsidioque imposito, in colle, quem Calignanum dicunt, stationes firmat. Ubi Gasparem cum viribus exspectans aliquamdiu in armis stetit. At Gaspar etsi circumsedentium Populorum insidias, perfidiamque veritus, loco discedere non audebat, quod haud tutum putabat, alienæ sese committere potestati, tamen Hybleti, aliorumque Genuensium civium hortatu adductus, Idibus Aprilibus castra movet; & circumacto per eos colles, qui imminent Urbi, longo ac difficili itinere, in Bisannem Vallem descendit, & in Calignano intra nova Urbis mœnia, ubi Hybletus erat, consedit. Dum hic moratur, levia interdiu prœlia ad vetera Urbis mœnia, Populo ubique Fregosorum metu ab armis quiescente, conseruntur. Sed sexto denique die posteaquam eo ventum est, qui fuit ad tertium decimum Kalendas Maias, Vaccarum Porta, quæ Fregosorum adhuc præsidio tenebatur, Donato auctore atque duce, expugnatur. Johannes Galeacius præsidii præfectus fugâ primus salutem petit. Patefacto in Urbem itinere, Gaspar continuo totis copiis ingreditur. Hybletus interim ad Prætorium usque penetrat, palatiumque ac proximas turres milite complet. Hostes qui per eos dies è Castelleto descendentes adeo Genuensem Populum terruerant, ut in Fregosorum fide manere etiam videretur, tota Urbe pulsi in Divi Francisci, & Castelleti munimenta sese receperunt. Gaspar fugatis tota, ut prædiximus, Urbe hostibus, cunctisque munitioribus locis, quæ Fregosorum præsidio custodiebantur præter Castelletum Arcem, ac beati Francisci Templum (343) in potestatem redactis, Prætorium petiit, validioreque militum robore firmavit. Sed dum Urbem rursus magna turba stipatus repetit, ingens pæne Populi multitudo undique in Prætorium illius visendi, consalutandique studio convenit. Quo cum secundò Gaspar venisset, eo tamen animo, ut unde mane discesserat, eodem pernoctatum reverteretur, inopinans immensâ prope omnium lætitiâ excipitur, & sublimis magnam fertur in Aulam. Moxque deinde summo omnium consensu, miroque animorum ardore pro Francisco in Genuensium principatum Præses assumtus consalutatur. Post hæc fit continuo Francisci nomine eidem decreto publico Civitatis totius deditio ac legitima publico documento in Franciscum eumdem imperii translatio. His rebus peractis, Urbeque in Francisci potestate constituta, Arx primùm arctius obsideri. Dein paucis post diebus, missis è Mediolano non sine ingenti labore ob itinerum difficultatem tribus magnæ molis bombardis, enixius oppugnari cœpta est. Quæ cum diu durius quateretur, Bartholomæa clam de deditione eo consilio agere cœpit, ut obsidentes ea spe tamdiu distineret, quoad à Paulo subsidium, quod futurum sperabat, ferri posset. Qua re animadversa, mittitur à Francisco quamprimum, qui & Novas, & Voltabium acciperet in potestatem; quæ quidem Oppida id-

A circo in mulieris adhuc manu esse permiserat, ut ad dedendam maturius Arcem adduceretur. Quod cum intellexisset pavida mulier, videretque quassatos duobus locis Arcis muros, quassatasque turres, nec ullam venturi auxilii spem certam haberet, ita tamdem secretò cum Gaspare pacta est, ut Arcem ipsa traderet cum iis rebus omnibus, quas Paulus ad eam tuendam reliquisset. Bartholomææ verò Novæ restituerentur, & millia insuper aureûm nummûm quatuordecim penderentur. Eâ acceptâ pecuniâ, mulier Fregosis inscientibus ceteris, Sfortianum in Arcem noctu præsidium admisit. Qua quidem re multo jam die prodita quadraginta
B ferme diebus posteaquam oppugnari cœpta est, Castelletum Arx in Francisci potestatem redacta est. Interim decreto publico quatuor & viginti Genuensium ex omni ordine Civium Mediolanum ad Franciscum legati mittuntur, qui & novum Principem consalutarent, venerarenturque, & jam factam Urbis deditionem scriptis admissisque à Gaspare legibus rursus jurejurando firmarent. Erant cum iis legatis permulti ex omni Genuensium ordine cives supra ducentos, qui eos comitabantur. Cum primum auditum est legatos appropinquare, Franciscus, qui omnia suapte natura pulcherrime semper & honorificentissime excogitabat, parabat, & con-
C ficiebat, liberos suos omnes, Senatorium ordinem, ac ceteros Magistratus magna cum Nobilium manu obviam mittit, qui adventantes exciperent. Perpulcrum erat intueri, inde togatos Genuenses, hinc nostros omni vestium genere auro, argentoque fulgentium ornatos. Sed ubi sese mutuo salutarunt, hinc reverenter Genuenses, hinc hilariter atque perhumaniter Galeatius Maria, qui maximus natu paternas vices repræsentabat, essentque eodem modo & ejus fratres, ac ceteri omnes pro dignitate subsecuti, tum Galeatius eum, qui inter legatos primus in ordine visus est, & ætate grandior, sibi ad dexteram, itemque ceteri fratres, & alii digniores viri,
D ut à Principe erant jussi, suum quisque ad dexteram assumserunt. Et ita bini in Urbem dulci sonorum omnium concentu, ac tubarum, tibiarumque numeris introducti sunt magna Populi frequentia. Hi postquam ad ædes, quas Comes Franciscus Carmeniola in Urbe pulcherrimas atque amplissimas ædificarat, & regio quodam apparatu à Francisco ad eos recipiendos ornatas, perducti sunt, totum triduum egerunt in maxima cibariorum lautissimorum omnium copia ac varietate. (344) Datus est eis à Francisco dies quarto exponendæ persolvendæque legationis locus; & is quidem in area majore, quæ est in primo aditu Ducalis Curiæ. In cujus ex-
E trema parte è regione portæ duplicia fuerant tabulata à solo aliquanto altius ædificata, quorum in sublimiore Principum tribunal multo serico, argento, atque auro mirifice exornatum spectabatur. Circum ac supra tabulata aulea pulcherrima fuerant mira arte, miraque colorum varietate locata; (345) utraque autem tabulata sedilibus suis auleis quoque

(343) MS. quod quum sit loci naturâ multum ac opere editum, & per lapidis jactum Castelleto proximum, velut arx munitissima servari consuevit, uno fere tempore, in potestatem &c.

(344) MS. Eo autem triduo exacto ubi illi satis superque in tantis deliciis & voluptatibus conquievissent, datus est &c.

(345) MS. Supra verò tabulata, tribunalque sublimius, ne qui consessuri erant, radiis solaribus offenderentur, auleis, cortinisque per pulcris multum spatii loca inferiora operiebantur. Utraque &c.

que strata brevioribus decorabantur. Ad horam constitutam venerunt ipsi Principes, vestibus insignibus ornati, quos & liberi, & Senatus, reliquique Magistratus, & Curiæ Nobiles universi mirabili & ipsi quoque ornatu pompaque sequebantur. Franciscus Dux Blancam conjugem manu tenebat ad dexteram, indutus ad pedes usque prætexta multo argento ad specimen artificio mirabili intertexto, cujus è capite paulo supra frontem Orientalis margarita, & ea quidem pretiosissima, pendebat. Cumque per suos gradus ad secunda tabulata ascendissent, in solio consederunt, Franciscus ad dexteram, & ad sinistram Blanca. Post illos deinceps duæ filiæ, cæterique liberi, & nurus duæ aliquanto inferius. Post hos autem Senatores, atque alii Magistratus, quisque pro sua dignitate. In secundis vero tabulatis Proceres ac Nobiles reliqui sedes suas tenuerunt. At insignes & venustissimæ mulieres, ornatissimæque puellæ Mediolanenses, quarum ingens fuit numerus, consederunt humi inferius, sericisque pulvinis reclinatæ. Erat & ipsa quidem humus variis floribus, ac coronis, & tapetibus orientalibus strata. Et ne à creberrimi Populi frequentia muliebris consessus molesti quicquam pateretur, justo à tabulatis spatio eminus ea repagula sunt firmata, quibus universo Populo, quæ fierent, spectare liceret, & audire quæ dicerentur. Interea Genuensium legati multo pulcherrimoque comitatu Curiam ingrediuntur, ipso spectatu, incessuque certe admirandi. Nec injuria & dici & existimari poterant ex quodam veluti gravissimo Romanorum Senatu electi primarii, in quibus jus omne Civitatis, omnisque potestas reposita videretur. Iis ubi primum datum est eminus Principes intueri, detecto capite, flexoque genu, & fidei & observantiæ signum de sese præstiterunt; idemque ter æquis fere spatiis priusquam venissent ad tabulata, factitarunt. Ubi pervenerunt ad Principes, omnes nudato capite, ac genu flexo hilariter atque perbenigne à Francisco primum, dein à Blanca dextera excepti sunt. Exinde ut surgerent jussi, ac si quid vellent, id omne pro voluntate exponerent, aliquanto retro cessere in terga facie reverenter usque ad Principes conversa. Postea unus ex iis, qui & maturior videbatur, & gravior, Baptista Goanus jureconsultus, ut fuerat à Genuensi Republica constitutum, in hunc modum ad Franciscum faciem intendens, locutus est:

Quum Genuensis Respublica, Princeps magnanime atque invictissime, diu ac multum secum animo volutasset quemadmodum & quietius posset & melius sibi, suisque rebus consulere in tantis civilis discordiæ tempestatibus atque procellis, quibus annos jam multos assidue adeo fluctuavit, ut parum à miserrimo abfuerit naufragio, eam solam salutis, tranquillitatisque rationem sibi propositam judicavit, si quem aliquando nacta esset Principem, qui sapientia, probitate, justitia in primis excelleret. Non enim ab re intelligere videbatur, nullam Rempublicam recte posse administrari, quæ à multitudine regeretur, quemadmodum neque navis à gubernatoribus pluribus, neque item exercitus à pluribus ducibus recte regi potest. Sed sicut in Cœlo, quæ communis est bonorum omnium patria, unus imperat Deus, cui universus paret Orbis, ita & in Civitate unum quoque Principem esse oportere, qui

A *ratione atque consilio regat, ac moderetur. Qua quidem ratione adducta Civitas nostra cum & in omnem Italiam, & in universam Europam oculos conjecisset, nullum neque Ducem neque Regem, nec ulla dignitate ac præstantia Principem invenit præter te unum, quem dignum existimaret, cujus pareret imperio. Etenim quod sine arrogantia dictum existimari velimus, quænam alia hoc tempore Civitas offeratur, quæ aut naturâ loci, aut magnitudine animi, aut ingenii, industriæque splendore, aut robore nobiscum conferri queat? Nempe quot, quales, quantosque Principes, ac Reges, & florentissimas Respublicas nobis sæpenumero subjecerimus, & sol oriens novit & occidens. Sed illud nobis est perinde ac fatale quoddam, infelicissimumque sidus,*
B *ut qui ceteris simus invicti, nobiscum ipsi constare victores, nec antea potuimus umquam, nec possumus hoc tempore. Eoque ventum est, ut mutuis intestinisque odiorum incendiis invicem ipsi certare numquam desistamus. Quamobrem cum resipiscere tamdem, & dignitati nostræ, & rebus prospicere decrevissemus, unus tu, Princeps clarissime atque optime, visus es, quem uno totius nostræ Civitatis, eodemque consensu, ultro adiremus, rogaremusque, ut omnem Urbis & ditionis nostræ potestatem gubernaculaque suscipias, administres, regas, modereris, & omnia pro tua voluntate, summaque sapientia, & bonitate constituas, quæ factu optima judicaveris. Novimus enim ea te esse justitia, ea æquitate, ea integritate, atque innocen-*
C *tia, ut nihil sis nisi benigne, clementer, atque innocentissime aut jussurus aut moniturus. Quam quidem rem si tacitus ipse tecum atque diligenter considerare volueris, intelliges profectò aliud tibi nihil aut honestius aut utilius aut etiam gloriosius posse contingere. Nihil enim magis tibi expetendum est, quam omnia agere, atque meditari secundum virtutem. Nunc tibi occasio est oblata, qua omnibus declares animi tui magnitudinem, sapientiam, ac justitiam, cum facillimum tibi factu futurum sit ad concordiam nos redigere, & omnia factionum incendia extinguere, seditionesque è medio tollere, & omnes prorsus omnium propulsare injurias. Quæ ubi feceris, augebis tu*
D *profecto potentiam tuam, qui viribus etiam nostris tibi potentissimo Principi adjunctis, & mari & terra tremendus omnia sis pro voluntate consecuturus. Habebis enim tecum una cum Genua Liguriam universam non solùm ad Macram, sed ad Pisanum etiam usque agrum. Adde præterea Corsicam, quæ Cyrnus à veteribus dicta est, Insulam nobilem atque potentem. Adde Thasum, Lesbum, Chium, Amocostum Urbem nobilissimam in Cypro, & in mari Pontico Amissam, & Cassam in Scythia, Tanamque ad Tanaim. In his enim Urbibus tam celebribus à Genuensibus fundatis in tam distantissimis Orbis terrarum provinciis tua victricia signa spectabuntur, clarissi-*
E *mum tuum celebrabitur nomen. Unus brevi futurus es, quem & Christiani omnes veluti numen quoddam cœlitus demissum in terras mirifice venerentur, & gentes omnes barbaræ, atque nominis Christiani hostes non secus atque fulmen aliquod reformident. Quibus quidem ex rebus cum tuum pro voluntate amplificare liceat imperium, tum in omnes terras tua gloria magis illustrabitur.* Hæc Baptista; quem deinde extemplo subsecutus Johannes Serrha jure etiam consultus ex legatis unus sic inquit: *Audisti, excellentissime Princeps quæ clarus jure interpres, nosterque hujus ad te legationis collega Baptista Goanus in latissimo campo rerum memorabilium*

po-

positus in medium attulit. Sed quod evenire necesse erat nimia rerum magnitudine pressus, obstupuit. Equidem commemorarem aliquam admirabilium laudum tuarum partem, nisi te dicendo molestiâ afficerem, idque te ægre laturum putarem. Nam quis est ita sui ingenii confidens, ut sibi polliceri possit, ea se brevi oratione complexurum, ex quibus si digne referantur, pergrandes conficerentur annales. Quod si ea, quæ à te prudenter, quæ juste, quæ fortiter modesteque gesta sunt, narrando persequi voluerimus, alius nobis Xenophon, Livius alius quærendus esset. Vincit etenim jam cumulus virtutum tuarum scriptorum ingenia, ac earum magnitudine doctissimorum etiam virorum animi à scribendo deterrentur. Sed habes præconiorum tuorum testem non modò quicquid Urbium ac Populorum dives alit Italia, sed quicquid Europa, & totus pæne terrarum Orbis continet. Neque enim ullum esse crediderim Scythiæ, ac Sarmatiæ angulum mortalibus cultum, neque Garamantas Populos ullos, aut Indos, & perustæ Zonæ finitimos, apud quos cum virtutes eximiæ, tum admirabiles victoriæ tuæ non laudentur, prædicentur, extollantur. Movit nempe hæc virtutum tuarum fama cum plerosque remotissimos Populos, tum vel nos in primis vicinos tuos Genuenses. Nam cum Civitas nostra perditissimorum hominum factionibus acerbius quam umquam antea premeretur, ita ut nihil jam essent leges, nihil jura, & libertas procul exulasset, ad portum & refugium æquitatis mansuetudinisque tuæ secura confugit. Dedit illa tibi non aurum, non gemmas, non pretiosam supellectilem, sed sese suaque omnia. Orat propterea bonitatem tuam, Princeps optime, ut reddas ei quietem, leges, jura. Reducas in suas sedes reginam virtutum justitiam, ut boni probique viri, quibus recte vivendi animus est, te velut à summo Deo nobis datum & agnoscant, & fruantur. Improbi verò quos malefactorum conscientia stimulat, quos judiciorum legumque metus vexat, te velut acerrimum ultorem criminum formidantes aut resipiscere aut procul exulare compellantur. Id cum feceris, gaude, atque exsulta tanto bono, nec ullum ex triumphis tuis, qui certe & maximi & celebratissimi sunt, huic divinæ tuæ laudi anteponito. Nam rerum bellicarum laus raro tota imperatoris est. Se participem ejus haberi vult interdum Tribunus, Centurio, eques, pedes, & quicumque sua vulnera jactare potest. Quinetiam & fortuna in bello plurimum dominari creditur, ut laudis pars maxima aliquando imperatori detrabatur. Sed hujus, quod dixi, æquitatis mansuetudinisque tuæ boni, nullum habes, qui ex illo quicquam exhauriat. Totum jure optimo tuum est, quia intra te natum ex te prodit. Nos autem tua virtute ab ingenti calamitate, & ab interitu prope erepti, conservatique, præter æternam felicitatem quam justissimus Rex Cœlorum justis Principibus præparavit, illud tibi ac posteris tuis Virgilianum animo magis quam voce omni tempore concinemus:

„ *In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ*
„ *Lustrabunt, convexa Polus dum sidera pascet,*
„ *Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*

Sed ne longiore oratione molesti simus, accipe, Optime & maxime Princeps, nomine florentissimæ tuæ Reipublicæ Genuensis, quod & tibi & nobis felix faustum sit, regium hoc Sceptrum. Accipe gloriosum hoc Urbis Vexillum, sub quo majores nostri anteactis temporibus Hierusalem, Cæsaream que ceperunt: sub quo apud Pontum, Scythiamque, ac remotissimas regiones plurimas Urbes atque Oppida suæ ditioni subjecerunt; sub quo etiam ex hostibus, barbarisque nationibus innumeris pæne victoriis potiti sunt, & magnos insuper Reges bello nonnumquam superarunt. Tu igitur, Princeps gloriosissime, cum diva uxore tua Blanca, ac liberis illud tuo adjunge imperio, & cum ceteros Orbis Principes virtute, sapientia, ac felicitate antecellas, ostende splendorem animi, ingeniique tui. In pristinas Genuensium vires ac potentiam nomen, gloriamque tuam repone. Hoc Deo Optimo Maximo gratissimum erit munus: Hoc ad immortalem sublimitatis tuæ gloriam pertinet. Hoc de te meretur illorum fides atque studium, qui nos amplitudinis tuæ conspectum petere jusserunt. Accipe item Urbis nostræ Claves, & Sigillum, quo publice obsignantur literæ. Accipe una cum fidelissimis, devotissimisque animis nostris jus omne, auctoritatem, potestatemque totius ditionis nostræ. Quibus omnibus Franciscus læto vultu acceptis, Sceptrum sibi dextera servavit, Galeatio Vexillum, Philippo Claves Urbis, Sfortiæ autem Mariæ Sigillum dari jussit. Deinde (346) pauca in hanc sententiam respondit: *Gratus profecto nobis fuit, Viri Genuenses, adventus vester; gratissima, & jucundissima oratio vestra. Nos autem cum nostro ingenio, tum veteri, singularique vestra erga nos benivolentia ac non exiguo beneficiorum cumulo, & dileximus semper, & amavimus quietem, dignitatemque vestram. Accedit etiam ad communia commoda, quod cum sitis longo spatio ditioni nostræ finitimi, opportune utrimque prospici potest cum non mediocri vestræ Civitatis, ditionisque nostræ accessione, & gloria. Nec vos latere debet, quantâ semper animi molestiâ omnes vestras calamitates tulimus, quas sane communes nobiscum semper existimavimus. Difficile quippe est propter mutuam commerciorum necessitudinem, quæ ob vicinitatem inter Longobardum, Ligusticumque Populum intercedit, si quid aut commodi, aut incommodi alteri evenit, quin sentiat alter. Quare neque majorum opum cupiditate ulla, neque amplificandi imperii causa, quod divina benignitate satis amplum atque opulentum habemus, adducti, curam regimenque vestræ Reipublicæ suscepimus, sed ut illi benefaciamus, quietemque & ipsa tamdem nostra ope inveniat. Nec enim sumus ignari, quanta sit Populi Genuensis virtus, quanta dignitas, atque potentia, & quantam sibi, ac nobis afferre possit in reliquum tempus rerum accessionem, ubi nostris consiliis studuerit, obtemperaveritque. Eo enim tendet cogitatio nostra omnis, ut vos opulentiores in dies, quietioresque reddamus. Nec dissimulanter operam dabimus, ut & Urbis vestræ honos & ratio rerum omnium magis in dies crescat, & ita crescat, ut per memoriam præteritarum calamitatum majorem in suis rebus voluptatem capiat. Idque ita efficiemus, ut quem vos Dominum ultro accepistis, eum indulgentissimum patrem sitis judicaturi. Quod nos tam magnis, tamque præclaris laudibus in cœlum quasi extuleritis, fecistis amice: Nam quemadmodum quod possidemus imperium nulli nostræ aut prudentiæ, aut virtuti tribui velimus, sed à divina donatum Clementia, ita id nullis nostris meritis, sed præcipue vestræ erga nos benivolentiæ atque fidei adscribimus. Quod si quid præcipui in nobis est, quod vos delectet, id divino beneficio nobis datum, & judicavimus semper,*

(346) MS. ubi pacato & tranquillo animo audivit, quæ Genuenses legati exposuerant, effetque non tam legantium voluntate quàm legatorum oratione delectatus, pauca &c.

per, & judicemus. His dictis, legati eorumdem in Principum manibus suo, Genuensiumque ceterorum nomine, sese illis, successoribusque fidem perpetuam servaturos juramento receperunt.

Præterea quoniam Franciscus per idem tempus cum Pio Pontifice constituerat in Illyricum adversùs Turcas exercitum mittere, Ludovico Mariæ quarto ex filiis egregia indole adolescenti, de quo ingentem spem conceperat, certa quadam, ut ipse dicebat, conjectura motus, ob eamque rem ei exercitui præfecerat, Vexillum aureo leone insigne tradidit; eumdemque cum Baptista Goano Genuensi legato, & aliis plerisque Nobilibus viris Militaribus decoravit insignibus. (347) Dum hæc aguntur, Paulus Archiepiscopus occidentalem oram petens, onerarias Genuensium naves, quæ in Herculis Menœci portum, quem nunc Villæfrancæ nominant, sese receperant, magno impetu adortus est. Sed cum die fere integro utrimque acerrime pugnatum esset, Paulus quasi pulsus certamen diremit, proculque in pelagus recessit. Nam tanta virtute Genuenses adversùs exules sese tutati sunt, ut multo plus quàm acceperint, hostibus detrimenti intulerint. Itaque Paulus ea spe derelictus, in orientalem plagam se vertit, in Siciliamque insulam usque provectus, alias Genuensium naves, si quas inopinantes invenire posset, magno studio quærebat. Interim Genuæ, ubi omnia in Francisci ditionem redacta, pacataque visa sunt, decreto publico navium excelsarum quatuor parata classis est, quæ Francisco Spinula duce, cum adversùs Paulum contenderet, conspexissetque haud longe à Corsica insula exulum naves, eas, Paulo congredi non auso, illoque cum majore parte parvis lembis fugiente, desertas cepit, Genuamque reduxit. Itaque ex eo tempore Genuensis tamdem Civitas post tot & tam diuturnas bellorum calamitates, totque civiles discordias sub Francisci Sfortiæ auspiciis, imperiique mansuetudine, terra marique respirare, quiescereque cœpit. Bella, seditiones, exilia, cædes, rapinæ, uno eodemque tempore ex Urbe sublatæ sunt. Pax, concordia, & justitiæ cultus, & qui hactenus aberant, rediere. Sub idem tempus Renatus triremium decem, ferendæ Johanni filio opis causâ, classem paraverat. Quæ Massiliâ solvens ad Ænariam pervenerat, ubi Johannes per superiorem hyemem summa rerum omnium difficultate terra marique pressus, non fine aliqua tamen spe redeundi, in continentem permanserat. Sed mortuo Johanne Antonio Tarentino, in quo uno omnis, si qua erat ei, de recuperando Regno spes reliqua manebat, decrevit non amplius tanto suo, suorumque incommodo atque periculo in bello perseverare. Itaque relicto Isclæ præsidio, cum anni alimentis classem conscendit, & post multos ac varios denique fortunæ casus, variosque labores atque discrimina, Genuâ, & maxima Neapolitani Regni parte amissa, quam, ut demonstratum est, dedentibus sese Principibus, atque Populis receperat, Anno sexto, posteaquam à patriis sedibus discesserat, eodem lacrymans remigravit. Ferdinandus quoque, quamquam Regnum per continentem ubique pacatissimum esse videbatur, tamen æstatis initio non secus ac si rursus adversùs eos, qui contumaces fuissent, bellum terra gesturus esset, exercitum in Campania coëgit. Ubi cum dies aliquot consumsisset, Marinus Sinuessanus, qui non tam pudore quam metu multiplicis in Regem admissi criminis nondum in ejus conspectum prodierat, Alexandri hortatu, atque fiduciâ in castra salutandum, venerandumque Regem venit. Quem Ferdinandus etsi benigne primo adventu excepit, tamen quia memoriâ deponere non poterat, quod Johannem capitalissimum hostem esurientem, & consilii inopem mari vagantem suis Oppidis in continentem primus recepisset, quod ei bellum primùm intulisset, quod ad colloquium postea falsæ reconciliationis specie nova perfidia, novoque scelere eum circumvenire, perimereque tentasset, retineri, & in vincula conjici jussit. Ferunt tamen eum, posteaquam retentus est, dixisse querentem, non se à Ferdinando Rege, quem propemodum sibi infensum esse sciebat, sed à Francisco Mediolanensium Duce, & ab Alexandro, ob datam ab iis de inita reconciliatione servanda fidem, deceptum, comprehensumque fuisse. Quæ sane res multis mortalibus & magnæ admirationi fuit, quod præter regiam, sociorumque fidem in hominem manus injecisset, & Jacobi Picinini & Caudolanorum omnium animis plurimum timoris intulit. Si enim antea Regem metuerant, ad quem eadem de causa proficisci adhuc ausi non fuerant, majore tum metu quatiebantur. Ex quo Pictininus majorem in modum literis nuntiisque à Francisco petit, contenditque ad se celeriter mitti virum, cujus fidei demandatâ militum, reliquarumque fortunarum suarum curâ, ipse Mediolanum ad eum, quo jam ire statuerat, priusquam Rex in Brutios transisset, sese liberius transferre posset. Ea re facile Mediolani impetrata, mittitur confestim in Brutios à Francisco Thomas Thebaldus Bononiensis, quæcumque Picininus vellet facturus. Huic igitur copias in primis, Sulmonemque Urbem sibi præcipuam & universa, quæ in ea regione Oppida obtinebat, maxime commendat. Qui Francisci Ducis nomine, auctoritateque eos in fide contineret, atque servaret. Ipse verò dein cum ducentis circiter ex suo equitatu delectis per Aquilanos, Umbros, Etruscosque Mediolanum ire maturat. Ferdinandus, qui illum in Brutiis consequi plurimum cupiebat, ubi de ejus discessu renuntiatum est, ægre admodum molesteque tulit; ob idque Picininum & literis & nuntiis revocare ex itinere magnopere contendit. At ille magis magisque timens, quo constituerat, ire pergit. Non defuerunt, qui progredienti ei commemoraverint, suaserintque, ut videret diligentius, quo iret, & cujus sese fidei committeret. Antiquum esse hostem, multis lacessitum injuriis, Ferdinandique amicissimum ad quem confugiebat. Omnia nempe suspicionis plena ostendebantur, cur in præsentia à Mediolano iter avertendum esset. At Franciscus, qui hæc ex suorum literis cognoverat, non tam veterum quàm recentium injuria-

(347) MS. Quibus omnibus magnifice, honorificentissimeque peractis, multa jam die discessere omnes, & quisque domum suam reverterunt. Dum hæc &c.

juriarum jam oblitus, Picininum, posteaquam ejus fines ingressus est, benigne ac honorifice excepit, & in filiorum numero habuit. Utque illius ex animo suspicionem adimeret omnem, Drusianam filiam ei longo jam tempore desponsatam in matrimonium tradit. Nuptiæ tamen propter recentem Cosmi Medicis hospitis antiqui obitum parce & sine pompa celebratæ sunt. Post multos verò dies Rex in Brutios profectus, Caudolanorum fines infesto exercitu ingreditur, & quæ illius erant Familiæ Oppida, magno studio in potestatem redigere conatur. Itaque resistentibus paucis, per æstatis reliquum universo prope patrimonio eam gentem nudavit. Ex ea Familia plures supererant viri rei militaris periti. Horum Antonius maximo natu viribus jam effœtus, patriisque ejectus sedibus, cum mulieribus, liberisque parvulis Neapolim concessit, regia ope vitam acturus. Juvenes, & quibus integræ erant vires, patriâ extorres in alienas sedes abiere, per militarem disciplinam vitæ alimenta quæsituri. Hæc utraque res & Sinuessana, & Caudolana fuit nempe Francisco molestissima; velut contra fas jusque fœderis acta, quam sæpe indignabundus non sine gravi tum honoris sui, tum animi offensione ferre posse dicebat. Hunc tamdem exitum habuit terrestre bellum, quod magnis utrimque copiis, variaque fortuna per quinquennium continenter in eo Regno gestum est. Relinquebatur enim tantummodo per eam tempestatem in hostium manu, uti demonstratum est, Iscla Oppidum in Ænaria Insula, & Ovum Arx apud Neapolim, quæ maritima tamen classe, terrestribusque copiis ex arido oppugnabantur. Per idem quoque tempus Pius Pontifex qui, uti ostendimus, posteaquam ad Pontificatus fastigium evectus est, omnes cogitationes suas eo maxime contulerat, ut bellum adversùs Mahometum à Christiana Republica susciperetur, ubi Italiam extincto belli incendio pacatam vidit, rursus ad ejus belli studia animum mentemque convertit. Quare non Italicos modò Potentatus, sed cunctas prope Christianas nationes ad eroganda, præstandaque iis belli auxilia, qui pro tuenda Christiana Religione arma sumturi essent, epistolis, legationibusque ingenti quodam animi ardore excitavit. Cum Venetis præcipue, qui, quod antea in Mantuano conventu renuerant, sponte se facturos receperant, cum Philippo Burgundionum Duce, & cum Matthia Hunnorum Rege fœdus percussit, qui ei terra marique socii in bello forent. Hortatus est præterea longa & ornatissima epistola Franciscum, cui totius belli ejus summam delaturus esset, ut ipse etiam Dei causam tuendam susciperet, ac tam piæ, tam sanctæ, tamque salutari expeditioni interesset (348).

A Franciscus etsi Pontificis consilium velut ab optimo pastore profectum probabat, tamen eam profectionem eo tempore multis de causis irritam, vanamque futuram prædicabat, quandoquidem alio apparatu, alia ratione hujusmodi bellum adversùs potentissimum Regem (349) suscipiendum atque in illius finibus gerendum censeret. Sed ne omnino communi saluti, justissimoque Pii desiderio deesse videretur, missurum se dixit, ut supra ostendimus, cum equestribus copiis, quas non multo post in Flaminiam misit, Ludovicum filium, qui ei bello & interesset, & Pontificis lateri, quousque liceret, adesset. Sed enim Pontifex quam-B quam & corpore erat invalido, & Philippus Burgundio, in quo magnam gerendi belli spem propter illius virtutem, atque potentiam posuerat, aperte suis finibus excedere recusarat, & ob id Cardinales omnesque amici eum hortari, rogareque ne Româ discederet, non cessabant, tamen animo pertinaci maturat ab Urbe proficisci; multisque post diebus Anconam perpetua febre conflictatus defertur. Triremes nonnullas, quas conscensurus erat, & in Illyricum transiturus, paratas invenit. Et jam multi ex Germania atque Hispania pervenerant, Pontificem secuturi ea spe, ut sibi ab eo stipendia pro vitæ alimentis penderentur. Sed cum C ejus rei nihil invenissent, nisi quod peccatorum Indulgentia promittebatur, sicuti Apostolicis epistolis fuerat ubique gentium fidelibus enuntiatum, indignantes remigrare quisque domum cœperunt. Advenit præterea eodem, ut erat prius constitutum, Christophorus Maurus Venetorum dux cum navibus longis, ut Pontifici junctus una in expeditionem proficisceretur. Sed tanta fuit vis morbi in sene præsertim, & imbecillo corpore, simul cum ingenti solicitudine animi, quod suos in irritum conatus casuros, seque ludibrio futurum animadverteret, ut paucis post diebus è vita excesserit. Felix profectò Pontificis mors, quæ eum in tanto D Christianæ Religionis subveniendæ studio (350) evocaverit, feliciorque, quod è cœpto cursu, quem iniisse jam pœnituerat, sua cum laude revocaverit. Constituerat enim, sicuti ex Othonis legati literis Franciscus sæpe acceperat, Brundusium usque tantummodo, si vixisset, navigare, & ibi subeuntem hyemem consumere; Romam postea irrita profectione, Christianis Principibus culpam injiciendo redire. Eo autem vita functo, omnes qui Anconam venerant, ex Italia profecturi, statim unde discesserant reverterunt. Pii corpus Romam relatum est, ubi exsequiis rite solutis, primo Cardinalium scrutinio Petrus Barbus Venetus Pontifex decla-E ratus, cui Paulo Secundo nomen fuit, ei in Pontificatum successit.

(348) MS. Franciscus autem, qui etsi pientissimum Pontificis auxiliandæ periclitantis in Orientali plaga Christianæ Fidei consilium, velut ab optimo Pastore profectum, non modò probabat, sed etiam maxime necessarium judicabat, tamen eam, quam instituerat, profectionem in tam barbaras ac remotissimas ab oris Italiæ nationes non ab re semper improbaverat, multis, honestisque rationibus facile ostendit, cur eo tempore id muneris suscipere non liceret; quod plane vir prudentissimus intelligebat omnino profectionem multis de causis irritam, vanamque futuram prædicabat, & laborem frustra Pontificem sumturum, quandoquidem &c.

(349) MS. & capitalissimum hostem, ac Pius instituerat, suscipiendum &c.

(350) MS. unde manaverat, evocaverit &c.

Explicit Liber Trigesimus.

IN-

INCIPIT LIBER TRIGESIMUSPRIMUS.

(351) INeunte sequentis anni vere & Fredericus Ferdinandi Regis filius cum sexcentis circiter equitibus Mediolanum ad Franciscum mittitur, Hippolythæ Mariæ Alphonso fratri desponsæ Neapolim ducendæ gratiâ, & Jacobus Picininus, qui ut demonstratum est, superiore Anno Mediolanum venerat, Neapolim ad Regem proficiscitur. Causa proficiscendi fuit, quod dum esset Mediolani, ejus stipendii tempus effluxerat. Quare Francisci operâ facta est cum Ferdinando dumtaxat in annum alterum stipendii prorogatio. Proin missus est à Picinino Broccardus Persicus Neapolim, qui Regi pro eo satisfaceret, pecuniasque ad alendos milites acciperet. Hunc Rex ex composito non tam mittentis quàm missi etiam ipsius causâ, hilari vultu excepit, Oppidis quibusdam donavit, magna magistratus dignitate ornavit, & majora se in eum, dominumque suum beneficia in reliquum tempus collaturum pollicitus est, & magno se insuper Picinini visendi desiderio teneri ostendit. De his rebus cum fieret Picininus Broccardi literis quotidie certior, constituit tamdem pro suo officio Neapolim ad venerandum Regem accedere; quem reconciliatum, & optimo in se animo arbitrabatur. Itaque cum discedendi tempus instaret, propterea quod Fridericum regium natum, qui Mediolano appropinquare dicebatur, ibi exspectare nolebat, à Francisco magnopere petit, ut legatum ad Regem destinaret, qui rem suam ei commendaret, quippe quod existimabat se ejus causâ à Rege humanius susceptum, ac omnibus in rebus benignius secum actum iri. Franciscus autem, qui cum adhuc non satis Regis in Picininum mentem cognovisset, nec probaverat umquam, nec improbaverat illius ad eum profectionem, dixit libentissimo se animo legatum Neapolim missurum, omniaque facturum, quæ ei usui forent. Et ob eam rem missus est una secum Petrus Posterla, in quo maximam Picininus ipse fidem ob veterem, præcipuamque inter sese familiaritatem habebat, pro petentis voluntate ad Regem legatus. Ubi verò Sulmonem Picininus pervenit, fuit ibi diebus aliquot de constituta cœptaque ad Regem profectione subdubius, quippe qui non tam Ferrariæ, ac Cesenæ à Borsio Estensi, & Dominico Malatesta sui benivolentissimis, quàm ex itinere à multis aliis, & à suis præsertim domesticis, multa ac varia intellexerat suspicionis plena; quibus de causis sibi animadvertendum esset, quemadmodum Neapolim proficisceretur, Regique sibi infensissimo sese committeret. Verumtamen posteaquam ad eum Broccardus accessit, ad quem studio Ferdinandus velut de eo benemeritus miserat, ita assidue hortatus est multis adductis rationibus, quibus & deberet & liceret ei ad Regem tuto proficisci, ut omni metu, suspicioneque sublata, Neapolim ire contenderit. Procedenti autem ei multi ex regia nobilitate primores sejunctim tridui fere iti-

A nere procul ab Urbe Neapoli facti sunt regio imperio obvii, qui variis locis venientem honorifice acciperent. Introductus est igitur Picininus in Urbem magno honore, magnisque blandiciis. Cui novissime Rex etiam ipse extra Urbem magna cum Procerum multitudine obviam processit, qui eum amplexu, osculoque humanissime excipere visus est. Nam nihil sane prætermiserat, quod ad hominem Neapolim alliciendum utile fore putasset. Fuit deinde Picininus Neapoli dies plures, quo cum omnia Rex consilia sua communicare videbatur. Sed ubi dies recessui dictus venit, quod redire Sulmonem impetratâ à Rege veniâ statuerat, quo Drusiana uxor non multo post è Mediolano eum

B subsecuta adventare ferebatur, accitus est mane ad Regem in Novam Arcem, eo ut dicebatur animo, quo acceptâ veniâ, sumtoque cibo, rediret in Brutios. Jusserat autem Rex passim per Regni fines custodias fieri, ut si forte Picininus vel interdiu, vel noctu transiret, per loca retineretur. Is dies fuit ad VIII. Kalendas Julias, quo die Beati Johannis Baptistæ Natale celebratur. Rex cum pro sua consuetudine Picininum humaniter accepisset, sicuti in illius adventu fecerat, ita in specie simulatæ recessus licentiæ rursus exosculatus est. Paulo deinde post, eo cum reliquis relicto, in

C interiorem locum secessit, parvoque interjecto temporis spatio à paratis jam lictoribus Picininus comprehenditur, atque in carcerem agitur. Comprehensi etiam sunt eodem tempore Franciscus Picininus ejus filius, Broccardus, & alii perpauci. Bona fisco addicata. Bracciani milites ubicumque erant, à provinciæ præfectis in prædam acti, quorum tamen multi regiæ ascripti militiæ stationibus suis remanserunt intacti. Reliqui verò bonis fere omnibus exuti, Silvestro duce, per Picentes in Flaminiam remigrantes ad Dominicum Malatestam antiquum Braccianorum hospitem sese receperunt. Ceterum Drusiana, quæ jam in Brutios pervenerat,

D sed nondum Sulmonem appulerat, eo tristi audito viri nuntio exterrita, mox, qua venerat, Pisaurum ad Alexandrum patruum omnibus suis bonis, regio tamen jussu, revertit incolumis. Sed quoniam haud dubie Ferdinandus futurum existimabat, ut varii per Italiam rumores circumferrentur, Picininum scilicet ipsum ab eo non jure, sed injuria, odio, ac fraude retentum esse, literas ad Franciscum, ceterosque Italiæ Potentatus in hanc sententiam scripsit. *Quot malis, quot calamitatibus Jacobi Picinini rebellio superioribus annis res nostras affecerit, novit non modò Italia omnis, sed ipse etiam terrarum Orbis; qui oblitus tot immortalium beneficiorum, quibus & à*

E *divo Alphonso patre nostro, dum in humanis ageret, & à nobis post illius obitum fuerat exornatus, ea contra nos paravit, & obstantissimo animo peregit, quæ multo Celsitudini tuæ notiora sunt, quam à nobis possent abunde explicari. Nam quantâ illius perfidiâ atque pertinaciâ in caput no-*

(351) MS. Eo, qui insequutus est, Anno circa ver primum & Fridericus Ferdinandi Regis secundogenitus cum sexcentis &c.

A *nostrum, & in rerum nostrarum perniciem conatus fuerit, illud maxime declarat, quod tum demum ipse in partes nostras rediit, cum necesse esset devictum, profligatumque sese in nostram tamdem devenire potestatem. Quibus autem fœderibus, quibusve conditionibus ad nos reversus fuerit, aut quibus Oppidis eum donaverimus, quantaque illi stipendia decreverimus, non est necesse, ut nunc referamus. Certe si partes usque nostras secutus amicus, defensorque fuisset, majore illum stipendio, majoribusque beneficiis prosequi non potuissemus. Nuper etiam cum ad nos venisset, non ut subditus, sed velut germanus frater humaniter, magnisque etiam honoribus à nobis exceptus est, quibus adhuc non modò ad sanitatem nobiscum* B *non redierat, sed ne quidem ab innata illa sua perfidia, depravataque natura, & incredibili pæne in nos odio parum quid immutatus, ea in nos parabat, moliebaturque, quibus nisi divina bonitate occursum fuisset, paratum erat non solùm Regno nostro excidium, sed brevì futurum, ut Italia omnis rursus novis bellorum incendiis, cladibusque laboraret. Quas ob res quamquam inviti, & summo cum animi dolore coacti tamen sumus, dum non modò rebus nostris, sed Italiæ etiam universæ, & Christianæ Religioni consulere volumus, Jacobum Piciniinum hunc capi, captumque in Nova Arce nostra Neapolitana servari jussimus. Ex quo non minus rectè, utiliterque Italiæ totius Potentatibus, ac Populis, & iis præ*C*sertim, qui otii, pacisque cupidi, ac benevivendi studiosi sunt, quàm rebus nostris prospectum iri judicamus. Quandoquidem futurum erat, ut malorum omnium ab illo nasceretur initium, quibus quidem malis brevì Italiam omnem conflagrare oportebat, ni Deus Optimus Maximus, qui nihil insidiarum diu abditum esse patitur, sua benignitate hæc omnia nobis aperta fecisset. Quæ sublimitati tuæ significare voluimus, ut cum ex aliis, tum ex hoc potissimum intelligat, divino consilio, hac ratione, & rebus nostris & cunctis Italiæ Principibus, atque Populis optime fuisse prospectum, dum ea, quæ tam nefarie, tamque scelerate à Jacobo Picinino parabantur, nobis retecta sunt. Quæ qualia, & quanta fuerint, aliis literis nostris Celsitudini tuæ singillatim aperie*D*mus*. Quod ubi Franciscus rescivit, pergraviter commotus est; nec poterat se continere, quin sæpe Regem damnaret, quod in hominem in sui præsertim legati conspectu manus injecisset, quem certe putabat ejus criminis, cujus postremo insimulabatur, fuisse insontem. Dolebat præterea non mediocriter, quod existimabat, neminem fere in Italia futurum, qui non judicaret eum facinoris hujusmodi conscium, utpote qui cum Ferdinando propter vetus & pæne immortale inter Sfortianos, Braccianosque odium in ea resensisset, & Neapolim tamquam ad macellum Piccininum misisset. Quibus de causis indi E gnabundus confestim ad Philippum & Sfortiam Mariam filios, & Robertum Sanctoseverinatem sororium, quos una cum Friderico eunti Neapolim Hippolythæ comites adhibuerat, literas quamcelerrime perferendas jubet, ut ubicumque essent, ab itinere cum Hippolytha desisterent, manerentque ibi, donec quid facere eos voluerit, edocerentur. Hi Senas cum jam pervenissent, acceptis non sine magna Friderici, comitumque animi molestia literis paruerunt. Præterea Franciscus, ne quid pro Picinini salute inexpertum relinqueret, Tristanum filium ad Regem mittit rogatum, (352) ut generum sibi condonaret, omnia se pro eo recepturum pollicitus. Inter hæc Johannes Andegavensis classem triremium decem, biremiumque duarum in Massiliensi portu paraverat, qua Isclæ inclusis, brevique fame perituris, opem ferre maturabat. At Ferdinandus aliam contra majore numero, majoribusque viribus coëgerat, eamque in anchoris stare, ac mare universum, qua parte commeatus Isclam importari poterant, ita circumsedere jusserat, ut navali corona mons ipse, in quo Urbs sita est, cingeretur. Proximas Insulas, ac montes, qui in continenti sunt, & in altum liberiorem prospectum habent, exploratoribus custodiri. Scaphis præterea, ac parvulis celerioribusque navigiis maria circumquaque observari. Jam rumor, quamvis falsus, increbuerat hostilem adventare classem. Rex suam milite affatim complet. Sed vix triduum præterierat, cum regiæ classis præfectus Nonis Juliis factus est ab exploratoribus certior, hostes prope adesse ad pugnam paratos. Qua re cognita, cum se quoque ad pugnam parasset, supervenientes in diluculo hostium triremes cum magno impetu adoriuntur, primoque concursu triremis Massiliensium una intercipitur. Commisso deinde toto utrimque agmine prœlio, rostratæ Andegavensium naves longe numero superantur, ob eamque rem ægre resistentes non multo labore tres aliæ capiuntur. (353) Reliquæ extemplo vertuntur in fugam; regii acrius fugientes insectati, tres item alias triremes ceperunt. Reliquas tres, cum celerius sese prœlio explicuissent, consequi nequiverunt. Ita captæ sunt è Massiliensi classe naves longæ septem, & cum iis biremes duæ, comprehensusque est in ipsa fuga Carolus Torella classis præfectus. Hac victoria nuntiata, obsessi omni spe destituti non multis post diebus dediderunt sese Regi. Idem fecere qui Ovo Arci præerant. Per hunc modum sicuti superiore Anno terrestri, ita maritimo bello finis factus est. Ex quo tempore Neapolitanum Regnum tot gravibus diuturnisque bellis fatigatum terra marique tamdem quiescere cœpit.

Hæc non multo postquam gesta sunt, alteræ Ferdinandi literæ Francisco redditæ sunt, quæ Picinini mortem nuntiabant, eamque hac accidisse de causa, quod cum octavus jam ageretur dies, quo regia classis ad Ænariam hostem profligarat, ejusque victoriæ nuntius Neapolim pervenisset, infinita pæne hominum multitudo magno plausu, magnoque clamore lætitiam præ se ferens, concurrere in Arcem cœpit. Quibus motus vocibus Picininus, qui agebat in turri, quæ Urbem prospicit, rei cognoscendæ avidus, fenestram quamdam conscendere à pavimento altiorem, cratemque ferream manu comprehendere annixus, fallente manu delapsus est, coxamque fregit, adeo quod etsi à medicis nihil in adhibendis remediis prætermis-

(352) MS. ut si gener adhuc viveret (quippe quem putabat post captivitatem paucis diebus supervixisse) sibi condonaret, multa se pro eo &c.

(353) MS. Quo factum est, ut reliquæ extemplo verterentur in fugam: eoque successu regiæ naves acrius fugientes insectando, tres item alias &c.

missum fuerat, tamen quia vulnus lethale erat, duodecimo die, posteaquam cecidisset, magna vi doloris victus, diem obierat. Quæ ubi Franciscus accepit, quod de hominis morte nuntiabatur, facile credidit, sed de mortis genere minime; quin res ridicula visa est. Nam ubique erat vulgata jam fama, Picininum biduum aut triduum omnino, posteaquam in vincula conjectus est, vixisse. Quod & à certis auctoribus fuerat affirmatum. Cujus postea cadaver advenienti Neapolim Tristano (354) videre cupienti, rex exhumatum, ac ita, ut erat fætidum, ostendi jussit. Quibus de causis retardatum est Senis, ut supra ostendimus, mensibus fere duobus Hippolythæ iter. Nam cum Picinini retentio ingrata admodum Francisco exstitisset, sed mors ingratissima, sæpe animo volutavit ex itinere filiam revocare. Ad quam rem multos, & præcipue Blancam conjugem concitatores habebat. Sed cum rerum omnium rationem habuisset, ubi de generi vita, quæ irrecuperabilis erat, nulla amplius relicta spes esset, visum est tamdem à Ferdinandi amicitia nequaquam discedendum, quam tanto suo impendio, tanto suo, suorumque periculo parasset. Ad quam quidem rem & Florentinorum consilio usus est, & Pauli Pontificis voce confirmatus (dixisse enim ferunt, ubi Picininum comprehensum cognovit, factam esse eo tempore & Francisci Mediolanensium Ducis Domui, & Italiæ toti salutem) proinde permisit, Hippolytham Neapolim, ut cœperat, proficisci. Confecto Andegavensi bello existimabat fore aliquando Franciscus, ut & milites à tantis laboribus reficere, & ipse animo quiescere, & diuturnis etiam maximisque impensis parcere posset; quibus superioribus Annis ærarium non modò exhauserat, sed magno etiam alieno ære conflato, in quadriennium fere creditoribus obligarat. Sed enim longe aliter quam putarat (355) evenit. Nam sub idem tempus maximi undique motus in Ludovici Francorum Regis caput, Regnique eversionem quotidie excitari nuntiabantur. Quare judicabat futurum fœderis jure, quod sibi erat cum Ludovico, ut ad eum quoque à se auxilia in Galliam mitti oporteret. Caussam verò tantorum motuum hanc fuisse reperiebat. Superiore Anno, qui fuit à Natali Christiano Sexagesimus Quartus supra Quadringentesimum ad Millesimum orta est inter Regem ipsum, & Franciscum Gallicæ Britanniæ Ducem de confiniis controversia, quæ Ludovicus tum jure, tum vetere consuetudine ad se pertinere dicebat. Franciscus Dux omnia secus. Quare ubi inter sese diu multumque disceptassent, Rex illum in judicium arcessi imperat. Postea verò ut regni totius Primates ac Principes ad Kalendas Decembres in Turonensem Urbem convenirent, edixit, quibus advocationis caussam aperiens, ea se esse mente pronuntiat, ut in contumacem atque infestum arma sumerentur. At ii, ut sunt Galli naturâ leves ac subdoli, & ad bella suscipienda alacres, non pro Rege in eo conventu, sed contra Regem conjurant, percussoque inter sese clam fœdere, ceteros, qui abessent, sollicitant, & ii quoque paulo post idem confirmant. Conjurationis ejus hos fuisse principes proditum est, Carolum Biturigum Ducem, regium germanum fratrem, Carolum Philippi Burgundionum Ducis primogenitum, (356) Franciscum ipsum, propter quem lis erat orta, Johannem Borboniensium Ducem, Johannem Alanconiensium Ducem, Carolum Nemorsinorum Ducem, Johannem Andegavensem Renati filium, qui superiore Anno, ut demonstratum est, Genua, Neapolitanoque Regno pulsus, in Galliam redierat, & Carolum Andegavensem Renati germanum fratrem, Cænomanorum Comitem, Ludovicum Montispenserii Comitem, Johannem Armeniacorum Comitem, Johannem Alebretensium Comitem, & Johannem Dunesinorum Comitem, quos plerique alii Regni Proceres secuti sunt. At non multo post tempore Britannus (hoc enim nomine appellantur qui in Gallia relictâ Britanniâ consederunt) veritus ne priusquam nondum prodita conjuratione auxilia pararentur, bellum sibi Ludovicus inferret, ad eum de componendis rebus legatos mittit; quorum operâ brevì factum est, ut communi consensu pax inter eos in Pictaviensi Urbe firmata sit. Sed à Britanno, ut postea cognitum est, cuncta simulato animo atque dolo acta. Nam ejus legati in reditu Carolo Regis fratri adolescenti ob injectam vanam spem de vindicando sibi fraterno regno, suæ partis facto, facile persuaserunt, ut nulla amplius cunctatione usus ad Britannum transiret. Is igitur postridie ejus diei, dum cum Rege venationis gratia iter faceret, relicto eo, domum repetens ad Britannum se recepit. Quare non multo post Johannes Borboniensis, qui ejus erat, ut prædiximus, conjurationis princeps, finitimis regiæ ditionis Populis apertum indicit bellum; quem secutus Johannes Armeniacus multum agri ferro atque igni devastat. Quibus nuntiatis, Rex aliorum Principum animos cognoscere aggressus, varios eos omnes inconstantissimosque reperit. Quamobrem maximis anxius curis, eos qui aut benivolentia, aut fœdere sibi juncti erant, rogare cœpit, ut in tanto suo discrimine opem ferrent. Cum alios infirmos, alios jam aperte à fide discedere comperisset, confugit tamdem ad Franciscum Sfortiam, (357) cujus fide nihil certius sibi ducebat. Hunc multis literis ac nuntiis rogat, obsecrat, obtestatur, ut auxiliares ex Italia copias in Galliam ad se mittat. Ipse autem magnis itineribus ex urbe Turone in Borboniensium fines profectus, coacto mox undique exercitu, feracissimum agrum populatur, ac Oppida quamplurima partim per voluntariam deditionem, partim per metum, vimque capit. Interim quoniam majores Galliæ motus in dies exspectabat, majoribus copiis augere exercitum contendit. Civitatibus reliquis, quæ persistebant in fide, delectum

(354) MS. hominemque seu vivum seu mortuum videre cupienti, ut quum vidisset, testimonium perhibere posset percontantibus, Rex exhumatum &c.

(355) MS. ut assolet interdum, sibi evenit. Nam sub idem tempus, majus aliud, atque insperatum exortum est in Transalpinis Galliis bellum, ac maximi &c.

(356) MS. Renatum Andegavensem Ducem, qui se Siciliæ Regem nominat, Franciscum Britannum, Johannem &c.

(357) MS. velut ad hospitem præcipuum, cujus &c.

ctum imperat. Dum hæc ita geruntur, nonnulli ex iis, qui in Regem conjurarant, Borboniensis, Alanconiensis, Nemorsinus, Armeniacus, quos supra nominavimus, & plerique alii, ubi vident, se tanto hosti, nondum contractis in unum locum conjuratorum viribus impares futuros, pacem primo petere simulant. Deinde inducias, quibus cum bis datæ essent, & novissimæ prioribus longiores, in multos dies res deducitur. Interim tamen utrimque maximæ ac frequentes ubique per regiones excubiæ custodiæque disponuntur, & magis atque magis quisque pro se copias undique contrahit. Proponebatur quotidie spes pacis atque reconciliationis. Sed simulanter omnia à conjuratis agebantur. Nam eo consilio ad conditiones pacis deveniebant, ut Rex distineretur, Carolo autem Burgundioni, & Francisco Britanno, qui & auctoritate & viribus ceteros anteibant, & cogendorum militum daretur spatium, & ad oppugnandum deinde Regem cum universis viribus, ut erat ante constitutum, quod longius aberant, eundi facultas suppeteret. Sed dum de pacis conditionibus agitur, fit Ludovicus multis nuntiis certior, Burgundionem magnis copiis & incredibili pæne tormentorum apparatu ex proximis Belgarum finibus movisse, & per Ambianos, Bellovacosque ceteris superatis amnibus, Sequanam transisse, atque è regione Urbis Parisiorum, quæ Regni caput est, consedisse, omnia ferro ignique vastantem. Quare veritus ne si diutius in iis locis moraretur, reliquæ conjuratorum copiæ Burgundioni adjungerentur, ex quo minus postea posset tantis viribus resistere, maturandum in hostem, & nulla cunctatione adoriendum putavit. Itaque pacis conditionibus omissis, die noctuque universo exercitu ad Parisios ire contendit. Ejus de adventu factus Burgundio certior, obsidione Urbis relicta, fit Regi continuò Ericum usque Montem infesto agmine, animoque ingenti obvius; quod Oppidum viginti amplius passuum millibus à Parisiis distat. Ibi carris, stipitibusque suo more solo infixis, vallo celeriter confecto, colubrinis, omnique missilium genere se defendere parat. At Ludovicus hunc totis copiis magnoque impetu invadit, & missilibus ipse quoque eminus à lateribus pluribus hostem lacessere, acriusque cædere cœpit. Certatur utrimque fortissime atque pertinacissime. Fit ob id continuo magna ac miserabilis ubique cædes. Sed cum aliquamdiu per hunc modum à duobus potentissimis exercitibus, altero in munitione se tueri, altero intra munitionem irrumpere conantibus, pugnatum esset, falsa exoritur regios inter milites vox, Regem vulneribus confossum cecidisse. Qua voce exaudita, cecidere mox omnibus animi. Dein languidius pugnare, multi prœlio excedere, & fugæ se mandare cœperunt. Carolus Andegavensis inter reliquos, qui tribus equitum millibus præerat, seu metu propter increbrescentem amissi Regis rumorem, seu dolo, quod jam, ut demonstratum est, cum hostibus sensisset, discedens toto suo equitatu, non prius à fuga restitit, quàm passuum millia circiter quinquaginta procul ab eo loco abiisset. Quod ubi animadvertit Ludovicus, detractâ confestim galeâ, magna voce, *Ego*, inquiens, *adsum*, revocare fugientes conatur. Ex quo multi seu pudore seu metu ducti restitere apud Regem, prœliumque ob id instauratum. Multi verò, ut cœperant, relicto Rege, fugam persequi perseveraverunt. Nec tamen hostis munitionibus educere ausus est. Ludovicus autem cum jam nox supervenisset, & à suis, qui remanserant, ægre dimicaretur, videntibus hostibus, prœlio excessit, & ad multam noctem Corbellium se recepit, quem in locum suos è fœda fuga reducere curavit. Et quoniam ubi erat, amplius sibi manendum non videbatur, propter magnam militum multitudinem ad hostem quotidie confluentem, coacta biduo majore errantium parte, Parisios concessit. Interim Carolus numeratis occisorum cadaveribus, qui millium sex numerum superasse feruntur, iisque humatis, operaque adhibita, ut saucii curarentur, cum res frumentaria exercitum deficeret, Estampas proficiscitur. Quod quidem Oppidum etsi permunitum erat, & validum, oppidani tamen metu perculsi, sese Carolo dediderunt. Quem in locum Carolus regius frater, Franciscus Britannus, & ceteri conjurationis principes confestim cum ingenti, quanta maxime pro se quisque potuerunt, armatorum manu convenere. Fuerunt, ut existimabatur præter inutilem multitudinem supra centum fortissimorum virorum millia. Cumque aut de capiendo aut fugando Rege agerent, constituerunt illum ad Urbem Parisios circumsedere; quæ etsi maxima est, muroque circumdata validissimo, & fossa item duplici & aggere munita, tamen non dubitabant, brevì Regnum prope universum imperata facturum.

Quibus constitutis rebus Urbi totis castris admoverunt. Burgundio primus urbana prope mœnia sua castra locat, quæ ferratis curribus, validoque aggere circumdat. Johannes Andegavensis, qui Urbi proximus est, pontem in Sequana situm occupat. Id enim flumen mediam Urbem interfluens rem frumentariam facile abundeque ei Civitati suppeditabat. At Carolus Regis frater, & Britannus ceterique Principes municipia quæque munitione firmiora circumquaque aggressi, iisdemque potiti Urbem & ipsi ita obsident, ut ex magno ambitu is solus obsessis relictus sit aditus, qui ad occidentem pertinet, & ad regionem eam vergit, quam Galli Normandiam dicunt. Huic præsidio erant ex regiis evocatis quadraginta circiter equitum ac peditum millia. Quibus ex locis, & Rothomago Urbe amplissima, quæ regionis totius caput est, Regique fidelissima, magna quotidie inclusis subsidia, invitis etiam obsidentibus ipsis, subministrabantur. Ceterum hostium duces Burgundioque in primis & recenti victoria, & numero elati sæpe Regem per feciales, perque ferream chirothecam, belli more in certamen provocabant. At ille ut est ingenii acrimonia, & prudentia singulari præditus, cum statuisset Urbe se continere, hostesque, quoad posset, diuturnitate belli conterere, viribusque exinanire, prœlio abstinebat, provocantique hosti respondebat, non decere subditos Regem suum in pugnam provocare. Inter hæc Franciscus Sfortia, qui erat animo in Ludovicum non benivolo minus quàm grato, cum pri-

primum de ea Principum conjuratione, perfidiaque multorum literis cognovit, non exspectandum sibi duxit, ut auxiliator accerseretur à Rege, sed ultro ei succurrendum sui officii esse judicavit. Ad quam rem tamen non multo post accessit frequens Regis ipsius petitio. Proinde celeriter exercitum in cisalpina Gallia parandum curavit. Huic viros fortes longoque belli usu peritos attribuit. Imperii verò summam Galeatio primogenito suo tradidit, quem eo potissimum consilio ductus in eam expeditionem mittendum existimavit, ut & beneficium petenti in tanto suo periculo gratius foret, cumulatiusque redderetur, & adolescens filius disciplinam militarem, ipso vivente, disceret, armis assuesceret, & militum quoque gratiam, & auctoritatem bello gerendo sibi compararet. Quippe qui sæpe dicere solitus esset, quàm sibi jucundum exstitisset, si Veneto bello, quod postremo gesserat, Galeatium filium apud se habere per ætatem licuisset. Is igitur bellandi cupidus, coacto non longe ab Urbe Vercellis exercitu, impetrataque ab Amideo Sabaudiano Principe, qui Ludovico patri in principatu successerat, de libero per suos fines transitu, redituque fide publica, parte æstatis jam exacta, castra movit, & per Taurinos iter faciens, paucis diebus ex Italia alpes transcendit, ac per Delphinates, quos vocant, in Viennensium fines regiæ ditionis magnis, difficilibusque confectis itineribus pervenit. Deinde nulla fere data militibus quiete, Rhodanum trajecit. Proximum Francisci Borbonensis solum, quod Forense appellant, Oppidis magis quàm Vicis frequens invadit, populatusque late ac longe regionis agros, magnum inde pecoris numerum abegit, ita ut nemo fere miles prædæ expers redierit in castra. Ejus adventu provinciæ ejus Populi, qui fere omnes adversis Ludovici rebus infirmi vacillare animo, & de defectione cogitare jam cœperant, in regia fide confirmantur. Hostibus verò tantus est terror injectus, ut Galeacius non formidabilis modò hostis sed formidabilissimus cunctis esset. Nam tanta mox est barbaris gentibus nata de Italorum virtute opinio, ut eos supra mortales esse arbitrarentur. Quare expugnatis primo aggressu Oppidis quibusdam, illisque munitissimis, & in prædam actis, quamplurima partim metu, partim voluntariis animis dedentibus sese oppidanis, suam in potestatem venire coëgit, quæ sane & situ erant, & ceteris munitionibus captu difficillima, & quæ cum magnis olim exercitibus à Francorum Regibus obsessa, oppugnataque fuissent, in pristina tamen fide semper permanserant. De his rebus Franciscus Borbonensis, qui cum ceteris conjuratis, ut docuimus, Regem infestabat, crebris nuntiis certior factus, cœpit non mediocriter suis rebus timere, & jam de discessu ex castris apertissime verba facere, quo suorum saluti prospiceret. Quæ sane res & Burgundioni molestiam attulit non parvam, & Regi in tanta calamitate magno fuit adjumento. Nam & huic animus meliore spe auctus est, & hostibus diminutus. Cum igitur Rex hujusmodi consilio hostes distinere, tempusque consumere instituisset, sinebat aliquando, ut levis armaturæ equites, & ii quidem admodum perpauci cum hostibus prœliarentur, qui post parvulas dimicationes in Urbem revertebantur. Quod certe erat Burgundioni, sociisque molestissimum: quippe qui ardebant, ut collatis signis iretur in pugnam, brevi futurum rati, ut de Rege ipso, & de Regno universo actum esset. At Ludovicus, cum inter spem metumque fluctuaret, sibique maxime à suorum insidiis cavendum esse intelligeret, saniore tamdem usus consilio, post mensem tertium, quam pugnari cœptum est, circa Kalendas Novembres cum Burgundione ex communi utriusque consilio clam in colloquium venit, pacemque certis conditionibus pepigit, factumque est deinde, ut Burgundionis ipsius operâ conjurati omnes Regi reconciliarentur. Post hæc inter Regem Burgundionemque, ictis fœderibus, firmataque pace, in publicum convivium itum est; ubi Duces, Principesque regni, qui inter accumbendum affuere, Ludovicum Regem pro more venerati jurejurando sese obstrinxere, ut posthac omni in eum maleficio atque injuria abstinerent, illi quoque veluti legitimo Regi & Domino parerent. Quibus confectis rebus, data est singillatim omnibus abeundi potestas; pauloque post in suas quisque sedes concessere. Pacato per hunc modum Regno, sedataque omni conjuratione mense Februario, & Anno à Natali Christiano Sexagesimo Sexto supra Quadringentesimum ad Millesimum Ludovicus tres legatos misit ad Franciscum Sfortiam magnæ auctoritatis dignitatisque viros, qui ei coram gratias agerent immortales pro tanto, & tam necessario tempore in se collato beneficio, cum sæpe diceret, tempestivo illius auxilio non modò totam Delphinatus regionem, universumque Lugdunensem agrum, qui jam in hostium pæne devenerat potestatem, à Comite Galeacio invictoque ejus exercitu sibi restitutum, servatumque esse, sed pacem etiam æquis conditionibus se consecutum. Legati ex itinere ad Galeacium primùm deflexerunt, eadem exponendi gratiâ, quæ primi expositurì erant. Deinde Mediolanum ad Franciscum cum pervenissent, & quæ Rex mandaverat, præsentes retulissent, tanto honore, & humanitate à munificentissimo Principe excepti sunt, ut nihil aliud in ore habere viderentur, quàm summam unius Francisci Sfortiæ beneficentiam, atque animi magnitudinem. Sed vix dum legati ad Regem redeuntes alpes transierant, cum insperata atque repentina mors Franciscum ipsum in summa rerum felicitate, cum ab omnibus quamdiutissime etiam victurus speraretur, occupavit. Nam qua superioribus annis hydrope, ut docuimus, periculosissime laboraverat, non omnino liberatus, ita magnitudine pravorum humorum, atræque bilis potissimum partes superiores petentium oppressus est, ut intra biduum defecerit. Id medici evenisse judicaverunt, quod quotidianis remediis, & consueta corporis purgatione dies complures abstinuisset, quodque singulare quoddam studium ad perstringendos humores in crura defluentes adhibuisset. Obiit autem ad VIII. Idus Martias, Quintum & Sexagesimum ætatis, ac Sextum decimum Mediolanensis Principatus agens Annum. At Blanca Maria, ut erat virago non minus prudens quàm animo supra ingenium muliebre, in tam gravissimo casu nihil prætercustom

termisit, quod ad salutem viri pertinere arbitraretur. Nam assidue ea omnia cum medicis excogitavit, curavitque remedia, quæ ad bonam valetudinem virum jam deficientem revocarent. Sed cum animadverteret tamdem eum paulatim extingui, veluti qui ab ea persæpe interrogatus, aut parum & anxie responderet, aut nihil præ nimio stomachi dolore, quo plurimum conficeretur, nec omni usus conatu in nimia nausea vomitum posset facere, intelligeretque non solùm ex medicorum judicio, sed ex ipsa etiam re de illius vita nullam omnino sibi spem relictam esse, non destitit in tanta animi ægritudine (358) vel ipsas inter lacrymas propere ad Galeacium filium literas dare, (359) jam esse de patris vita desperatum, (360) ut quamprimum in patriam reditum maturaret. Deinde in multam noctem Senatum cogit, nonnullis Civibus accitis, qui inter Mediolanenses & auctoritate & opibus magis valerent. Quibus exposita præsenti calamitate, omnes est benigna & gravi oratione adhortata, ut rebus ita consulerent, ne quid posset adversi accidere. Intelligebat enim jure verendum esse in tanta Populi multitudine, ne quid tumultus in Principis obitu oriretur. Et quod mirandum est, cum dolore ipsa usque adeo conficeretur, ut mortuæ esset quam vivæ similior, ea dicendi gravitate est usa, ut flentibus ceteris, ipsa sese à lacrymis, & omni animi imbecillitate contineret. Sed inter hæc ubi Franciscus naturæ, Deoque concessit, rursus nuntios misit ad Galeacium, eumque de patris obitu edocuit, ut in patriam reverteretur, adhortans. Præterea ad cetera consilia, quæ ad tuendum principatum, incolumitatemque suorum pertinere videbantur, non prætermisit omnes Italicos Potentatus de viri obi-

A tu efficere certiores, hortarique, atque rogare, ut sibi, (361) ubi opus sit, auxilio forent; & Regem Ferdinandum in primis, atque Florentinos sibi fœdere junctos; & eadem ratione Paulum Secundum Pontificem Maximum, ac Venetos, ad quos etiam legatos misit viros graves. Et quoniam Franciscus non tam universæ Nobilitati, quàm toti Mediolanensi Populo æque fuerat carus, & velut Numen quoddam colebatur, magni fletus, immensique ubique ejulatus in Urbe exaudiebantur. Mœror ingens certe totam Civitatem occuparat, cum omnes non Principem optimum, sed patrem, sed vitam etiam ipsam, atque animam amisisse viderentur.

B Erantque omnes in ejus laudes effusi, vocesque & clamores ferebantur in cœlum. Placuit autem Blancæ pro nimia sua in virum pietate, ut biduum ejus corpus domi servaretur insepultum. Quo quidem tempore numquam destitit ita mortuum animo contemplari oculisque sæpe aspicere, ac si vita frueretur. Domus tota fletibus, ejulatibusque complebatur, etsi vocem ipsa ac lamentationem, quoad poterat, reprimebat. Die autem tertio cum instituisset funus deferri in Templum, quod maximum & nobilissimum in honorem Beatissimæ Virginis Mediolani dicatum est, quod diutius propter corruptionem servari non poterat, è Curia,

C priusquam efferretur, rursus maximis fletibus, ejulatibusque propius facta, illud in oculos totamque faciem exosculari non cessavit, medicis ac cunctis, qui aderant, prohibentibus, ne triduanum corpus, quod jam olere cœperat, attrectaret. Inter lacrymas verò ac singultus (362) vix tamdem Blanca abstracta. Franciscus pretiosissimis vestimentis insignibusque Ducalibus ornatus, ac illo ense cinctus, quo in omnibus victoriis

(358) MS. qua propemodum premebatur, vel ipsas &c.

(359) MS. eumque certiorem reddere, jam &c.

(360) MS. & ob id ne cunctaretur quominus quamprimum &c.

(361) MS. tanto orbatæ viro, ubi &c.

ACcedat & hoc Opuſculum numquam antea editum ad reliqua Bononienſis Hiſtoriae monumenta, quae jam produxi: pluribus enim digna eſt, quae illuſtretur, Civitas ornatiſſima, & a tot ſeculis ſplendida, atque ex ampliſſimo Gymnaſio, omniumque diſciplinarum ſtudiis celebratiſſima. Illud autem mihi ſuppeditavit mei amantiſſimus, & ſedulus eruditionis cultor Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis, ſacrae Theologiae Doctor, Prior Eccleſiae Parochialis della Maſcarella, & nunc publicus Graecarum Literarum Profeſſor in eodem Bononienſi Gymnaſio. Opuſculi Auctor *Johannes Garzonius Bononienſis*, ex patricia Familia ortus, Philoſophiae ac Medicinae Doctor, ac olim in Patria ſua, immo longe lateque vir magni nominis & famae. Scipione Dulfio teſte in Chronologia Familiarum Bononienſ. pag. 333. floruit *Anno* 1466. *Johannes Bernardi Garzonii filius Phil. & Medic. Doctor Collegiatus, humaniorum Literarum peritus atque Hiſtoricus. Anno proxime ſequenti* 1467. *inter Antianos Bononienſis Reipublicae Bartholomaeo Mini de Rubeis Vexillifero aſſedit*. Tradit etiam Alidoſius in Doctór. Bonon. pag. 92. Garzonium noſtrum in publico Gymnaſio Medicinam practicam fuiſſe profeſſum ab Anno 1466. uſque ad 1506. quo Anno V. Kalend. Februarii diem clauſit extremum. Auctor itidem eſt praelaudatus Dulfius, ſepulturae traditum fuiſſe Garzonii corpus in Sancti Martini Majoris Templo, ibique in marmorea tabula deſcriptas fuiſſe illius virtutes. Verum Leander Albertus Hiſtoricus diligentiſſimus, in deſcriptione Italiae, ubi de Bononia ſermonem habet, in Sancti Dominici ſtatuit ejus tumulum, ſimulque illum uti complurium Hiſtoriarum elegantem Scriptorem commendat; immo quod gloriae tanti viri praecipue tribuendum eſt, eum alibi ſuum Praeceptorem appellat. Ad haec eumdem multis memoravit atque laudavit in ſua Biblioth. Bonon. Ovidius Montalbanus ſub confiсto nomine Johannis Antonii Bumaldi, plura ejus volumina MSta innuens, *quae numerari potius in genere, quam percurri in individuo poſſunt, adeo ſunt multa & varia in quacumque materia, Phyſica, Medica, Aſtrologica, Oratoria, Poëtica, Moralia, Politica, Hiſtorica, abſolutiſſime & elegantiſſime ſcripta. In Hiſtoriis non ſolum de Patria eſt benemeritus, ſed de toto Orbe: nam pacis & belli geſta, longinquarum etiam Nationum integerrime deſcripſit, ita ut ab Ultramontanis etiam Principibus & Regibus valde laudari fuerit promeritus* &c. Sed fuſius quam reliqui Garzonium nobis deſcripſit Peregrinus Orlandus Bononienſis ex Carmelitarum Ordine, qui in Opere, cui titulus *Notizie degli Scrittori Bologneſi*, Libros potiſſimum ab eo lucubratos recenſet. Illic autem animadvertere poteris, quantopere egregius iſte vir Aſtrologiae Judiciariae addictus foret, ejuſque admiratione captus, quam etiam cum Aſtronómica ſcientia confundit.

Neque Garzonii nomen novum ignotumve extra Italiam. Gerardus Johannes Voſſius in egregio Opere de Hiſtoric. Latin. Lib. III. Cap. XII. honorifice de eo loquitur, ejuſque editas Hiſtorias enumerat. Garzonium quoque inter Hiſtoricos retulerunt Chriſtophorus Sandius in Animadverſion. ad Voſſium num. 237. & Johannes Hallervordius de Hiſtoric. Latin. num. 108. & Reineſius in Syntagm. Inſcri-

ptio.

ption. Roman. Clafs. I. Infcription. 39. ut alios praeteream cum Italos, tum exteros, qui literarios hujufce Viri foetus fua laude minime fraudarunt. Certe mirum eft, quei homo Gymnafio Bononienfi ad Medicinam Artem tradendam addictus, tot Libros fcribere potuerit, neque folum de rebus patriis, fed etiam de exteris. Ego reliquis ejus Opufculis dimiffis, Hiftorica tantum delibabo. Eft mihi Opufculum MStum Garzonii *de rebus geftis Thaddaei Pepuli Bononiae domini*. Praeterea is in literas retulit *Vitas Sancti Dominici, Sancti Petri Martyris* Ord. Praed. *Sancti Thomae Aquinatis, Sancti Petronii*, aliorumque Sanctorum Virorum ex quibus aliquot in lucem prodierunt Bononiae Anno 1503. typis Benedicti Hectoris, eafque Leander Albertus recudit. Scripfit Libros duos *de Rebus Saxoniae, Turingiae, Libonotriae, Mifniae, Lufatiae* ad Fridericum Saxoniae Ducem. Quod Opus ex officina Frobenii excufum prodiit Anno 1518. Quum *gefta* etiam feu *bella Friderici Landgravii Turingiae* literis mandaffet, ea Reinerus Reineccius V. C. edenda curavit Francofurti Anno 1580. Ab ipfo quoque Libellus confcriptus *de Rebus Ripanis*, typis traditus fuit Anno 1576. Anconae. Praeterea MStam reliquit Hiftoriam *de Bello Mauritano* dicatam Bartholomaeo Ghifillardo. Item Commentarium *de Geftis Johannis I. Bentivoli* ad Johannem Bentivolum II. Item *Hiftoriam Petri Caffolini*, in qua referuntur acta quaedam Bononienfium pro libertate tempore Johannis XXIII. Papae. Item Commentarium *de bello Bononienfium cum Johanne Galeatio, Alberto Eftenfi, & Francifco Gonzaga*. Item *de bello cum Mutinenfibus*. Item *de bello Veneto*. Item *de bello Bononienfium in Claternates*. Item *de laudibus & rebus geftis Johannis II. Bentivoli*. Item *ad Illuftrifs. Principem Federicum Saxoniae Ducem, Turingiae Lantgravium, de bello ab Alberto Principe cum Federico & Theodorico liberis gefto*: quod Opufculum nefcio an diverfum fit ab iis, quae fupra commemorata fuere. Haec omnia mihi indicavit fupra laudatus Bianconus, fimul monens, ea adfervari Bononiae inter MStos Codices Bibliothecae Inftituti, ut ajunt, fcientiarum, & Bibliothecae Sancti Dominici, praeter complures *Epiftolas, Orationes, Declamationes*, aliaque eruditionis fragmenta. Ibi quoque latebat Opufculum nunc mihi evulgandum *de Dignitate* Urbis *Bononiae*; quod quidem in lucem non effero, quafi revera dignitati praeftantiffimae Urbis, quantum par effet, refpondeat: heic enim nemo non videt quam paucis laudum argumenta expediantur, ac ea pars potiffimum, quae ad Literatos Bononienfes fpectat. Majora fi quis cupit, adeat Hiftoriae Literariae Bononienfis Scriptores. Non Auctor fane Garzonius tam accuratus, ut ei, dum fecula a fe remota perluftrat, fine haefitatione habenda fit fides. Nam & heic Ludovicum II. Lotharii filium Imperatorem a Bononienfibus in proelio fractum, & pauca alia exhibet, quae cum veritate Hiftoriae pugnare fentias. Attamen pleraque ab ipfo enarrata Scriptorem produnt finceritate ac eruditione praeftantem, ac de fua Patria optime meritum. Atque haec ipfa mantiffa, nifi mea me fallit opinio, minime contemnenda, laudatoribus fumme laudandae Urbis adjecta, & libenter, ut fpero, legetur, & Auctori aeque, ac ejus Patriae Bononiae exiftimationem aliqua ex parte augebit.

JOHAN-

JOHANNIS GARZONII
DE DIGNITATE
URBIS BONONIÆ
COMMENTARIUS
AD ANTONIUM GALEATIUM BENTIVOLUM.

NOn parva te forte admiratio capiat, si Urbis Bononiensis amplitudinem illustrandam duxi, cum tot eloquentissimi viri, qui mihi & ingenio, & doctrina antecelluerunt, eam sibi provinciam depoposcerunt; qui eam Urbem, quæ semper rei militaris virtute, & disciplinis, ac suavissimis moribus ceteris Italiæ Urbibus præstitit, exquisitissimis verbis ornarunt. Floruit illa fortibus Imperatoribus, ex quibus quantam sit laudem gloriamque consequuta, declarant bella ab his feliciter gesta. Atque fuit tempus illud, cum ipsi (nondum enim bellis civilibus implicabantur,) universam prope Flaminiam sub Populi Bononiensis imperio redegerunt. Quæ quamquam memoriæ ac literis prodita sint, ea tamen in præsentia sum brevi oratione complexus. Quid loquar de liberalissimis studiis, & disciplinis, quibus semper affulsit? In loco suo cognosces. Forte mihi occurris, cum vir sis doctus, & eruditus, quod à veritate absim, quando permulti Bononiæ ætatem egerint, omnium bonarum Artium nec immunes, nec expertes, qui minime Cives fuerunt, neque in Civitatem adscripti. Hoc ego si negem, mentiar; at fatebor eos, ex Bononiensium fontibus illas hausisse. Morum elegantiam quibus laudibus efferam, haud sane intelligo, cum tanta sit, ut exteris nationibus admirationem moveat. Tibi autem, quem mihi quædam divina sors dedit Principem, Libellum ipsum dicavi. Hæc mihi tecum prima erit congressio, primaque scribendi materia. Sed antequam de re ipsa dicere incipiam, plusne Literarum studio, an rei militaris virtuti tribuendum sit, considerationem suscipiam.

Plerique scientiis majorem tribuunt laudem, quod ex ipsis ea provenit actio, quæ nobilior est, & perfectior; illarum enim præsidio animus omnibus Virtutibus, quæ ceteris rebus præstantiores existunt, refertus redditur. Est ea propterea res mea sententia præstantior, quæ nullam fortunæ vim pertimescit; ea vero minori laude digna, cui fortuna plurimum dominatur. At Literarum studia nequaquam fortunæ imperio subjiciuntur. Apud Poëtam: *felix est, qui potuit rerum causas cognoscere*. Id munus, si ad Literarum studia incumbemus, facile assequimur; ab eo nos sejungit ars militaris. Ad felicitatem omnes trahuntur, & deducuntur. Tu, si rei militaris felicitatem cum ea, quam nobis scientiæ pollicentur, contuleris, haud inficiaberis, ipsammet fragilem, caducam, & tamdiu residere, quamdiu fortunæ possit libido; hanc vero & veram, & perfectam, cui ne ulla quidem ætas finem est allatura. Mihi alia mens est, aliaque opinio; id enim boni, cujus plures participes redduntur, majori laude dignum censeo; & res militaris longe plures, quam scientia, beneficiis afficit. Paucos, vel potius nullos invenies, quibus non præstiterit hoc officium. Difficile dictu est, quanto Marcum Curtium juvenem bello egregium verborum honore prosequantur rerum Scriptores; nam cum Romæ forum medium, ut Livius affirmat, specu vasto in immensam altitudinem collapsum esset, nec conjectu terræ expleri posset, cecinerunt vates, ut ea re, qua populus Romanus plurimum posset aliis, sacrificaretur. Cum vatum oratio dubitationem faceret, *nullus*, inquit Curtius, *vobis injiciatur scrupulus; populus enim Romanus armis, equis, & virtute potest*. Tamdem equo insidens armatus, ut Respublica Romana perpetua esset, se in specum immisit. Videmus insuper, ea majoribus laudibus efferri de quibus homines virtute compulsi, multos inter se sermones conferunt. Ut enim collatis signis concursum est, quemvis sive nobili, sive infimo sit genere, rei noscendæ summum capit desiderium, qui prœlio superior fuerit, qui inferior; qui pugna ceciderit, qui vulnera exceperit, qui se fuga proripuerit, scitu dignum existimant. Non tacebo summam illam Rei bellicæ laudem, quando una fuerit, quæ populo Romano æternam (ut inquit eximius Orator) gloriam peperit, atque Orbem terrarum ejus imperio parere coëgerit omnes res. Urbanæ latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Nulla est Respublica, quæ non egeat re militari, sive te ad Aristotelem, sive ad Platonem referas. Non immerito Imperator Maximus, Imperatoriæ Majestatis esse affirmat, quæ necessario armis insignita, & legibus armata, qua & belli, & pacis tempus bene justeque administrari possit. Hujuscemodi rationibus adducor, ut res militaris Literarum studiis sit anteponenda, quamquam non negaverim, eam esse vim armorum, quæ si homini tradatur injusto, ipsum efficiat crudelem, & facinorosum; sin virtute prædito, & gloriosum, & ceteris antecellentem. Reliquum est, ut quas in initio dixi rationes, nul-

nullas esse ostendam; verum à me suo loco refelluntur.

Vetustas haud parvam Urbibus laudem affert, quod quæ vetustissimæ sunt, eas plurimi facimus. Bononiam qui condiderint, nusquam à me lectum est: id quod ab Historiarum Scriptoribus prætermissum admiror. Nondum Æneas in Italiam trajecerat, non Ascanius Albam condiderat, nec Romulus Romam, cum Bononia, quam sapientissimi veterum Felsinam vocitatam memoriæ prodiderunt, nobilissimum Tuscorum erat Oppidum, & princeps Etruriæ. Ea quantum opibus, armis, potentia valeret, quivis facile hac potest conjectura consequi, cum Æneæ suppetias tulerit. Laurentium Urbs admodum nobilis fuit Latii. In ejus agro cum Æneas cum Turno Rutulorum Rege manum conferre statuisset, Legatos Bononiam misit præsidii implorandi gratiâ; & voti compos factus est. Cum Turno haud sinistro Marte dimicavit. Annibal Carthaginiensis plures populo Romano clades attulerat, cum ad Cannas, qui vicus est Apuliæ, exercitum Romano sanguine oblitum adduxit. Consules eò copias traducturi erant, cum Romanorum Legati petitum auxilium Bononiam iter contulerunt; quibus ut mos gestus est, Terentius Varro certamini ne ullam quidem moram fecit, etsi penes Annibalem victoria fuerit.

Consulem Bononiensem verborum honore prosequar necesse est, quando ea fuerit eloquentia præditus, ut Urbem calamitate liberaverit. Nam cum Gratianus ex Germania proficiscens, victorem Constantinopolim reduxisset exercitum, Bononienses ab eo defecerunt, libertatis cupiditate adducti. Eo factum est, ut qui sub ejus signis militabat Asclipium (is id temporis ad Spoletum stativa habebat) cum copiis Bononiam proficisci jusserit. Cum diu eam obsedisset, tamdem fame ad deditionem compulit. Erat ei in animo Urbem funditus evertere. Tum Consul fide data, atque accepta, se in illius castra contulit. Cum de his, quæ ad victorem spectant, verba fecisset, docuit, eam veram esse victoriam, quæ plus haberet clementiæ, quàm crudelitatis. Asclipium ad Deum nulla re propius posse accedere, quam salutem miseræ Civitati dando: ex quo Imperator de sententia decessit. Gratiano vita functo successit Theodosius senior. Qui ejus munus Bononiæ sustinebat, Matronæ nescio cujus cupiditate incendebatur. Ea de re vir certior factus, Præfectum, ne familiæ suæ dedecus inurat, benigne monuit. Præfectus irâ percitus, illi misero colaphos plus decem inflixit. Interjectis paucis diebus, hic ab eo pugione percutitur, quo vulnere redditus exanimis est. Hunc ego Civem in hominum numero habendum censeo, qui dignitatem suam omni re potiorem habeat. Maluit vir honestissimus fortunis & exilio mulctari, quam in eorum numerum adscribi, qui dignitatis matrimonii omnem curam posthabent. Adeo Theodosius Præfecti cædem inimico tulit animo, ut non multo post exercitum ad Urbem admoverit, eamque funditus everterit, quæ consequentibus temporibus Sanctissimi Patris nostri Petronii munere ac beneficio instaurata est.

Ludovicus, cui Lotharius Imperator pater

A erat, cum in Italiam, quo Sergio secundo Pontifici maximo ob accepta beneficia gratias ageret, exercitum duxisset, in agrum Bononiensem pervenit. Confestim, ut se inde abdicaret, à patribus per præconem admonitus est. Igitur per montes & flumina ad Bianorum, quod ab Urbe octo millia passuum abest, divertit, ubi collatis cum populo Bononiensi signis victus est, & fugatus. Ipse cum decem equitibus Romam iter suscepit. Hæc victoria effecit, ut nullius populi in Italia major esset auctoritas. Nonantulenses, cum inter ipsos & Mutinenses de finibus summa esset altercatio, se voluntarie populi Bononiensis imperio subjecerunt.
B Tunc ita casus tulit, ut Antonius Torellus, cum Mutinenses agrum Nonantulensem popularentur, Imperator crearetur. Is jussu patrum eo deduxit exercitum. Tum Mutinenses se se inde abdicarunt, atque ad vadum Valarianum, (sic incolæ vocant) pervenerunt. Repente Antonius eos vestigiis sequutus est. Insequenti die ab omnibus copiæ in aciem deductæ sunt. Numquam acrius est concursum. Mutinenses prœlio fracti Mutinam profugerunt. Hæc fuit prima de Mutinensibus victoria. Foro-Cornelienses a fide defecerant; cum eorum agros Azo Torellus, & Artenisius Beccadellus, qui ea tempestate Consulatum gerebant, de patrum ac
C populi sententia, pervastassent, admoto ad Forum-Cornelii exercitu, diuturna obsidione premebant. Patres misericordiâ adducti, hoc de ipsis supplicium sumendum duxerunt; siquidem Urbis fossas opplendas, muros demoliendos, vallum igne absumendum, portas Bononiam deportandas jusserunt. Federicus Barbarossa, cum infinita hominum multitudine in Italiam iter direxit. Is Derthonâ dejectâ, Mediolanoque solo æquato, Bononiam venit, ubi cum dies plures commoratus esset, Boccium quemdam, qui ipsius munere fungeretur, in ea reliquit. Tamdem Romam profectus est. Boccius, quod in
D Venerem nimium effusus esset, compluribus virginibus pudicitiam eripuit. Id Bononienses inimico ferentes animo eum de medio sustulerunt. Ejus mortem Federicus adeo inique tulit, ut non agrum modo, sed Urbem quam maxima clade affecerit. Demum qui in ea Præturam gereret, Guidonem Cannensem delegit. Hic paucis post diebus naturæ concessit. Tum Bononienses, quorum animi ad recuperandam libertatem propensi ferebantur, ejus Assessores ex Urbe exturbarunt, existimantes, se nullam meliorem nobilioremque patriæ operam edere posse, quam si eam servitute liberassent.

Ab Artenisio Consule cum Faventinis ad Senium amnem male pugnatum est. Capti
E sunt Cives prope sexcenti, Faventiamque deducti. Habitis comitiis creati sunt Consules Henricus Bentivolus, & Franciscus Malga. Henricus ad pontem Proculejum exercitum duxit, ubi cum Faventinis felici eventu prœlium conseruit; insequenti die in portis Urbis consedit. Coacti sunt Faventini, quos in carcerem conjecerant, Cives Bononienses educere. Cives autem se se Bononiam receperunt. Mariscottus Calvus, ut creatus est Consul, jussu Patrum agrum Faventinum ferro ignique absumsit. Tantus est terror Faventinis injectus, ut in deditionem

Bo-

Bononiensium venerint. Potuit fortissimus Imperator jussu Patrum Urbem diripere; sed misericordiâ commotus, quod eam imploraverant ac efflagitaverant, literas ad Senatum dat nuntio, quibus eum, ne tantum in miseros adhibeatur crudelitatis, oratum vult. Sibi optata contigere.

A

Guido Acharisius à Senatu vir optimus judicatus est; ei moles hæc imposita est, ut Foro-Cornelienses, qui Federico præsidio fuerant, ac Salinguerram Ferrariensem, hominem omnibus cum Populo Bononiensi officiis conjunctissimum, & dignitate & fortunis spoliaverant, sub Bononiensium imperio redigeret. Igitur admoto ad Urbem exercitu, qui ipsorum agrum clade affecerat, se se dediderunt.

B

Non est omittendum singulare illud Guidonis facinus. Præerant Cæsenates oppido, quem Sanctum Archangelum vocant. Oppidani, duce Antonio Tarentino, cui per id tempus ex omnibus latronibus deferebatur principatus, à Cæsenatibus defecerant. Multa his damna ingerebantur, quod oppidani latronum, ac parricidarum multitudine abundarent. Cæsenatibus opem implorantibus mos gestus est. Igitur Guido cum exercitu ad oppidum profectus, in potestatem suam redegit; Antonio vero laqueo spiritus ereptus est.

Constat, Urbem Cerviam vi atque armis à populo Bononiensi subactam; verum quo Duce, incertum habeo, quia consequentibus temporibus ob discordias civiles amissa est memoria.

C

Non mihi excidit singulare illud, ac memoratu dignum, quod Senatus Bononiensis in Anconitanos contulit beneficium. Nam cum ab hostibus terra marique obsiderentur, ad Senatum (ita enim eorum Annales monumentaque loquuntur) Legatos miserunt orantes, ne ipsorum voluntati deesset; Urbem Anconam maximis hostium copiis opprimi; nulli dubium esse, quin brevi, ni vires suas in eam defendendam conferat, in illorum manus ventura sit. Paruit Anconitanorum studiis Senatus. Igitur Imperatore ad eos cum præsidio misso, hostes adverso Marte dimicarunt. Conserto prœlio Anconitani se se ad Senatum Bononiensem dediderunt. Senatus amplissimis verbis gratias egit, jussitque, ut liberi essent; esse consuetudinis suæ, ut quos auxilio adjuvissent, hi ab omni imperio solverentur.

D

Claternates eo temeritatis devenerant, ut Populo Bononiensi bellum indicere atque inferre auderent; nam cum Bononiam pro repetendo agro, quem suæ ditionis esse ajebant, Legatos misissent, essetque illis, ut consilia sua in melius referrentur, responsum: Ravennam cum literis miserunt, quibus ut ipsis milites in præsidium mitterentur, continebatur. Sæpius inter Claternates, & Bononienses conserta sunt prœlia; victoria neutro inclinata stetit. Coacti sunt Bononienses, & Regiensium, & Mutinensium, quod Claternates hominum multitudine abundabant, implorare auxilium. Sub idem tempus Philippus Statilius Consulatum gerebat; belli onus ei Patres imposuerunt. Igitur exstructo ad Idicem amnem propugnaculo, cum hostibus congressus est. Utrinque ingens clades facta est. Qui in Philippi castris

E

erant Tribuni, tragulis confixi sunt. Philippus adeo grave vulnus accepit, ut Bononiam deportatus sit. Nec Imperator hostilis, cui Draconi nomen erat, vulneris expers fuit: id quod militibus suis pavorem injecit, ex quo prœlio profugi Claternam se receperunt. Postero die Philippus Bassus in Consulis locum à Patribus suffectus est, qui cum Claternatum agrum vastasset, in Urbis portis cum copiis consedit. Mensem unum eam obsedit. Cum obsidio gravis esset atque acerba, ad misericordiam confugiendum duxerunt. Marturbiæ datum est; id negotii, quæ & eloquentia, & animi magnitudine poterat. Hæc quingentos pueros, trecentasque virgines, quarum nulla sextum egressa erat annum, in Bassi conspectum deduxit. Tum ipsam orsam ferunt: *Mensis circumactus est, Imperator maxime, cum hæc parvorum multitudo victu laborat. Parentibus, quorum multi in prœlio mortem oppetierunt, non est ea facultas, ut ipsos alere queant: omnes aut educendos, aut necandos oportet*. Repente Philippus in eos misericordia commotus, iracundiam continuit, nec Urbem diripuit; verum eam in populi Bononiensis potestatem redegit.

Federicus II. ad Parmam minus prospero marte dimicaverat. Ei filius erat Hentius Rex Sardiniæ. Hic audito Patris conflictu (non enim pugnæ affuerat) per saltus & nemora avia Mutinam venit. Repente à Mutinensibus adversùs Bononienses Imperator creatus est; quippe illorum Legati, qui pro reddendis agris Bononiam venerant, nihil profecerant. Igitur Patres, ut de comparato à Mutinensibus exercitu, creatoque Imperatore ad eos allatus est nuntius, e vestigio militum delectum haberi jubent. Complures Cives, quibus cordi erat caritas patriæ, magnam vim auri atque argenti in forum deportarunt. Literæ ad Azzonem Ferrariæ Principem, ut ipsorum desiderio accederet, missæ. Azzo, quod morbo impediebatur Patrum voluntati defuit; verum tria equitum millia, duo peditum ab eo in auxilium missa sunt. Illud mihi admirationem movet, cum qui exercitui præfuerit, parum constet. Alii quemdam Philippum Ugonem, qui per id tempus Bononiæ Præturam gerebat, copiis præfuisse scribunt; alii Civem Bononiensem, cui opinioni magis assentior, cum Urbs nostra semper clarissimis Ducibus floruerit. Priscis temporibus, ut supra memoravi, complures Imperatores Bononienses prosperam pugnam fecerant. Memoria mea Annibal Bentivolus, de quo suo loco dicam, secundum cum hostibus prœlium fecit. Sed ut ad id redeam, unde digressa est oratio mea, Imperator Bononiensis pluribus Castellis validissimis præsidiis munitis, ad Scultenam amnem cum exercitu pervenit. Quisque Imperator, etsi levia facta essent prœlia, milites suos, ne animo deficerent, hortabatur. Interea Antonius Lambertacius, quem Patres Consulatus munere ornaverant, eorum jussu in castra contendit, cur Imperator prœlio abstineret, sciscitaturus, cum Hentius Nonantulam noctu iter contulisset, ipseque armatorum numero abundaret. Multa oratione consumta, Imperator in Scultena, nullo ponte facto, exercitum transduxit. An retro iter verterit, Scriptores in diversum trahunt. Utcumque sit, Hentius, at-

atque Imperator copias in acies eduxerunt. Huic secundæ pugnæ fortuna evenit. Hentius captus est, ac Bononiam deductus. Ille nobilissimum egit triumphum. Numquam Urbs nostra tanto exiliit gaudio, nec tantum honoris consecuta est. De tam memorabili victoria sempiternus hominum futurus est sermo. Neque est illa Patrum omittenda clementia; nam qui jure belli occidi poterat, hunc æterno, nec sordido carcere damnaverunt, etsi Federicus se Urbem diruturum minaretur, ni Hentius incolumis in libertatem restitueretur; at Patres nullus subibat metus. Quid enim virum timerent, qui clade perculsus, Cremonæ consenescebat? Igitur Hentius duos & viginti annos carcere inclusus, extremum vitæ spiritum edidit; ad Divi Dominici Templum elatus est, eique more Regio justa magnifice facta sunt.

Adeo Bononiensibus fortuna affulgebat, adeo in summum potentiæ evaserant, ut ad Padi ostia oppidum, quod Primarum vocarunt, condendum curarint. Id Veneti inique ferentes, Bononiam Legatos miserunt, qui Patribus ni ipsum demolirentur, bellum indicerent. Responderunt Patres, se justissimis de causis oppidum condidisse, nec umquam demolituros; se potius de vita, quam de sententia decessuros; non eos fore, qui de populi Bononiensis utilitate, & honore detraherent. Hoc responso accepto, Legati ex Urbe excesserunt. Patres his, quæ belli usus postulabat, oppidum muniendum duxerunt. Id ubi Venetis per exploratores nuntiatum est, confestim Bononienses navali bello persequendos censuerunt. Ea tempestate Guido Corrigius Bononiæ Præturam gerebat. Hunc, quod virtute animi, & corporis robore præditus erat, Patres, populo minime dissentiente, Imperatorem crearunt. Is cum exercitu ad Padum contendit, copiasque ratibus trajecit, hostibus compluribus, qui ad ulteriorem ripam custodiam habebant, fusis. Veneti oppidum obsidione cinxerant, quod ut liberaretur, instituit Guido cum hostibus navali prœlio dimicare. Cum igitur diu pugnatum esset, res Bononiensium superior fuit; Veneti victi, fugati, capti, & cæsi; multos flumen absorpsit; navigiis septem ignis injectus est; naves quaterdenæ captæ; balistæ quadrigenæ quatuor. Vi magna funium, signis militaribus multis, telisque quinisdenis curribus onustis, Dux potitus est. Cuncta jussu Patrum in templum Petri comportata sunt, laquearibusque appensa. Insequenti anno pax in has conditiones convenit: Bononienses oppidum, elatis oppidanorum fortunis, demolirentur; nullum vectigal, si aut sal, aut frumenta in Urbem conveherentur, penderent; mare ad Venetos attineret, solique ipsi ei præessent.

Cum Gregorius IX. Pontifex maximus, isque, cujus mentionem habui, Federicus mutuis se se odiis prosequerentur, omnesque Italiæ Civitates ob eam causam divisæ essent: Federico pars studebat, pars altera Pontifici adhæsit. Ita hæc cupido Urbes, Castella, vicos, familias, parentes, liberos, nepotes, bipartita est. Sub idem tempus fratres duo quorum uni Guelpho, alteri Ghibellino erat nomen, ex Germania in Italiam iter susceperunt. Guelfus Pontificis factionem, Gibellinus Imperatoris sibi defendendum suscepit.

A Nulla fuit Italiæ Civitas, nullum Castellum, nullus Vicus, nulla familia, quæ se vel Guelfi, vel Gibellini voluntati, & auctoritati non dederit. Id fuit causæ, cur Italia, quæ quondam teste Marco Tullio numquam armis vinci potuit, dissiparetur, & vastitate consumeretur. Tantæ cladis duæ Urbis Bononiensis familiæ nequaquam immunes fuerunt, Hieremiensis, & Lambertacia, quarum altera factioni Guelphæ, altera Gibellinæ se addixit. Hi omnes prope Cives secum in eamdem traxerunt calamitatem, quod alii se ad Antonii Lambertacii, alii ad Ludovici Hieremiæ ductum applicuerunt. Eo factum est, ut cui octingentos quinquagenos quaternos fere annos dulcis libertas affulserat,

B Urbs Bononiensis perpetuam fuerit coacta servire servitutem. Cum igitur Antonius, & Ludovicus factionum principes essent, nequaquam odia deponere poterant; nec ille parem, nec hic superiorem ferebat; alter cum altero collatis signis sæpius dimicavit, ut qui Ludovico studebat, & (proh nefas!) coacti sunt Nicolao Tertio Pontifici maximo Urbem tradere. Quoties pugnaverint, quas crudelitates adhibuerint, qui verò mortem oppetierint, referre non est mei consilii. Hac in parte imitabor Poëtam, qui cum Pompeji & Cæsaris pugnam expositurus esset:

C *Hanc*, inquit, *fuge mens partem belli tenebrisque relinque,*
Nullaque tantorum discat me vate malorum,
Quam multum liceat bellis civilibus ætas.

Vereor insuper, ne Urbs nostra, quando ejus laudem illustrare instituerim, magnam sit susceptura vituperationem. Satis superque est, ut quivis Antonium, ac Ludovicum fuisse intelligat, qui (ambitione, & regnandi cupiditate excepta) summa prudentia, & plurimo rerum usu præstiterint: utriusque judicium prudens erat, & sincerum; in ipsis rationi locus erat & consilio.

Juvenis quidam discendarum literarum gratia Bononiam iter susceperat. Casu accidit, ut matronam, quæ Johanni Andrio ma-

D trimonio conjungebatur, propter formæ pulchritudinem deperiret. Ad eam literas amatorias perferri curaverat. Illa quod castissima erat, & omnis officii diligentissima, nec eas legebat, nec responsionis quicquam afferebat; ex quo miser, atque infelix (*improbe amor quid non mortalia pectora cogis?*) desperatione adductus vestem mutavit, & faciem larva tegit, seque in Ædem Francisci, ad quam matrona profecta erat, contulit. Ut in eam oculos conjecit, in ejus collum invasit. Hæc pudore compulsa in Sacrarium contendit. Celebratis Missarum solemnibus domum divertit. Quæ acciderant, nullis lacrymis temperans, viro exponit. Ipsum si de sce-

E lerato, & perdito nullum sumat supplicium, non esse in numero hominum habendum; dignitatem suam omnibus rebus potiorem habeat. Vir uxoris oratione commotus, de tanta injuria Patres certiores facit, qui ne justitiæ deessent ...... confestim eorum jussu prehensus est, & à carnifice securi percussus. Qui cum juvene benevolentia & studiis conjunctissimi fuerant, & si Bononiam, tamquam ad mercaturam bonarum Artium venissent, sic ira exarserunt, ut Forum Cornelii iter direxerint. Eorum discessum Pa-

tres

tres non inimico tulerunt animo; non enim ea Respublica diuturna esse potest, quæ officio vacat & justitia. Quid igitur miramur, si Binio Resanio Civi Bononiensi, nobili genere nato, de ipsorum sententia, crimine affectati Regni damnato à Carnifice laqueo collum est fractum?

Quo tempore Castellaro, quod oppidum non longe abest à Mutina, imperabat Saxolus quidam, eo tempore Passarinus Bonacossus Mutinæ imperabat, & Mantuæ. Hic ad subjugandum oppidum nocte & interdiu omni erat cura intentus. Igitur admotis castris ipsum diu obsedit. Ut vidit expugnationem difficilem, paulalum pedem retulit. Tum populus Bononiensis, quod in Saxolum non mediocri erat benevolentia, se illi fidelissimum præbuit & constantissimum; quippe audita Castellari obsidione, de ferendo auxilio est consultatum, ex quo Bornius Samaritanus Imperator creatus est. Qui ut in agrum Mutinensem exercitum trajecit, pugna cum Mutinensibus decertavit, qui uno signo militari potiti sunt. Interea Passarinus ad oppugnandum oppidum regressus est, quod ei in præsidium equitum, peditumque multitudo venerat. Eo subacto, qui prioribus diebus ipsum ludibrio habuerant, pedites duo prehensi sunt, & cruci affixi. Hæc victoria effecit, ut Mediolanum contenderit, ubi cum Azzone Vicecomite, ac Raynaldo Estensi societatem iniit. Interim Consul ad Urbem exercitum reduxit, qui paucis interjectis diebus jussu Patrum in agrum Mutinensem regressus est. Eo ferro ignique absumto, Muzolam, Formizinem, Castellum Novum igni cremari jussit. Per idem tempus nonnulli Cives factioni Gibellinæ studentes, patria profugi Montem-Vellium, oppidanis minime dissentientibus, ditionis suæ fecerant. Tum Senatus Jacobum Gonfalonerium Præturam gerentem, in agrum Mutinensem cum copiis proficisci jussit. Mutinenses Passerinum ut Mutinam advolet, admonent. Concessit hic in eorum sententiam. Paucis post diebus Bononiæ habita sunt comitia. Creati Consules Franciscus Galutius, Philippus Cochus. Angelus Lupidius Præturæ onus subiit. Patribus in suspicionem venit, ne Passerinus extorribus suppetias ferret. Igitur Philippus atque Angelus ad Montem-Vellium cum exercitu profecti sunt. Inter eos vi ne & armis, an fame oppugnandum esset, disceptatum. Id temporis Malatestinus Ariminensis populo Bononiensi militabat, magna armorum stipatus caterva. Id ubi Passarinus per exploratores cognovit, ad Azzonem, & Raynaldum literas perferri curat, quibus eos docet, ut cum copiis, quod necessitas urgeat, ad se proficiscantur. Illi repente in ejus castra pervenerunt. Omnes ad Zapolinum diverterunt. Haud procul aberant castra Bononiensia; utrimque copiæ in aciem eductæ sunt. Diu concursum est. Ea pugna superati sumus temeritate Prætoris. Malatestinus, & Saxolus, peditum externorum duo millia, Cives octingenti capti sunt, cuncti Mutinam deducti; plus mille hominum interfectum est. Postero die Bazanum, Crespellanum Passarinus jussit incendi. Tamdem non longe à Porta Felici consedit, & pernices delegit equos ad Portam extra Urbem; ut cursu certarent, carceres statuit. Interjectis duobus diebus exercitum abduxit. Insequenti Anno cum Bononiensibus pacem composuit ea lege, ut Cives, Malatestinusque redderentur; Saxolus non redderetur; Mons Vellius, & Bazanum ditionis Bononiensis esset; Bononienses Mutinam tuto proficiscerentur.

Priscis temporibus Consules se se domi continebant, solique ac nullo comite, quo voluntas ferebat, pergebant. At Natali Domini Salvatoris (Anni Milleni Treceni Seni Trigeni agebantur, mos iste absolvitur, statutumque, ut qui ea dignitate fungerentur, in ædibus publicis habitarent, & ipsis quam plurimus honos haberetur. Summum Consulibus jus erat, summaque potestas, quibus tamen magistratum non nisi duos menses licebat retinere. Memoria nostra maximo penes Cives nostros sunt in honore, cum non modo in ædibus publicis habitent, sed ritu quo Principes incedant, discumbant, secumbantque, nec mediocrem vestitus munditiam adhibeant. Ipsis non stati servi, non tibicines desunt.

Thaddæo Pepulo, qui à puero magnam omnibus spem attulit summæ prudentiæ, integritatis, summæque religionis, & Patrum, & Populi consensu, summi imperii jus datum est. Accersitis itaque omnibus in conciliabulum civibus, se se eum futurum pollicitus est, qui utilitatem publicam privatæ anteponeret. Eo factum est, ut qui Benedicti XII. Pontificis Maximi munus sustinebat, Cardinalis coactus sit se Urbe abdicare. Quæ defectio ubi Pontifici nuntiata est, repente omnes, sive nobili, sive infimo essent genere, anathematis mucrone percussit. Tum Thaddæi jussu Legati ad Pontificem missi sunt, quo ejus iram lenirent.

Interim incudendas pecunias minime commentitas operam contulit. Eo tempore nonnulli Thaddæi occidendi consilia inierunt, qui & exilio multati sunt. Pontificis literas Nuntius Bononiam attulit, quæ cum in foro recitarentur, summa lætitia consecuta est, quod quivis tanta calamitate liberaretur. Annos duos imperaverat, cum magnificas illas ædes, in quarum altera Guido, altera Riccardus, Pepuli habitant, ædificari jussit. Riccardum Manfredum Franciscus Ordelafius obsidione premebat. Ea Thaddæi beneficio liberatur. Adeo se probum, severum, constantemque præbuit, ut Pontifex eum esse voluerit, cujus imperio Urbs Bononiensis regeretur, crearetúrque Ecclesiæ Romanæ Vicarius, ac Tribunus. Donatus est à Florentinis, quibus præsidio fuerat, duobus oppidis Bargaza, & Brusculo. Laborabat Civitas re frumentaria, cum ejus beneficio caritatem vilitas consequuta est. Actum erat de Urbe Luca, ni ipsi fuisset auxilio. Multa bella feliciter gessit; numquam ab eo cum hostibus male pugnatum est. Cum igitur annos decem Urbi imperasset, natura ei vitæ finem fecit. Nemo fuit, qui non ejus desiderio moveretur; non modo Consules, verum etiam decem Civium millia vestem mutarunt.

Non est singularis illa Populi Bononiensis victoria silentio prætereunda. Nam cum Johannes Bisozerus, & Franciscus Estensis, qui Bernabovi Mediolanensium Principi militabant, non longe à Raphaëlis Templo castra

stra posuissent, Populus Bononiensis, Duce Gometio, ad quem Galeottus, & Ungarus Malatestæ auxilii ferendi gratiâ venerant, porta egressus est. Ut omnes ad Sapinæ amnis Pontem cognomento Majorem pervenere, substitit. Confestim hostes populi adventu à speculatore admoniti, in flumen, quod præ nimia siccitate aquis erat vacuum, descendunt, ubi instructis paratisque aciebus signa conferuntur. Numquam acrius confertum est. Victoria penes populum Bononiensem fuit; milites septingenti occisi, mille & centum vulnerati. Franciscus Estensis captus est; noningentique milites, ex nostris plus ducenti mortem occubuerunt. Ne tanta victoria oblivione deleretur, instituerunt Patres, ut quotannis is dies, quo prœlium consertum est (erat pro festo Raphaëlis dicatus) solemnis servaretur. Nobilissimi insuper equi cursum capesserent; qui ceteris præstitisset, is amplissimo munere afficeretur.

Quanta Thaddæus Azzo-guidus fuerit animi magnitudine præditus, declaravit oratio sua, quam ad eos, qui ex amplissimis erant familiis, pulcherrimam habuit. Nam cum Gregorius XI. Pontifex Maximus Cardinalem Britannum, cui Guilielmo nomen erat, ut ejus munere fungeretur, Bononiam proficisci jussisset, essetque is in ea annos duos commoratus: Thaddæus nobilissimis Civibus ad se clam accitis, censuit, ipsum non esse in Urbe retinendum, non in veneratione habendum, quoniam de Civibus male mereretur. Igitur illis ad sententiam suam traductis, Cardinalis legationis munere privatus est, & ad Jacobi Templum deductus. Vix dimidium horæ exactum est, cum Guilielmus Loranus conjurationis conscius infinitam villicorum multitudinem Thaddæo in præsidium misit. Tum qui Florentiam imploratum auxilium se conferrent, delecti, Ugolinus Scappus, & Preducius Blancus. In eorum sententiam cum Florentini concessissent, Cardinalis noctu Urbe excessit, Populusque ejus urbeculam & arcem demolitus est. Hæc ubi Pontifici nuntiata sunt, Cardinalis Contus ejus jussu in agrum Bononiensem cum manu minime contemnenda pervenit, cui haud parvam cladem attulit. Paucis post diebus qui sub Pontificis signis militabat Johannes Acutus se ad eum advexit. Nequeo verbis consequi, quæ damna agro Bononiensi suggesserint. Tum Patres Johannem Lignanum, cui ea tempestate ex omnibus Jure-consultis principatus deferebatur, ad Pontificem proficisci jubent, qui illi conjurationem exponat. Se abesse à culpa: esse arma in manibus Thaddæi, qui in tantam potentiam evaserit, ut ei nemo queat resistere. Commoveatur in Urbem misericordia, cum deformata sit, & omnibus ornamentis spoliata. Cum his mandatis Johannes ad Pontificem profectus est; qui cum legationem exposuisset, suis eum ille aspexit oculis, quibus tum solebat, cum in ipso residebat iracundia. Omnes Cives execratus est, quod beneficiorum, quæ in eos Pontifices contulerant, memoriam abjecissent; se nulla de spe decidere, quum aliquando dignam sua defectione pœnam suscepturi essent. At Johannes Pontificem orare, obtestarique, ut iram cohiberet, quando Bononiensibus non fuisset impune: de his sumenda esse supplicia, qui conjurationis auctores principes fuissent. Hæc cum ille dixisset, Pontifex Scribam ad se accersiri jussit, atque ut nomine suo literas ad Legatum perferri curaret, quibus exercitum ab agro Bononiensi abduceret monuit. Ut Scriba mandata executus est, Johannes se patriæ reddidit. Tum Legato redditæ sunt literæ. In hunc modum ager Bononiensis hostili exercitu liberatus est; Thaddæus exilio mulctatus; pax cum Pontifice confecta.

Johannes Galeatius, is qui Virtutum Comes appellatus est, ut cum Alberto Estense, & Francisco Gonzaga fœdus amicitiamque junxit, Populum Bononiensem persequendum putavit. Igitur his Principibus ad sententiam suam traductis, eorum verbis nuntii Bononiam bellum denuntiatum iter contulerunt. Fuit id populo, Senatuique iracundissimum; quippe denuntiatione accepta, qui apud eos militabat Johannes Barbianus in agrum Mutinensem & Regiensem exercitum duxit, cuncta igni ferroque vastavit. Tum Johannis Galeatii jussu Jacobus Vermus cum expedita manu in agrum Bononiensem pervenit. Turres, Oppida, tuguria populatus est. Johannes Barbianus cum exercitu Ferrariam versus iter direxit; multa Alberto damna suggessit, quo factum est, ut pro componenda pace Bononiam Legatos miserit. Non defuit Senatus eorum voluntati. Ut Albertus pacem & amicitiam cum Bononiensibus conciliavit, ad Johannem Galeatium, & Franciscum Gonzagam nuntios cum literis misit, quas cum legissent, ad concordiam animos verterunt. Tum jussu Patrum Legati Mediolanum iter contulerunt, visendi Principis gratiâ, à quo cùm benigne humaneque accepti essent, pax confirmata est.

Non sunt hi Cives, quos vidit ætas, à me prætereundi, Carolus Nicolai Zambeccarii, Bonifacius & Nannes Gozzadini, Franciscus Rampo, Ugolinus Scappus, qui pro salute patriæ bonas & nobiles operas ediderunt.

Johannes Bentivolus senior cum imperium adeptus est, complures qui ex ingenuis erant familiis Cives, in Auratorum equitum numerum adscripsit. Cum Johanne Maria Mediolanensium Principe fœdus iniit. Id Florentini inimico ferentes animo, Legatos Bononiam miserunt, quo Johannem de sententia dimoverent, Florentinorumque voluntati jungerent, cum quibus, ut fœdere iungeretur, summopere optabant. In Legatorum opinionem transibat Antonius Guidottus. Petro nescio cui, qui paucis ante diebus Mediolanum profectus erat, longe alia erat opinio, quod Princeps turpiter irrideretur, ipsum eam illusionem ulturum: rebus suis consulerent. Multa oratione consumta, Johannes Bentivolus Legatorum consilio obsequutus est. Ut Johannes Maria de ea re certior factus est, confestim militum delectum haberi jubet. Franciscum Gonzagam primum copiarum ducem creat. Octonem Tertium, & qui sub Populi Bononiensis signis militabat, Albericum Cunium, pecunia corruptum mercede conducit. Multi præterea Principes, quibuscum se conjunxerat, agrum Bononiensem pervastarunt. Multi tum Cives, tum Principes in Johannem Bentivolum summo erant odio; multi contra ipsius salutem consilia clam inierunt. Sed tanta erat sapientia

A tia præditus, omniaque summa cura atque diligentia constituebat, ut nullum esset ei periculum. Sæpius cum hostibus signa contulit; uno tamen prœlio superatus est. Id non tam hostium virtuti tribuendum est, quam fortunæ, quæ cum clarissimis ac fortissimis viris inimicitias gerit. Paucis interjectis diebus vi ipsius vitæ allata occubuit. Laudanda tamen mira virtus illa Nannis Gozadini; nam cum ei Franciscus Gonzaga Urbis potestatem decrevisset, haudquaquam in illius sententiam concessit, affirmans, eum non esse Civem, qui Civitatem, à qua omnia semper honesta & jucunda ei concidissent, servitutis jugo teneret oppressam. Ego B vero eum præesse Orbi voluerim; qui de Civibus benemereatur, qui utilitatem communem privatæ anteponat, qui nullo emolumento in fraudem impellatur, qui summa sit religione & modestia, qui, ut Romano verbo explicem, omnium sit virtutum simulacrum. Apud Homerum inducitur Ulixes illa explicans: *Unus sit Rex, unus Principatus; unus enim Juppiter optimus maximus est*.

Maximæ cuique fortunæ minime credendum esse Annibal ille Carthaginiensis nos suo exemplo commonet, quod ipsa non modo cœca est, sed eos etiam plerumque efficit cœcos, quos complexa est. Multos vidimus, quos cum maximis Theatris donasset, eos C tamdem afflixit, & omni spe salutis orbatos reddidit. Nec mihi exempla desunt. Petrum Cossolinum Civem Bononiensem, haud nobili genere natum, in alto dignitatis gradu collocavit, ut solus esset, qui in Urbe summam potestatem haberet. Fuerat ei pater lanius, nec se ab ejusdem artis ministerio sejunxerat; raro a laniena aberat, ut eorum, quibus carnes essent desiderio, accenderet. Ejus animum subiit cogitatio occupandæ Reipublicæ. Fortuna suffragante imperii potitus est. Non multo post tempore contra ipsius dignitatem & salutem clam inita sunt à nonnullis Civibus nobilissimis consilia, & in carcerem conjectus est.

D Baptista Canetulus, cum occupandæ Reipublicæ incredibili cupiditate duceretur, quod Bartholomæus Zambeccarius, qui se Abbatem profitebatur, se in ejus præsidium promto animo & corpore omni ex parte conferebat, Philippum Mariam Principem Mediolanensem, quid sibi esset in animo, per occultos nuntios monuit. Philippus illum ad rem transigendam hortatus est, pollicitus, se ei copias in præsidium missurum. Igitur Baptista, Palatio in potestatem suam redacto, ac Legato fortunis spoliato, Consules creari jussit & tribunos. Paucis post diebus Principis copiæ Duce Aloysio Sanseverino, laturæ Baptistæ auxilium in agrum Bo- E nonienſem pervenerunt; Tum qui Martino V. Pontifici maximo militabat Jacopuccius Caldora, qui Fori-Cornelii stativa habebat, una cum Antonio Bentivolo patria profugo ad Oppidum Sanctum Johannem exercitum duxit, ut arce potiretur. Sua ipsum spes frustrata est, quod Præfectus eam Consulibus tradiderat. Igitur Jacopuccius, atque Antonius iracundia adducti, per universum agrum pervenerunt. Quæ damna intulerint dictu difficile est. Non longe a Porta Galeria consederunt. Tum in Baptistam conjurarunt nonnulli Cives, atque Antonius Fornaria.

Erat hic Augustino dicatus. Cuncti prehensi sunt, coactique vitam finire suspendio. Interim Jacopuccius Virginis templum occupat, Urbemque tormentis vexat. Haud multum tempus intercessit, cum Albertus Ferrarius, & Guido Paganellus de Porta Vitali hosti tradenda, compluresque alii clam consilium ineunt. Ut res patefacta, omnes comprehensi, coacti crudelissimum mortis genus subire. Insequenti die qui in murum evaserant hostes, vi dejecti sunt. Portæ Donata, Mascharella, Zamea, Pratella, Castigliona, jussu Consulum materia cæmentis occlusæ sunt. Cardinalis Contus in Jacopuccii castra contendit. Inter ipsum, & Baptistam de pace per literas colloquium fuit. Conditiones utrimque acceptæ sunt. Qui Patria profugi vagabantur, Cives decem in Urbem admittuntur. Die in noctem inclinante Eganus Lambertinus, Nicolaus Malvitius, Bagarotus Blanchus, Thomas Monscalvus, Philippus Annulus, in ædes publicas accersiti sunt. Cœnatis mors ferro allata est: quæ res effecit, ut qui Urbem intrarant, Cardinalis in castra regrederentur. In ejus locum suffectus Episcopus Turpiensis, qui cum Bononiam venisset, nec ejus desiderio Consules accessissent, Urbe egressus est, atque omnis humanitatis curâ posthabitâ, agrum Bononiensem igni ferroque populatus est. Interea missi ad Pontificem Legati componendæ pacis gratiâ: verum Consulum jussu Michaëlis Templum ad solum eversum est. Hæc dum geruntur, nuntiatum est Consulibus, Martinum Quintum vita decessisse, ipsique Eugenium Quartum successisse. Multa consulto à me prætermittuntur, quæ ætas illa vidit & luctus & mœroris plena. Vagatur præterea per Italiam Liber his à me de rebus scriptus. Igitur dum illa Bononiæ gerebantur, nuntiatum est Philippo Mariæ, Venetos, ac Florentinos cum Pontifice pacem pepigisse. Eo factum est, ut Baptista ne in posterum ei cum Pontifice ulla disceptatio esset, monitum voluerit, Legati ad Pontificem mitterentur, nec vereri quin eos benigne humaneque acciperet. Concessum est in sententiam Principis. Romeus Foscararius, & Nicolaus Gislardus legationem exposuerunt. Cuncta Pontifex ex Legatorum gessit sententia, qui Pontificis & fidem, & sedem teneret, Episcopus Concordiensis Bononiam venit; paucis post diebus Baptista, cognatique Corrigium contenderunt.

Parente Antonius Bentivolus natus est Johanne, de quo paulo ante memini, nostræ Civitatis Principe. Is quam carus Martino Quinto Pontifici Maximo fuerit, res ipsa docuit. Ut enim Bononienses à se descivisse cognovit, confestim ejus jussu Jacopuccius Caldora in agrum Bononiensem copias duxit, monuitque Antonium, ut se se cum Jacopuccio conjungeret. Commodissimus erat, & in dando consilio fidelissimus, & quæcumque agebat, non invita agebat minerva. Cum Imperator mandata executus est, ipsum Pontifex per occultum nuntium monuit, ut non modo Urbem reciperet, verum etiam Antonium Mariam per injuriam pulsum, in sedes suas restitueret: nec immerito. Cum summa esset integritate, fuit in eo vis quædam admirabilis ingenii; profitebatur Juris civilis scientiam, quam summa cum æquitate

te

te semper interpretatus est, ut admirarentur omnes, tantam esse gravitatem, constantiam, fidem, præstantiam. Numquam ullas litium actiones constituit; multas controversias sustulit, nec ulla pecuniarum, & gloriæ mercede proposita ab officio umquam abesse voluit. Dixisses ipsum alterum Aristidem, qui unus omnium justissimus fuisse traditur.

Jam Annibal Bentivolus amicorum suorum beneficio se se patriæ reddiderat. Magna armatorum stipatus caterva media ferme nocte ædes publicas oppugnandas duxit. In ipsis habitabat Franciscus Picininus, una & quadringenti equites, quingenti præterea pedites, quibus præerat Petrus Cassinates. Prœlium in horas decem extractum est, cum eas in Populi Bononiensis potestatem redegit. Franciscus, omnesque ejus commilitones capti sunt, & direpti. Non taceo summam illam Annibalis clementiam; nam cum in captivum marte suo uti posset, ea fuit humanitate, quam nulla umquam obscurabit oblivio. Post victoriam, cujus compos factus est, equitum quatuor millia, peditum duo agrum Bononiensem, Duce Aloysio Verme, non modo pervastabant, sed arci quo præsidio erant. Id cum Annibal inique ferret Populo Bononiensi, ac militibus, quorum alios patres publica mercede conduxerant, alios Veneti in præsidium miserant, alios Florentini in societatem suam accitis Porta Mascharella erupit. Ut fuit ad Oppidum, quod incolæ Sanctum Georgium vocant, ex exploratoribus cognoscit, non longe abesse exercitum. Igitur cunctis ut arma expediant, edicit, quando cum hostibus sit signa collaturus. Vix omnes mandata executi erant, cum ab hostibus sub conjectum telorum ventum est. Collatis signis concurritur: Annibali Diis juvantibus secundæ pugnæ fortuna evenit, quod hostis victus est, & fugatus. Non multis post diebus, quæ ad Portam Galeriam exstructa erat arx, eam Tartarus Perusinus cum obsedisset circum, vastassetque, Populi Bononiensis ditionis fuit. Tum Patrum & Populi consensu ad solum eversa est. Ipsi nondum confecto biennio vis illata est. Quis tunc non gemuit, quis non arsit dolore? Omnes boni immortalem esse cupiebant, nemo ejus mortem necessariam exspectabat.

Johannes Bentivolus Secundus.

MAximum, ne dicam divinum, atque immortale Christo optimo maximo beneficium debemus, qui Urbi Bononiensi Johannem Bentivolum Secundum præesse voluit, cujus virtute ac munere omnis abest annonæ caritas, agrorum sterilitas, frugum inopia. Nullis bellis vexamur, cum tota prope Italia ipsis flagret. Nos prudentia sua non modo ab ea calamitate, sed etiam à metu calamitatis defendit. Nulla in agrum Bononiensem facta est excursio, quamquam duorum potentissimorum Regum maximæ copiæ non longe abessent. Illud ejus consilium summa laude ornandum est; jussit enim, quod Urbi nostræ conduxit, ut Cives complures, & virtute animi, & robore corporis præstantes in stationibus murorum excubias vigiliasque agerent. Quoties Italia armis arsit? quoties Principes Civibus suis pecunias imperarunt? quoties ab eis militum delectus habi-

A tus est? Tantarum perturbationum, nos Johannes Bentivolus Secundus expertes reddidit. Multi ex Civibus nostris mutuis se se odiis prosequebantur, qui gravissima ejus oratione adducti, & odia deposuerunt, & se maximis propinquitatis & affinitatis vinculis una conjunxerunt. Fuit ea concordia Urbi nostræ tantæ utilitati, ut nulla major esse potuerit. Quid enim qui Reipublicæ præsunt, præstantius efficere possunt, quam ut Cives cum Civibus constitutas habeant necessitudines? Hanc provinciam tam officiosam semel, iterum, tertio sibi depoposcit. Quæ damna Urbibus pestilentia suggerat, quis ignorat? cum quæstus occlusis tabernis

B minuatur, mercatores conquiescant; qui opibus possunt Cives, metu mortis compulsi patriam deserant; quibus vero tenues sunt opes, nullæque facultates, valetudine capti, diem obeunt; Quam permulti parentibus pestifera febre impeditis liberi defuerunt? Non est hæc fabella. Propter Johannem Bentivolum tanta clade non semel, sed sæpius liberati sumus. Sunt hæc divina, & Annalium monumentis mandanda. Nondum decimum egressus erat annum, cum ab Imperatore Federico Tertio in Auratorum equitum numerum relatus est; paucis post annis rei Militari operam impertitus est. Fuit apud Romanos id genus virtutis summæ auctoritatis,

C eo quippe omnibus nationibus præstiterunt. Hac de re ipsos, si Historiæ Scriptoribus fides est, Proculus Julius verbis Romuli non invitus admonuit, ut scilicet rem militarem colerent, scirentque, & ita posteris traderent, nullas copias humanas armis Romanis resistere posse. A tanto munere Johannes Bentivolus se minime sejungendum putavit; militavit apud Galeatium Mariam Galliæ Cisalpinæ Principem. Id quanto sibi ornamento fuerit res ipsa declaravit; nam Regi Ferdinando, Venetis, & Florentinis adeo carus fuit, ac summo in honore habitus. Huic ex uxore (Ginevera nomen est) matrona pudicissima, cui Alexander Sfortia Pisauri Prin-

D ceps pater fuit, quatuor sunt filii. Si vita suppetet (utinam hoc Deorum sit consilium) haud vereor, quin ipsum vel superaturi sint, vel æquaturi. Illa præcipua tanti viri laus est, quod filias sex, quæ facie, membris, ingenio, moribus, muliebribus denique officiis, atque operibus, ceteris antecellunt, sex nobilissimis Italiæ Principibus matrimonio conjungendas putavit. Non mihi excidit septima, quæ ut se se Christo dicaret, parentes diu precibus fatigavit; tamdem voti compos facta est. Quam, Federico Tertio, & Maximiliano Primo Imperatoribus minime dissentientibus, adeptus est laudem, nemo Civis Bononiensis umquam est assecutus.

E Illi enim suis ipsum honestarunt decretis, ut qui extra matrimonium nati sunt, eos possit naturales, & legitimos reddere. Præterea honestissimos viros in Auratorum equitum numero ac cœtu reponere, & eos, qui aut Philosophiæ, aut Medicinæ, aut Juri Pontificio, aut Civili, otium suppeditaverint, clarique evaserint, Doctoratus dignitate ornare. Postremo ipsum Annibalem, ut cum de rebus arduis, atque ad Imperium spectantibus consultandum erit, alter, ambove adesse possint, monitos voluerunt. Adde signum, cujus dignitate Johannis Do-

mus

mus ornatur: ipsum Imperatores maximi bipartiti sunt. Jusserunt enim, ut alteram partem Serra occuparet, alteram Aquila nigra, aureo spatio picta, cujus caput honestaret aureum diadema; nec deessent alæ extensæ, per quas aureum duceretur filum.

Non me fallit, multo plures fuisse Cives Bononienses rei militaris scientificos; sed eorum mentionem habui, quorum gesta à clarissimis Auctoribus scripta mihi ad manus venerunt. Haud sum tam meæ mentis inops, quin affirmem, Historiam Bononiensem à multis conscriptam; sed majorum nostrorum negligentia periit. Quoties Tabularium Bononiense igne absumtum est? Vidi ipse complurium Italiæ Civitatum Annales, in quibus multa continebantur, quæ ad Populi Bononiensis laudem gloriamque spectabant. Anni quinque, & quadraginta aguntur, cum pestilentia metu perculsus ad Fabrianum, quod Piceni nobilissimum est Oppidum, iter suscepi. Allatus est ad me Codex vetustissimus. In eo Gratiani & Theodosii Senioris gesta explicabantur. Ex eo forte multa hausi, quæ in Historia literis ac memoriæ prodidi. Omnibus Populi Bononiensis gesta sunt in promtu. Quorum nescii sumus, illic luce clariora existunt. Tantæ negligentiæ non in Scriptores, quos parcissimos fuisse non ignoro, sed in majores nostros conferendum est crimen, qui tantarum rerum, & cognitione dignissimam omnem curam posthabuerunt: sed propositum sequar. Eos viros referam, qui ad Literarum studia incumbentes clarissimi evaserunt.

Ante Romam conditam, Bononia, ut supra memoravi, condita est. Qui viri Bononienses scientias coluerint, nemo literis mandavit. Cum eloquentissimis viris, & Historiarum peritissimis mihi semper summa fuit familiaritas; ea de re non semel, sed sæpius cum ipsis sermonem contuli; ad unum omnes, se nullius legisse scripta, responderunt. A Romulo ad Marcum Tullium anni prope septingenti connumerantur, quo tempore nullum Bononiensem literis floruisse invenio, præter Lucium Pomponium, quem teste Eusebio Satyras scripsisse constat. Nec caruit Ciceronis ætas Cajo Rusticello Oratore exercitato. Martialis, qui multis post annis fuit, Ruffum Bononiensem, quod tali ac tanto Cive sit privata Bononia, lugendum scribit.

Recensebo Cives, qui literis imbuti summam dignitatem consequuti sunt. Lucium Secundum Pontificem Maximum Civem Bononiensem fuisse constat, virum quidem in omni genere artis excellentem. Is cum Basilicam Sanctæ Cruci dicatam instaurasset, consensu suo Baylardus Peripateticus quidam, cui id temporis multum tribuebatur (nam de Fide Christiana male sentiebat) superatus est: ex quo in posterum in illo nullus fuit locus errori.

Jacobus Uxolanus, ac Nicolaus Albergatus, ob literaturam, quam colebant, in Cardinalium numerum relati sunt. Quis eos numero comprehenderit, qui sunt Episcopatus dignitate ornati? Memoria nostra Johannes Poggius, Gaspar Persicetus, Antonius Grassus, Episcopatus munere insigniti sunt. Quid loquar de Achille Mariscotto, atque Baptista Canonico, quod illum Cerviensi, hunc Faventino Episcopatu Sixtus IV. Pontifex Maximus decorandum curavit? Adde Protonotarios: eam dignitatem adepti sunt Philippus Pepulus, Ludovicus Ludovisius, Vianesius Albergatus, Gaspar Castellus. Nec Antoni Galeati, quem honoris causâ nomino, ab eis sejungeris, qui Juris Pontificii scientiam cum nobilissimis & suavissimis humanitatis studiis conjungendam putasti. Cum prioribus annis ad Alexandrum Sextum Pontificem Maximum mittendi essent Legati, tibi demandata est tanta provincia. Ut enim in illius conspectum pervenisti, pulcherrimam, ut tui muneris erat atque officii, Orationem habuisti, ex quo singularem, ne dicam immortalem ac divinam laudem consequutus es. Dii faxint, ut ætate procedas; nam & disciplinis, & morum elegantia, & religione sic excultus existis, ut te patre tuo majorem (pace dixerim sua) futurum esse non dubitem. Quid? quod idem cecinisse videntur Apollinis oracula. Maximo, ne dicam divino atque immortali beneficio tibi obstricta Urbs Bononiensis, qui pro illius salute atque honore ne ullum quidem discrimen diffugiendum putas.

Quæ ex Juris scientia reportetur utilitas, facile hinc fieri potest, cum illius præsidio quæ hominis sunt à natura tribuantur. Quanta rerum optimarum vis illorum insit mentibus, quibus de causis in lucem sint suscepti, cognoscamus. Ille ipse Sectæ Academicæ Magister, & Princeps Plato Philosophorum, Deorum munus esse affirmat, quo nihil præstantius digniusque ab illis nobis conferri potuit. Ex ea Jus Civile emanasse quis ambigat, cum in ea omnis bene vivendi ratio contineatur? Equidem Jus Civile omnes libidines domat, cupiditates coërcet, ut nostra intueamur, ab alienis mentes, oculos, manus abstineamus jubet. Multos constat è recta via deflexisse, qui Juris Civilis præceptionibus moniti, in optimam frugem evaserunt. Marcus Tullius quodam tempore nullum Jus Civile fuisse scribit: ex quo homines per agros fusi ac dispersi vagabantur, tantumque habebant, quantum manu & viribus per cædem ac vulnera aut eripere, aut retinere poterant. Igitur nonnulli præstantissimi viri eos in unum congregarunt, atque ex feritate illa ad Justitiam & mansuetudinem transtulerunt; Tum res ad communem utilitatem, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ postea Civitates nominarunt, tum domicilia conjuncta, quæ Urbes dicimus, invento & divino & humano Jure, mœnibus sepserunt. Hæc non nisi ab his, qui postea consequentibus temporibus Jure consulti dicti sunt, fieri potuerunt. Id beneficii tanti existimo, ut nullum humano generi præstantius, & memoratu dignius conferri potuerit. Nam si Jus Civile sustuleris, Fidem, Religionem, Justitiam, Caritatem tollas necesse est, quo fit ut latronum ritu sit vivendum, nec ullus sit locus, ubi tuto esse valeamus. Cum igitur complures Cives nostri sese tanto munere ornandos duxerunt (ita enim Annales Populi Bononiensis, & monumenta vetustatis loquuntur) nequaquam silentio prætermittendi fuerunt; siquidem tantis viris injuriam fecissem, quando non modo Italiam, sed orbem terrarum nominis sui gloria impleverunt.

Ab

Ab Azone initium sumam, qui quantus fuerit, res minime obscura est. Extant ipsius Additiones, Summa, Commentarii, quos cum legimus, non admirari non possumus tantam peritiam, ut non immerito optimus ille Juris Civilis interpres Baldus Azonem *alterum electionis vas* appellaverit.

Jacobus Belvisius, Novellas, & Autenticas diligenter exposuit. Additiones conscripsit suas; præterea lucubrationes literis mandavit.

Johannem Andream Calderinum Juris Civilis & Pontifici scientissimum fuisse fatear necesse est. Nam quos scripsit ediditque, Commentarii maximo apud quemvis sunt in honore. Nec Johannis Calderini, cui Johannes Andreas pater fuerat, me capit oblivio. Is quantum Jus Pontificium calluerit, non latet. Merito patri haud fuisse dissimilem affirmare sufficiat.

Bartholomæus Salvetus Salicetus, Jureconsultorum sui temporis nulli secundus, eos edidit Commentarios, quibus totum Jus civile & accurate & diligenter planum fecit.

Petrus Ancharanus, cui in discendis literis Baldus Perusinus adjutor sociusque fuit, Decretales Clementinas, Digestum vetus exposuit, Consilia sua memoriæ prodidit: quæ quantæ sint legentibus utilitati, res ipsa loquitur.

Haud negaverim, Antonium Butrium Juris Civilis ac Pontificii exstitisse peritissimum: id quod testantur Commentarii ab eo diligentissime conscripti.

Quanta fuerit Johannes Lignanus Justitiæ scientia præditus, hac conjectura consequi possumus, quod multa literis mandavit ad eam spectantia. Insuper Eloquentia valuit, nam cum Guilielmus Britannus Cardinalis, ut supra memoravi, Bononiæ Gregorii XI. Pontificis Maximi fidem & sedem teneret, à Thaddæo Azoguido cum pluribus Civibus ad sententiam suam traductis, ex Urbe ejectus est, qui Legatus Pontifici exponendi munus subiret, quod ager ferro igniqque vastabatur, delectus est Johannes. Sua vi dicendi Pontifex in sententiam ejus concessit. Non desunt, qui ipsum affirment multam operam in Astrologiam contulisse, futuraque denuntiasse. Hæc me in eam sententiam impellunt, ut existimem, ætatem illam Johanne de Lignano nihil vidisse præstantius. Qui Astrologiam, atque oratoriam cum Juris Civilis scientia conjunxisset, nullum me vidisse memini. Adde rerum humanarum peritiam, quæ tanta in ea fuisse fertur, ut qui consilii sui participes fuerant, ipsis optata contingerent.

Haud mea dilabuntur memoria Jacobus Butrigarius, Bulgarus, cui Bulgaro fuit agnomen, Guido Brisus, Martinus Sulimanus, Franciscus Rampo, Laurentius Pinus, Johannes Fantucius, Florianus Jactus, Petrus Ricardus Salicetus, Gaspar Aringherius. Horum exstant scripta, quæ si referre voluero, mihi quidem provehenda erit oratio. Satis superque est, si tot optimis Jureconsultis Urbem Bononiensem fuisse ornatam intelligas. Nec vero de eorum qui ætatem ducunt, dignitate detraxerim, qui si spiritum duxerint, magni sunt futuri Legum Interpretes; optima enim, ut inquit eximius Orator, sunt ab eis jacta fundamenta.

Multas scientias à peritissimis & clarissimis Viris inventas fuisse constat. Quæ vero hominibus Medicinâ commodior sit, quæ utilior, quæ gratior, nullam invenies. Breve est admodum hoc vitæ curriculum; nostra hæc corpora fragilitati subjiciuntur; innumerabiles morbi tum graves tum molesti impendent. Hoc nobis Medicina confert, ut non modo his liberemur, verum etiam ne in eos incidamus: quo fit ut non mediocre officium sustineamus. Nulla est Natio, quæ non maximum Medicis honorem deferat. Apollo, Æsculapius, Chiron divinis affecti sunt laudibus & honoribus: Ægyptii eosdem in Deorum numero retulerunt. Cosmus, & Damianus Medicinam colentes, cum se se Christianæ veritati addixissent, cœlestem & divinam illam domum meruerunt.

Mondinum Bononiensem nobilissimum ac præstantissimum fuisse Medicum affirmem necesse est, cum ejus exstent scripta, sententiis referta; quæ cum legimus, maxima nos voluptate afficiunt. Totam hominis fabricationem, omnemque humanæ naturæ figuram atque perfectionem literis mandavit: quæ res quanti facienda sit, nullis possum verbis consequi.

Albertus Zancharius Hippocratis Librum, quem Articellam vocant, diligenter exposuit; primum præterea Avicennæ Librum, dubia complura ad Medicum spectantia memoriæ ac literis prodidit.

Bartholomæus Varignana de Moribus Librum, quos Medici particulares vocant, accuratissime scripsit, Doctor non contemnendus.

Petrus Tosignanus, & si Chirurgicum se profiteretur, de Moribus tamen particularibus Libellum, qui sæpe numero ad manus meas venit, scriptum reliquit.

Petrus Argellata Chirurgiæ Librum scripsit. In eo omnem Galeni, Serapionis, Rasis, Avicennæ, pluriumque Arabum præceptionem ad eam rem spectantem complexus est.

Dominicus Ragusiensis quæ experientia didicit, vidit, cognovit, ea in Librum contulit. Ex ejus fontibus me & dignitatem & usum auxisse fateor.

Quantam curandorum corporum peritiam habuerit Michaël Bertalia, quod scripsit Opus præsefert. Nullum est ab eo morbi genus prætermissum, cujus mentionem non habuerit. Scio ego nonnullos, qui in adhibendis ægrotis illo utantur: præsidio eo fit, ut ad eos laus, honor, utilitas confluant.

Non est mihi prætermittendus Christophorus Honestus: hic literatus, & Medicinæ studiis deditus fuit. Exstat ipsius in Hippocratis Aphorismos & Prognostica interpretatio. Avicennæ præterea Librum de venenis scriptum reliquit. Haud multum abest, cum ad me nonnulli allati sunt codices, quos quantum inscriptio indicabat, à Medicis quibusdam Bononiensibus scriptos constabat. Eos cum diligenter accurateque legissem, percepi Jacobum Foroliviensem ex illis fontibus hausisse. Complura ipsorum nomina hæc sunt, Bertucius, Philippus Petronius, Jacobus Mercadantes, Jacobus Monscalvus, Julianus Percutus.

Semper mea sententia fuit, ut nullum scien-

ſcientiæ genus eſſet, quod cum Aſtrologia conferri poſſet: quod ea eſſet, quæ hominibus maxime eſſet utilitati, atque honori. Nam qui ea prædiţi ſunt, Principum obitus, & ſtatuum mutationes denuntiant; bella, peſtilentiam, caritatem prædicunt; quid fugiendum, quid ſequendum ſit, admonent. Quot infortunia vitaſſent, ſi Aſtrologorum conſilio monitique rebus ſuis conſuluiſſent? Haud fieri poſſe exiſtimo, ut qui Aſtrologiæ neſcii exiſtunt, aut Philoſophi, aut Medici, aut Poëtæ poſſint evadere. Geographum, qui ejus Artis ignarus exiſtat, ne ullum quidem invenies: id quod teſtatur Claudius Ptolemæus, Strabo, Gnoſius, ceterique Geographi. Quid loquar de re Militari, Agricultura, Navigatione, quæ ſummopere egent Aſtrologia? Mos erat Perſarum Regibus, ut apud eos cœnarent Aſtrologi, quibus cœnatis de Aſtrorum motibus ſermo conferebatur. Id à Caldeis, quæ natio Aſtrologiæ ſemper ſtudioſiſſima fuit, factitatum legimus. Sextum Pompejum Aſtrologiam coluiſſe Marcus Tullius ſcribit. Multi præſtantiſſimi viri memoria noſtra ad Aſtrologiam incumbentes rebus ſuis ſapientiſſime conſuluerunt.

Hieronymus Manfredus quantam ex Aſtrologia utilitatem, honoremque reportaverit, eventus docuit; nam qui parvis facultatibus præditus fuerat, hunc divitiis inclytum Civitas vidit. Conjunxerat vir doctiſſimus cum Aſtrologia Medicinam, quarum utrâ præſtiterit, non facile dixerim. Innumerabiles ægrotos, ac prope animam extremis, ut ajunt, labris tenentes, reddidit incolumes. Exſtant Libri, tum de Aſtrologia, tum de Medicina ab eo ſcripti. Multas ſcripſit prædictiones vitæ multorum ex natali die, in quibus nullo umquam mendacio veritatem contaminavit, ut omnia illis futura inſtinctu afflatuque divino prænuntiare videretur. Eo factum eſt, ut ſi ex omnibus Aſtrologis unus mihi omnibus optandus ſit, quem cum eo conferam, habeam neminem.

Johannes Paxius nobili genere natus, quamquam divitiis affluęret, atque à Pio II. Pontifice maximo auratorum Equitum numero adſcriptus eſſet, tamen ne ſe languori & deſidiæ dederet, ad Aſtrologiam animum appulit; eo ſiquidem otio quo cœlum, terras, maria contemplaretur, nihil dulcius eſſe arbitrabatur; eos autem, qui nobiles eſſent, & opibus poſſent, ſi nullo bonarum Artium genere delectabantur, contemnendos, deſpiciendos, irridendos cenſebat. Laudanda nimirum tanti viri ſententia, quæ ſemper ignobilium virtutem, Nobilitatis inertiæ præferebat. Cum igitur Aſtrologiæ ſe dediſſet, is evaſit, qui optimatibus carus eſſet. Exſtant ipſius prædictiones, quæ cum leguntur, legentes in admirationem adducunt.

Johannes Blanchinus quanta laude dignus cenſeri debeat, oſtendunt quos ſcriptos reliquit Libri; quippe exſtant ejus tabulæ, opus Regium ac divinum. Almageſti floſculos & accurate & diligenter expoſuit, ut mirandum ſit, unum fuiſſe hominum, cui tanta eſſet hujus artis agnitio.

Qui Philoſophia, quam Naturalem vocant, eruditi fuerint, Cives Bononienſes invenio complures; qui vero Ariſtotelem ſcribendo planum fecerint, invenio neminem. Unus Nicolaus Fabius in mea memoria peritus inſedit, qui vir (Dii immortales!) quanta Philoſophia excultus fuit! quam ſubtilis diſputator! nonnulli, & hi quidem invidi, atque malevoli objiciunt illi, quod nihil umquam literis prodiderit, nullum opus ediderit. Hanc ipſi à me reſponſionem accipiant: ſi à ſcribendo Nicolaus abſtinuit, nullum propterea inſcitiæ argumentum eſſe. Multi cogitationes ſuas literis mandarunt, quibus non mandaſſe melius fuiſſet, quando ſtultitiam ſuam patefecerunt. Pythagoras, Socrates, multi præterea ſummi Philoſophi fuere, nec quidquam ſcriptum reliquere. Ille ipſe Salvator noſter, qui ſumma erat ſapientia, nihil ſcribere voluit. Tanti viri reſponſionem non ſine riſu commemorare poſſum. Forte ita caſus tulit, ut inter ipſum, & Paulum quemdam Venetum Auguſtini Religioni dicatum (hic profecto, quod inſolentiſſimus erat, neminem neque Philoſophum, neque Theologum præteribat) de rerum naturalium initiis ſumma eſſet altercatio. *Fabas ſapit*, inquit ille. Tum ipſe, *Mirari*, inquit, *deſine*, *quoniam hominibus rudibus*, *conſiliique & ingenii expertibus*, *fabæ impertiendæ ſunt*.

Reliquum eſt, ut de Theologia verba faciamus, quando ea ſit, quæ omnibus ſcientiis humanis honore, dignitate, & veritate præſtet. Nam ſi ejus materiam, tradendique formam conſideres, tum ceteris præferendam putabis. In his enim verſatur, quæ incorporea ſunt, & incorruptibilia, immortalia, non creata. Qui de perſonarum Trinitate in unitate eſſentiæ verba fecerunt, nulli fuerunt Philoſophi; nullus myſterium aſſumtæ à Verbo humanæ naturæ literis prodidit; nullus Sancti Spiritus miſſionem cognovit; nullus Mundi fabricationem, humani generis reparationem, futuram reſurrectionem, Angelos, ordines, eorum officia, & poteſtates docuit. Laudanda nimirum Theologia, quam ſi omnium ſcientiarum Reginam dixero, quæ tamdem adverſus me querela erit, quando admirabile Sacramentum, futuram felicitatem, animarum poſt obitum ſtatum contemplatur, quæ utilia ſunt, & perneceſſaria, & maximam afferunt ſuavitatem & jucunditatem. Multa à Philoſophis ad bene beateque vivendum explicantur ſpectantia, quæ à Theologis præſtantius uberiuſque traduntur. Docendi genus haud parvam Theologiæ dignitatem affert; nam ſi verborum vim, ſi ſententiarum gravitatem, ſi narrationis ordinem mente agitaveris, eam, cui nulla ſit anteponenda, eſſe cenſebis. Quæ explicantur, à nulla gravitate abhorrent, rebus accommodantur. Age quanta ſit illa utilitas, quam ex Theologia conſequimur: Aurelius Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius numquam in ea tantum operæ contuliſſent, ni uberrimos fructus cepiſſent. Omnia ſcientiarum genera extra Theologiam, quæ à Deo emanat, ab humano proficiſcuntur ingenio. Nemo eſt tam ſui immemor, qui intellectum divinum cum humano conferat, quod ille nullo determinatur fine, nullo ducitur errore. Huic finis ſcribitur, & plerumque ſtulta opinione prolabitur. Videmus Philoſophos de Mundi fabricatione, de rerum initiis, de animis, cum à corporibus ſejunguntur, diverſa ſentire: id quod humani intellectus præſefert debilita-

tatem. Nos autem, quibus summus ille rerum opifex veritatis munus aperuit, nullo errore impedimur; id sequimur, quod est veritati consentaneum: merito igitur, jureque optimo mihi eorum, qui clarissimi Theologi evaserunt, habenda ratio est.

Carmelitæ.

MIchaël, cui Aiguano fuit Agnomen, religioni Carmelitanæ dicatus erat. Is Parisium discendi cupiditate ductus contendit, quod optima esset bonarum Artium mercatura. Cum igitur se inanem redire turpissimum arbitraretur, quod & Urbis, & Magistrorum auctoritate decoratus esset, quantum in se fuit literis enixe operam dedit, is evasit, qui memoria sua Philosophiæ, atque Theologiæ arcem teneret, quo factum est, ut quatuor Libros Sententiarum interpretatus sit; Pauli insuper Epistolas & Davidis Psalterium. Exstant ipsius in Aristotelis Librum, qui de Auditu Physico inscribitur, & Metaphisica Expositiones non vulgares. Nec ab eo degeneravit Gerardus Bononiensis, qui ipsius sectam sequens, eosdem sibi labores in Theologia subeundos putavit.

Prædicatores.

MUlti Cives se se Prædicatorum Religioni addixerunt, qui in summos Theologos evaserunt. Qui vero, quæ ingenio perfecissent, quave industria elaborassent, cum literis mandassent, hos fuisse accepimus: Angelum quemdam, qui quamquam Episcopali dignitate ornaretur, Magistri tamen Sententias interpretatus est; Bombologninum Gabianum (is eumdem Auctorem exposuit), Aldrovandum Foscanellum, cujus nobilissimæ exstant Orationes, quæ legenti atque audienti magnam afferunt voluptatem & utilitatem; Johannem Biblium (hic Quodlibeta scripsit, Librum nimirum literis aureis excudendum); Paulum quemdam: hunc Orationes scripsisse constat in eo Libro, quo quid hominem Christianum, cupientemque in Senatorum numero adscribi, facere oporteat, admonuit.

Minores.

JOhannes Cultellinus Francisco dicatus, cum de Theologia, Poësi, Oratoria, Philosophia benemeritus esset, inventiones suas literis cum dignitate mandavit; Magistri Sententias, ac nonnullos Aristotelis Libros diligenter exposuit; Poëma Lyrico carmine conscripsit; exstant permultæ ipsius laudationes funebres.

Augustinenses.

VEniamus ad eos, qui se se Religioni Augustini consecrarunt, si quidem digni sunt, ut de ipsis verba fiant. Johannes Lana Quodlibeta conscripsisse fertur. In eo Libro omnem & Aristotelis Philosophiam, & Augustini Theologiam complexus est; cujus industria ac opera instructum est templum Jacobi, & Sapina lapideo ponte injuncta; multos enim nandi imperitos & invalidos hauriebant gurgites. Adde Simonem Bononiensem. Hic Librum, cui De novo Mundo est titulus, scriptum reliquit; haud ab eo sejungendus est Christophorus, quod Librum, quem Decamundum appellavit, omni diligentia conscripserit. Permultæ insuper Hieronymi Parisii Orationes, quibus populum ab erratis revocat, & ad rectam vivendi formam traducit, mihi in mentem versantur. Haud mediocri laude dignus hic vir censeri debet, quando illius sempiterni ac beati domicilii hominibus viam ante oculos posuerit.

Servitæ.

NOn omittam eos, quos Servitas vocant. Est hæc Religio honestissima, & maximis laudibus celebranda. Laurentius Bononiensis Servitam se profitebatur: hic cum Theologicis institutis præceptisque instructus esset, Librum Sententiarum accuratissime interpretatus est. Neque est ab eo sejungendus Urbanus, qui cum eidem esset Religioni dicatus, omnia Averrotis Commentaria exposuit, & quæ vix intelligi poterant, suâ effecit ut intellectu facilia redderentur industriâ.

Marcus Tullius vitam rusticam multum effert, quod luxuria, avaritia, audacia careat, quod ab omnibus sceleribus, & maleficiis absit, cum eam esse affirmet, quæ Parsimoniæ, Diligentiæ, Justitiæ sit magistra. Adde quæ ab eo scribuntur in Catone majore. Non igitur Petri Crescentii, civis nostri memoria mihi abjicienda est, quando ejus exstat Liber de Re rustica, quo omnem illius rationem complexus est, nec Varronis, nec Columellæ, nec Catonis immemor.

De situ Bononiensi.

COntemplemur Urbis situm, & ipsius commoda, ac pulchritudinem. Ædificata est ad radices montis Appenini, qui locus amœnissimus est, atque uberrimus. Sanctissimis abundat templis, vinetis, olivetis, substructionibus magnificis. Cœli salubritatem, & aëris spiritum nulla paludum gravis nebula inficit. Ager maxima est fœcunditate præditus; est enim in omnia frugum genera fertilissimus, ut non modo villicis ac Civibus, sed peregrinis quoque abundantiam sufficiat. Adde ligna, mel, oleum, linum, & multa hujusmodi, quæ quantæ sint utilitatis, res est minime obscura. Non tacebo Oppidorum, quæ ditionis sunt Bononiensium, celebritatem. Urbis pulchritudo quanta est. Nullus fere vicus est, qui non ornetur domibus præclaris, & dignitatis plenis. Adde cloacas ingentes, quæ cum optima sint Urbis purgamenta, sub terram actæ sunt. Videmus Turres, singulari opere artificioque perfectas, quarum summus est usus; siquidem ex ea, quæ ceteris altitudine præstat, nocte & interdiu prospectatur hostilis exercitus, ignisque, si domum quampiam exurat, sive ille fortuitus sit, sive consulto injectus. Alias à Civibus extructas constat propter Urbis amplitudinem, aut templorum dignitatem. Duobus fluminibus cingitur, ab ortu Solis Sapina, ab occasu Rheno: id quod maximi est emolumenti, atque honoris, quippe utriusque-

que pars Urbem interfluit; nam ad molendi commoditatem, ad ferrum cudendum, ad chartam ex papyro conficiendam, ad crocum, piper, zinziber, & quæ hujusmodi sunt, in munitissimum pulverem redigenda. Nec procul abest fossa miræ altitudinis, quod Cavadizum vocant. In ipsum hæc Rheni pars influit. Ab utroque latere sunt domusculæ, in quibus nonnulli habitant tum Cives, tum exteri, parvis facultatibus prædití. Ad hæc complures sunt insanæ substructiones, quæ Filatulia vulgus vocat, quas arces diceres, quæve arte circumvolvuntur. Est ea res inter mirabilia Urbis Bononiæ opera: tum ad sericum aut glomerandum, aut contorquendum, aut dividendum, nihil dignius præstandum inveniebatur. Altera pars Sapinæ, quæ Urbem interfluit, hoc affert commodum minime contemnendum, ut in ea vis sirici, & lanarum à tinctoribus inficiatur, madefiat. Est ea infectura adeo pretiosa, ut ceteris ipsam præferre debeas, uti affirmant experientia rerum docti; nec parvæ utilitati est animalium coriis, quæ in ea madefacta operi redduntur aptissima. Non sunt mihi illa prætermittenda, mulierum venustas, virorum pulchritudo, Civium humanitas, morum elegantia & majestas. Nec memoria mea dilabitur id, quod multo dignius est & præstantius, annos mille quatuor & septuaginta intercessisse, cum Theodosius junior, is qui Honorio successit, Urbem Bononiensem omnium Literarum studiis ornavit, & decreto constituit: quæ res quantæ sit dignitatis, non conjectura, sed oculis ac manibus tenetur. Præclarum est & singulare, unam esse Urbem, quæ omnium bonarum Artium procreatrix sit, & parens.

Quod initio pollicitus sum, id mihi persolvisse videor. Reliquum est, ut Libello extremam manum imponam. Nulla quidem mihi injiciatur dubitatio, quin meum hunc laborem malevoli atque invidi multo sint verborum dedecore prosecuturi, quod Historiam ipsam situ difficilem reddiderim. Enimvero qui brevis esse laborat, nimirum teste gravissimo Poëta, obscurus fit. Non sum adeo brevi oratione usus, ut mihi censura sit subeunda. Quis enim doctrina excultus sensus mei nec ignarus erit, nec expers? Quod si me aspernantur, Titum Livium Romanæ Historiæ parentem aspernentur non solum oportet, verum etiam necesse est; nam quæ apud ipsum latius diffusa erant (in centum enim & quadraginta Libros Historiam Romanam conjecerat) uno Libello complexus est Lucius Florus. Ac Justinum nemo umquam contempsit, quamquam Trogum Pompejum in pauca redegerit. Hos imitatus sum: quos si vituperant, non videro, quid sit, quod laude dignum putent.

FINIS.

DE LAUDIBUS
FAMILIÆ DE AURIA

AUCTORE

FRATRE ADAM
DE MONTALDO

ORD. EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI

Circa Annum MCCCCLXXX.

OPUSCULUM

Nunc primùm in lucem prodit

E MSto CODICE GENUENSI.

IN FAMILIAE DE AURIA LAUDES

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUae mihi illustrium Familiarum insignis praerogativa putatur, vix earum nomen non in patria tantum, sed per universam Europam auditur, quum continuo quisque, vel leviter in Historia, rebusque publicis versatus, absque monitore intelligit, de praeclara progenie tunc agi. Hoc autem decus nemo est, qui non agnoscat in praestantissima Genuensi Familia *de Auria*. Illam quippe a tot Seculis ubique notam celebremque effecere bellica Majorum acta, & egregii Viri, & Oppida ejus ditioni subjecta, confluente cum opibus virtute ad gentis hujus gloriam, ita ut frequens in Historia illius mentio & commendatio occurrat. Quapropter non ad unius dumtaxat privatae Familiae laudem spectare intelligas Opusculum, quod nunc sum editurus in lucem, sed ad totius Italiae Historiam, quam famâ sui nominis, rerumque bene gestarum amplitudine nobilis ista soboles implevit. En ergo fidentissime profero Epitomen de *Laudibus Familiae de Auria*, quam ab humanissimo viro, & antiquitatum studiosissimo, Nicolao Dominico Mutio, Notario Collegiato Genuensi, & publico Archivo suae Patriae Praefecto, jam dudum impetravi. Auctor hujus lucubrationis fuit *Frater Adam de Montaldo*, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, qui Anno 1480. floruit, ac plura alia eruditionis suae monumenta post se reliquit. Praeter Sopranum, aliosque Scriptores de claris Liguriae Viris, qui Auctoris hujus mentionem fecere, Frater Dominicus Antonius Gandulfus Genuensis, ejusdem Ordinis, in Differtat. Historic. de ducentis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus edita Anno 1704. Romae, hunc ipsum *Adamum de Montaldo* multis commendat, aliosque Libros ab eo elucubratos recenset. Quae pauca ex illo ad me delata sunt, interea Lector accipiat.

Excelsæ Domus Auriæ Januensis, per Fratrem Adam de Montaldo Eremitarum Divi Augustini, clarissimi Triumphi.

AURIÆ DOMUS INCLITÆ DIGNÆ LAUDES PER FRATREM ADAM.

Ex Codicibus Nicolai Dominici Mutii Notarii Collegiati Genuensis & Archivo publico Præfecti.

ILla ego sum armipotens pelagi dea viribus impar,
Auria celsa domus, cui Mars Jove cessit in armis
Neptunus, Thetis, atque Eurus: fera signa subegi
Pisarum, quibus arma, rates, æra urbis, & urbem
Arripui, vexilla, viros, laudesque vetustas.
Hinc Venetam attrivi rabiem sex classibus actis,
Marciferumque decus, & signa frementia Bellis
In Genuam captis hominum cum mille carinis
Detorsi, clipeumque dedit mihi victa marinum.
Armeriam, Gotolosque feros, Danaosque potentes,
Barbaricam gentem detractis viribus, arces
Urbis, & hostiles ego vici in sanguine terras.
Tum quater imperium patriæ cum pace penatum,
Et populi obtentum magno mihi nomine adegi,
Dives opum, domibusque altis, & parte superba
Sola feror. Dum fata volent, sic alta manebo.
Cum volui fecisse Duces, & fœdera rerum
Marte gerendarum, potui, atque expellere: tantùm
Libertas mihi magna fuit, terraque marique,
Ut stirps nulla queat se mecum æquare triumphis

F I N I S.

DE LAUDIBUS
AURIÆ FAMILIÆ JANUENSIS
TRACTATUS.

ARduinus Baro, & miles, patria Nerbonensis conjugem accepit virginem puellam familiæ Cataneorum nomine Auriam. Unde domus Auria cognomentum traxit. Ex quibus tres geniti descenderunt; Lambas, Schachecius, & Leo.

Ex Leone Dominicus Stephani filius originem traxit.

Marchio Montisferrati filiam suam in unum de Auria maritavit.

Dux Mediolani genitam collocavit ibidem conjugio eodem modo.

Imperator Constantinopolitanus Hilario Auriæ filiam Uxorem dedit.

Franciscus Sfortia Mediolani Imperium ex Auriarum præsidio pecuniarum obtinuit.

Stephanus de Auria Dominici pater relevavit inopiam pauperum Communitatis proprio frumento.

Thedisius, Stephanus, Bartholomæus, Philippus, Paulus, Branchaleo, Augustinus filius, Ceva, Lazarus: Primores Civitatis habebantur.

Dominici Auriæ benemerita & laudes.

Ancillinus fecit primum atrium Januæ.

Jacobus ad capiendum Hierusalem cum Gottifredo Bulliono mirabiliter se habuit cum XL. triremibus & postea cum LX. Gibellum Trypolim, Berutium cepit.

Conradus cum XXII. millibus hominibus obsessas Pisas fecit tributarias.

Obertus eorumdem rebellium LXXX. galeas cum LX. & civium IX. millibus cepit, atque Elbam Insulam pariter.

Conradus Pisanos omnino extinxit.

Nicolinus Spinula cum galeis XVIII. cepit galeas XXXIV. Venetorum.

A Obertus fuit Admiratus CCV. galearum contra Venetos, ubi erant viri XXXXV. millia.

Lambas cum LX. galeis in mari Adriatico cepit LXXX. Venetorum cum vexillo & captivorum octo millibus.

Veneti chartam albam Januensibus miserunt.

Obertus cepit novam terram Venetorum Cretæ.

Philippus cepit Nigropontem eorumdem.

Paganus cum LX. triremibus cepit apud Byzantium LXXX. Venetorum Imperatoris, & Gotolanorum cum VI. millibus captivorum occisis IV. millibus & DCC.

B Lucianus cepit galeas XXXVI. & IV. ingentes naves eorumdem cum solis XXX. & quinque millia captivorum.

Raphaël Admiratus Siciliæ triumphavit.

Odoardus galeas XXXVIII. & IV. naves cum solis XXX. & captivorum V. millibus cepit.

Antonius Pichabarragiæ piratæ cepit naves XIV. cum solis VII. apud Alexandriam.

Paganus secundo cepit classem Venetorum.

Ludovicus Ducem Johannem fecit victorem.

Obertus, Conradus, Lambas, Barnabas Januæ per se quisque dominium habuit.

C Jacobus, Georgius, Hieronymus, Gabriel, Antonius, Johannes senex atque juvenis Constantinus Bartholomæi filius.

Henricus cepit Armeriam; & Tortosam XX. millibus occisis captivis X. millibus.

Demum omnium clarissimus ipse Dominicus, cujus hæc amore digessimus.

Fratris Adæ de Montaldo Eremitarum Sancti Augustini, gloriosæ Domus Auriæ Januensis memorabiles Triumphi ad Virum Inclitum Dominicum de Auria Pontificis Maximi Innocentii VIII. Capitaneum editi.

Sub effigie Dominici Auriæ leguntur hi duo versus.

Auria Dominicus ego sum dux inclitus armis,
Quem mea progenies facit usque ad sidera notum.

QUoniam, ut inquit Salustius, omnium feliciter gestarum rerum memoria à cunctis esse debet mortalibus expetenda, ut à brutorum natura differant, si se viros, non pecora dici volunt: repsit animum meum aliquid Opusculi aggredi, cognita singulari aviditate, quam habet perennitatis viri inclyti Dominici de Auria ex Patre Stephano ortum ducentis, & totius familiæ sublimitate ad gloriam consequendam, ubi eorum omnium triumphos, & viros magnanimos, & laudes quidem omnium, & nobilitatem describam. Nam Januenses parum cauti fuere ad eligendum peritum hominem, qui eorum, veluti Romani & Athenienses, res gestas scriberet. Tanta eorum cæcitas, non dicam tenacitas rependiorum, fuit. Et siquid suarum rerum memoriam habemus, per ineruditorum stilum hominum historica facultate ita traditum est, ita & per inornatum, ut legendo genus hominum fastidiat, & obstupescat tanti ponderis istorum innumerabilium triumphorum & gloriæ majestatem ex tam imbecillibus scribentium viribus illustrandam, non dicam vituperosissimam tum ex auctoris imperitia, tum negligentia cunctorum civium tradidisse.

Idcirco ego, quem gratitudo & amor inserviendi inclytæ Aurigenarum familiæ ob benemerita, beneficiorumque innumerabilium erga me copiam Dominici Auriæ excellentis armorum Ducis, ac Innocentii Pontificis maximi Palatinæ custodiæ Præfecti, pro rependio excogitavi clarissimorum omnium virorum de Auria gloriæ, nobilitatis, stemmatis, triumphorum memoriam facere, ut ex illo liberalitatis decus, & ex me ipso gratitudinis officium cunctis hominibus innotescat. Sed quoniam nullius claræ Familiæ valere laudes dicuntur, de qua principium omnino originis, aut dubium, aut incertum est, pro certo dicam, unde gentis Auriæ Familia cognomen vendicavit. Extant apud Concives nostros pleræque nobilium majorum domus, quæque ad unum modo cognomen conjunctionis gratia à diversorum nimio numero deconductæ sunt, quamvis æquali nobilitatis genere concelebrentur: ut sunt de Oliva, & Cebæ, qui quidem Grimaldi facti. De Volta, Stanconi, & Busterini, qui etiam Catanei ob nobilius vocabulum cognominati sunt. Ex istorum Cataneorum stemmate cum quidam Antonius nomine unicam haberet filiam, quæ esset speculum pulchritudinis, pudicitiæ, ac omnium virtutum, quæ quidem Auria nuncupabatur, casu evenit, ut amicus Patris puellæ virginis generosissimus quidam miles Civitatis

A Nerbonensium, opibus valde potens, ob contractam Nerbonæ amicitiam, susceptasque beneficiorum ab eo copias, gratia hospitalitatis & gratitudinis domi reciperetur. Hic patris gratifici conditionem ingenuam, mores conjugis, domus regulam singularem, ac demum omnium virginis natæ in tanta libertate continentiam, solitudinem, gravitatem, rogitans pro illa habenda penitus amicissimum parentem miles, magis moribus, quam rebus omnibus allectus in matrimonium obtinuit. Sic Auriam puellam sibi conjugem Arduino nomine, & Baroni, & militari viro pater optime merenti tradidit. A quibus deductum Auriæ decus cognomi-B nationis cunctorum in antea descendentium de Auria Familia propagatum est, ac nostrum ad hoc usque successive tempus observatum. Hi duo siquidem Arduinus, & Conjux Auria tres mares habuisse filios dicuntur, Lambam, Schacherium, Leonem. A quo tertio Leone Dominicum lineam originis traxisse ferunt. Eoque Leonis more rebus in gestis gerendisque nomen est imitatus, veluti in hujus processu nostri operis elucidabimus.

Domus Auriæ Laudum

PARS PRIMA.

C VErum quoniam ultra procedere direxi animum, ante omnia quantæ non tantum dicam apud nostrates, quantum exteros auctoritatis hæc prosapia, gloria rerum meritarum, opum, civilitatis, potentiæ, consiliorum, omni tempore usque ad præsens exstiterit; demum quot victorias, triumphos, honores, laudes, dignitates habuerit, compendio depromam.

Quorum sane omnium ex Chronicis majorum, non Poëtarum commentis, dedi operam describere veritatem. Non sumus nescii, claram hanc progeniem cum magnis D traxisse Principibus affinitatem. Nam est dignatus Marchio Ferrati Montis dare uni de Auria genitam in Uxorem. Mediolanensis Princeps itidem & filiam suam in unum de Auria maritavit.

Quid adjiciam? Constantinopolis Imperator Hilario Auriæ suam quoque: ipse dare genitam in matrimonium non renuit.

Tanta est auctoritas Auriarum gentis, ut nunquam Fregosa Domus Januensium imperium consecuta, nisi cum manu Aurigenarum fuerit, & quando voluerit, amiserit. Eorum opibus cum velint omnium nostrorum hostium potentiam exterminare, & conterere posse, cum quibus solis Franciscus Sfortia Mediolanensium obtinuisse im-

perium, derelictus ab omnibus præsidiis sociorum suorum, notissimum est. Qui deinde ingratitudinem pro tanti beneficii mercedibus retulerunt. Novem onerarias naves eodem uno tempore de Familiæ Auriæ tantummodo me dinumeravisse cognomine reminiscor. Quæ armatæ tantæ erant magnitudinis, ut totum pelagus immunes possent enavigasse. Concives Patriæ primates sunt. Per omne dominium formidolosi exstitere. Hodie longe magis. De quorum numero Thedisius Thomiano tempore Fregosi sustentamento regiminis consilio atque auctoritate præcelluit. Post illum Stephanus Dominici pater. Qui cum annonæ caritate nostra Civitas opprimeretur, & magni vir animi lucrifacere plurimum potuisset, ad vile pretium decontraxit, & venumdedit sine lucro, atque multis pauperibus personis gratis de proprio, Dei & civilitatis amore erogavit.

Thomam Fregosum Ducem, quamvis ejusdem factionis essent, solus abdicandum dominio patriæ liberatione conspirans, absque ulla mortis pœnalis formidine non dubitavit. Toti Nobilitati, & plebi omnium peramatissimus. Præterea Bartholomæus, cujus tantum auctoritas valuit, ut Petrum Fregosum Ducem prœliandi ingenio in armis gloriosum invictumque sua sagacitate deleverit. Philippum adolescentem sane opulentissimum, cujus tanta magnanimitatis constantia ex suæ conditionis æstimatione erat, ut cum Renatus Rex Siciliæ rogatum faceret ad capessenda militaria jure insignia, abrenuisse non ignoramus.

De illis duntaxat nunc memoriam agimus, quorum mea tempestate certam notitiam habui.

De priscis vero cum ad triumphorum majestatem deveniam multo altius conscribendum existimavi. Tempore quo reminiscor ad usque præsens Paulus Auria, & Branchaleo, ejusque filius Augustinus juvenis æquæ lancis, viri Senatorii, morigerati & graves, Patricii opulenti, communi omnium judicio singulares inter primates habiti. Præterea Lazarum, in manu cujus tota familia constituit Principatum, regiminis magni Vir, splendidum magni animi liberalem, maritimæ olim classis onerariarum navium multarum adversus Gotolanos: Quid memorem victorem plerarumque ratium ab omnibus commendatum? Quem alterum quasi Ducem cum omnis nostra Civitas veneraretur: Romæ Genuensium Orator celeberrimus cum gravi mœrore omnium ex fluxu ventris naturæ concessit.

Præterea itemque Dominicum ipsum non dememorabimus, Stephano parente ortum Innocentii Pontificis Maximi Capitaneum invictum armis. Qui ubicumque se se habuit bellorum gestis, evasit victor, tamquam qui ex tertio Arduino, atque Auria genito Leone descenderit singulare inter Duces Italiæ nomen consecutum. Ad custodiam Romani Pontificis nunquam vigiliis nunquam laboribus pepercit. Virtute, consilio, liberalitate, gratia, humanitate, clementia apud omnes non minus Pontificem, quam ceterorum judicio splendidissimus, ut sæpe numero sua impensa inopiam armigerorum propter illorum strenuitatem relevaret, omne aurum &

A pretium habendi honoris aviditate contemnens. Non derogabo cuiquam, aliorum omnium gratia dicam, suarum dotibus virtutum illum cum omnibus mox & priscæ recordationis viris merito æquandum magnifacio. Cevam quoque non prætermittam virum Patritium, & animi libertate pro Republica adversus tyrannum Auguigerum defendenda præclarum. Aliorum demum omnium contribulium ingentis civilitatis & pretii, & auctoritatis, si vellem memoriam facere, longum videretur.

De quorum nominibus paucis in fine Operis describendis recordationem minime prætermittendam curabo. Nunc autem ad triumphorum ordinem Auriæ magnanimæ gentis

B per partes perque vices juxta mei ingenii tenuitatem describendorum, Dei Omnipotentis, qui dedit illos, adminiculo, deveniamus.

Procedendo operæ pretium erit audire omnium gestorum ingentium virorum Auriæ gentis maritimas probitates, rerumque publicarum curas, habitasque diligentias. Cum primum Januæ Communitatis nullum esset Palatium, ubi moram Dominium reddendorum jurium factitaret, primus omnium Ancillinus Auria sua impensa ædificandum curavit, & ob eam liberalitatem summa veneratione habitus est.

C Cum Gottifredus Rex Siciliæ quem Bullioeum cognominabant Andegavinorum familiæ Hierosolimam pro sepulchro Christi de Infidelium manibus eripiendo enavigaret: Jacobus Auria cum quadraginta illum triremibus comitatus, supra Venetorum, Pisanorumque omnium magnum numerum galearum habentium valorem, miranda digessit. Inque excidio ejusdem vas id mirabile smaragdinum Januam devexit pretio inæstimabile. Qui etiam Tripolim, Gibellumque cum sexaginta triremibus subegit. Demum Berutium vicit. Præterea cum Pisanum genus jurejurando violato Januenses offenderent, Conradus Auria Admiratus delectus, eos

D cum duobus & viginti millibus virorum obsessos coegit soluto tributo non dicam dejerare. Quod dejeramentum Obertus Auria compescuit. Qui Præfectus sexaginta triremium factus eorumdem longas naves octuaginta cepit cum novem millibus primorum, ubi dicebatur proverbio Italicorum: *Quicumque vult Pisas cernere, Januam, ubi sunt Pisani, se transferat*. Eodem anno Obertus idem cum tribus vigintique triremibus Elbam vi cepit. Conradus Auria recalcitrantium cum XL. catenas fluminis immensas, capto Ligurno cum multis hominum millibus Januam vexit, & per Civitatis portas patulas easdem appendit, cæsim divisas in

E victoriæ testimonium catenas. Pisanum nomen, quod multos per annos antea cunctis nationibus valde formidolosum erat, in ultimum aliarum vilipendium Civitatum deventitavit. Nam Conradus ipse crebris dejeramentis Civium fœdifragorum, bellica sibi instrumenta genusque armorum detraxit. Demum possessionem ultimam victæ Urbis, domitæque superbiæ Pisanorum, nostratis civis proprietas, quem taceo, crudelis utilitatis arripuit; commune enim commodum avaritia subjectionibus mancipavit.

Ea tempestate quia familia Auriæ Civitatem

tem regebat, Armerienses Machometicolæ Hesperiorum gentis Christicolarum omne genus mari vexabant, unde Romanus Pontifex Januenses, quorum fama per universum, quod essent ponti domini, vulgabatur, per Oratorem rogat à tanto incendio liberari. Qui mox galearum & navium usque ad numerum septuagenum trinum perarmant, ad Armerianas oras horrendo metu hostium navigaturum.

Earum Consulem virum in armis strenuum Henricum Auriam, maritimarum expertum rerum, probe eligendum curant, sibique agendorum omnium solicitudinem committunt. Qui statim adversus hostes ferocissimos classem dirigit cœlo favente, circumque Armerinam Civitatem castris positis, præmisso insultu maximo virorum, eamdem se se viriliter defendentem ingenti prœlio expugnat, viginti hominum millibus occisis, & captis millibus decenis. Eodemque Consulatu dum Barchinone contingeret hibernum tempus conterere: Tortosam Urbem acerrimam Mauritanorum finitimis infestam ad preces Barchinonensium jam longis prœliorum continuationibus fessorum per vim captam subegit, dimissâque Aragonensibus Civitate, ut erat fœderis, cum spoliis omnibus duarum Urbium Henricus triumpho nobilissimo Januam reversus est.

Primus Liber explicit feliciter.

TRIUMPHORUM GLORIOSÆ DOMUS AURIÆ TRACTATUS SECUNDUS PER FRATREM ADAM.

CUm Veneti singulari suapte naturæ insolentia Januensibus nonnulla mari damna contra jusjurandum intulissent, & misso nuntio velle se reddere inficiarentur, ex partibus Chiorum duodeviginti triremibus armatis, Duce Nicolino Spinola, quatuor supra triginta eorumdem Venetorum, quas contra Januenses, ut minus fortes, devinciundos commiserant, magno prœlio captæ sunt. Cum vero Senatus Venetorum ignominia imparitatis victoriæ exæstuarent, orbem per universum literas Principibus destinaverunt, se tantum galearum adversus Januensium audaciam numerum armaturos, quod à Venetiis usque Januam quasi earum innumerabilium pontem unum effabricarent. Quare Januensibus relata, delusaque pro innata consuetudine Venetorum insolentia, annuum illis terminum constituerunt ad ostendendam utriusque efficaciam potentatus. Comparataque quam majori classe possent, ad expectandum alteri alteros in Siciliam trajicerent, præstolaturi. Unde armatis ducentis quinque triremibus ex quibus centum & septem mensis unius spatio à silvis ad fabricationis complementum mox deconductæ, simulque aliæ ad integrandum numerum pari tempore in classem compositæ sunt, admiratione omnium gentium ac formidine Venetorum, paraverunt vires. Qui Romanum ad Pontificem Oratore misso, per ejus intermedium pacem deflagitabant, quam incensi Januensium animi denegavere. Moxque cum centum & sexaginta illarum ad expectandam nequicquam classem hostium in Siciliam trajecere, ceteris quinque & quadraginta ad maritimæ Ripariæ custodiam decommissis. In tota classe quinque & profecto quadraginta numeratorum hominum millia, inquilino nemine, comperta sunt. Tam admirabilis expeditio nedum Venetorum, quibus minitabatur, sed omnium quoque Orientalium Civitatum animos atterrebat. Tantæ molis classicæ Admiratum Præfectumque Senatus Obertum Auriam virum præclarum, qui eo tempore Urbem regebat, omnium animosissimum creavit. Qui frustra expectatis Venetis, qui potius ad tutelam Patriæ intenti erant, propter imminentem hyemis turbinem, capta solum navi una illorum ingenti oneraria magni valoris, Januam reversus est. Præterea Lambas Auria, & ipse quoque Admiratus Civitatis vir magnanimus, cum Veneti reversis Januensibus Patriam recalcitrarent, quinque ac octuaginta triremibus in mare Adriaticum ad infestandum terras nostræ ditionis dimissis, plurimum nocuissent cum sexaginta dumtaxat in eodem pelago periculoso prœlio vicit: Cruzola eorum oppido igne consumto, captivorum octo millia, præter viros notabiles, cum omni apparatu ac vexillo Communitatis præter innumerabilium occisorum copiam cum maximo triumpho & gaudio Januam deducta sunt.

Cum ex decreto Senatus ad obsidendum Venetias triremium septuaginta classis commissa esset: Lanfrancus Auria eamdem versus Patriam irrumpens, Clusiam expugnavit, delevitque incendio. Quod cum Veneti vidissent, atterriti, constratique mox ad victores miserunt, deprecantes remissionem, victosque se fatentes dedituros Civitatem in Januensium manum, atque arbitrium, si facultatibus Civium ac personis parcerent; Quod cum Januenses superbia victoriarum minime voluissent, nisi ad gratiam discretionis facere, & Veneti versute in spe detinere demolirentur, si forte Deorum aliquis interea misereretur: fortuna adjuvante, navem, quæ nocte una appulerat ventis secundis, ad obcludendum sinus ostia, ubi classis intimida sine custodia manebat, raptim misêre. Adeoque effectum est, ut inclusi omnes eo infortunio, magis de salute, quàm de victoriæ deliberatione consulerent. Maximum ibi prœlium commissum est, & sanguinis effusio utrinque facta; & si Paduanus Dominus minime se proditorem fecisset, in Venetorum pollicitatione deceptus, pulcherrimam denique fuissent Januenses, non minus terra, quam mari victoriam consecuti. Quo infortunio, non probitate hostium interveniente, vir invictissimus Obertus Auria Lanfranci frater ad ultionem in Cretam irrupit ingenti classe, Novamque terram oppidum delevit, captis plurimis longis magni pretii navibus Januam convectis. Itemque Philippus Auria, gravibus lacessitus Venetorum injuriis, cum impune eo minime evadere proposuisset, accincto magno numero galearum, Nigropontem Urbem cum toto multarum navium præsidio cepit. Præterea cum Veneti parum se posse proficere adversus domitores eorum Januenses cernerent, tot illatarum mari multitudine cladium insanientes, cum Gotolanis, Græcorumque Imperatore initâ societate, triginta & sex triremium, & quinque onerariarum magnarum

rum navium cum aliis nonnullis minoribus haud exigui vel contemnendi pretii phaselis, quarum Admiratus Venetiarum Concivis Pisanus Nicoletus erat, summo apparatu classem condiderunt. Quibus Græci quatuordecim triginta Gotolani opulentissime coadjecerunt. Adversus tantam hominum molem Senatus sollicitus, virorum inclytum ex Auriarum familia Paganum Capitaneum sexaginta modo triremium præeligendum ex procinctu minime dubitarunt; qui invicto animo mox erumpens, Byzantium, ubi erant, non expectato insultu infatigabili remigio sine ventis, atque ventorum impulsibus sine remigibus enavigavit. Cumque hostes celeri adventu Januensium terrerentur, continuo ad arma concurrunt. Sic eo facto, urgente necessitate concurrere utramque classem fortuna voluit: impari eventu rerum. Pugna incœpta clamores hominum, sonitus armorum ingens, vocesque occisorum, machinarumque artificiorum multiformium stridores, cum tubarum mortifero clangore cœlos faventes attonitabant. Vere utrobique valde crudeliter pugnatum est. Tamdem devictis ab una tribus classibus juxta Byzantium inimicorum Urbem Græcis, Venetis, Gotolanis, Paganus Auria summum triumphum habuit. Nicoletum Capitaneum cum vexillo Senatus Patriæ, ac sex millibus captivorum præter nobilitatem Januam reginam maris advexit ex ipsa classe occisis quatuor millibus septingentis; ex Januensibus septies centenis. Ex Gotolanis innumerabiles peremti simul cum Capitaneo, & eorum regio Communitatis, aureoque miræ pulchritudinis vexillo. Itemque eadem tempestate apud Insulam, quam Sapientiæ vocant, Lucianus de Auria vir celeberrimus, cum Veneti ad vindictam primarum cladium galeas triginta sex, & quatuor ingentes naves perarmavissent, cum triginta dumtaxat, commisso gravi certamine, easdem omnes ad integrum numerum cepit, classisque infelicis Venetæ quinque captivorum milia cum vexillo Marcifero aureo, communi signo Concivium ad nostram Civitatem memorabili triumpho & gaudio deconduxit.

Raphaël quoque Auria virorum omnium præclarus, cum ob ejus strenuitatem Regni Siciliæ Admiratus esset electus, maximorum prœliorum cum hostibus pugnando victoriam adeptus est. Cujus filius Odoardus Gotolanorum longarum numerum duo de triginta navium cum duabus onerariis pugna ingenti cepit. Pirata mari famosus Picchabarragias, cui cognomentum propter rapinarum innumerabilium crudelitatem Gotolanigenæ gentis impositum ludibrio erat, cum invidia tot rerum mari gestarum Januensium victorum, naves ingentes ad eos infestandos armasset, & nomen formidolosum jam illius ad utrumque Oceanum percrebuisset: mox Januenses, quibus videbatur imperio pelagi armis adepto jure pertinere: septenum navium onerariarum numerum deliberavere, quarum Antonius Auria Præfectus Vir bellicus factus est. Qui non considerans, quod cum quatordecim, sicut erant, ipse cum septem sumeret gerendum bellum, statim adversus eumdem tranavit. Nam in omnibus gestis rebus, triumphisque acquisitis Januenses & hæc eorum more Romanæ gentis omnium maxima gloria est, semper cum pauciori bellatorum numero adversus hostes, & cum minori numero galearum & navium cum eorum multitudine pugnam committere minime formidavere, ut victoriæ de se clamant. Ut autem audivitavit Picchabarragias Januensium carinas se adversum accelerare, metu nominis invictæ gentis ad Orientales oras fugiens, in Alexandriæ portu moram capiens, se Machometicolis accommendavit grandi soluto ære. Ibidem Capitaneus eosdem obsedit. Demum cognito fœdere simul cum barbaris firmato decrevit ad finem perducere alterutrum duorum, aut victoriam contra piratas, aut incendium utriusque classis. Fortuna salubre consilium adjuvit. Mox non impediente triumphum mora, omnium mortalium in armis inimicissima summis viribus naves piraticas invasit. Commisso gravi prœlio, & adjuvante innumerabilium multitudine barbarorum, qui velut famelici canes defendentes occidebantur, ut victimæ. Tamdem balistarum mortiferarum formidine consternati, quæ navium corpora simul etiam cum hominibus transfigebant: victoria parta est, truculentissimâ Gotolanorum atque Alexandrinensium clade. Eumdem vero Archipyratarum regem factum Picchabarragiam ad Antennas suspendit, ceteris pro majori parte occisioni mandatis. Et hæc victoria licet paulo ante parta qualicumque hujus loco operis descripta sit: magno nihilominus mari oppressam Italiam ab incendio deliberavit. Sic Capitaneus ex Auria familia quatuordecim captura navium invitis barbaris cum solis septem, pulcherrimum triumphum egit. Sed si omnium præconiorum, quæ Domus de Auria digessit, mereturque, summam attingere condelegissem, non esset de Operis hujus necessitate, cum de triumphantibus & gloriosis tantummodo viris faciundam memoriam pollicitus, non de privatorum nominibus fuerim.

De quibus Paganum, de quo supra diximus, vice secunda etiam contra Venetos pelago classe irrumpentem, eorumdem magnum apparatum triremium superavisse, & captivorum quinque millia maximo cum thesauro, vexilloque aureo Communitatis deportasse Januam, notorium est. Ludovicus præterea nostra memoria Johannem Andegavinum Calabriæ Ducem regium cum triremibus viginti duabus Consul creatus in Regnum Siciliæ ad id capessendum, vexit; Regemque Ferdinandum, qui septenum equitum, & totidem peditum millium numeratorum habebat exercitum in obsidione Sarniana Duce Simoneto castrametando tenebat, extinxit, pæne captis omnibus, occiso Duce, & commilitonibus utraque fortuna deletis. Quid adjiciundum putem etiam, quod in Republica amministranda Conradus de Auria principatum habuit, cum quo maritimas præfecturas digessit, de hostibus victorias consecutus?

Obertum sane ante hunc primum omnium, non minus fama virtutis, quam gloriæ celebritate ad idem Imperium assumtum memoramus, qui de Pisanorum insolentia binum triumphum patriæ vincenti dedit.

Post tantum Imperatorem siquidem Lambas ille glorioso regimine Civitatis cum summa integritate animi se virum celeberrimum triumphis fecit. Barnabas in dominio quartus emicuit, vir Romanæ quietudinis & gratiæ,

tiæ, coram Senatu & plebe per ordinem sublimitatis.

Sunt igitur hæc quatuor præclara lumina: gestarum rerum memoria tum imperandi in Urbe gratia, tum hostium superatorum consuetudine cum Romanorum benemerito Consulibus comparanda. Denique profecto clarorum omnium numerum virorum satis ultra per longum describeremus, si sequi singulos juxta eorum non immerito decrevissem. Unde Jacobum illum Auriam armorum strenuum commemorandum censeo, cum quo Georgium patruum Dominicanum cum aliisque ejus ambobus germanis fratribus, Hieronymumque, quem Biscaynum homines severum vocitabant, Gabrielem, Antonium, senem Johannem, & generosum animo juvenem Costantinum.

A

Plerorumque aliorum virorum de Auria possem digne memoriam elucubrasse, nisi Opus requireret brevitatem ad solummodo faciendum satisque homini, & materiæ, de quibus diligenter scripsimus, ob recepta à viro inclyto Dominico de Auria splendore bellicæ gentis beneficia incomparanda. Apud quem ingratum me dicerem profecto, nisi aliqua ex parte suæ erga me liberalitati satisfecisse viderer. Sic igitur habemus magnanimæ Domus Auriæ nobilitatem, imperia, triumphos, laudes, cujus gratia scripserim ad æternam rerum memoriam observanda. Parcantque mihi contribules, si dicendi non sit stilus exiguus cum majestate tanti luminis comparandus.

FINIS TRIUMPHORUM:

PETRI
CYRNÆI CLERICI
ALERIENSIS
COMMENTARIUS
DE BELLO FERRARIENSI

Ab Anno MCCCCLXXXII. usque ad Annum MCCCCLXXXIV.

Nunc primùm in lucem prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN PETRI CYRNAEI COMMENTARIUM DE BELLO FERRARIENSI

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ANno 1482. atrox bellum invaluit inter Venetorum Rempublicam, & Herculem I. Estensem Ferrariensium Ducem, quod reliquos ferme Italiae Principes ad arma incitavit, eâdemque lite implicuit. Si Venetos audimus, Vicedomini jura, hoc est Magistratus Veneti in Civitate Ferrariensi auctoritatem, Hercules violarat; tum ad Comaclum salem contra pacta colligendum jusserat: hinc justae in illum Venetorum irae. Contra si fidem habere volumus Ferrariensi Populo, una finitimos ac infirmiores absorbendi cupido, quae potentiores fere semper vexat, Venetos traxit ad arma; eisque potissimum animos addidit Sixti IV. Pontificis malesanus amor in suos, quippe Hieronymi Riarii, seu filii, seu nepotis, violentis consiliis abstractus, ipse quoque Venetis se adjunxit: quod facinus serâ deinde poenitentiâ emendare non potuit. Nemo est inter Principes bellandi ac amplificandi Regni avidos, qui armis vel injuste captis aliquam justam caussam semper non obtendat & fingat. Sed sapientum est, animo a partium studiis alieno veras rerum caussas intime perscrutari, neque sinere sibi fucum fieri. Opportune ergo ad illud bellum describendum, quod in tres annos pertractum est, & Estensibus Principibus perniciosissimum fuit, ejusque originem nobis edisserendam, nunc accedat *Petrus Cyrnaeus*. Multa sunt, quae ejus fidem nobis commendant. Neque enim Ferrariensis, aut Ferrariae Ducum servitio addictus fuit, sed Aleriensis Civis, hoc est Aleriae in Corsica natus. Testis autem ipse est, se Venetiis immoratum, quum armis ista agerentur, ibique audiisse multa, quae heic referuntur. Ceterum non mediocris eloquentia Cyrnaeo fuit, ut certe sperem, Opusculum ejus, nunc primum per me editum, non minus eruditionis quam delectationis allaturum legentibus. Ejus antiquum exemplum manu exaratum Estensis Bibliotheca possidet, unde ego descripsi. Alterum memini me olim conspexisse in celebri Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi, quo tempore nullum Collectionis hujus consilium mihi animo obversabatur. Ceterum quis fuerit *Petrus Cyrnaeus*, e subsequenti Praefatione in ejus Historiam *de rebus Corsicis* luculentius perspicies.

PETRI CYRNÆI CLERICI ALERIENSIS DE BELLO FERRARIENSI

LIBER INCIPIT.

A SI plerique rerum Scriptores multa volverunt volumina, ut meram in partem sui operis veritatem insererent, & libere loquendo posteris suis scriptis proficerent, quanto magis ego, qui fere omnia, quum Venetiis essem, vidi, aut acta verissime percepi, scribere possum? Liceat igitur præfari mihi, bellum maxime memorabile, quod Veneti Roberto Severinate Duce cum Hercule Estense Ferrariæ Duce gessere, me scripturum. Causis, cur Veneti id bellum gesserint, quæque ante bellum facta fueriut, paucis quam verissime potero expositis, bellum aggrediar.

B Veneti igitur (Marcus enim Antonius Sabellicus rerum Venetarum Scriptor paulo liberius, ne dicam assentatorie, & scurriliter scripsit, à quo pluribus in locis dissentio: Abhorreo enim ab omni assentatione, quæ profecto minime digna est homine ingenuo. Nominandus autem non est Religiosus quidam, qui sua barbarie notissimis mendaciis omnia confundit, si modo possit quidpiam inde lucrari) Veneti, inquam, ægre ferebant, Herculem Eleonoram Ferdinandi Apuliæ Regis filiam uxorem duxisse. Sæpissime audivi à primoribus Patrum, Eleonoram, ex qua Hercules liberos susceperat, causam esse hujus belli, quod filia esset Regis Ferdinandi, quem mutuo habere odio existimabantur. C Hercules, qui intuebatur eorum animum à se alienum, eis morem gerere, ac omnia agere, ne umquam justam causam sibi belli inferendi haberent. Et non solum passus est umquam à suis subditis fœdera violari; insuper aliquot rustici, qui salem, qui à natura fit apud Comaclum, collegerunt, per Hieronymum Sylvetrum eo ad id missum, quæstioni subjecti puniti sunt. Ad hæc publicanis querentibus, se nihil vectigalis exigere posse, quod omnes mercatores fere dicerent se Venetos esse, quum id falsum esset, imperavit, sinerent omnes, qui sive jurejurando, sive aliquo alio modo se D Venetos esse probarent, immunes transire. Quod quum animadversum esset, multi è Ferrariensi agro rustici immunitatis literas à Veneto Magistratu impetravere, quos omnes sivit immunes. At Veneti tria in ejus imperio erexerunt Castella: unum mille passus supra Sitarium; locus est sic dictus in altera Athesis ripa: ad Sitarium enim sunt confinia agri Patavini, & Rhodigii Oppidi Herculis. Alia duo inter caput Aggeris, & Rhodigium supra domos ædificatas à Sylvetris Civibus Rhodigii. Unum cis, alterum trans Athesim medium. Quo in loco exierunt ex finibus suis, & ingressi sunt intra fines Herculis tria millia passuum. Ad Sitarium vero mille passus. Novissime miserunt Veneti Johannem Victorem Contarenum in Magistratum, quem Vicedominum appellant, qui Venetis Ferrariæ reddit jus; qui in suo Magistratu præter alia à se patrata Clerum cœpit vexare. Traxit enim ad suum tribunal Augustinum Nigrum Clericum, reum minus quatuor nummûm aureorum, in quem tulit sententiam, inhibente Donato Marinello Aretino Bartholomæi Ruverini Episcopi Ferrariensis Vicario, ac dicente, ad se Judicem Ecclesiasticum Clericos judicare pertinere, non autem ad Venetum Magistratum. Quod si non crederet, Augustinum Clericum esse, legeret sui initiatus, ac Clericatus literas. Quas quum accepisset Contarenus, non solum eas noluit reddere, sed insuper Clericum in carcerem conjecit. Vicarius eum orare, ne tali ignominia afficiat Clerum Ferrariensem, liberet Clericum suum; Contarenus negare se velle; Vicarius pluribus admonitionibus factis, tandem ei aqua & igni interdixit. Quod quum Contarenus audisset, ad Herculem advolat. *Enim vero Dux male facis*, inquit, *quod permittis me ab Antistitis Vicario gravi contumelia affectum quasi impium Christiano cœtu excludi*. Se id primum scisse, ac nihil aliud posse, respondit Hercules. Contarenus inquit: *per corpus Dei ego discedam*. Hercules nil aliud respondit, nisi portas esse apertas. Ille conscendit equum, seque Venetias confert, relicto Antonio Franciscò Patavino cognomento *Doctore*, qui gereret partes suas, ac Johanne Nicola Castellano Veronensi Scriba. At Hercules misit Franciscum Ariostum, qui oraret eum, ne abiret, ne tam repentinum consilium capesceret; reverteretur: se daturum operam, ut rem componat. Sed ille consequi id non potuit.

Jam Veneti justas belli inferendi causas se habere putabant. Quare tota Venetorum Civitas ardere ad bellum videbatur. Qui Vicarius Contarenum Venetias est sequutus, ostensurus se jure Contareno interdixisse. Cui responsum est, nisi Veneti essent humanissimi, eum tortum capite introrsum sub terram detruderent, quandoquidem ausus esset Veneto Magistratui maledicere. Quod non evaderet, nisi ocius è finibus exiret. Et Hercules Venetias misit unum, & alterum, ac tertium Oratores; Albertum Cortesium, cui decedenti Johannes Roselius successit. Demum Armanus Nobilis multa cum Senatu Herculis nomine egit, ut amoveret bellum, quod ingruebat, pollicebaturque Herculem omnia justa facturum, & eum semper fœdera sancte observaturum. Ne sumant

mant bellum cum eo, à quo nullam injuriam accepissent. Moderentur omnia summa prudentia. Sed jussus est abire. Percusserant enim fœdus cum Sixto Summo Pontifice, qui nimium suos amavit, contribuens eis divina & humana, & cum Hieronymo Riario Comite, cujus consilio etiam arduis in rebus Pontifex utebatur. Venerat enim Hieronymus Venetias unà cum uxore octo mensibus, antequam bellum indicerent, quem affecerunt maximis honoribus ac muneribus. Conjunctis igitur ad bellandum animis cum Genuensibus, & Guilielmo Montisferrati Principe, ac Rubeis Parmensibus, Patritii ipsi uno ore apud multitudinem, quæ ferme regenti est similis, hæc ajebant: *Permittitur parentibus cum ab humano, tum à divino jure, filios ingratos abdicare: neque injustius quicquam perpetrari potest, quam scelestos non modo non arguere, verum etiam non pœna afficere. Quid denique nobis restat, postquam ab Hercule isto sinamus nos deludi? Quid fœdius, quid injustius committere potest filius, quam parentes à jure paterno expellere? Majores nostri Ferrariæ Marchionibus favebant: Venetorum jussis, ut parentibus, illi semper paruerunt. Neque aliquid tam arduum Borsio Duci illi à nobis injungi potuit, quin ipse ocius dicto perageret. At iste Hercules omnium hominum ingratissimus, quem nos ipsi in Ducatum nostris copiis, ac pecuniis collocavimus, non modo nobis non obtemperare vult, (ecquid injustum ei à nobis imponebatur?) sed omne fœdus, omnes leges, omnem amicitiam frangere maluit, quam nobis adhærere. Quid Hercules iste homo omnium pessimus amplius in nos patrare potest? Super Padi ripam contra fœdus ædificavit. Salem fecit. Cives Venetos vexavit. Quid? nonne Magistratum nostrum contra jus & fas extinxit, eumque e Ferraria fœdissime expulit? In nostrum denique Ducatum irruit. At saltem nostras immunitates non fregisset. Quoties bona nostra rapuit? Cur Filiam Regis Ferdinandi uxorem cepit? Neque eum puduit in nos proditiones struxisse. Quotiens nos è terra delere conatus est? Quis umquam facinora istius Herculis enumerare posset? Injuriæ istius hominis in nos toti orbi notæ sunt. Quid igitur stamus? Nonne videmus quanta mala cervicibus nostris immineant? Ne sinamus ut nobis oculos eruat. Nobis classis validissima non de.st. Copiæ sunt, arma, viri, equi; commeatus juvant, juvabuntque: in arte militari peritissimos ductores, imperatoresque habemus. Quis nobis est pecuniosior? Facile est tyrannum ab omnibus suis Civibus invisum exstirpare. Huncine sui satellites, & in nos conjurati è manibus nostris eripient? Qui bella duodeviginti annos cum illo Othomano Turcorum Imperatore, & cum fere tota Italia gessimus, in Italia bellum geremus, in sede ac solo nostro. Omnia circum plena Civium, amicorum, & subditorum sunt. Ubi sunt ei copiæ? ubi duces? ne cymbam quidem habet. Pereat ergo iste ferus parricida, omnium legum ruptor, profanator, qui ordinem confudit, regnum temeravit; corrupit quidquid erat religionis; quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ perdidit, & confudit. Malum quod capitibus nostris suis deceptionibus, insidiis, proditionibus impendebat, in ejus caput impellamus.*

Hæc palam concionabundi in dies magis incitabant in Herculem hominum iras. Paratis igitur omnibus rebus ad bellum gerendum, copiisque ad hostem invadendum missis,

A Anno salutis Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Secundo, V. Nonas Majas Johannes Mocenicus Dux ex Senatusconsulto bellum Herculi Estensi Ferrariæ Duci, suisque subditis per præconem indicit. Copiæ, quas trajecerant, quibus Christophorus Mula præerat, hostem indefensum aggrediuntur; agrum Ferrariensem diripiunt; ferro, & igni vastant, nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset. Adriam, à qua Urbe etiam mare superum Adriaticum dictum, cadente Dominico Erizo artis navigandi peritissimo, Venetisque maxime carissimo, capiunt; neque sexui, neque ætati parcunt. At Hercules Ferrariæ Dux, auditis his,

B tria lignea super Padum ædificavit Castella: ad locum, quem Pilosellam vocant, præsidium imposuit, cui Johannes Bentivolus Bononiensium Princeps, artis militaris haud imperitus, præerat, qui adventante Venetorum validissima classe (erant enim triremes, biremes, naves turritæ, cymbæ, scaphæ, & fere omnia genera navigii, quæ per Padum navigare possunt) suos ad fortiter faciendum hortatur. At Veneti velo pleno, & remigantes, in Castella impetum faciunt. Clamor utrimque exoritur: tela undique volant. Sed unum ex Castellis ex bombardarum pulvere parum apte administrato inflammatur. Milites in fluvium prosiliunt, ad ripam natando

C confugiunt. Venetus Castellis potitur. Johannes vectus equo fugam capit; sed postquam videt hostes se minime sequi, nuntium ad Damianum Maurum classis Ducem misit: *Enimvero*, inquit, *hæc immanitas neque tempore Gothorum* (figebant enim natantes, & hastis submergebant) *in Italia acta est*. Se habere viros cum Turcis assuetos, Venetus Dux respondit.

Quum hæc non valde procul à Ferraria gererentur, Robertus Severinas Venetorum Imperator multis cratibus ac fascibus palude, quæ est prope fluvium, cui Tartaro est nomen, munita, ex agro Veronensi digrediens copias trajecit suas, in Ferrariensemque

D pridie Calendas Majas cum Antonio Laurentano, qui Legatus ei est datus, irruit. Hic est vir haud dubie dignus omni bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens: præcipua ei semper fuit fidelitas. Agrum, Villas more Italo populatur, Melariamque, ac Castrumnovum in deditionem accipit; inde ad Ficarolum venit. Arx est super Padi ripam munita: in altera contra est Stellata arx. Comparatis omnibus, quæ usui erant, ad Ficarolum expugnandum castra posuit. Interea Ravennates, Johanne Antonio Candola, Nicolao Sicco Venetorum ductoribus (ad quatuor enim millia armatorum equitum, peditumque fuere) Bagnaca-

E vallum, quod Oppidum à Ravenna duodecim millibus passuum distat, adoriuntur. Oppidani arma capiunt, ad Portam Molinam eunt, cohortantes inter se, aut in Porta cadendum esse, aut conjuges, liberos, patriam, seque defendendos. Et jam Venetus non solum munitiones transcenderat, sed maximam pontis partem, qui est ante Portam, occupaverat. Hic vero prœlium atrocissimum oritur. Jam non missilibus pugna cluditur, sed cominus gladiis conseruntur manus. Pes pedi adhæret: innixi multi utrinque vulnera accipiunt. Oppidani jam impingebantur. Pretus

Tre-

Trebechus cataphractus Nicolai Sicci primipilus inter primos pugnabat, equus cujus transfixus volvit se retro, qua revolutione pars perturbantur in fossam, pars retro de ponte pelluntur. Tunc vero Oppidani elevato ponte, tribusque ex hostibus in Oppidum tractis, portam claudunt. Ravennates eodem die domum rediere. Dum Ficarolum die noctuque omnibus ferme generibus machinamentorum, tormentorumque tum terrestribus tum fluvialibus oppugnatur, Robertus Malatesta Ariminensis Princeps, alter Venetorum Imperator, cum Jacobo Medio Legato mille quingentis passuum prope Bagnacavallum in ripa Amonis fluvii (Traversaria loco nomen est) expugnaturus Oppidum castra fecit. Sed quum intellexisset, Oppidum approperato opere valde munitum esse, præsidiumque Florentinorum, cui Pascha Aretinus præerat, habere, non est ausus propius appropinquare, ne hostes erumperent; & ne tereret tempus, Fusignanum adoritur, & Oppidum expugnare conatus est. Ibi prœlium atrox gestum est, ipseque strenui Imperatoris officio, bonique militis functus est. Deinde irruit in Lugum, ante quod Oppidum cum hostibus conseruit manus.

At Hercules, quum ejus imperium in magno esse discrimine, circumdatumque à tribus partibus se videret, Populum ad concionem vocavit, eumque in hæc verba loquutum fuisse accepimus: *Si aliqua vis hostilis*, inquit, *me extorrem patria domo, inopem, & coopertum miseriis, aut deformatum ærumnis abire coëgisset, tamen Venetorum erat prohibere injuriam, neque pati quemquam per scelus crescere. Neque hiscere auderem, Cives mei amantissimi, si ea, quæ mihi à Venetis objiciuntur, patrassem. Sed gratias ago Deo meo, quandoquidem testibus egeo minime. Omnes enim Italici, & vos videtis, quanta libido, me, & vos, liberosque nostros extinguendi, eos invasit (haud mea quidem culpa) ut neque homines, neque Deum immortalem in animo habeant. Sanguinem nostrum, quam reliqua omnia malunt. Neque Majorum meorum beneficia, neque mea in eos auxiliantur. Et si fœdera rupissem, ut ipsi ajunt, equidem tantam immanitatem in me, & vos exercuisse minime decebat. Nam qui multa beneficia amicis intulit, uno tamen delicto nequaquam morte turpissima affici debet. Eratne consentaneum milites projectis armis ad ripam natantes submergere? Ubi umquam feminæ truncatæ sunt? ubi affectæ omni probro? O beatas animas, quorum cerebris Veneti patrios parietes, quum in cunabulis essetis, ante ora parentum vestrorum polluerunt! O feroces animos! o crudeles cogitationes! o derelictos homines ab humanitate! Nequeo verbis consequi indignitatem rei. Sinemus nos, Viri fortissimi, ab istis barbaris veluti pecora trucidari? Quas leges rupi? Imo ipsi libidine dominandi fregerunt. Qua causa meis Majoribus bellum intulerunt? nulla enim lacessiti injuria damna infinita nostris fecerunt, qui coacti sunt aliquas pactiones facere. Tamen eas semper sancte servavi. Etsi ab Ottone piissimo Imperatore Pontificatu Johannis Romani Pontificis Caputaggeris Oppidum accepit confinia, & ab Azone Marchione, ac Marino Marcello pro Venetis Prætore iterum assignata sunt: tamen Veneti, apud quos nihil sancti, nihil justi est, extra suos fines exierunt, in nostrumque Ducatum bifariam sunt ingressi, in quo, ut scitis, Castella fecerunt. Ecce Libri finium; legite.*

A *Bene est ducentesimus ac trigesimus secundus annus, ex quo hæc facta sunt, ut audistis. Ego igitur quas leges non colui? Utinam ipsi capiti meo malum non struxissent. In quo fui ingratus? Me in imperium collocasse exprobrant, & mea in eos beneficia minime commemorant. Superioribus annis, quando bellum cum Florentinis, ut toti Italiæ dominarentur, gesserunt, in prœlio, quod gestum est ad Molinellam in agro Bononiensi, Duce Bartholomæo Colono, milites Venetos in fugam versos quis retinuit? Hercules Estensis. Animum totius exercitus quis instauravit? Hercules. Quis sustinuit impetum Friderici illius Ducis Urbini? Hercules. Quis discessit è prœlio cum honore non solum vulneratus, sed semimor-* B *tuus? Hercules. Morte ergo mea nolo dicere signa servata esse, non exercitum. Hæc mihi sunt apud immemores. Quid? eorum exercitum & Florentinorum, qui imperatorem me delegerunt, nonne tutum servavi? Me duce nihil amiserunt. Post meum discessum (permissu enim eorum, ut mea defenderem Oppida, abii) nonne fusi sunt? nonne amissis signis fugati? quot Oppida ademta sunt eis? Quid immoror? Quis non cognoscit eos cœcos esse furore dominandi? Ego elegi Fridericum Romanorum Imperatorem, & Ludovicum Franciæ Regem in arbitros. At illi ajebant: tecum armis, non de jure disceptare volumus, appellantes me vermem. Adde, si Deus omnipotens maria omnia ad hominis usum creavit,* C *cur & nos eo, quod agrum nostrum abluit, uti non possumus? Nolunt Veneti, quia dicunt totum orbem eis deberi. Et nos semper morem eis gessimus. Magistratum ego extinxi? Imo ipsi me conati sunt; nam dedita opera Johannem Victorem Contarenum omnium furiosissimum huc miserunt, ut suam exerceret sævitiam, atque dementiam. Quis umquam narrare ejus facinora posset? quoties monitus est, ut castigaret se? Sed ipse non solum nostris consiliis acquiescere noluit, sed insuper in Clerum manus publice injecit. Veneti ergo non Pontifices Maximi esse volunt, sed Dii. Totus mundus fato nobis debetur, dictitant: Romanorum gesta superare volumus: libros de Romanis loquentes comburere. In eos, ut scitis, ni-* D *hil commisi, nihil peccavi, nihil deliqui. Hæ sunt causæ belli dolor, invidia, dominandi cupiditas: hæ sunt veræ causæ. Me uxorem Venetam ducere debuisse dicunt: ita profecto, ut nostrum potuissent occupare Ducatum, sicut nuper factum est in Cypro. Nam Jacobus Rex Venetam cepit uxorem; eo mortuo, deinde ejus posthumo extincto, Regnum occuparunt. Hæ veræ causæ, quia affinitatem Regiam inivi: invident enim mihi Uxorem Regiam. Hic est verus dolor. Jam partiti sunt nostros Magistratus inter se, ædes vestras, possessiones. Audistis opprobria? minas? Nos omnes ad unum perdere volunt. Cur & nos, o Viri mei amantissimi, eos non ulciscimur? Nonne melius est bene mori, quam turpiter vi-* E *vere? Non me fugit, nos posse istorum impetum sustinere; imo si volueritis, victoriam adipisci. Ego tamen non hortarer vos ad bellum, si istorum immanitas meo tantum capiti impenderet. Sed si crederem vos posse cum istis pace frui, paternus meus amor erga vos omnes tantus est, ut cum fratribus, liberis, uxore abirem, exiliumque perpetuum forti animo ferrem, quod & faciam si vultis. Merito unice vos amo: compescite lacrymas. Nunc resipisco, postquam vos forti animo esse video ad injuriasque propellendas paratos, meque à vobis amari. Accingimini ergo Viri, ne mancipia pessimorum servorum, ut ipsi*

com-

concupiscunt, deveniatis; nam qui non potest cupiditatibus imperare suis, minime est liber, sed atriensis pessimus Servus habetur. Cur non prius suas compescunt libidines? cur non spernunt voluptates? cur non finiunt iracundiam? cur non coercent avaritiam, insolentiam? cur non ceteras animi labes repellunt, si imperare aliis volunt? Sed hoc certo scio, eos numquam facturos. Servi igitur sunt: liber enim nemo est, nisi Sapiens; & nemo Sapiens, nisi qui recta loquitur. Scilicet liber est ille, cui mulier imperat? qui nihil imperanti negare audet? Nequissimum ego Servum istum puto appellandum. Neque mirum est si nostra affectant bona; nam superbia, avaritia, prodigalitas in eorum Civitate in dies augentur. Contendunt enim Regibus esse superiores. Imo Deo. Primos quaeritant accubitus. Quoties ante Summum Pontificem pro primo throno pugnis certant? Mille mutatoria singulis non sufficiunt. Videres mulieres eorum serico, ostro, auro oneratas, singulisque diebus eas varias vestes acu pictas mutare, ingentibus crepidis vix stare, variisque habitibus suas impudicitias ostentare. Iccirco bona nostra more sicario insectantur, quia propria victualia eis ad libidines explendas non suppetunt. Nos contra opes, liberos, & nos met defendamus: facile erit nobis istis improbis resistere. Sunt & nobis nummi, sunt amici, sunt confoederati, sunt affines, & Reges, qui non minus nostram magni faciunt salutem, quam suam; quare vestram in hostes ostendite virtutem, vosque viros esse mementote, fidelesque estote.

Postquam Dux finem loquendi fecit, Populus lacrymans fidelitatem pollicitus est, seque famem, & omnia mala, ac mortem malle pati, quam ad Venetorum servitia trahi, seque paratos esse ad omnia sui Ducis imperia. Confirmatis Civium animis, Dux quo opus erat milites praemittit. Sed Venetorum copiis validissimis, classique, quae eos fere improvisos adortae sunt, vix resistere possunt. Ubique enim Ferrarienses capiuntur, truncantur, trucidantur. Nonnullae ex biremibus Venetorum, & aliis navigiis Comaclum navigaverunt, pagumque in paludibus positum ceperunt. Nam quum in ostium velis plenis intrassent, quidam Comacliensis Venetos alloquutus est, eosque docuit, ut scaphas, quae forte illic aderant, velis instruant, ad pagum vento secundo advolent; convicaneos timere. Monita Veneti perficiunt. Postquam praesidium ab eodem proditore hostium classem adventare intellexit, & quia hostium crudelitatem audierant, pertiment. Quum vela à longe ordine venientia conspiciunt (erant enim multa) pagum deserunt, fugae se dedunt. Comaclo sine certamine potiuntur Veneti; ubique superiores sunt; neque audebant Ferrarienses cum hoste confligere; intra muros se continebant; timebant enim barbarorum saevitiam, ac feritatem. Habebant enim Veneti in eorum classe Illyricos, Dalmatas, Epirotas, Graecos, Sarmatas, Scythas, & alias barbaras nationes. Hi adeo in Ferrarienses immanitatem exercebant, ut Veneti ipsi aegre ferrent eorum mores. Dicere auditi, se miserari hostes, quod unius foeminae causa in tanta inciderint mala. *Eat nunc Hercules, contrahat matrimonium cum filia Regis Neapolitani. Videat nunc, quam fuisset melius ei Venetam ducere uxorem; quod si fecisset, numquam dominatum suum amisisset, quo, & vita brevi privabitur.*

A Quum haec in Ferrarienses aguntur, Fridericus Urbini Dux cum aliquot copiis ad Stellatam venit; ne Veneti suas ultra Padum trajiciant prohibet: Ficarolum, quod oppugnabatur, quantum potest, juvat. Sed vix potest ob validam Venetorum classem. Et Robertus praeter alia loca Padi, quae hostibus clauserat, loca ea, quae supra castra erant, classis parte occupavit ad opprimendas novem ex quinque & viginti navibus, quas Galeones appellant, ab Urbini Duce accersitas. Constabat enim, naves ea se Mediolano missas Hostiliam pervenisse, ex quibus quum quinque ad Venetae stationi proximam Insulam pervenissent, quadringenti B navibus egressi, ut aliquantulum aestu corpora levarent, sub arborum umbra temere in herbido se se prostravere. Venetus in tali occasione haud cessavit; ad eos silentio navigavit adversa Insulae parte, ac hostem incautum, ac semisomnem adoriuntur. Illi vero perculsi malo inopinato, neque arma capere, neque se satis ad fugam expedire. Tamdem urgente metu ad naves confugere, quibus trepide solutis in tutum abiere. Una tamen navis, & circiter septuaginta capti, quos quum Robertus Mediolanenses esse cognovit, benignissime eos accepit, vestibus, ac viatico non solum juvit, sed etiam dimisit. Eamque navem Venetias missam C non sine stupore conspiciebant; erat enim valde fortior, ac robustior turritis Venetorum navibus. Habebant enim naves Venetae turritae super navigium aedificium in modum turris duorum tabulatorum cum propugnaculis, ac pinnis. Sed haec super duo navigia, duobus passibus distantia, Turrim quoque coopertam in modum aedium cum fenestris, ubi consistebant propugnatores, roboribus, ac lignis crassis, ac pontem, quem catenis elevabant, quo ibatur ab altera in alteram navim, habebat.

Ad haec coeperant Veneti Castellum magnis munitionibus, multisque confirmare tormentis, quingentos infra Ficarolum passus, ubi scinditur Padus in fronte Insulae, D quam faciunt fluminis divortia. Ut fluvius dexter, quo Ferrariam ex Stellata navigatur, hostibus clauderetur, Antonius Marcianus Comes, Bartholomaeus Falcerius ductores, Thomas Imolanus cum duabus peditum cohortibus, & magna vi agrestium, ac magna parte classis commissi sunt. At Hercules cohortando suos eo advolat, & quum in hostium conspectum pervenisset, classiariosque & remiges vidisset. *Isti sunt*, inquit, *quibus tanta aviditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. Isti sunt, qui caede nostrorum Civium saginati, qui nostros cruciabiliter interfecerunt. Ulciscite nostros;* E *imitamini me Ducem vestrum.* Ita dicens, inter primos in hostem infensissimum fertur; strenui Imperatoris officio, & boni militis fungitur. Antonius quoque Marcianus Comes suos cohortatus, ut locum jam praevallatum, ac se fortiter tuerentur, hostem magno numero classiariorum, ac remigum fortiter dimicans repellebat; sed parum profecit. Victus enim, cum Falcerio ac multis militibus in hostis potestatem venit. Tunc vero classiarius, & rem extimere & in naves refugere coeperunt; & Ferrariensis eis infensissimus tum eorum crudelitate, tum

quia

quia in se superba ac spurca proferebant, eos acrius perturbatos insequitur, ac trucidat. Illi scaphas rapere, navesque à terra repellere properabant: alii magno cursu incitati suos in ripa trepidantes in fluvium perturbant; alii suorummet terga fugam impedientium cædunt; alii in navigia se recipiebant, & quum neque administrandi, neque repellendi à terra facultas daretur, è navigiis se ejiciebant. Imperitos nandi, aut invalidos, gravatos loricis aliisque tegumentis, hausere gurgites: alia navigia multitudine hominum, atque onere depressa, alia cum hominibus ipsis interierunt, pauci elevatis scutis, projectisque armis ad proxima navigia, quæ jam adventabant, à Veneto Duce subsidio missa adnatarunt. Thomas cum parte peditum Mauri accursu ægre servatus est. Naves vacuæ flumine secundo labentes Ferrariæ victoriam significavere. Hercules parta victoria locum communire perrexit, validoque præsidio firmavit.

Quum hæc in Cisalpina Gallia agerentur, Ferdinandus Aragonius Apuliæ Rex, audiens Herculis sui generi imperium magno in discrimine esse, Alfonsum suum filium, Calabriæ Ducem, cum copiis Herculi subsidio misit. Ille paret; sed ei à Sixto Summo Pontifice transitus negatus est. Hieronymus enim Comes cum multis copiis ne transiret obsistebat. Alfonsus vero Dux quum tantam videret indignitatem, inquit: *Hæccine est injustitia, beatissime Pater, ut sororio meo, nepotibus, sorori auxilium præbeam?* Deinde Urbes, & Oppida Romana aggreditur, pleræque Civitates; & Oppida præcipue Terracina, & Marinum in ipsius potestatem partim per deditionem, partim vi devenerunt. Populabundus Romam ipsam postea petiit, Urbem ipsam obsidione cingit, litoraque Romana regia classe exagitabantur; Cives Romani adversus Pontificem in seditionem instigabantur; Urbs commeatibus intercludebatur; prohibiti transitu illi, qui Romam ex omni orbis terrarum natione accedere consueverunt. Quum hæc Romæ aguntur, Constantius Pisauri Princeps Florentinorum Imperator (erat enim in eodem fœdere Ferdinandus Rex, Johannes Mediolanensis Dux, Florentini, & Hercules Dux) in Umbriam venit. Tiphernum, quam urbem Civitatem Castelli appellant, in deditionem una cum Nicolao Vitellio, qui superioribus annis quam factiosus erat, & multos occiderat concives, pulsus à summo Pontifice in exilium fuerat, accepit; nec non alia Oppida populans circa Thrasumenum Lacum. At Veneti Victorem Superantium classis maritimæ Ducem in Apuliam, ut petiit summus Pontifex, miserunt. Habebat autem Victor classem validissimam triremium, biremium, naviumque magnarum ferme octoginta, milite, equitibusque, quos Stratiotas vocabulo Græco appellant, instructam, quæ vexilla Pontificia portans totam maritimam oram ab Aprutio Brundusium usque excurrens, ferro & igni omnia vastando depopulata est. Quum hæc in Apulia aguntur, Veneti, qui Ficarolum classe, & milite obsidione cinxerant, tamdem expugnaverunt. Carpebat enim suos Duces Civitas Veneta, quod tamdiu apud Ficarolum, quod quinquagesimum jam diem oppugnassent, sederent, Quid eos esse facturos apud Ferrariam, si non unam arcem expugnarent? Robertus igitur moræ impatiens milites curare corpora jubet: adoriuntur locum; dejectis enim muris machinamentis . . . . quamquam Veneti sæpe pontem jacere conati sunt, tamen ad III. Cal. Julias noctu navigiis coopertis (Barbottas appellant) pontem ruinæ adfixerunt. Præsidium super pontem exeunt. Fugiunt Veneti; deinde copiæ superveniunt; ruunt in Ferrarienses: illi recipiunt se in vallum, & iterum exeunt. At Veneti in eos impetum faciunt; turmatim omnes in vallum intrant. Veneti (erat enim luna pernox) loco potiuntur, continuoque arcem solo æquatam irrequieto opere restituunt. Etsi multi mortales ex Venetis partim ferro, partim morbo, partim aquis perierunt circa Ficarolum, ea tamen nocte nemo nisi unus ex Ferrariensibus mortuus est. Ingens gaudium Venetiis fuit: prensare se ad invicem: Ferrariam esse suam, ac finem, Ficarolo expugnato, belli esse dictitabant. Campanæ omnes pulsabantur; super turribus facibus luminaria aliquot vesperis agitabant. Ex Patritiis alii munia publica, alii Sacerdotia Ferrariensia urbe capta suis familiaribus polliceri At Hercules, etsi dolor, ut creditur, erat ei, tamen lætitiam simulabat. Se nihil timere ajebat; & nisi fuisset proditus, nihil amisisset. Milites Ficarolum Venetis vendidisse, nec opus esse cinctum obsidione è vallo exire. Proditionis etiam argumentum esse, quia nemo nisi unus perierat; milites captivos à Venetis contra eorum naturam honoratos, ac præmiis affectos fuisse; sicque animos suorum confirmabat.

Robertus postquam suas ultra Padum trajicere copias (volebat enim Ferrariam proficisci) non poterat, quia Fridericus Dux, ut diximus, in altera Padi ripa erat, & ei resistebat, ne frustra ad Ficarolum esset, in Policinum Gasparem, cui Fracassa est cognomen, & Antonium Mariam suos filios cum Petro Marcello Legato, & parte copiarum misit. Qui Castellum Guilielmum, & Turrim Donariam stagnis circumfluam, Rhodigium, Lendinariam, & Abbatiam in deditionem acceperunt. Veneti, sicut de Ficarolo, agitabant festa. Præterea Robertum Malatestam à summo Pontifice petitum Romam cum duabus turmis, & Petrum Diedum Legatum multis cum nummis miserunt, ut militem mercenarium passim contraheret; Franciscoque Diedo, qui Oratoris munere apud Pontificem fungebatur, mandaverant, ut Romæ militem suo nomine conduceret. Summus enim Pontifex non audebat suas in hostem mittere copias; etsi eas florentes, multosque claros, & illustres viros in castris habebat, intra tamen Urbis mœnia se continebant, veriti ne Populus, si castra extra Urbem metati essent, aliquam domi seditionem moveret. Indignantibus, expostulantibusque Romanis, quod Venetorum causa tot mala ac damna paterentur, & quod Pontifex esset adeo facilis, ut sineret Hieronymum Comitem, quem Veneti in Ferrariensis dominatus partem illexerant, rem domi forisque, ut ei liberet, administrare, & quod duos Romanos ex familiis nobilissimis Cardinales, Johannem Columnensem videlicet, & Johannem Baptistam Sabellum, singulari inae-

innocentia & auctoritate tamquam factiosos in Hadrianam molem impulsu Hieronymi tamquam in carcerem condidisset. *Augeat dominatum Hieronymo Pontifex alia via, non per fas, & nefas, & damnum Romanorum. Cur Hieronymo tam perdite morem gerit? cui nihil audet negare, etiamsi injustissima petat. Estne oblitus, quod Ecclesiæ acerrimi hostes fuerint Veneti in Bello Etrusco? cur prohibet transitum Alfonso? Estne officium Pontificis bella adeo injusta gerere, & eos juvare, qui contra jus & fas imperia virorum innocentissimorum occupare volunt?* His rebus animi Romanorum irritati omnia perturbabant. Solus ex Romanis Virginius Ursinus Neapoleonis filius, Pontificis, Hieronymique partes tuebatur.

Post Roberti profectionem Jacobus Medius Legatus recepit se in Ravennatium agrum, posuitque castra ad Cattinellas prope fluvium Montonis, & Mella Cortonensis Venetorum peditum Præfectus quum exisset prædatum, ab hostibus trajectus prælatus ab equo Turco (vires enim ad eum regendum deficiebant) in Bagnacavallum moribundus ex equo prolabens, à Paschate Aretino præsidii Florentini Præfecto susceptus, ac Ravennæ honorificentissime sepultus est. Et undecim cohortes, quæ cum Jacobo Legato in castris erant, Venetorum jussu Robertum Romam sequutæ sunt. Pontifex Roberti adventu lætus ei sceptrum tradidit, & vexillum, Ecclesiæque Romanæ Ducem eum delegit; militibus ut ei pareant jubet. Robora virorum lecta scripta fuerunt; eximius etiam flos juventutis duplex stipendium accepit. Ita omnes spei animorum pleni erant, & multi sine stipendio spe prædæ Robertum sequuti sunt. Dum hæc gerebantur Romæ, in Flaminia Antonius Montisferetranus Friderici Ducis Urbini filius, Galeottus Manfredus Faventiæ Princeps, & Johannes Bentivolus, Forolivium, quæ Civitas est ditionis Hieronymi Comitis aggressi sunt admotis ad muros scalis; sed repulsi sunt non solum à præsidio Hieronymi, cui Carolus Planianieni præerat, verum etiam à Veneto. Contulerant enim se eo Jacobus Medius Legatus, Johannes Antonius Candola, Nicolaus Siccus, Nicolaus Riarius ductores. Robertus Malatesta Ecclesiæ dux, postquam suas satis instructas videt copias, extra Portam Latinam XVIII. Calendas Septembris in Alfonsum hostem cum octo & quadraginta equitum cohortibus, ingentique peditum multitudine unacum Hieronymo Comite, Julio Camerini Principe, Nicola Pitiglani Comite, Virginio Ursino, Johanne Columna, Leone Montis Sicci, Jordano, Johanne Francisco Tolentinate, Renato Triultio Mediolanensi, Cæsare, & Annibale filiis Principis Camerini, Alexandro Matelicæ Principe, Laurentio Civitatis Castelli, advolat. At Alfonsus quum tantam vim in se mira pernicitate venire audiret, castris, quæ habebat in Civitatis Indivinæ territorio, relictis, præmisso Antonio Duce Melphiæ cum tentoriis & omnibus impedimentis, ad Campum mortuum, qui locus in Veliterno agro est, distatque ab Oppido septem millibus passuum contendit, illicque hostes oppertus est. Et Robertus Ecclesiasticus Imperator, non invento eo in castris, vestigia insequutus est, & visa hostium paucitate spei plenus suos ad fortiter faciendum hortatur. Faciebat enim ei animum copiarum magnitudo, quibus fretus copias ut ordine hostem aggrediantur instruit, ex duobus cohortibus unam faciens. Signa Pontificia prope Fossamveterem (erant enim vestigia castrorum, quæ illic facta fuerant aliàs) locat, quæ à tergo monticulum, à dextra sylvam, à sinistra fossam habebant. Præterea in sylva, & in fossa quæ parum profunda erat, pedites in modum alæ, equites in medio locat. Alfonsus non detrectans pugnam, priusquam educeret in aciem suos, pro concione eos laudavit, hortatusque ne multitudinem extimescant. Nihil virtuti obstare, & acuit animos eorum ad æmulandas virtutes. In cornu dextro in Fossavetere quadringentos Turcos, quos Hidrunti superiore anno domitos ad deditionem compulerat, qui postea ipsum sequuti sunt, collocavit. In sinistro prope sylvam pedites. In campo, qui medius erat, equites certare jubet. Instructis aciebus, ut dictum est, binæ equitum cohortes cum quaternis hostium, quæ binæ factæ fuerant à Roberto, ut dixi, processere in aciem; & ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato pedestres inde acies repente clamore exorto recta fronte concurrunt. Primo utrinque æquis viribus eodem ardore animorum gerebatur res. Multi utrimque cadunt, plures accipiunt vulnera, omnes strenue dimicant, alter non cedit alteri, ubique prœlium erat atrox; sed qua manus Turcorum, atrocissimum. Alfonsus ipsemet in ipsa signa Ecclesiastica irruebat, fungens non solum strenui Imperatoris, sed etiam boni militis officio. At Robertus suis laborantibus cuneo facto adesse; circa signa in Alfonsum fertur, orans suos, ne sinant hostem inferiorem numero victoriam adipisci, ne domum tali ignominia affecti revertantur. Et quum hostem nullo modo pellere loco posset, inita tamdem ratio est, ut quod viribus deerat, arte æquaretur. Jacobum Comitem cum ducentis equitibus, & mille quingentis militibus, qui hostem à tergo aggrediantur, mittit. Ille à dextra, & à tergo Alfonsinos adoritur. Clamore renovato in adversos transversosque omnes Ecclesiastici inferunt pedem. Pugna hìc asperrima insurgit; ferro ancipiti dimicatur, pes pedi adhæret; implicuere inter se acies; strages maxima fit; & jam Alfonsus circumdatur, cogebaturque in orbem pugnare. Ordines turbatos reparabat: aut omnino mori, aut locum tenere volebat. Demum multitudine hostium superante, quum rem semel inclinatam sisti non posse vidit, suadentibus suis ne fineret se capi, cederet multitudini, fuso exercitu, & uno ex signis amisso Natonam concessit. Capti fuerunt in eo prœlio Antonius Dux Melfiæ, Angelus Campibassi, Vicinus Ursinus, & circiter trecenti milites.

Robertus, quamvis victoria fuerit cruenta, tamen in Urbem Romam triumphans intravit. Pontifex de victoria Venetos certiores fecit. In Comitiis publice literæ Apostolicæ recitatæ sunt, sententia quarum hæc erat: Hieronymum, & Robertum, ut justitia volebat, victoriam adeptos fuisse. Si umquam Veneti sibi gratulati sunt, tunc mirum in mo-

modum. Neque scribi eorum gaudium potest, adeo quod quum ego in æde D. Marci essem, & Canticum Virginis Mariæ cantaretur, præ alacritate & lætitiæ plausu neque organa, neque Sacerdotes audiebantur. Videres eos gestire, alter alterum inter se prensare, Robertum ad cœlum extollere, campanæ pulsari, luminaria super turribus ponere; deinde supplicationes solemniter celebratæ sunt. Paucis diebus post Robertus Malatesta Ecclesiæ Dux fluxu ob nimium laborem (crepuerant enim sub se in prœlio tres equi) Romæ occidit. Ferunt ipsum jurasse cum Alfonso se numquam dimicaturum; nam ille quum nisi sex & viginti equitum cohortes, & paucos pedites haberet, septem tamen horas in prœlio restiterat. Eodem die Fridericus Urbini Dux morbo ac senio Ferrariæ defunctus est. Hic super omnes mortales omnibus virtutibus præditus fuit: erat enim vir prudentissimus, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate præclarus, facundissimus, libenter eleemosynas largiens inopi, inaudita Æquitate, summa Justitia, singulari fide, divina sapientia, adeo omni genere studiorum eruditus, in adversis patiens, in prosperis modestissimus, strenuissimus omnium imperator. Veneti Roberti mortem ægre tulerunt, Alfonsique virtutem & oderunt, & admirabantur, quando audivere singulos in quinos manus conseruisse.

Dum hæc gerebantur in Latio, Petrus Maria Rubeus, Venetorum partes sequutus, circa Parmam Ducis Mediolanensis opes non destiterat solicitare, & omnia infesta hostibus assiduis incursionibus reddebat. Veneti armis Rubeorum Mediolanensium res vexabant, ne illi domestico bello impliciti Herculi auxiliari possent. Rubei enim & Palavicini semper inter se fuerunt inimici. Palavicini quum apud Principem Mediolanensium plurimum valerent, Rubeos dejicere conabantur; & quum Palavicinus ejusdem cognominis, & Philippus Eustachius Arcis Portæ Jovis Præfectus, & thesaurorum Ducis custos, qui Rubeos quoque invisos habebat, essent de illis, qui Mediolanensem Rempublicam (Johannes enim Dux per ætatem regere non poterat) gubernarent, miserunt ad Petrum Mariam nomine Ducis, ut Mediolanum veniret. Ille inquit: *Libentissime tunc Mediolanum veniam, quum rem gubernari ab hominibus mihi non inimicis audivero*. Et Palavicini cœperunt excursiones facere circa Oppida Rubeorum. Rubei vero quum Palavicinorum copiæ circa Roccablancam Oppidum (Lalbarona loco nomen est) prædas agerent, adorti sunt hostes, eosque fundunt, fugantque. Multi cæsi, ac absorpti ab Padi amne sunt. Et Constantius Sfortia Pisauri Princeps, qui exercitui Ducis Mediolani præerat, adortus est Sanctum Secundum Oppidum circiter III. Nonas Februarii, antequam Veneti Duci Ferrariensi bellum indicerent, cum quatuor millibus armatorum equitum, peditumque. Petrus Maria misit Christophorum Rugerium, qui quæreret ex Constantio, duxisset ne nomine Ducis Mediolani, an Palavicinorum. Si esset missus à Duce, nihil esset quod velit obsideri; Oppidum seque traditurum in Ducis potestatem. Sin autem à Palavicinis, defensurum se, ac eos ignominia affecturos. Cui responsum est, non pertinere ad eum id quærere; veniret Mediolanum captivus Ducis. In sequenti nocte ducenti milites erumpentes ex Oppido quarta vigilia stationem, quæ excubabat quingentos fere passus ab Oppido (Villa loco nomen est) invadunt, ac sexaginta equites cataphractos ex Ducali cohorte, cui Scaramuccia præerat, in Oppidum trahunt. Mane Petrus Maria eos alloquutus, benigne omnes cum equis & armis dimisit. Et Constantius, inundantibus aquis, motis inde castris Castella ad pontem Taronis erexit. At Petrus Maria quum vidisset Mediolanensis Principis copias, quibus Sfortia ejusdem cognominis præerat, Nocetum, ac Sanctum Andream Oppida suæ ditionis occupasse, Hieronymum Collam Venetias ad opem implorandam misit. Veneti Rubeos in protectionem acceperunt, ac promiserunt se Oppida illis defensuros, neque umquam pacem cum hostibus facturos, nisi Rubeis Oppida amissa restituerentur. Rubei vero se bellaturos adversus omnes Venetorum hostes, postea quam Veneti Duci Ferrariensi bellum indixerunt. Sfortia expugnavit Caronam, & Roccablancam Oppida Rubeorum. Dum Mediolanensium Principis copiæ Sanctum Secundum Oppidum oppugnant, Petrus Maria Rubeus ad Turrim-Claram morbo implicitus vita decessit; & Mediolanensium Princeps quum videret & contra Rubeos, & contra Venetos sibi bellum gerendum esse, Rubeos ad pacem allicit & concordiam. Rubei existimantes dedecus, & perfidi hominis esse fidem datam fallere, in proposito persistebant; sed posteaquam viderunt, Oppidanos velle dedere se, & Guido ipse Petri Mariæ filius febri tertiana laboraret, seque Venetorum auxiliis exclusos (Veneti enim per hostiles terras auxilia eis mittere nequibant) obsidione fatigati cum hostibus convenerunt. Ac Guido Philippum suum filium Mediolanum obsidem misit, cui præcepit, ut ad Venetos transfugeret. Quod quum adolescens facere voluisset, retractus in carcerem conjectus est, ubi fuit duos annos. Quare misit Bernardum alium filium Venetias, qui excusaret se, ne crederent Veneti se cum hostibus concordiam fecisse, nisi coacte, & ut paululum respirare posset, & ne amitteret Oppidum. Mitterent igitur ad se Legatum, cui tradat omnia suæ ditionis Oppida, se enim fidem eis datam numquam violaturum, idque sibi certum esse, etiamsi bonis direptum iri, seque trucidatum iri ab hoste, exploratissimum habeat.

Et jam magna autumni pars exacta erat, quum Robertus Severinas Patavio morbo levatus Ficarolum in castra rediit, & multi jam convalescere cœperunt. Fuit enim æstas illa gravis; autumnus vero, qui sequutus est, longe gravior. Adeo ex iis, qui circa Ficarolum illa æstate terra & aquis, fuere ad viginti millia hominum, tum ferro, tum morbo, tum aliis casibus perierint, inter quos fuere Antonius Lauretanus Legatus, & Damianus Maurus Padanæ Classis Præfectus. Multi alii perierunt tum apud Comaclum, tum aliis in locis. Habebant enim Veneti hac æstate circiter septuaginta hominum millia in armis, sed non uno in loco; & objecerant Deiphobum Anguillarium, cui Johannes Hemus Legatus datus fuerat, Mediolanensium motibus futuris circa Ollium ab initio

tio belli. Et Hercules pluribus in locis in Padi ripa machinas æneas locaverat, quarum jactu cuncta Veneto infesta reddere, naves perforare, ac demergere cum ipsis hominibus. Non arma, non vallum, non denique munimentum ullum pesti perniciosæ resistere poterat. Quare factum est, ut Classis Veneta, etsi tormenta, machinæque omnis generis in navibus erant, navesque, & homines fere quotidie in supplementum mittebantur, maxime tamen fit diminuta. Ad octingentas enim naves tum demersas, tum ruinis Ficaroli obrutas, tum ab hostibus captas, amiserunt. Idcirco Victor Superantius maritimæ Classis Imperator jussus ex Senatusconsulto ad Ferrariam obsidendam navigare, in ostium Padi, quod Primarium nominant, classe unius & viginti triremium, duarumque biremium, ac celocium, quas Grippos appellant, circiter sexdecim instructa, & armata egregie, quarto Nonas Novembris, felicius quam discessit, intravit. Postero die exposuit quadringentos equites Stratiotas ad S. Albertum, qui triginta equites cataphractos paulo post ceperunt. Deinde conjunxerunt se Jacobo Medio Legato, qui è Flaminia ad classem venit, feceruntque castra in fluminis ripa, ubi classis religata erat: Filo loco nomen est. Erant in castris Venetis Johannes Antonius Candola, Nicolaus Siccus, Nicolaus Riarius, Ductores, virique magni nominis, & Andreas Burgensis, qui præerat ducentis militibus, & septem Centuriones. Hos aggressus est Sigismundus Estensis frater Ducis Ferrariensis cum Nicolao Corrigiano, & Hugone Severinate, duodecimque cohortibus, & circiter duobus millibus militum. At Venetus Imperator de Sigismundi adventu per captivum spe libertatis certior factus ad componenda armamenta, expediendumque remigem ac militem ad imminens certamen intentus erat, stetitque armatus ad multum diei. Quum ecce nuntius retulit, hostes stationem, quæ supra castra excubabat, adortos esse, & jam hostis in castra ruebat, incensis tabernaculis Nicolai Riarii, & Andreæ, captisque circiter ducentis. Imperator suis laborantibus subsidium mittit; habebat enim classem conjunctam castris. Ita in medio circumventi sunt Ferrarienses. A fronte enim equites cataphracti, militesque viso subsidio reclamarunt. A dextra turma tredecim triremium. A tergo Stratiotæ: A sinistra octo triremes, biremes, celocesque omnes vento secundo ascendentes hostes adoriuntur. Adeo non fortuna modo, sed ratio etiam cum Venetis stabat. Strages maxima fit, & jam funduntur Ferrarienses. Sigismundus ipse Argentam fugit: multi capiuntur. Sed Stratiotæ horrorem ipsi Imperatori fecerunt; veniebant enim ad ipsum stantem in puppi sanguinolenti ostendentes vulnera, ferentesque capita occisorum per capillos dicentes: *ecce capita eorum, quos ego truncavi*. Septimo post die Arcem Fossati Genioli jactu bombardarum muris quassatis in deditionem accepit, captivosque Venetias misit, qui die festo in forum Divi Marci descenderunt. Singuli cum singulis ex victoribus plateam lustrabant. Populus ad spectaculum magno cum gaudio venit. Hos captivos numeravi ego bis, qui fuerant sex & nonaginta, inter quos erat Nicolaus Corrigianus, & Hugo Severinas Ductores, qui omnes trusi sunt in carcerem.

A Et jam Ferrarienses non solum omnium rerum penuria, verum etiam omnibus malis, fuso Alfonso, ac Friderico tanto imperatore amisso, Herculeque eorum Duce ægrotante laborare. Et Robertus deinde Venetorum imperator, etsi sæpe vivente Friderico, & bene valente Hercule, trajicere ultra Padum suas copias conatus fuerat, audita Herculis tamen ægritudine (erat enim rumor, eum vel obiisse, vel vivere non posse) pontem super Padum jacit; copias noctu trajicit. Castellum, quod ab Hercule ad Obscurum Lacum (tria millia passuum locus ille ab Urbe distat) super fluminis ripam ædificatum fuerat (hostes enim id deseruerant) cepit, Vivariumque (Parcum appellant) depopulatus est,
B & usque ad loca suburbana pervenit. Villas subito incursu diripit, direptaque incendio absumit. Conversus inde præsidium, quod hostes, ut dixi, reliquerant, multo magis majorem aream complexus, fossa profunda, aggere, propugnaculis, ac pinnis ad hostem procul submovendum munivit, & Venetiis Ferrariæ capiundæ sive vi, sive ut Populus dederet se, magna spes erat. At Eleonora Dux, Ferdinandi Regis filia, & Herculis Ducis Uxor, ut Populum fere consternatum confirmaret, eum ad se accersiri facit, eamque sic loquutam fuisse accepimus: *Domus Estensis, Viri, ac Cives mei amantissimi, multa*
C *Secula hac in Urbe, ut scitis, justissime regnavit, quantaque humanitate Dux vir meus erga vos expositus fuerit, non ignoratis. Venetos in nos bellum atrox, quod tale in Italia etiam ab Infidelibus numquam actum est, contra jus & fas, sine ulla culpa nostra, indixisse vobis manifestum est. Ecce hostes ad muros videmus. Nos inhiant. Sinetis vos Viri captivos, (quod Deus avertat) duci? Vestras uxores, sorores, liberos trahi respicietis? Nonne præstat fortiter mori, quam tanta mala videre? Ego femina malo millies ferro extingui, quam in hostium servitutem devenire. Ita mea quidem sententia & vos facere debetis. O Viri, præclarus, & fortis non cognoscitur nisi in rebus adversis, &*
D *ille vere fortis habendus est, qui pro Patria periculis se exponit. Neque si hosti nos dederemus, liceret effugere quin aut trucidaremur, aut in servitutem traheremur. In nostris feminis & lactantibus truncatis exempla vosmet vidistis. Postquam ergo in dies rabies incrudescit, & nos sævitiam, qua in nostros usi sunt, in eos impellere debemus. Quare nunc opus est fortitudine, & fidelitate, ut vobis semper fuit. Vir meus non est (ut nonnulli ajunt) mortuus, imo convalescit in dies. Venite: eum videte, si vultis; nec deserti sumus, ut hostis affirmat, etsi fortuna nobis adversa fuit, est tamen quod bene speremus. Est enim mihi Beatrix soror Regina, ut scitis; cum Mathia Rege suo marito copias, ut nobis opituletur, parat. Hostis à tergo Pannones sentiet.*
E *Ferdinandus Hispaniæ Rex meus est consanguineus; jam validissimam pro nobis classem paravit. Johannes Dux Mediolanensis noster est affinis. Statim audietis quid ipse faciet. Alfonsus frater meus quid copiarum amisit? Omnes copias instruxit: brevi duce Deo huc ad hostes fugandos veniet. Ne credatis patrem meum Regem me ex imperio trudi velle pati. Nil ergo Viri timeatis; pristinam fortitudinem resumite: bene sperate; arma fortiter capescite; istorum impetus paucos dies sustinete. Jam naves frumento oneratæ Pisas à meo patre missæ sunt. Statim commeatu* abun-

abundabimus. Frater Alfonsus meus est jam in itinere. Pœnitebit hostem, credatis mihi, Ferrariam venisse. Scio quid loquor. Ferrariensis Populus Eleonoræ oratione confirmatus est.

Quum hæc in Ferrariensem agerentur, Ferdinandi, & Helisabet Hispaniæ Regum, nec non Italiæ Potentatuum Oratores Romam de Pontifice questum, quod bella gereret, convenerunt, & cum eo ut pacem componeret egere. Papa, auditis Legatis, & animo ad ea, quæ illi postulabant, inclinato, Principi Venetorum literas misit, quarum exemplum infrascriptum est. *Sixtus Papa IV. Dilecte Fili, salutem, & apostolicam benedictionem. Ut primum ad apicem summi Apostolatus divina ita disponente clementia, meritis licet insufficientibus, fuimus evecti, nihil præstabilius duximus, quam omni cura, omni ingenio, & industria procurare ea, quæ pacis, tum quod nihil magis officio nostro convenire arbitrabamur, qui Regis pacifici vicem gerimus, tum quod Reipublicæ Christianæ à crudelissimis barbaris violenter impetitæ, maximisque, & diuturnis cladibus afflictæ nihil salutarius videbamus. Hoc incensi studio non solum Italiam, accersitis ad nos sæpius Potentatuum Oratoribus, ad mutuam animorum conjunctionem excitavimus, sed etiam transalpinos Principes, & remotissimas nationes, missis ad id Legatis, & nuntiis nostris, monuimus, & iterum atque iterum sumus obtestati. Quod si aliquando aliquorum injuria impulit, ut præter institutum nostrum arma sumeremus, nonnisi inviti, & lacessiti, ubi spiritualia non profecissent, id fecimus, & pro libertatis Ecclesiasticæ conservatione, pro qua si opus sit vitam effundere debemus. Atque hoc quidem eo consilio gestum, ut rebus bello compositis pax optata sequeretur, quam semper animo nostro proposuimus, intimo affectu concupivimus. Quum autem præter hujusmodi desiderium nostrum superioribus mensibus Italia, cooperante humanæ pacis inimico, in periculosum & grave bellum inciderit, eoque processerit furor bellicus, ut nos quoque merito causa tua lacessiti pluribus damnis, & incommodis affecti fuerimus, plerasque Civitates nostras, & Oppida amiserimus, Urbem Romanam obsidione cinctam viderimus, Agrum fere totum depopulatum, Cives ad seditionem adversus nos instigatos, litora infesta classe exagitata, interclusam commeatibus Civitatem, probibitos transitu eos qui Romam ex omni orbis terrarum natione accedere consueverunt, quo Romana Curia dissolveretur, interceptos tam venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quam aliorum Prælatorum Ecclesiasticos proventus, Domicellos plerosque nostros aperta rebellione hostilia omnia in nos perpetrare, Ferrariam insignem Ecclesiæ Civitatem in manifesto periculo constitutam, universam Italiam intestino inter se bello conflagrantem. Atque hæc omnia carissimi in Christo Filii Ferdinandus, & Helisabet, sapientissimi, ac pientissimi Castellæ Reges considerantes, animoque metientes quam luctuosæ rebus Christianis, quam perniciosæ Apostolicæ Sedi, quam periculosæ Fidei Catholicæ essent hujusmodi perturbationes, maxime propter schisma, quod in Ecclesia à nonnullis jam procurabatur, pio zelo ducti universalis concordiæ miserint ad nos humiliter pro pace supplicatum, idem ipsi Fratres nostri, Populus Romanus, idem aliæ Ecclesiasticæ Civitates, idem reliqui Italiæ Potentatus summis precibus postulaverint, rogaverint: Duximus eorum honestissimo desiderio annuendum, præcipue quum ad priscum institutum, & naturam nostram paranda, conservandæ pacis hoc accedat, atque in ea inciderimus tempora, in quibus nihil magis expetendum, nihil magis necessarium sit, quam Italiam inter se consentientem habere, ab armis discedere, capta hinc inde restituere, odia & simultates deponere, in mutua tranquillitate conquiescere, si vere Christiani esse volumus, si libertatem, si fortunas, si Dei cultum, & Religionem, qua nihil nobis carius esse debet, adversus immanissimam Turcorum gentem excidio Italiæ imminentem tueri, & protegere desideramus. Quam ob rem quum persuadeamus nobis & Te, & inclytam Rempublicam tuam ab hoc communi bono non abhorrere, quippe quæ omni tempore pacem dilexerit, & omnes discordiarum causas de medio tollere studueritis, hortamur Te paterno affectu, ut postquam reliqui omnes in mutua quiete nobiscum conjungi cupiunt & postulant, velis & Tu ad hanc sanctam & optabilem unitatem accedere, ab armis discedere, capta restituere, res Ferrarienses omittere, neque amplius bello & obsidione Civitatem illam nostram urgere. Quod profecto non solum summa sapientia tua dignum erit, qui considerare potes, quo in discrimine Italia omnis versetur, sed ita tibi erit honorificum, & gloriosum, ut immortalem laudem apud omnes sis consequuturus. Siquidem offerimus nos Excellentiæ Tuæ in justitia promte & expedite non defuturos, si quid habes, quod de Duce illo conqueraris. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI. Decembris 1482. Pontificatus nostri anno XII.*

In eamdem fere sententiam scripsere Cardinales, rogantes ut ad pacem communem veniat, cupiditatis dominandi suspicionem fugiat. Literis publice recitatis respondit, sibi bellum, & hostem mœnibus obsessum persequi statutum, ac fixum esse. Pontifex autem, postquam eos pluribus literis admonuit, & quum ipsi nollent desistere à proposito, tamdem interdixit eis aqua & igni. Percusso igitur fœdere inter Pontificem, & Ferdinandum Apuliæ Regem, & Johannem Mediolani Ducem, & Herculem Ferrariæ Ducem, & Florentinos, Alfonsum Calabriæ Ducem adversus hostes miserunt. Ille habita Papæ benedictione Ferrariam venit, cujus fama nihilo minor apud hostes erat, quam apud Cives, sociosque, & divinatio quædam futuri. *Hiccine, cujus exercitus singuli in quinos manum conseruerunt? si parem nobis habebit exercitum quid faciet? bellicosum virum, acrem, & ferocem Ferrariam venisse, qui vel in pace tranquilla bellum excitare posset, nedum in bello respirare nos foret passurus.* Post Alfonsi adventum Veneti, qui in Vivario non multum longe à Ferraria castra habebant, hyememque frigidissimam sub storiis Venetiis eo missis perferebant, omnia in Ferrarienses facere conabantur. Quædam enim prœlia circa Urbem utrinque per occasionem commissa, hostisque in Vivarium ipsum irruit, & cæde edita in Urbem reversus est. Et ad Victorem Superantium scripserunt, qui castra, classemque ad S. Blasium, ubi in utraque ripa Castella fecerat, parumque una cum copiis, quas penes se habebat, proficiebat, Dominicum Leonem Comacli Prætorem occultos nuntios ad Johannem Antonium Vigintimillia Herculis Ductorem misisse, vellet ne eis Massam tradere, illumque etiam

transfugere ad eos promisisse. Mitteret igitur eo copias. Abhorrebat ab hoc concilio imperator ipse, Stratiotam, populumque navalem avidum prædæ non esse mittendum longius à classe, qui si etiam minimam rem cepisset, amitteret potius vitam, quam prædam. Neque scit arma expedire, si hostes eum gravatum præda aggrediantur. Sed Michaël Salomen Legatus instabant; parendum esse ei tanto Senatus consensui, eo maxime quia fides per nuntios erat facta, compositusque rei gerendæ modus. Ita cum septem centurionibus omni manu militum, triremiumque Præfectorum aliquot, ac magna parte Stratiotarum, sociorumque navalium ad Massam noctu contendit; præsidium fugant, Petrum Andream Gentilem Corsum Coinsulanum meum præsidii præfectum, qui Florentinis militabat, capiunt. Elati hac victoria, dilapsi ad prædam agmine ruunt. Et ecce vident equites citato gradu ad se venientes. At Veneti, ne tentato quidem certamine, quum cæci in fugam ruerent, alii cæsi, alii ab fluctibus absorpti (prosiliebant enim, quum hyems esset, in limum, & in paludem) timentes eas pœnas, quibus ipsi Ferrarienses affecerant. Michaël ipse Legatus ad classem celeri fuga se recepit. Septingenti capti cum vexillo fuerunt, armis tantum spoliati, Ferrariamque ducti fuerunt; ante Ducum Ferrariæ, Calabriæque conspectum præsentantur. Feminæ ad forum conveniunt dicentes: *Trade nobis, optime Dux, barbaros, ut referre possimus merita, expilantes illis barbam.* Separatis igitur militibus Latinis à nautis, & Stratiotis, Alfonsus Dux inquit: *Quamquam vos milites nostri hostes estis, tamen quia bella more Italico gessistis, vos haud odio habeo, beneque, si aliquando à nobis capiemini, tractabimini. At vos remiges, & Stratiotæ, quandoquidem vestra acta sunt barbara, ut habetis ora, nihil pensitantes juste an injuste agatis, feminæ, & sugentes ubera, sanguine quorum parietes & cunabula madefecistis, nonne jure jacerent in vos spicula. Decetne vos velut feras bestias per agros vagari, & laniare, & trucidare quodcumque obvium detur? Si ergo, nisi morem mutaveritis, aliquando capiemini, palo vos affigam more Turcorum, quos imitari dicitis. Abite: vobis vitam donamus.* Hercules Dux subjunxit: *Ferrariam capere volebatis? capite etiam Castellum vetus.* Et ejus jussu iter habuerunt per mediam arcem: deinde eis panem tribuit; postridie manumittit omnes. Illi in castra contendunt. At Robertus existimans hostes esse, instruebat acies; sed cognita re eos lembis ad classem transportari jussit.

Postquam Veneti nihil ferme sibi prosperum post Alfonsi adventum, Herculique recuperatam valetudinem, esse vident (classes enim in dies imminuebantur, quod eas hostis aggrediebatur, & Comaclum armis spoliaverat, desertumque reliquerat, & Antonium Justinianum classis, quæ erat prope Ficarolum, Præfectum ceperat) captivos, quos habebant, præter principes, dimiserunt. Ferrarienses enim omnes, nisi esset Patritius, aut aliis præesset, dimittebant. Neque magis aliud belli tempus fuit, quo Veneti magis in ancipiti variis casibus immixti spe ac metu fuerint. Res prosperæ, & adversæ luctum, & lætitiam miscuerant; nam sicut Ficarolum

A captum gaudio fuit, ita dolori, quod non possent id tenere sine maximo damno ac dispendio. Et Comaclum spoliatum, & Pontifex haud satis opportuno tempore hostis factus; & ut ad mœnia Ferrariæ nullo prohibente se pervenisse in maxima gloria ponebant, ita pigebat irriti incœpti, pudebatque adeo se spretos, ut sedentibus ipsis ad Ferrariensia mœnia, alia porta sui milites, navalesque socii, & Stratiotæ, alia Præfectus classis capti in urbem traherentur. Angebat id maxime, quod eorum exercitus, etsi instructus ad Ferrariam oppugnandam totis viribus transierit, tamen in extremam Padi ripam compulsus non tormentorum, machina-

B rumque jactu, non ullis bellicis operibus Urbi posset nocere. Quæ si antea emunita erat, nunc maxime inexpugnabilis, ducto aggere, ac factis Castellis circumcirca. Neque hostes intercludi ab Ferraria vi, aut arte ulla, nec quin erumperent, ubi vellent, prohiberi poterant. Classem maritimam, quam sperabant ad muros Ferrarienses appropinquare posse, hostesque ne in muris consisterent arcere, vel etiam in Urbem transcendere, nec propius Argentam decem millibus passuum accedere audere, amissa maxima parte classiariorum, Stratiotarumque. Nihil sibi profuisse eorum exercitum prope in portis victorem visum, quin omnia apud hostes in-

C tegra ac immobilia sint, & omnia secunda, prospera in dies lætiora ac meliora gerantur. Et Guido Rubeus Mediolanensium res vexabat, & non solum in Parmensi agro, Regiensique populationes fecit, sed mœnia Parmæ usque direptione & cæde omnia complens irruit. Pacta enim, quæ supra diximus, parum duraverunt. Venerat enim ad Rubeos Marinus Bontius Venetus Patritius Legatus, cui advenienti Guido Oppidorum claves obtulit, & Venetus Legatus omnia Oppida Venetorum nomine munivit, præsidiaque eis imposuit. Deinde ne in potestatem caderet Ludovici Sfortiæ, qui venerat in Rubeos cum validissimo exercitu, in Genuensium

D fines una cum Legato Veneto Guido ipse Rubeus, missa filia virgine habitu pauperculæ villicæ cum duabus feminis, duobusque fidelissimis familiaribus, qui incolumes Veronam pervenere, se se recepit, quem Ambrosina ejus uxor sequuta est. Remanserat enim Ambrosina Felini, quod Oppidum hostes obsidione cinxerunt, anxia ingentibus curis, & verita ne in hostium potestatem veniret, noctu vigilibus ludificatis, itinere quinque dierum cum filio parvulo, & sex familiaribus per saltus & montes asperrimos virum adepta est, qua fuga etiam pane caruit; noctu tantum incedebat, & interdiu latebat. Hostes enim obsederant vias, ut eam,

E & filiolum caperent, Oppidaque eorum, quæ fuerant quinque & viginti, armis Ludovici cessere.

Et jam principium æstatis erat, quum Robertus Severinas una cum Marco Antonio Mauroceno Legato, ac una & viginti equitum cohortibus, sexque peditum millibus, relicto præsidio ad Lacum obscurum, ponte Abduæ imposito supra Trecium, præsidioque utrimque firmato in Abduana ripa castra locavit. Sperabant enim Veneti posse mittere in administrationem Mediolanensium Status Bonam Ducem matrem Ducis Mediolani, opera

opera Ghibellinæ factionis, & Vercellini Vicecomitis Arcis Trecianæ Præfecti, & Johannem Ducem ad suum fœdus allicere, si Robertus Abduam trajecisset, quo amoverent à bello Ludovicum Sfortiam, quem audiverant exercitum duxisse in Rubeos. Serum subsidium; ceperat enim Ludovicus jam quidquid ditionis Rubeorum fuerat, ut ante dictum est, antequam Robertus Abduam trajecisset. Discurrebant per Mediolanensiū agrum Veneti milites alacres, nemini nocentes, clamantes: *imperent Johannes, & Bona Duces*. Et Venetiis palam dicebatur, fœdus ictum esse inter Venetos, & Bonam Mediolani Ducem, & Johannem ejus filium, Robertumque brevi intraturum Mediolanum. Jam dicta Alfonsi vera facta sunt; venerant enim in colloquium Alfonsus, & Robertus, & ferunt Alfonsum dixisse, futurum esse Robertum ab Ferraria discessurum sine jactu teli. Postquam Veneti Robertum ad Abduam esse perceperunt, Renatum Lotharingiæ Ducem ab eis accersitum (cui intranti urbem Venetias maximi honores impensi fuerunt; nam Johannes Dux cum suis Proceribus navi Bucinatoria obviam profectus est, & Palatium illi Marchionis paratum fuit) peractis ceremoniis Ferrariam misere: quo adventu multi ex militibus, quia & ipse parum stipendii dedit, & ejus adventum opperientes nummos meritos diu desideraverant, aufugerunt. Et ipse nulla re memorabili gesta, petitâ veniâ, in Galliam Transalpinam patriam reversus est.

At Alfonsus Mediolanum, postquam Robertum copias Abduam trajecisse audivit, profectus est. Interim Veneti Jacobum Marcellum in locum Victoris Superantii, Ducem maritimæ classis, mittunt, qui quum primum ad classem profectus est, tum quia ex sociis navalibus magna pars erant ægroti vel propter aërem, vel quia carebant rebus necessariis, quia deerant eis stipendia, Italiam magna cum Ferrariensium lætitia, & Venetorum mœstitia deseruit. Illyricum petivit; homines celeriter quantum poterat, & tardius quam erat opus, sufficiebat; neque classem instruere potuisset, nisi proscriptis ex tota Epiro, Dalmatiaque, & Histria impunitatem promisisset; adeo ad nihilum pæne turma classiaria redacta erat. Venetis enim par pari retulit Ferdinandus Rex, & sui socii. Miserunt enim Fridericum Aragonium Regis filium cum validissima classe in Venetos. Ille Anconam venit, multa damna Venetis inferens. Deinde in Illyricum, & Dalmatiam contendit. Lyssam insulam aggreditur, eam ferro, & igni pæne desolatam reddidit. Non multo post in Corcyram nigram quam Curzulam nominant, transmisit; Oppidum aggreditur, navigia quæ erant in portu, cepit, agrum vastavit, Oppidum expugnare conatus est. Ferunt eum dixisse, se nolle omnia, quæ posset, facere in Venetos ob memoriam beneficii accepti. Venerat enim Fridericus olim Venetias, & honorificentissime susceptus, tamen naves, quas poterat, capiebat. Commeatus ergo, quamquam Venetorum classis in Curzulæ portu tota hyeme fuit, pæne clausi, neque nisi cum difficultate Venetias ire poterant; nam & Ferrarienses cymbis, & scaphis in mare ruebant, & Venetorum navigia sæpe capiebant: quare annonæ caritas non solum in Venetia erat, verum in tota fere Gallia Cisalpina. Quum hæc in maritimis locis gererentur, Guido Rubeus, & Marinus Bontius Legatus Laventiam Oppidum ditionis heredum Jacobi Malespinæ Marchionis, quod Oppidum est in agro Lunensi, expugnaverunt. Erant enim heredes Jacobi in fide Principis Mediolani. Deinde aggressi Massam Oppidum expugnare conati sunt. Adventu enim Nicolæ Pitiglani Comitis Florentinorum imperatoris, qui in subsidium cum duabus & viginti cohortibus & duobus millibus peditum venit, motis castris (Rubeus enim, Venetusque septem cohortes tantum, & quingentos pedites habebant) Genuam se se receperunt, & ad Ludovicum Sfortiam ex quatuor Roberti filiis, qui cum patre in castris erant, Franciscus, & Galeatius transivere. Rei novitas patris animum defixit. Deinde Venetias misit, qui Senatui coram satisfaceret, doceretque defectionis filiorum culpam ad se nihil pertinere. Et ad Casale majus in Cremonensi bellum frequenti Oratorum sociorumque Principum conventu communi nomine in Venetos est decretum, totiusque rei imperium Friderico Gonzagæ Mantuano Principi est datum. Sed rerum gestarum gloria penes Alfonsum fuit, qui confirmatis sociis in Robertum advolat. Ille quia copiis erat ei impar, relicto præsidio cum copiis, quas habebat Ollio ad Palatiolum superato, ad Novos Urceos se recepit. Alfonsus edicto sub pœna non parva, ne quis auderet templa, domos, aut casas comburere; neque pueris, aut feminis vim inferre, in Bergomatium fines ingressus Coloniam, & Unguianum ad deditionem compulit, Treciano præsidio expugnato, inter Novos Urceos, & Quintianum Ollium trajecit. Veneti quia audiverunt hostem Pontificis, Florentinorumque copiis mirifice auctum (nam præter pedites centum equitum turmas in castris habere dicebatur) confestim omnem reliquum equitatum, quem circa Padum habebant, Roberto mittunt, & ita Venetorum exercitus auctus est, ut haberent septem & quadraginta equitum cohortes, & septem millia peditum. Ceperat interim Alfonsus quidquid Brixiensium erat inter Mellam fluvium, & Novos Urceos. Est enim non solum illud uberrimum, ac frequenter Oppidis, & Villis habitatum; & Robertus modo a fronte, modo a latere se ex improviso, ut inhiberet ejus incursus, ostendebat. Deinde relicto Antonio Scariotto Urceis ad præsidium cum trecentis equitibus, aversis itineribus ad S. Zenonem tria millia passuum à Brixia consedit. Et Zacharias Barbarus Legatus Augustino Barbadico, & Marco Antonio Mauroceno Legatis in castris cum Roberto relictis, Brixiam ad urbem præsidio opereque muniendam concessit. Et Alfonsus Mella amne superato Balneolum cepit. Quibus diebus Fridericus Gonzaga Mantuanus Princeps castra cum Alfonso contulit, & ita hostium exercitus auctus erat, ut centum triginta equitum cohortes haberet. Ita per Brixiensem agrum evagatus Alfonsus omnia Oppida citra Mellam præter Asulam Venetis ademit. Deinde ceteris in fidem receptis ad Calcinatum castra movit. At Veneti repentino gaudio, & insperato afficiuntur. Accepit enim Johannes Dux literas, Thomam Imolanum, qui peditibus præerat, Stellatam cum

cum suis copiis, & Andream Zancanum classis Padanæ Præfectum cum sociis navalibus occupasse: unam tantum Turrim seu partem arcis deesse, brevi venturam in eorum manus. Quare Dux suos ad patrias domos misit statores ante solem, victoriam ut eis nuntiarent. Sed eos frustrata est spes. Hercules enim Dux audita hostium irruptione, in eos advolat. Veneti, animis quorum nihil terribilius erat, quam ipsius Herculis forte oblata species, partim cæsi, partim è muris in Padum desiliebant, submergebanturque. Erant illic & nautæ; partim capti, pauci aufugere. Thomas ipse graviter vulneratus cum septem Centurionibus (Sancto enim Corsus vicinus meus à Corsis, qui Herculi militabant, in via cognitus dimissus est) Ferrariam trahitur, eoque vulnere extinctus est. Johannes vero Hemus Legatus dum suis auxilio ire properat, gestitque præ nimia lætitia, equo excussus paucis diebus post mortuus Venetias delatus est, in cujus locum Jacobus Medius suffectus, qui gravitate cœli non multo post & ipse vita decessit. In locum demortui novissime Franciscus Tronus nihilo meliore fato est missus.

Per idem tempus permutatio captivorum facta est, & qui Ferrariæ fuerunt, fateri se bene habitos fuisse ab Hercule, se non in carcerem obscurum atque horridum conditos fuisse, sed cubicula ornata habuisse; aditus ad eos apertos fuisse; ad se visendos non solum familiares, sed & Curiales, Civesque Ferrarienses singulis fere diebus venisse; cibos ex iisdem, qui mensæ Ducis apponebantur, præbitos eis fuisse; ab omnibus eo honore, quo domi suæ caruissent, affectos fuisse. At Petrus Andreas Corsus unus non est dimissus ab Venetis, conantibus ipsum primo pollicitationibus deinde minis persuadere, ut eis militaret. *Multos*, inquit, *annos cum Florentinis merui, à quibus etiam tempore pacis mihi stipendium benigne est persolutum. Nunc autem si eos tempore belli desererem, fidemque eis datam violarem, nonne sceleratus, facinorosus, nefarius sim, e conspectu hominum fugandus, ejiciendus, exterminandus? Paratus igitur sum pro eis famem & omnia mala perferre. Vel si vultis, postquam in vestra sum potestate, morte afficite me. Destinavi enim eos numquam deserere.* At Alfonsus Calcinato profectus Carpinetum cepit, inde per Mantuanos fines in Veronensem agrum venit, longe lateque in campos effusus, usque ad Urbis mœnia omnia prædæ, terrorisque complevit. Copiæ ab eo missæ Vigatium, Scalanam Insulam, & Sanguinetum in deditionem acceperunt. Processum deinde usque ad Athesis ripam, in qua hostes conspecti accolis, qui adversam ripam tenebant, tantum terroris injecere, ut cœptum sit trepidari, quasi adessent superaturi fluvium. Terror ille pervasit Vicentiam, ac Paduam usque, fugaque ingens ex agris in Urbes, locaque munitiora facta est, & ab ipsis Magistratibus delectus tumultuarii utrobique habiti sunt, ut hostibus ad Athesis ripam occurrerent, pabulaque, ne eis hostis potiretur, comburebant. Dum Alfonsus ad Villamfrancam pervenit, Robertus circa Vallegium loco eminentiore cum omnibus suis copiis consedit. Alfonsus ubi Robertum ad pugnam elici non posse vidit, in Brixiensem contendit, suumque iter ad Asulam vertit,

A quod Oppidum ad eum defecit, quo Veneti ingenti sunt affecti mœstitia, & quia munitissimum erat, & omnibus quæ necesse sunt ad bella gerenda abundabat. Et Robertus Alfonso abeunte omnibus locis ab eo captis receptis in Brixiensem reversus ad Calcinatum consedit. Quum hæc ab Alfonso gerebantur, Ludovicus Sfortia Ducis Mediolani patruus, agrum Bergomensem populabatur, trahens fere omnia in suam potestatem, inter quæ Romanum Oppidum in deditionem accepit. Veneti ergo, postquam se magno in discrimine esse vident tum in mari, tum in terra, ut homines religiosi verterunt se ad preces. Supplicationes à Sacerdotibus in templis fie- B bant, magnaque intulerunt damna in mari Adriatico, nam biremibus piraticam exercebant, & quando poterant in agrum Picenum irruebant, & aliquantulum mœstitia sunt levati. Aliquot enim ex Oppidis amissis receperunt. Bernardus interim Rillamarinus pro Rege Neapolitano tres Venetorum naves magnas mercatorias in Illyrico mari cepit. Interea in Flaminia multæ prædæ citro ultroque sunt actæ inter Ravennates, qui habebant quingentos Stratiotas, & Bagnacavallenses. Et Castellanus Civitatis Castelli Venetorum Ductor prædâ, quam non longe à Bagnacavallo Ravennam agebat, ei ademtâ, ab hostibus est interfectus. Bagnacavallenses, C qui antea maxime vexati fuerant ab Ravennatibus, usque ad Portam Adriaticam tumultuose non sine maximis Ravennatum damnis irruerunt. Et Alfonsus Asula profectus, præmissis qui Pado secundo Hostiliam veherentur, fluvium ad Castrumnovum trajicere conatus est. Robertus autem cognita ejus profectione cum expeditissimis cohortibus magnis itineribus, præmissis qui Veronenses Magistratus monerent, ut navigia non essent in mora circa Athesis ripas ad subitam profectionem, secundo Athesi vectus, pæne eodem tempore, quo hostis circa Castrum-novum pervenit, in altera- D que ripa hosti se ostendit. Fortuna Venetorum tulit ita, quod Austro flante Padus non ita facile potuerit navigari ab his, qui Hostiliam venturi erant Alfonsi jussu. Johannes vero Antonius Scariottus, qui jussu Roberti quingentos equites Cremam hybernatum ducebat, in insidias præcipitatus, amisso fere omni equitatu, cum filio evasit.

Per hæc tempora remiges, qui paucissimi erant Venetiis, recusabant ire in supplementum, & Patritii ipsi imperia præcipue ad Lacumobscurum repudiabant. Quare mulctâ denuntiatâ, aliqui de plebe verterunt solum. Et quia ingenti opus erat pecunia, si ornare vellent classes, ac exercitum, si non E majorem, saltem æqualem hosti comparare, si eum ex suis finibus pellere vellent; hominesque passim dicerent, se tributo exhaustos, nihil relinqui præter vitam, se nulla vi, nullo imperio ut dent quod non habent cogi posse: tunc demum ex Senatus-consulto edictum est, ut omnes in publicum omne argentum & aurum non signatum conferrent, sibi quisque & uxori paucos anulos, paterasque relinquant; pollicebanturque ut singulis annis perpetuo post bellum ex centum quini aurei nummi creditoribus à Republica in fœnus persolverentur. Qui vero collationem

voluntariam facerent quinque & nonaginta nummum aureorum, scriberentur ei centum. Qui vero fineret trigesimum diem praeterire, quinis aureis ex singulis centenariis mulctaretur. Ita pro se quisque aurum, argentum, signatum, & grave, ornamenta etiam feminarum in publicum conferunt, injecto tanto certamine, ut nec Magistratus accipiendo, nec Scribae referendo sufficerent. Tanta fuit ea collatio, quod nunc factis rationibus singulis annis Respublica ipsa quatuor & octoginta nummum aureorum millia in usuram persolvit. Et Rubei Venetias venerunt, à quibus benignissime accepti fuerunt. Veneti, qui erant ad Lacumobscurum, tentarunt Ferrariensem in insidiis excipere, incursantes loca suburbana. Sed Ferrariensis tam diu intra Urbis munitiones tenuit se, donec vidit Venetum recipere se in locum munitum. Tum vero in eum paucas equitum turmas misit, quae hostes distinuerunt injecto certamine per equitem levis armaturae usque ad eam partem Vivarii, quae Casajam respicit. Heic vero turbatis ordinibus Venetus in fugam est actus, praecepsque datus per fossas, aggeresque: multi fuerunt caesi, plures vulnerati; quadringenti & amplius capti, qui omnes ademtis armis, ut moris est militiae Italicae, dimissi sunt. Sebastianus Badoarius Orator ad XI. Kalend. Maji è Germania rediit re infecta; nam conati sunt Veneti, ut Fridericus Imperator, & alii Potentatus Christianitatis à Pontifice deficerent, Conciliumque ei indicerent. Nec parvo rubore ex trireme, quae ad Ferrariensem Ducem profugerat (nautis enim non persolvebatur stipendium) sunt affecti; repentinoque gaudio; Jacobus enim Marcellus maritimae classis Imperator cum tota classe in Apuliam irruit. Callipolim cepit: ipse bombarda periit. At Ferrarienses, qui erant in illa trireme, quam supra commemoravimus, in Comaclum irruerunt. Andream Marcellum Praetorem dormientem cum aliquot navigiis ceperunt, spoliatumque reliquerunt. Aliquot Turcorum biremes, quae in Agrum Picenum praedantes venerant, inventae sunt à Venetis, & amicabiliter dimissae.

At Ferdinandus Rex, audita irruptione Venetorum in suum Regnum, non modicam classem contra hostes misit. Sed Veneti audito Regiae classis adventu, relicto praesidio in Callipoli, ex Apulia discesserunt. Et Petrus Andreas Corsus tamdem à Venetis in gratiam Baptistini Fulgosii Ducis Genuensium, qui per literas id petierat, est dimissus. Alfonsus vero è Cremonensi motis repente signis in Brixiensem cum sex & triginta cohortibus, & mille peditibus irruit, fecitque castra ad Quintianum, quod Oppidum superiori aestate occupaverat. Et Robertus, qui habebat castra ad Variolam veterem, quod Oppidum abest à Quintiano tria millia passuum, veritus ne Alfonsus Manerbium proditione caperet, partem copiarum misit eo, qui direptis bonis eorum maximam Oppidanorum partem expellunt. Deinde quum intellexisset, copiarum hostium partem è castris prima vigilia exisse, existimans eos venire in se, instruxit acies, stetitque armatus. Prima luce productis è castris aciebus misit equites levis armaturae, quibus Johannes Parmensis, & Petrus Herba praeerant, ut perquirerent, struxissentne hostes insidias, an reversi essent in castra. Johannes circiter centum ex hostibus inventis, cum eis conseruit manus. Pons parvus erat medius; est enim illic amnis, quo irrigantur agri, abestque à Quintiano mille passus. Jam maxima Johannis equorum pars strati erant, quum Robertus subsidio ei succurrit, & Petrus Herba, Franciscusque Parmensis Roberti primipilus in vacuum pontem procedunt. Sed Franciscus ictus statim volvit retro pedem. Robertus transfixo sui capite equi cecinit receptui. At Alfonsus postquam sociorum copiae convenere (supra enim centum & triginta cohortes, & decemmillia peditum habere dicebatur) cum Jacobo Quarto Plombini Principe, Johanne Francisco Tolentinate, Virginio Ursino, qui summi Pontificis copiis praeerat, Nicola Pitiglani Comite, Florentinorum copiarum duce, Ludovico Sfortia, Francisco Gonzaga Principe Mantuano, (Fridericus enim ejus pater morbo implicitus decesserat) Johanne Bentivolo Bononiensium Principe, Johanne Jacobo Trivultio, qui Mediolanensium Principis copias ducebat, viris magni nominis, motis inde Castris Motellam adortus ad deditionem compulit, inde aliquot alia Oppida cepit. Variolam (Robertus enim illinc jam abierat) & Scorsariolum expugnavit; novissime metatus est castra ad Balneolum, quod Oppidum superiori aestate occupaverat, ut ante dictum est, abestque à Brixia decem millia passuum. Robertus unà cum Luca Pisano, & Nicolao Pisauro Legatis ac quinque & sexaginta cohortibus, & quinque millibus peditum Maclodio profectus Turbulas concessit. Mox hinc inter Brixiam & hostium castra ad S. Zenonem castra fecit. Hic coeptum est agi de pace inter Robertum, & Ludovicum Sfortiam, missis citro ultroque nuntiis. Interea Christophorus Porcus Herculis Centurio in insidiis captus Venetiis in carcere strangulatus est; & quum pax componi nequisset, petentibus Venetis, ut Oppida, quibus Rubei imperaverant, illis restituerentur, tunc Guido Rubeus Legatis Venetis dixit, se nolle impedimento esse, quo minus componant pacem; relinquant Ludovico Oppida, quando aliter conditiones pacis convenire non possunt. Et ita pax universalis totius Italiae ad Clavicas, qui locus abest à Brixia sex millia passuum VII. Idus Augusti Anno salutis Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Quarto composita est, captis hinc inde restitutis, Venetisque tantum Rhodigii Policinum, Ludovico Sfortia, aliisque Mediolanensium Principibus Oppida, quibus imperaverant Rubei, retinentibus. Sexto vero Idus Septembris peractis supplicationibus Venetiis post decimam octavam horam Johannes Mocenicus Dux per praeconem pacem nuntiavit.

FINIS.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo XXI.
RERUM ITALICARUM.

A

Idem.

Ejus

D

E

F

Ejus

Ab

L

Qua

N

O

O

Alia

F I N I S.

S